Google

NOVISSIMA PRAXIS THEOLOGICOLEGALIS

IN VNIVERSAS DE SOCIETATIBVS, SIMONIA, ET DE COMMODATO, ET DEPOSITO CONTROVERSIAS.

AVCTORE

D. GREGORIO ROSIGNOLO

NOVARIENSI

CLERICO REGVLARI CONGREGATIONIS S. PAVLI, & in ARCIMBOLDIA D. ALEXANDRI Mediolani Vniuerſitate Publico Moralis Theologiæ Profeſſore.

Opus omnibus vtriuſque Iuris, Theologiæ Sacræ, & Moralis Profeſſoribus vtiliſſimum, ac plane neceſſarium.

Noua, ac faciliori methodo congeſtum.

CVM DVPLICI INDICE,

Altero Titulorum, altero rerum locupletiſſimo.

AD EMINEN.^MVM ET REV.^MVM PRINCIPEM

D. D. FEDERICVM

S.R.E. PRESB. TIT. S. ALEXII CARDINALEM

VICECOMITEM.

ET S. MEDIOL. ECCL. ARCHIEPISCOPVM

Biblioth. Schol. S. Pauli ...



MEDIOLANI, MDC LXXXII.

Apud Ioſephum Ambroſium Maiettam, prope Monaſterium S. Radegundæ.



EMINENTISSIMO PRINCIPI
S. R. E. CARDINALI
FEDERICO VICECOMITI,
ET S. MEDIOL. ECCL. ARCHIEPISCOPO.

INTER geſtientis totius Inſubriæ plauſus, quæ tibi Patriam infulam, quæ Sacram Purpuram gratulatur, cum cæteri ſtylum, ac vocem fæliciter exerceant, mutas ego paginas offero EMINEN.ME PRINCEPS. Cum etenim non ea mihi ſit facultas, vt eximia meri-

ta tua dicendo æquare valeam, nec vllam putem ſufficere ſermonis copiam, ſatiùs eſſe duxi venerari ſilentio, quàm importuna garrulitate obſtrepere. Sanè quacunque dignitatem tuam intueor, vndique tàm ingentia, & ſuprà communem aleam verſantur ob oculos, vt mentis aciem obtundant, ſuadeantq; ſupplere tacita admiratione facundiam. An verò à priſcis auitæ gloriæ monumentis accerſam tuarum laudum argumenta? Iam clariſſimum genus, tot Principum, Præſulum, Heroum, ferax, omnibus belli, paciſque ornamentis, ſacris, profaniſque titulis inſigne, celebrique publicæ famæ præconio per omnes terrarum fines decantatum tenui oratiuncula exornare, perindè eſt, ac velle Solem illuſtrare nitedula. An proſequar virtutum tuarum ſeriem prolixam, quarum choro ſtipatus ex inclyto huius Vrbis laureatorum Collegio Romanam Curiam inijſti, demùm illinc poſt grauiſſimas Rotæ Curas ad nos redijſti Præſul Purpuratus, non tàm amethiſto, ac murice, quàm lectiſſimis animi dotibus affulgens? meliorem exigunt iſta characterem, nec tam anguſtos margines patiuntur: Quin inconſultæ foret audaciæ, vel tentare maiora conatibus, vel eorum magnitudinem decurtare. Verùm ne in communi gratulatione prorſùs videar otiari, præſertim tot nominibus obſtrictus, quamuis tacitus te colam, vbi deficit verborum vbertas, librum ſubſtituam intimæ exultationis interpretem, ac teſtem obſeruantiæ. Quod ſi deterret hæc Summi Antiſti-

tiſti-

tiſtitis, & Vaticani Patris Maieſtas; dabit humanitas tua, vt aliò deflectens oculos ad tot lumina caligantes mitiora reſpiciam, teq; Sapientiæ præſidem paritèr, ac pietatis venerer, vt noſtræ huius Vniuerſitatis protectorem. Hoc igitur ſtudiorum meorum vectigal literarum tutelari perſoluo, quæ quidem audito ſtatìm nomine tuo geſtiunt, memores, quàm enixè illas ſempèr amaueris, quàm colueris impensè; nec verentur, quin humaniſſimo foueas patrocinio, quibus pridèm animum addixiſti: præſertim ſeuerioribus ijs, quæ mores hominum inter fines recti coercent. Quamobrem qualecumque ſit opus, inueniet ſaltem materies gratiam, ipſa ſcilicet æquitas, cuius tu non ſolum ſtudia, nauiter emenſus es in Academijs, at in tribunalibus etiam integerrimè iura tutatus. Facit inſuper maiorem ſcriptis meis fiduciam, vt benignos à te ſperent obtutus, præpenſus in noſtros, & noſtra Vicecomitum Præſulum Genius. Hunc ſibi maximè propitium ſenſit nondum plenè adulta Congregatio in Magni Caroli Borromæi Magno Succeſſore Gaſpare Vicecomite, qui Pijſſimi anteceſſoris mentem ſecutus (illum nos, vt amantiſſimum Patrem colueramus) pari amore ſolatus eſt noſtram orbitatem. Hunc apprimè beneficum experta eſt in Cremonenſi Antiſtite Franciſco, quem nuper heù nobis ereptum deſiderauimus. Proh qualem memini virum Pontificijs omnibus virtutibus, hac noſtra ætate ſpectandum, qui cum Eccleſiam Suam per multos annos tanta integritate, &

 vigi-

neceſſaria, quæ depromant, ſicque, dum ipſi Helenam efformant, ne[illegible]ecioſam faciunt, nec diuitem. Excurrunt quandoque inter literatorum exedras, vel Philoſophantium in porticus exigui quorundam liberculi, quos, ſi mole metiaris quantitatis, vix cadere ſub ſenſu percipies, ſi menſura perfectionis, vix intellectum habere quid hauriat, dignoſces, quos cum legeris, ſobrius es, cum declutieris, omninò ieiunus. Dedignantur aliorum placita recenſere iactitantes de ſuo depromere, neſcij, quod ſibi nimium fidere temerarium eſt, aliena negligere, iniurioſum, quodque veritas nunquam firmiùs conſiſtit, quam cum rationibus, aliorumque calculo comprobatur. Dum amplos, quos fœcunda nimis enititur facultas, conceptus, inter anguſtias breuis operis concludunt, veritatis lumina obtundunt, nec tirones inſtruunt, nec proſunt emeritis in litterarijs Caſtris. Si ingentia volumina, quæ recentèr promuntur, vix aliquid habent, niſi vt literatorum myrothecas extenſo quodam apparatu exornent, vel puluerem contrahant; exigua huiuſmodi opuſcula, nec habent, quo exornent, nec quo rubiginem ab intellectibus excutiant, dignoſcunt. Verè Phænices non niſi poſt diutina ſæcula enaſcuntur, nec tamen Phænices ſe iactant, qui crebra edunt volumina, ſi quidem non ſingulare eſt plura per plura tempora cogere, nec ſingula, quæ enituntur, ſunt ſingularia. Singulare vtique foret immenſa exiguis terminis comprehendere, & Deo penè conterminum, cuius ſermo vnus eſt, & multiplex, multiſque ſenſibus fæcundus, qui propterea, dum narrat geſtum, multa prodit myſteria. Verè Phænices ſe præſumunt, qui diuinam æmulari contendentes cognitionem paucis ſtudent plurima cumulare, qui tamen, dum verba limitat ad anguſtias, ferè ad nihili confinia ſenſus reducunt. Amat quidem natura potius rerum ſubſtantiam, quam verborum lineamenta, ſed ea naturæ conditio eſt, vt non niſi per verba conceptus, & per colores ſubſtantias proferat, quoue plura ſunt obiecta, in quæ collimat, eo vberiora ſint verba, quibus depromat. Ampliſſimum contractuum campum, qui ne dum ictu oculi luſtrari nequit, ſed nec crebris obtutibus excolendum aſſumpſi. Quid ni, ſi non niſi per plures mentis conceptus percurram, vberem ſegetem non niſi per plura volumina congeram? Societatis officium in hoc opere, quod tibi offero, baſis eſt cæterorum, in quo diutino fuit labore inſudandum, cum hominum vniuerſas vices perſtringat, quorum munera, cum ſocialia ſint animalia, tota in ſocietate verſantur, nec ſatis naturæ referrem, ſi per totum vitæ decurſum ſocietatis vices recenſerem. Societati ſimonia ſuccedit,

quæ

quæ, cum ſocietatis Eccleſiaſticæ legibus ex ſui fœditate obſiſtat, ab humanis commercijs, in quibus ſocietas viget, debuit eliminari; cumque hæc non paucis contenta aditus ſibi plurimos pandat ad humana commertia, per plura ſemitæ omnes debuerunt præcludi. Tandèm, cum humana ſocietas beneficia inter homines reſpiciat, quæ recipit, quæque rependit, commertia in commodatis, & depoſitis ſibi debuit conciliare, per quæ vel conferentes, vel recipientes mutuis ſe fouent obſequijs, & ſocialibus accumulant argumentis. A præſcripta methodo in his diſceptationibus non receſſimus, quæ licet prolixitati deſeruiat, proficuam tamen ad faciliorem captum ex publica alea iudicij dignouimus, & accommodam. Non damnanda prolixitas, quæ non inutilis eſt, ſed quæ inanis, & vacua. Voluminum moles non te deterreat AMICE LECTOR. Plura comperies in vnum, quæ diſperſa reperiuntur in pluribus, quæque ſub ſua methodo diuerſimodè Theologi, & iuris Interpretes diuidunt, ſub hac vna amico fœdere conciliantur. Qui beneuolus per tria volumina dicteria mea perpeſſus fuiſti, ne dedigneris adhuc modicum ſuſtinere; iam enim gemit ſub prælo volumen quartum, quo te abſoluam ab vniuerſis contractuum diſceptationibus, meiſque dicterijs in hac materia poſt hæc vendicabo. Interim, quæ tibi offero, benignus reſpice, meique munera obſequij ne dedignere. Vale.



DON

DON ALEXANDER MADERNVS
Congregationis Cler. Reg. S. Pauli Præpoſitus Generalis.

CVM Librum, cui Titulus eſt, Nouiſſima Praxis Theologicolegalis de Societate, de Simonia, & de commodato, ac depoſito, à Patre Don Gregorio Roſſignolio Presbytero Congregationis noſtræ profeſſo compoſitum duo eiuſdem Congregationis eruditi Viri, quibus id commiſimus, accurata lectione, & graui iudicio recognouerint, & poſſe in lucem edi probauerint, Nos, vt Typis mandetur, quantum in Nobis eſt, facultatem facimus. In quorum fidem &c. Dat. Romæ in Collegio noſtro SS. Blaſij, & Caroli die 4. Octobris 1681.

Don Alexander Madernus Præpoſitus Generalis.

Locus ✠ Sigilli.

D. Antonius Maria Burontius Cancell.

1680. die 28. Auguſti.

EX iuſſu Reuerendiſſimi D. D. Inquiſitoris Generalis Mediolani infraſcriptum Volumen, cuius proſpectus: *Nouiſſima Praxis Theologicolegalis in vniuerſas de Societatibus, Simonia, & de Commodato, & Depoſito, controuerſias* Auctore D. Gregorio Roſignolo Nouarienſi Clerico Regulari Congregationis S. Pauli &c. adamuſſim exenteraui, illudq; ab omni labe expoliatum, quæ vel Sanctæ Catholicæ Fidei lumen obumbrare, vel rectam morum diſciplinam inficere poteſt, ex omni capite dignum, vt Typis committendum veniat, cenſeo. Me tamen &c.

Co. Io. Baptiſta Arconatus I. C. C., ac S. Officij Mediolani Librorum reuiſor, & cenſor &c.

Die 25. Septembris 1680.

Attenta præfata atteſtatione.

Imprimatur Fr. Sixtus Cerchius Inquiſitor Generalis Mediolani &c.

Iacobus Saita S. T. D. Canonicus Imperialis Baſilicæ S. Ambroſij pro Reuerendiſſimo Capitulo Sede vacante.

Franciſcus Arbona pro Excellentiſſimo Senatu.

PRIVI-

PRIVILEGIVM EXCELL.MI MEDIOLANI SENATVS:

CAROLVS II. DEI gratia Hiſpaniarum, vtriuſque Siciliæ Rex &c. Mediolani Dux &c. Ven. Pater Don Gregorius Roſignolus preces nobis dedit ſequentes ſcilicet: P. R. D. Gregorius Roſignolus ex Clericis Regularibus Barnabitis perpetuus apud Deum pro M. V. orator, cum ſingulari ſtudio, aſſiduoque labore congeſſerit quatuor volumina in vniuerſas de contractibus controuerſias, quæ inſcribuntur: Nouiſſima praxis Theologicolegalis, quorum primum iam typis edidit, ſitque alia ſucceſſiuè editurus, timens, ne ſolicita aliorum lucrandi cupidine, qui ex alienis laboribus fructus, vt plurimum colligere ſtudent, damnum aliquod ſibi inferatur, vel ex noua editione, vel ex venditione eorumdem librorum, quo certè ingentia debita, quæ ex gratuitis mutuationibus ob impreſſiones iam contraxit, eſtque in dies contracturus, non poſſet extinguere, aliaque opera, quæ meditatur, edere, cum magno ſtudiorum ſuorum detrimento. Supplex ad M.V. confugit, eandem humillimè deprecando, vt ſuis litteris patentibus in initio cuiuslibet voluminis tàm reſpectiuè ad edenda, quàm ad iam editum affigendis, ſeù intimandis &c. dignetur ſancire, ne quis per vniuerſos huius Mediolanenſis Dominij fines intrà decem annos à die finitæ impreſſionis reſpectiuè ad quodlibet computandos imprimat, ſeù typis excudenda curet, & ne venalia habeat huiuſmodi volumina tàm editum, quàm edenda præter illos, quibus ipſemet ſupplicans conceſſerit; item prohibere omnibus ſuis ſubditis, ne eoſdem libros extrà hoc dominium imprimendos curent, vel quempiam vbicumque fuerit, ad id agendum impellant, ac inſtigent, vel ab alijs extra dominium impreſſos in idem Dominium inducant, aut vendant, aut alio quouis titulo alienent ſine conſenſu Supplicantis, idque omne ſub ijs pænis præcipuè pecuniarijs, quæ videbuntur M. V. opportuniores ad remouendum Supplicantis damnum applicandis Regio Fiſco, Denuntianti, & Accuſatori, quod ſperatur &c. QVIBVS in Senatu lectis per has noſtras ſtatuimus, & inhibemus Impreſſoribus, Bibliopolis, alijſque omnibus, & ſingulis, ne hinc ad annos decem ab editis libris numerandos

des

Digitized by Google

dos narratum opus imprimere, aut imprimi facere, alibique impreſſum in hoc dominium importare, vel venale habere, vel vendere audeant, tam editum, quam edenda exceptis ijs, quibus ipſe Supplicans conceſſerit ſub pæna ammiſſionis omnium librorum, & præterea nummorum aureorum viginti quinque, cuius pœnæ dimidium Fiſco noſtro, reliquum Supplicanti applicetur, mandantes quibuſcumque Officialibus, & iuſdicentibus Dominij noſtri Mediolani, tam mediatis, quam immediatis, vt præſentes literas inuiolatè ſeruent, & obſeruari faciant procedentes contra inobedientes iuxta earum diſpoſitionem, atque tenorem. In quorum fidem præſentes Sigillo noſtro munitas fieri, & regiſtrari iuſſimus. Mediolani die 28. Iulij 1678.

Locus ✠ Sigilli.

Subſcript. Coſſa pro Fr. Arbona.

IN-

INDEX

Titulorum, Prænotionum, Sectionum, Diſquiſitionum, & Paragraphorum.

CONTRACTVS VII.

De Societatibus.

Prænot. 1. *De natura, & quidditate ſocietatis, & diuiſione.* 2.

2 *Qualis ſit contractus ſocietatis, & quomodo perficiatur.* 4.

3 *An in ſocietate abdicatur dominium rei, quæ contribuitur.* 5.

4 *Ex qua culpa teneatur ſocius erga alios ſocios.* 6.

5 *An, & quomodo ſubſiſtat priuilegium, quod ſocij teneantur in id tantum, quod facere poſſunt.* 8.

6 *An ad taxandum id, quod facere poteſt ſocius debitor, ſit deducendum æs alienum in tali taxatione.* 10.

7 *An debitor ex ſocietate, qui vult vti prædicto priuilegio teneatur poſtea, ſi ad pinguiorem fortunam deuenerit integrè ſatisfacere, & an teneatur præbere cautionem de integrè ſatisfaciendo ſi poſtea potuerit.* 12.

8 *An debitor ex ſocietate poſſit vti tali priuilegio, quando creditor eſt in æquali neceſſitate.* 13.

9 *Quid agendum ſit ad formandum prudens iudicium, an ſocio debitori tantum maneat, quantum ſufficit, vt dicatur non egere.* 14.

10 *An priuilegium ſocij debitoris extendatur ad fideiuſſores, & ad eius hæredes.* 16.

11 *Quinam, & quomodo contrahere poſſint ſocietatem ad negotiationem.* 18.

12 *Quænam actiones oriantur ex contractu ſocietatis.* 20.

13 *An ſocij ſint alendi ex bonis communibus ſocietatis.* 21.

14 *An, & quando quis expenſas fecit de ſuo marſupio pro bonis ſocietatis poſſit illas de communibus bonis eiuſdem ſocietatis repetere.* 24.

15 *An in diſſolutione ſocietatis non ſolum lucrum, ſed etiam capitale ſit inter ſocios diuidendum, & quomodo.* 27.

16 *Quonam titulo ſocius pecuniarius acquirat illud lucrum, ſeu ius ad illud.* 31.

17 *Vtrum poſſit eſſe licitus contractus ſocietatis, vt periculum totum capitalis ad eum pertineat, qui apponit operas.* 33.

18 *An in diſſolutione contractus ſocio pecuniario reſtituendum ſit capitale in pecunia ſecundum valorem, quem habet tempore celebrati contractus, an verò ſecundum valorem, quem habet tempore diſſolutionis eiuſdem.* 33.

19 *De ſocietatibus officiorum in genere.* 35.

20 *Diluuntur nonnullæ aliæ difficultates quoad ſocietates officiorum.* 38.

21 *De formulis ſocietatis officiorum, & Pontificijs conſtitutionibus quoad eandem ſocietatem officiorum.* 43.

22 *De iuſtitia, vel iniuſtitia quarumdam conditionum in ſocietatibus officiorũ.* 46.

23 *An ſocietas officij ad rationem duodecim pro centenario ſuper officio non vacabili teneat.* 49.

24 *De diſducta in ſocietatibus officiorum.* 51.

25 *De ſocietate omnium bonorum.* 54.

26 *De ſocietate circa pecudes, & animalia, quæ dicitur ſoccida.* 58.

27 *De ſocietate inter Fratres.* 61.

28 *De ſocietate inter maritum, & vxorẽ.* 67.

29 *De ſocietate vulgò dicta* à goder à goder. 71.

DIS.

DISQVISITIONES I.

A prima ad decimam Prænotionem incluſiuè,

§. 1 AN ſit propriè ſocietas, ſi per mercatorem conferatur in ſtipendium miniſtro pars aliquota lucri deducto capitali acquiſita ex negotiatione. 74.

2 An ſocietas indefinitè contracta ſine vlla expreſſione ſit omnium bonorum, vel abſoluta, vel aliquorum ſolummodò. 76.

3 An ſocietas inita cum pacto, ut ſub eadem cadat quæcumque iuſta hæreditas, quæ ſocijs obuenerit extendatur etiam ad hæreditatem ex teſtamento. 77.

4 An inita ſocietate omnium bonorum, ſi aliquis ex ſocijs contulerit aliquid per ipſum turpitèr acquiſitum, poſſit illud repetere. 78.

5 Ad quodnam tempus poſſit contrahi ſocietas. 80.

6 An inita inter plures ſocietate ad vitam eorumdem ad mortem vnius diſſoluatur ſocietas quoad omnes, an tantum quoad eum, qui perijt. 81.

7 An ſi ſocietas priuata inita fuerit cum conditione, ut vno ſocio mortuo tranſeat ad ipſius hæredem diſſoluatur ſolummodò poſt illius mortem, an verò ſit irrita à principio. 82.

8 An ſocietas cum pacto, vt tranſeat ad hæredes firmata iuramento omnium contrahentium obliget, & quoſnam, & quomodo. 84.

9 Cuinam præiudicet renuntiatio ſocietatis intempeſtiua renuntiatario ignorante. 86.

10 An in æquali periculo præferenda ſint res ſocietatis rebus proprijs. 88.

11 An ſi res ſocietatis, ſeu ad ſocietatem deſtinata pereat ex culpa famuli deferentis pereat ſocio, qui mittit, an ſocio, cui defertur. 90.

12 An ſi tertia perſona à deſignata per fictionem accipiat res ſocietatis, & effugiat res illa pereant tradenti, an alteri ſocio, cui erant deferendæ. 93.

13 Quouſque ſocius poſſit aduerſus ſocium creditorem excipere de priuilegio faciendi tantum, quantum commodè facere poteſt. 94.

14 An ſocius integrè ſatisfactus per ſocium debitorem poſſit compelli ad contribuendum alijs, quando debitor eſt impotens ad ſatisfaciendum alijs integrè. 95.

15 Cuinam pereat res, quæ data eſt ad certam negotiationem, ſi pereat ante eandem. 96.

16 An ſocius gaudere poſſit priuilegio efficiendi id tantum, quod commodè facere poteſt, quando iam contulit totum id, quod ſocio debebat. 98.

17 An Creditores ex alio titulo aduerſus ſocium debitorem poſſint ex relicto per ſocium creditorem iuſtè exigere ſatiſfactionem ſuorum creditorum. 99.

18 An ſocietas in bonis eiuſdem ſocietatis tribuat ius prælationis in ordine ad creditores ex alia cauſa. 100.

19 An ſocietas coita cum filiofamilias duret poſt emancipationem eiuſdem, & quænam actiones ex ipſa prouenıant. 103.

20 An ſocius omnium bonorum damnatus ob iniuriarum actionem damna ſocietati communicet. 105.

21 Cur ſocius conferat acquiſita per iniuriarum actionem in perſona propria, & non conferat deperdita ex proprio maleficio. 106.

22 An poſſit fieri compenſatio negligentiæ in quibuſdam per maiorem diligentiam in alijs. 107.

23 An æs alienum in ſocietate contractum debeat ſolui de communi. 108.

DISQVISITIONES II.

Ab vndecima vſque ad decimum nonam Prænotionem excluſiuè,

§. 1 AN coiri poſſit ſocietas inter Patrem, & filium, & ex quibus bonis. 111.

2 An detur exceptio quoad aliquas perſonas à iure ineundæ ſocietatis. 112.

3 An ſeruus poſſit ſocietatem inire, & an hæc poſſit per dominum diſſolui. 113.

4 Cuinam ſeruus contrahens ſocietatem ſtipuletur, & quiſnam obligetur. 116.

5 An alienatione ſerui ſocietas diſſoluatur. 118.

6 An frater emancipatus teneatur in cõmune ſocie-

ſocietatis ſua ſtipendia conferre. 119.
7 *An Monaci, ſeù Religioſi poſſint validè contrahere ſocietatem.* 121.
8 *An ſufficiat licentia tacita ſuperioris ad hoc, ut Monachus validè cōtrahat.* 124.
9 *An uſurarius validè poſſit contractum ſocietatis inire.* 125.
10 *An prodigus in rebus ſuis poſſit contrahere ſocietatem.* 128.
11 *An prodigo, ſi ex contractu ſocietatis fuerit læſus, concedatur priuilegium reſtitutionis in integrum ad inſtar minoris.* 130.
12 *An contrà alienantes res ſocietatis contra pactum detur aliqua actio, & quanam.* 131.
13 *An actio perſecutoria rei tollat pœnalē.* 132.
14 *An ſocius contractans rem communem in emptione rei ad commodum proprium, rem emptam ſibi acquirat quoad dominium.* 133.
15 *An ſtipulatio pœnalis nouet præcedentem obligationem ex cauſa onerosa contractam.* 135.
16 *An veniens contrà mandatum uni factum conueniri poſſit.* 136.
17 *An miſſus per unum ex ſocijs in remotas regiones ad negotia ſocietatis ſit in profectione alendus ex communibus bonis ſocietatis.* 138.
18 *An, & quomodo ſocietas diſſoluatur ex perſonis inter fratres.* 139.
19 *An maxima, & media capitis diminutione ſoluatur ſocietas.* 140.
20 *An ceſſione omnium bonorum diſſoluatur ſocietas.* 142.
21 *An ſocietas inita ad certum tempus poſſit ex aliqua cauſa altero diſſentiente diſſolui ante aduentum illius.* 143.
22 *An, ſi ſocietas contracta ſit ſine tempore liberum ſit cuicumque contrahenti pro quocumque tempore recedere.* 146.
23 *Quandonam, & quomodo actione terminetur ſocietas.* 147.
24 *Quomodo, & quando ſoluta ſocietate diuiſio ſit inter ſocios facienda.* 148.

DISQVISITIONES III.

A decima nona vſque ad vigeſimam quintam Prænotionem excluſiuè.

§. 1 *AN ſocietas ſuper officio contrahi debeat ad valorem, quem habebat officium, quando eſt emptum, an verò ad valorem, quem habet, quando contrahitur ſocietas.* 150.
2 *An Notarius, qui in celebratione inſtrumenti quoad ſocietatem pactum non appoſuit, poſſit poſteà illud pactum pro tempore adijcere.* 152.
3 *An ſi Officialis nullos ex officio fructus perceperit teneatur ſocio conuenta ſoluere.* 153.
4 *An ſocietas ſuprà valorem officij teneat, quando contrahentes ignorabant exceſſum.* 155.
5 *An in taxando valore officij habenda ſit dumtaxat ratio fructuum, an verò etiam honoris, & dignitatis.* 157.
6 *An ſi Officialis ſubeat laborem officij poſſit fieri ſocietas, in qua danti pecunias ſoluatur penſio adæquans omnes fructus officij.* 158.
7 *Quomodo computandi ſint dies quindecim conuenti ad nominationem alterius perſonæ, cuius vita periculo ſtet capitale per ſocium ſolutum.* 160.
8 *An ægrotans perieuloſè poſſit nominare* 161
9 *An per ſocium poſſit fieri translatio periculi in alium perceptis fructibus temporis, quo ſit.* 162.
10 *Quam pœnam ſubeat Officialis, ſi non dederit fideiuſſores intrà terminum conuentum.* 165.
11 *Quanam iura acquirat contra Officialem fideiuſſor, qui pro ipſo ſoluit conuentas præſtationes ſocio.* 166.
12 *An translato toto commodo ſocietatis per ſocium in aliam perſonam ſocietas in eandem tranſeat, & an eius periculo ſtet capitale.* 166.
13 *An conſtituta ſocietate ſuper duobus officijs, quibus Officialis gaudebat, altero eorum vendito, intelligatur deſſoluta ſocietas.* 168.

Digitized by Google

DISQVISITIONES IV.

Ad reliquas omnes de ſocietate prænotiones.

§. 1 *AN ſocius omnium bonorum poſſit vtì re communi in proprium commodum ſine aliorum præiudicio, & quid ſi eandem vendiderit proprio nomine.* 169.

2 *An ſubſiſtere poſsit ſocietas animalium cum onere reſtituendi capitale integrum ad certum tempus, & diuidendi fructus indè prouenientes ad æqualitatem.* 170.

3 *An ſit licita ſocietas, qua quis dat Bouem nutriendum ad annum cum pacto, vt reddat valorem conferenti, reliquum diuidatur.* 172.

4 *Quomodo facienda ſit diuiſio animalis dati, vt melius reddatur.* 174.

5 *An ſit iniquum pactum in ſocietate animalium, vt quot perierint, tot ſemper ex communibus fœtibus ſubrogentur, & reliqua diuidantur.* 175.

6 *An inita ſocietate Patre viuente inter Fratrem ſpurium, & legitimum quoad omnia bona hæreditas moriente Patre tranſeat etiam ad ſpurium.* 176.

7 *An debitum contractum ab vno fratrum poſt obitum Patris ſit de communi ſoluendum.* 178.

8 *An factum vnius fratris ſocij bonorum omniū cū alio fratre noceat alteri.* 179.

9 *An frater dotans filiam alterius fratris poſſit ipſam repetere dotem.* 180.

10 *An lucrum vxoris alterius fratris communicandum ſit in diuiſione.* 182.

CONTRACTVS VIII.

De Simonia ſecundum ſe, & ſecundum ſuas cauſas, & effectus.

Præn. 1. *VNdè dicta ſit Simonia, & quid propriè ſit.* 184.

2 *Quotuplex ſit ſimonia, & quo iure ſit prohibita.* 186.

3 *Quodnam, & qualenam peccatum ſit ſimonia.* 192.

4 *An contractus ſimoniacus ipſo iure ſit nullus, & ea, quæ ex ipſo conſequuntur.* 197.

5 *An pretium ſimoniacè acceptum ſit reſtituendum, & quo iure.* 202.

6 *An pretium ſimoniacè acceptum, quod non ex iure naturæ, nec diuino, ſed ex lege ſolum poſitiua Eccleſiæ eſt reſtituendū, ſit reſtituendū ante ſententiā.* 211.

7 *Cui facienda ſit reſtitutio pretij ſimoniacè recepti.* 212.

8 *An beneficium Eccleſiaſticum ſimoniacè receptum praua pecunia, & fructus ab eodē percepti ſint reſtituendi etiam antè ſententiam, & cui.* 218.

9 *An penſiones ſimoniacè collatæ, aliaque officia ſint irrita.* 232.

10 *An pœna irritationis in collatione beneficij ſimoniaca locum habeat in conuentione ſimoniaca ſemireali ex parte beneficij conſecuti, non pretij traditi.* 237.

11 *An irritatio collationis ſimoniacæ extendatur etiam ad Epiſcopalem, Cardinalitiam, & Pontificiam dignitatem.* 242.

12 *An per receptionem ſimoniacam beneficij, vel ordinis ipſo iure oriatur priuatiō beneficiorum priùs ritè obtentorum, & inhabilitas ad futura.* 244.

13 *De pœnis contra ſimoniacos tùm in beneficijs, tùm in alijs rebus ſpiritualib.* 249.

Sect. 1 *Quas pœnas inducat ſimonia confidentialis, & quid ſit.* 251.

2 *De pœnis contrà ſimoniacos reales in beneficiis.* 260.

3 *De pœnis contra ſimoniacos in ordine.* 266.

4 *De pœnis contra ſimoniacos in ingreſſu in Monaſterium.* 274.

5 *An pro ſimonia in quocumque genere ſit alia pœna Eccleſiaſtica impoſita, & quænam.* 278.

6 *An, & quis diſpenſare poſsit in pœnis appoſitis contrà ſimoniam.* 279.

7 *An ſint aliæ pœnæ arbitrariæ contrà ſimoniacos, & quænam.* pag. 283.

14 *An res purè naturalis poſsit eſſe materia ſimoniæ.* 284.

15 *An exercitium ſupernaturalis doctrinæ ſit materia ſimoniæ.* 289.

16 *An exercitium internæ iuriſdictionis ad animarum curam ſit materia ſimoniæ.* pag. 291.

Digitized by Google

17 *An actus externæ iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſint materia ſimoniæ.* 292.

18 *An labores in functionibus merè Eccleſiaſticis, eorumque obligationes ſint materia ſimoniæ.* 294.

19 *An actus priuati honeſti, & ſpirituales ſint materia ſimoniæ.* 298.

20 *An pro actibus ſpiritualibus ſoli operanti vtilibus poſſit pretium ab altero ſolui ſine labe ſimoniacæ prauitatis.* 299.

21 *An omiſſiones in ſpiritualibus ſint materia ſimoniæ.* 302.

22 *An diſpenſationes in votis, iuramentis, impedimentis &c. ſint materia ſimoniæ.* 305.

23 *An beneficia Eccleſiaſtica ſint materia ſimoniæ de iure diuino, an tantum Eccleſiaſtico.* 207.

24 *Examinantur reliqua omnia circa materiam ſimoniæ.* 312.

25 *Quid veniat nomine pretii ſimoniaci adæquatè ſumpti.* 321.

DISQVISITIONES I.

A prima ad ſextam Prænotionem incluſiuè.

§.1 *An ſimoniam commiſerit, qui fictè promiſit pretium pro beneficio, & an teneatur illud dimittere,* 330.

2 *An ſit ſimonia, ſi ex conuentione in collatione beneficii aliquid detur non collatori, ſed in fauorem Eccleſiæ, cui præficitur beneficiarius.* 333.

3 *An ſit ſimoniaca ſponſio, vulgò* ſcommeſſa *cum tertio, vel etiã cum collatore.* 334.

4 *An committat ſimoniam Canonicus, qui principaliter reſidet propter diſtributiones quotidianas, & Sacerdos, qui principaliter celebrat propter ſtipendium.* 336.

5 *An, & quomodo ſimonia ſit hæreſis.* 337.

6 *An ſit ſimonia collatio ſpiritualis cum onere retribuendi ſpirituale, vel in eodem, vel in diuerſo genere.* 338.

7 *An abſoluens ab excommunicatione, aliiſq; delictis poſſit ſine labe ſimoniæ aliquid pretio æſtimabile exigere.* 340.

8 *An abſoluens in foro exteriori ab excommunicatione maiori poſſit ſine labe ſimoniæ exigere ante abſolutionem impenſas factas in excommunicando.* 341

9 *An cogi poſſint Laici ad laudabiles conſuetudines ſeruandas in ſpiritualium adminiſtratione.* 343.

10 *An in ſuppoſitione, quod talis conſuetudo non ſit caſſata, poſſit debitum ex eadem exigi ante adminiſtrationem ſpiritualium.* 347.

11 *An ſi ſtatuto caueatur, vt in adminiſtratione ſpiritualium aliquid detur poſſit recipi ſine labe ſimoniæ.* 348.

12 *An conuentiones mutuæ inter Regulares de ſe inuicem eligendis in dignitatibus Religionis ſint ſimoniacæ.* 349.

13 *An ſit ſimonia punibilis pretium ſoluere pro interceſſione, siuè mediata, siuè immediata ad beneficium.* 351.

14 *An mediator ſimoniæ teneatur reſtituere fructus ab alio perceptos.* 354.

15 *An ſimoniam committat per pecuniam tollens impedimenta, quæ ad quærendum beneficium, ſeù ordinem opponi poſſunt.* 355.

16 *An ſit ſimoniacum in iure ſpirituali quærendo redimere pecunia vexationem iniquam ab eo, qui non ſolum obeſſe, ſed etiam prodeſſe poteſt.* 358.

17 *An ſit ſimoniacum per pecuniam ſe redimere à vexatione, siue iuſta, siuè iniuſta in iure ſpirituali iam quæſito reſpectu eius, qui poteſt ſimul obeſſe, & prodeſſe.* 360.

18 *An ſit ſimoniacum conferre pecuniam collatori, ne eligat indignum.* 364.

19 *An ſit ſimoniacum conferre pecuniam collatori, ne eligat indignos, quando ex tali conditione conſequitur, quod electio non poſſit cadere, niſi in determinatam perſonam, vel conferentis pecuniam, vel alterius.* 365.

20 *An ſit ſimonia pecunia redimere vexationem, qua quis impeditur concurrere ad beneficium.* 371.

21 *An importat ſimoniam redemptio vexationis per pecuniam in aliis rebus, & iuribus ſpiritualibus.* 372.

22 *An in aliquo caſu liceat redimere Sacramenta interuentu pecuniæ.* 380.

23 *An negatio Sacramentorum propter pecuniam, & redemptio etiam negationis illius media etiam pecunia ſit ſimoniaca.* 382.

24 *An*

14 *An ſimonia commiſſa dumtaxat cum vno ex electoribus inualidet electionem. pag.* 382.

15 *An ſit ſimonia inuicem conuenire de mutua obligatione conferendi beneficia ad inſtantiam contrahentium.* 384.

DISQVISITIONES II.

A ſexta ad duodecimam Prænotionem incluſiuè.

§.1 *AN reſignatio cum pacto, vt reſignans percipiat fructus dum viuit, ſit ſimoniaca.* 384.

2 *De tranſactionibus in beneficijs.* 387.

3 *An ſit ſimoniacus beneficiarius, qui pecuniam confert alteri, ne litem moueat ſuper beneficio.* 391.

4 *An ſit ſimonia in renuntiatione beneficij exigere à renuntiatario expenſas in eodem beneficio factas.* 392.

5 *An poſſit beneficium renuntiari exigendo aliquid loco penſionis auctoritate Pontificis ad petitionem renuntiantis conſtituenda, vel loco expenſarum, quæ facienda eſſent in expeditione bullarum pro eadem penſione.* 395.

6 *An penſio per Pontificem in beneficio annuatim impoſita poſſit priuata auctoritate ſimul redimi.* 396.

7 *An licitum ſit in reſignatione beneficij, in qua ex Pontificis auctoritate reſeruatur penſio obligare reſignatarium ad ſoluendas penſiones decurſas hæredibus reſignantis, ſi quæ tempore eius mortis fuerint inexactæ.* 397.

8 *An penſio ſoluta ante perceptionem fructuum penſionario, ſi hic præmoriatur ante eoſdem fructus perceptos ſit reſtituenda grauato.* 400.

9 *An ſit ſimoniaca conuentio inter Canonicos, vt qui ex illis eligatur ſede vacante in Vicarium Capitularem teneatur ſalarium diuidere cum alijs Canonicis.* 401.

10 *An conductio Vicariatus Epiſcopi ad tempus pro pretio ſit ſimoniaca, & nulla. pag.* 403.

11 *An Sacerdos exigens maius ſtipendium ex eo, quod celebrare debeat in altare priuilegiato ſit ſimoniacus.* 403.

12 *An ſimoniacum ſit conuenire antecedenter de ſtipendio ſuſtentationis pro ſpirituali functione.* 406.

13 *An ſimonia committatur in celebratione nouæ Miſſæ per porrectionem manuum ad oſcula, vt lucrum indè capiatur. pag.* 409.

14 *An ſimoniam committat confeſſarius, qui libentius audit confeſſiones diuitum, à quibus ſperat emolumentum, quàm aliorum, à quibus nil ſperat.* 410.

DISQVISITIONES III.

In reliquas omnes de ſimonia Prænotiones.

§.1 *AN ſimoniacum ſit ſtatutum, vt qui in Canonicum recipitur, aliquid ſoluat diſtribuendum inter cæteros Canonicos.* 411.

2 *An ſimoniam committat, qui beneficium recipit animo illud in perpetuum non retinendi, ſed tantum, donec pinguius, & dignius obtineat.* 413.

3 *An ſit ſimoniacus, qui accipit pretium ab aliquo Sacerdote, vt illo potius, quàm alteri ſtipendium Miſſarum tribuat. pag.* 413.

4 *An penſio ſtipendiaria impoſita ſuper aliquo beneficio in ordine ad aliquod ſpirituale miniſterium obeundum ſit vendibilis ſine labe ſimoniæ.* 415.

5 *An ſit ſimoniacum conſtituere in proprijs bonis alicui titulum ad ordines recipiendos promiſſione, quod nihil petet. pag.* 416.

6 *An ſit ſimonia præſentare aliquem in caſu litigioſo, vt ſuis expenſis litiget.* 417.

7 *An locatio veſtium, ſeù vaſorum Sacrorum pro faciendo Sacro ſit ſimoniaca. pag.* 419.

8 *An pretio corrumpere teſtes in cauſa ſpirituali ſit ſimoniacum.* 420.

9 *An ſit ſimonia conferre beneficium debitori, vt debitum ſoluat.* 422.

10 *An ſit ſimoniacum conferre beneficium Vicario, ne conferens ſoluat ſalarium debitum ex miniſterio ſpirituali.* 423.

11 *An ſit ſimonia conferre donum ſpirituale pro antidorali obligatione orta ex tem-*

porali

poralí obſequio. 425.

12 De pœnis, quas contrahunt publicantes, vel concedentes ob quæſtum Indulgentiam, vel facultatem, vt abſoluatur. pag. 427.

13 An ſimoniam committat conferens beneficium filio Iudicis, cum pacto, vt hic mitiget pœnam reo. 429.

14 An dare beneficium ex metu temporalis nocumenti ſit ſimoniacum. 430.

CONTRACTVS IX.

De Commodato, & Depoſito.

Præn. 1 QVID ſit commodatum, & Quotuplex. 434.

2 Qualis contractus ſit commodatum, & quomodo perficiatur. 436.

3 De cauſis commodati. 438.

4 De actionibus tàm actiuis, quàm paſsiuis, & effectibus commodati. 441.

5 Cuinam res commodata pereat, ſi culpa famuli deferentis pereat. 451.

6 De quibuſdam pactis circa contractum commodati. 454.

7 An in æquali periculo præferendæ ſint res commodatæ rebus proprijs commodatarij. 458.

8 Quid ſit depoſitum, & quotuplex. 460.

9 Qualis contractus ſit depoſitum, & quomodo perficiatur. 464.

10 De Cauſis omnibus Depoſiti. 465.

11 De Actionibus, & Obligationibus, quæ ex depoſito oriuntur. 470.

12 An depoſitarius poſsit vti depoſito, & an ſemper depoſitum per vſum tranſeat in alium contractum. 474.

13 Quando, & quomodo terminetur depoſitum, & ſit reddendum. 478.

DISQVISITIONES I.

Ad omnes Prænotiones de Commodato.

§. 1 AN, ſi fur rem furtiuam commodauerit concurrente domino, eidem, an domino ſit reſtituenda, & an poſsit à Domino reuocari ante vſum, ſeù incepto tam vſu. 479.

2 An dolus ſerui præiudicet commodanti. pag. 481.

3 Ad quid teneatur commodatarius, ſi re commodata vtatur quidem ad vſum ſibi conceſſum, ſed non iuxtà conuenta. pag. 482.

4 An res indiuidua duobus commodata vtrumque obliget inſolidum. 484.

5 An appoſitio cuſtodiæ facta per commodantem rei commodatæ eximat commodatarium à periculo eiuſdem rei. pag. 485.

6 An error in iure quoad perſonam commodatarij impediat actionem commodati. pag. 486.

7 An commodatarius allegans res periisse teneatur probare. 488.

8 An commodatarius, ſi ex impotentia fuerit in mora reſtituendi rem commodatam teneatur de intereſſe commodanti. pag. 489.

9 An commodatarius teneatur rem commodatam reportare commodanti. 490.

10 An conditio vſucapiendi detur ex commodato. 492.

11 An commodari poſsit res ad pignorandum, & quandonam poſsit repeti. 493.

12 Cui commodatarius lucretur pœnam exigens à fure rem, & pœnam 494.

13 An, & quanam actio concedatur, si per vxorem res marito per extraneum commodata ſurripiatur. 495.

14 An commodans arma teneatur ad damna inde ſecuta. 497.

DISQVISITIONES II.

Ad omnes Prænotiones de Natura Depoſiti.

§. 1 AN depoſitarius poſsit reſtituere rem depoſitam bannito, cuius bona ſunt confiſcata. 498.

2 An deponens certam pecuniæ quantitatem penès mercatorem ea conditione, vt, ſi aliquid ipſi deponenti acciderit, tradat illam tertiæ perſonæ, illam amittat, ſi in carcerem detrudatur, vel banniatur. pag. 499.

3 An Depoſitum factum per Monachum ſit eidē ex neceſsitate reſtituendum. 501.

4 *An Depoſitum factum penès dominum rei depoſita ignorantem ſubsiſtat.* 502.

5 *An Depoſitarius occultans Gabellarius res penès ſe depoſitas, & ſoluens aliquid proprio inimico, ne accuſetur iuſtè, ſoluerit, & an inimicus poſsit illud iuſtè detinere.* 504.

6 *An in caſu præcedentis Diſquiſitionis deponens teneatur compenſare ſolutum.* pag. 507.

7 *An merces depoſitæ apud Nauclerum, & ab eodem commutatæ domino inſcio iuxta præſumptam tamen voluntatem ipſius, ſi pereant, & remaneant commutatæ, pertineant remanentes ad dominum, an verò ad commutantem.* pag. 508.

8 *Cui reſtituere debeat depoſitarius pluribus contendentibus de hæreditate.* 510.

9 *An dolus commiſſus in vendendo rem depoſitam purgetur per redemptionem eiuſdem rei depoſitæ.* 501.

10 *An depoſitum habeat priuilegia, & quædam ſpecialia de ipſo.* 512.

11 *An, & quando Depoſitum habeat vim ſolutionis.* 513.

13 *Quid ſit Depoſitum muſeale, & quandonam releuet.* 515.

13 *An depoſitum factum pro abſenti poſsit reuocari.* 516.

14 *An, & quandò depoſitarius reſtituens depoſitum liberetur.* 517.

CONTRACTVS VII.

De Societatibus, alijſque ad ipſas ſpectantibus.

NIL homini intimius, quam ſocietatis officium. Hoc cum ipſo natum eſt, vtpotè eidem innatum. Inter cætera animantia ſociale animal eſt, nec mirum, ſi ſocietatibus foueatur. Nec ſolùm in moribus ob homogeneitatem, in conceptibus ob communicationem mutuum hoc ſocietatis officium nutritur, ſed in humanis quibuſcunque commercijs facilè augetur, expreſſiùs declaratur. Natura ipſa ſuadente in ærumnis communicant, congaudent in fælicitatibus. Quamuis ipſius propenſio tota ſocietas ſit, ſpeciali tamèn quodam contractuum generè in ordine ad humanas viciſſitudines aſſociantur, adeò vt non ſolum in affectibus ſit communicatio; ſed participatio etiam in rebus communis. Vnus alteri deſeruit, & quod in opere impendit, alieno compenſat in ære. Sic nutriuntur affectus, dum mutuo in effectibus ſibi inuicem correſpondent. Specialem aſſociandi modum indagini expono, qui in ſpeciali habetur contractus genere. Quidditatem ipſius, & paſſiones ſedulò inquiram, ne dum ſocialis iactitor, quæcunque ſocietatis munera videar præterite.

Agunt fusè de ſocietatis contractu Iuris Ciuilis interpretes *in tot. tit. ff., & C. pro ſocio, & inſtit. de Societate*. Canoniſtæ *in cap. veſtras de donat. inter vir., & vxorem, & in cap. plerique 14. quæſt. 3.* Theologi *in 4. diſt. 15. Gabriel. quæſt. 11. art. 4. Maior quæſt. 46.* Sectatores methodi D. Thomæ *in ſecunda ſecundæ quæſt. 78. art. 2. Valentia diſp. 5. quæſt. 24.* Summiſtæ *in verbo Societas, vbi Angelus, Silueſter, Caietanus, Armilla, Tabiena verb. vſura 3.* In vniuerſum *Sotus lib. 6. de iuſt. quæſt. 6. Molina à diſpu. 411. vſq; ad 424. Leſſius lib. 2. de iuſtitia cap. 25. Fillitius tract. 38. Reginaldus lib. 25. tract. 4. Azorius inſtit. mor. tert. part. lib. 9. Ognate tom. 3. part. 2. tract. 28. diſp. 97.*

PRÆNOTIO I.

De natura, & quidditate Societatis, & diuiſione.

SVMMARIVM.

Exprimuntur varij modi, quibus poteſt contrahi Societas 1.
Vera, & eſſentialis Societatis definitio 2.
Societas alia abſoluta, alia vniuerſalis, alia ſpecialis 3.
Comparatur ſocietas cum aliis omnibus contractibus, & ab illis diſtinguitur 4.
Communes diuiſiones Societatis 5.

1 SOcietas, prout ad præſentem locum attinet, eſt quædam ſpecies contractus, quæ per ſpeciales conditiones, & proprietates contradiſtinguitur à cæteris omnibus. Hæc poteſt eſſe, vel cum communione præciſe in lucro futuro, & tunc eſt, quandò quis in ordine ad aliquam negotiationem confert pecuniam, alter impendit operam, & induſtriam, ea inter ipſos appoſita conditione, vt lucrum, quod ex tali negotiatione reſultabit, æquali calculo inter ipſos diuidatur, quæ etiam ab aliquibus appellatur ſocietas ad ſolam communionem in interuſurio, vel etiam poteſt eſſe cum communione in capitali, & in lucro futuro, & tunc eſt, quandò vterque confert proportionalitèr pecuniam, vel res ad conſtituendum capitale negotiationis, ex quo deindè interuentu eiuſdem intenditur illa lucri acquiſitio æqualitèr poſtea diuidenda inter ſocios in diſſolutione contractus. Huius ſocietatis modò contingit per propriam, & eſſentialem definitionem inquirere quidditatem, quæ cum expreſsè in toto corpore iuris tam ciuilis, quam canonici non reperiatur appoſita, varie ipſam definiendi Doctoribus contulit facultatem, qui tamen ſi attentè perpendantur, non diſcrepant in re, ſed tantum in modo loquendi. Singulos dicendi modos vos ipſi legite apud *Ognate tom. 3. part. 2. tract. 28. diſp. 97. ſect. 1.*, qui omnes refert, & deinde præ cæteris magis commendat modum loquendi *Reginaldi lib. 25. cap. 27. in principio*, quo dicit, quod ſit *contractus contribuendi ad commune lucrum ipſorum contribuentium*. Omiſſis his dicendi modis ad ſpecialem me confero; quarè ſit

Varij modi, ſecundum quos poteſt contrahi ſocietas.

Ognate. Reginaldus.

2 Aſſertio. Optimè attingitur ratio quidditatiua, & eſſentialis ſocietatis per hoc, quod dicatur, quod *ſit contractus, vt cuius duo, vel plures res, vel operas contribuunt ad commune lucrum*. Conſentit *Nauarrus cap. 27. num. 251. iuxta textum in l. 1. ff. pro ſocio, & l. 1. C. eod. tit., & cap. per veſtras de donat. inter. vi., & vxor. l. Societas ff. pro ſocio*, nec diſcrepant *Silueſter verbo peculium 2. quaſt. 1. Bonacina de contractibus diſp. 3. quaſt. 6. punct. 1. num. 1.*

Definitio propria ſocietatis.

Nauarr.

Silueſter. Bonacina

Probatur aſſertio communi argumento, quia per hanc definitionem includuntur omnia, quæ ſunt ſocietas, & omnia excluduntur, quæ non ſunt ſocietas, ergo &c. Antecedens quoad primam partem euincitur enumerando omnes ſpecies ſocietatis, eaſdemque comparando ad particulas definitionis, & quidem ſi primò diuidatur ſocietas iuxta modum ſupra expoſitum in ſocietatem quoad communionem præciſè in lucro futuro, & in ſocietatem quoad communionem etiam in capitali vtraque comprehenditur in illis particulis, *res, vel operas*, ſi enim vnus res conferat, & alter operas, vtique eſt contractus ſocietatis *l. 5. ff. pro ſocio. Card. in Clem. 1. §. fin. quaſt. 9. de vſuris l. 1. vbi Gloſa, Baldus, & Salicetus C. pro Socio. Ioannes Caphal. conſ. 248. num. 12. vol. 2.*, & eſt quoad communionem in interuſurio, & continetur ſub definitione, prout in ea dicitur, *res, vel operas*, vnus enim res, alter confert operas; ſi verò vterque conferat res ad proportionem; certè etiam eſt ſocietas, quæ dicitur etiam in capitali, & ſub eiſdem particulis includitur; non enim dicitur, quòd vnus res, alter operas debeat ex neceſſitate contribuere, ſed disiunctiuè, quod res, vel operas conferant; ſi ſecundò diuidatur in ſocietatem vniuerſalem, abſolutam, & particularem, adhuc iſtæ omnes comprehenduntur ſub tali definitione, quandoquidem, ſiuè contribuantur omnia bona dumtaxat præſentia, vt potiſſimum euenit in ſocietate abſoluta, prout latè explicat *Ognate d. tom. 3. par. 2. tract. 28. diſp. 97. ſect. 3. num. 41. verſic. 2. differunt*, ſiuè omnia tàm præſentia, quàm futura, vt euenit in ſocietate vniuerſali, ſiue omnium bonorum, vt habetur *in l. 1. ff. pro ſocio, & in l. ſi ſocietatem omnium fortunarum, & l. ſi quis ſocietatem contraxerit ff. eod. Antonius Gomez 2. variar. cap. 5. num. 3.* ſiuè aliqua bona dumtaxat determinata, vt euenit in ſocietate particulari *l. 1., & duabus ſeqq., & l. cum duobus 52. §. ſocium, & l. cum ſocietatis 4. C. pro ſocio*, ſemper verificatur, quod conferantur res in ordine ad lucrum futurum, adeòque &c. Si tertiò diuidatur in tacitam, & expreſſam, adhuc vtraque ſub eadem concluditur; conferuntur enim res, vel induſtriæ ad tale lucrum futurum, nec obeſſe poteſt, quod ſit, vel tacita, vel expreſſa, quandoquidem ſocietas nedum verbis poteſt contrahi, ſed etiam ſignis, & nutibus *l. ſi actum ſit 46. ff. pro ſocio, & l. ſi margarita 44. eod. tit. l. cum duobus 52. §. cum duo ff. eodem verſ. ſi fratres*. Fiat induſtio

Explicatio definitionis.

Cardinalis. Gloſa. Baldus. Salicetus Ioannes Caph.

Triplex ſocietatis genus.

3

Ognate.

Antonius Gomez.

Societas alia tacita, alia expreſſa.

ductio in ordine ad alias omnes ſocietatis diuiſiones, ſiuè ſint ratione temporis, ſiuè ratione finis, ſiuè quocunque alio modo, & erit ſemper inuenire, quod, ſi propriè ſint ſocietates, cadant ſub præhabita definitione.

4 Probatur iam idem antecedens quoad ſecundam partem conferendo eandem ſocietatem cum alijs omnibus contractibus, qui tales non ſunt, & deſcrimen aſſignando ex particulis allatæ definitionis; & quidem, ſi primò opponas contractum mutui, ſtatim diſcrimen dignoſces; tum quia in mutuo fit abſoluta traditio cum translatione eſſentiali dominij rei mutuatæ per ea, quæ latè tradidimus *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot.* 1. in ſocietate autem non fit, niſi contributio, & regulariter ſine translatione dominij. *Ognate d. tom. 3. p. 2. tract. 28. diſp. 97. ſect. 2. num. 30.* tum quia mutuum non eſt in ordine ad lucrum commune, cum debeat eſſe omninò gratuitum iuxta illud *Mutuum date nihil inde ſperantes*; ſocietas autem potiſſimum eſt in ordine ad tale lucrum, & ſic mutuum diſcriminatur a ſocietate tam per illas particulas, *mutuo contribuñt*, quam per illas alias, *ad commune lucrum*; ſi ſecundo opponas contractum venditionis, etiam ex illa defihitione innoteſcet differentia ex eo, quod illa ſit translatio eſſentialiter dominij, non mera contributio, vt regulariter fit in illa, & per hanc particulam contradiſtinguitur ab alijs omnibus contractibus, in quibus dominia transferuntur, ſi vero opponas contractus, in quibus non fit translatio dominiorum, & præcipuè locationem, in qua etiam fructus diuiduntur, ſtatim dignoſces diuerſitatem, quandoquidem fructus in locatione non diuiduntur pro rata, ſed pro quota laboris, ſicque non ſunt proprium lucrum eiuſdem contractus, ſed præcisè merces laboris ſic conuenta, in ſocietate verò lucrum diuiditur pro rata non ſolum comparatiuè ad ipſum lucrum, ſed etiam ad capitale, & non eſt ſecundum quotam, ſed ad ratam, quod ſi etiam hoc contingat quandòque in locatione, vt quandò fit conuentio, quod pro lucro conducti ad certas operas eidem detur ſexta, vel ſeptima pars eorum, quæ Dominus eſt acquiſiturus, non tamen per hoc deſinit eſſe locatio, quandòquidem res conuenta non deſinit eſſe aliquota, nam in illa conuentione duplex quodamodò virtualitèr interuenit contractus, alter ſcilicet propriè locationis, per quod intelligitur aſſignari conducto certum ſtipendium, alter verò innominatus, quo illud certum ſtipendium commutatur cum certa quadam parte veriſimiliter futura, & in vniuerſum ſit ſexta, vel ſeptima pars, ſiue deinde ſecundum facti contingentiam fuerit in maiori, vel in minori quantitate, vndè tota acquiſitio fit domini, qui deindè erogat illam partem tanquam ſtipendium locationis reſpectu conducti. Hæc colligo *ex Molina tract. 2. de inſt., & in diſp. 411 in princ. verſ. dubium eſt.* Si exponas Emphytheuſim, ſtatim etiam ex prædictis comperies diſcrimen, quandòquidem in Emphytheuſi, nec eſt propriè contributio, ſed vera traditio rei fructiferæ, nec ad commune lucrum, cum omnes fructus cedant Emphytheutæ, ſed cum certa penſione in recognitionem Domini directi, & ſic de alijs &c.

Conferetur ſocietas, tàm alijs omnibus contractibus, & aſſignatur diſcrimen. *Ognate.* *Diſcrimen, quod habet ſocietas à mutuo.* *Diſcrimen à venditione.* *Item à locatione, & conductione.* *Molina.* *Diſcrimen ab Emphyteuſi.*

Ex ijs, quæ hactenùs dicta ſunt, habes communes diuiſiones ſocietatis; aliæ etenim ſocietates ſunt ratiòne rerum, quæ ſcilicet ſunt vniuerſales, omnium ſcilicet bonorum, abſolutæ, particulares de quibus ſupra in prima probatione. Hoc tamen hic aduertendum eſt, idem non eſſe ſocietatem vniuerſalem, & abſolutam, prout in multis eam contradiſtinguit *Ognate d. tract. 28. de Societate diſp. 97. ſect. 3. num. 41.*, & præcipuè in eo, quod ſocietas vniuerſalis, ſeù rerum omnium reſpicit omnia bona tam præſentia, quam futura *l. 1. ff. pro ſocio, & alijs ſupra allegatis*, & etiam nomina debitorum *l. ea verò 3. ff. pro ſocio*, & etiam acquiſita titulo lucratiuo, vt ex allegatis iuribus *notat Ognate loco, quo ſuprà*, ſocietas verò abſoluta reſpicit bona duntaxat præſentia, & non nomina debitorum *Molina diſp. 412. num. 1. Silueſter verb. peculium 2. num. 3.*

Ognate *Diſcrimen inter ſocietatē abſolutā, & vniuerſalem.* *Ognate. Molina. Silueſter.*

Aliæ ſunt diuiſiones ſocietatum ex parte perſonarum, quales ſunt inter vxorem, & virum, inter fratres mortuo Patre, vel alios quocunque cohæredes etiam extraneos; ſi enim non diuidant bona tempore, pro quo iure poſſunt diuidere, videntur tacite contrahere ſocietatem, ſi alia intercedant vi cuius communicent in lucris, & damnis *l. cum duob. 52. §. cum duo verſ. ſi fratres ff. pro ſocio.* An autem hoc etiam intelligendum ſit inter quoſcunque poſſidentes pro indiuiſo, diſſidium magnum eſt inter Doctores. Communior eſt ſententia negatiua propter *textum in l. vt ſit 31. ff. pro ſocio*, vbi ſic legitur: *Vt ſit pro ſocio actio ſocietatem intercedere oportet, non enim ſufficit rem eſſe communem, niſi ſocietas intercedat.*

Diuiſiones ſocietatū ex parte perſonarum.

Aliæ ſunt diuiſiones ſocietatum ex parte finis; alia etenim eſt ſocietas ad lucrum, alia ſocietas ad victum, De prima iam conſtat, De ſecunda hæc ſcienda ſunt, & primo, quod ſit communio plurium in eandem rem ad propriam vtilitatem, non quatenus ex illa lucrari intendant, ſed vel per illam damna euitare, vel commoditatem aliquam ſibi inuicem ingèrere. Exem-

Diuiſiones ſocietatum ex parte finis.

pla plura huius ſocietatis habemus in iure, & primò in contubernijs ſcolaſticorum, Secundò in ijs, qui communitèr contribuunt pecunias ad reparandum riuum pro vſu communi. Tertiò in ementibus communibus ſumptibus aream ante proprias domos, ne quis in eadem conſtruendo eiſdem proprijs domibus quoad lumina officeret, hæcque habentur in textu *l. cum duobus 52. §. idem reſpondit ff. pro ſocio*, Secundò ſciendum eſt, quod quamuis in definitione dicatur ad commune lucrum, non excludatur tamen ab eadem ſocietas quoad vſum, quia vſus ipſe cum ſit ad vtilitatem, & commodum vtentis æquiparatur lucro; pluris enim faciunt quandòque homines vtilitates, quæ ex aliqua actione ipſis obueniunt, ac faciant lucra, cum illa inſumant ad illas vtilitates comparandas.

Diuiſiones ſunt quoad circunſtantias temporis, & loci.

Aliæ ſunt diuiſiones quoad circunſtantias temporis, & loci, ratione quarum altera eſt vitalitia, alia temporanea ad tempus determinatum, vel incipiens à tempore determinato vſque ad determinatum, vel determinandum ad arbitrium ſociorum, alia eſt pro negotiatione in certo loco, alia pro quocunque loco indefinitè.

Diuiſiones ratione annexorum.

Aliæ ſunt diuiſiones ratione annexorum, ſcilicet negotiationum, quibus annectitur, & ſic alia eſt mercatoria, quia fit ad acquirendum lucrum ex mercatura, alia eſt nautica, quæ fit propter lucrum, vel in piſcatione, vel in traijciendis mercibus, alia eſt agricolarum propter lucrum ex agrorum cultura conſequendum, & proportionalitèr diuidendum, alia officiorum, de qua erit ſermo infra vberior.

Diuiſiones in ordine ad obiectum.

Aliæ tandem in ordine ad obiectum, quod ſi fuerit turpe conſtituet eandem ſocietatem turpem, quæ tamen eſt ipſo iure nulla *l. nec promittendum ff. pro ſocio*, ſi verò fuerit honeſtum, conſtituet ipſam ſocietatem talem, & licitam, hæcque, vel poteſt eſſe omnium bonorum, vel aliquorum dumtaxat particularium, vel tacita, vel expreſſa, vel ad tempus, vel ad vitam.

PRÆNOTIO II.

Qualis ſit contractus Societatis, & quomodò perficiatur.

SVMMARIVM.

Contractus ſocietatis eſt contractus bonæ fidei, non ſtricti iuris 1.
Contractus ſocietatis eſt verè, & propriè contractus nominatus 2.
Solo conſenſu perficitur 3.
Soluitur quædam obiectio contra aſſertionem 4.

Ex dictis *tom. primo ſub tit. Contractus I. de Contractibus, vt ſic Prænot. 3. aſſert. 2. num. 6., & ſeqq.* facilè erit colligere varias contractuum diuiſiones, de quibus poteſt eſſe controuerſia, an, & quomodò ſint referibiles ad contractum ſocietatis; alij etenim ſunt contractus ſtricti iuris, alij bonæ fidei, alij nominati, alij innominati, alij, qui ſolo conſenſu, alij, qui non niſi conſenſu, & re perficiuntur, alij, qui verbis etiam complentur.

Eſt contractus bonæ fidei, non ſtricti iuris. Gregor. Lopez. Ognate.

Aſſertio I. Contractus Societatis eſt contractus bonæ fidei, non ſtricti iuris 1 *Ognate d. tom. 3. p. 2. tract. 28. diſp. 97. ſect. 2. nu. 20. Gregorius Lopez l. 5. tit. 10. part. 5.*, *& alij communitèr*. Colligitur primò *ex l. ea verò 3. ff. pro ſocio*. Ibi. *Societas, ſi dolo malo, aut fraudandi cauſa coita ſit nullius momenti eſt, quià bona fides contraria eſt fraudi, & dolo.* Secundo ex textu *in l. res communes 45., & l. cum duabus 52. ff. eodem*. Ibi. *Tenet autem in hoc iuditio pro ſocio bona fides* præcipuè, cum in contractibus ſocietatis fides exuberet *l. cum in ſocietatis 4. C. pro ſocio*. Colligitur item ratione, quia in ijs, in quibus admittitur arbitrium boni viri, & ex æquo, & bono admittitur interpretatio, propriè interuenit contractus bonæ fidei per ea, quæ latè tradidimus *tom. primo ſub tit. Contractus I. de contractibus, vt ſic Prænot. 3. aſſert. 2. verſ. 6.* iuxta *Gloſ. §. actionum inſtit. de actionibus*, quandòquidem in contractibus ſtricti iuris non poteſt Iudex arbitrari, ſed debet ſtrictiſſimè interpretari *l. quidquid aſtringendæ ff. de verborum oblig.* ſed in contractibus ſocietatis admittitur arbitrium boni viri, & ex æquo, & bono dubia ſunt interpretanda *l. ſi ſocietatis 6. ff. pro ſocio Gregorius Lopez l. 5. tit. 10. part. 5.* ergo in ipſis propriè ineſt contractus bonæ fidei &c.

Gloſ. Gregor. Lopez.

Eſt contractus nominatus. Ognate.

Aſſertio II. Contractus ſocietatis eſt verè, & propriè contractus nominatus; ità 2 Doctores communitèr *in l. iuris gentium 7. ff. de pactis. Ognate d. tom. 3. part. 2. tract. 28. diſp. 97. ſect. 2. num. 17.*

Probatur primò, quià importat ſpeciem quandam determinatam contractus, & ſiſtit in proprio, ſpecifico, & determinato nomine *l. iuris gentium 7. ff. de pactis*, & licet expreſsè non ſit vnus ex ſeptem contractibus nominatis, qui per auctores circumferuntur, reducitur tamèn ad aliquem eorum per ea, quæ latè tradidimus *tom. primo ſub tit. Contractus I. de Contractibus, vt ſic d. Prænot. 3. aſſert. 2. num. 6.* ergo non eſt, cur non debeat eſſe proprie contractus nominatus.

Probatur ſecundò ratione deducta à contrario ſenſu ab ijs, quæ dicebamus *tom. 2. ſub tit. Contractus 6. de permutatione Prænot. 11. aſſert. 2. num. 5. verſ. probant tertiò*

de

Digitized by Google

de permutatione, in qua, quia propriè non conceditur actio ex permutato, ſed dumtaxat præſcriptis verbis, dictum fuit, non eſſe propriè contractum nominatum, ſed innominatum, ſed in contractu ſocietatis datur actio propriè ex proprio nomine §. *item emptio Inſtit. quib. mod. re contra.* ſcilicet pro ſocio, ergo ex contrario ſenſu à permutatione dicenda erit ſocietas contractus propriè nominatus.

Datur actio pro ſocio.

3 Aſſertio III. Societas eſt vnus ex contractibus, qui ſolo conſenſu perficiuntur *Reginaldus lib. 25. tract. 4. num. 352. Silueſter verbo peculium 2. quaſt. 1. Antonius Gomez 2. var. cap. 5. num. 1. Fillitius tract. 38. cap. 1. num. 1. Leſſius cap. 25. dub. 1. num. 1. Molina diſp. 411. in princip.*

Perficitur ſolo conſenſu. Reginaldus. Silueſter. Anton. Gomez. Filliutius. Leſſius. Molina.

Colligitur hæc aſſertio primò *ex §. vnico Inſtit. de oblig. ex conſenſu* - Ibi - *Conſenſu fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, ſocietatibus &c.*, & etiam *ex l. qui admittitur 19. ff. pro ſocio*-Ibi-*Cum enim ſocietas conſenſu contrahatur*, & alibi ex alijs ſimilibus contextibus. Confirmatur, quia ex vi nominis ſocietas non importat traditionem, & poſito ſolo conſenſu datur actio pro ſocio *l. nam cum tractatu 32. ff. pro ſocio*, ergo &c.

Ex ijs, quæ dicta ſunt in hac vltima aſſertione, inferes primò, etiam ante poſitam ſcripturam, & traditionem ſocios obligari *§. vlt. inſtit. de obligationibus*, inferes ſecundò, ſocietatem etiam iniri poſſe nedum inter præſentes per nutus, & verba, quia per eadem poteſt deferri conſenſus, ſed etiam per literas, & nuntios inter abſentes *l. ſocietatem 4. ff. pro ſocio*, & licet ad conſenſum videatur requiri contrahentium ſimul poſitus ſenſus, qui non videtur poſſe eſſe inter abſentes *l. ſi ex duobus ff. de duobus rei. Doctores in l. 1. §. qui præſens ff. de verb. oblig.* nihilominus ſufficienter videtur eſſe præſens, & ſimul ex eo, quod ſit delatus per nuntios, ſeù per literas per ea, quæ latè tradidimus *tom. 2. ſub tit. Contractus V. de Cambys 2. Diſq. 2. § 8. nu. 4. per totum* iuxtà textum *in l. qui autem §. fin. ff. de conſtit. pec.* vbi ſic legitur. *Conſtituere autem, & præſentes, & abſentes poſſumus, ſicut paciſci per nuntium, & per nos met ipſos, & quibuſcunque verbis.*

Obligantur ſocij antè ſcripturã.

Iniri etiã poteſt ſocietas inter abſentes.

4 Aduerſus hanc aſſertionem militare videtur hæc ratio, nam vel vnus in contractu ſocietatis contribuit pecuniam, & alter operam, & induſtriam, & ſic eſt contractus *do, vt facias* qui eſt innominatus per ea, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus I. de contractibus, vt ſic Pranot. 3. aſſert. 2. num. 7.*, vel vterque confert, ſeù contribuit pecuniam in ordine ad lucrum commune, & ſic eſt contractus *do, vt des*, qui per ibi dicta eſt etiam innominatus, ergo &c. Sed facilè occurro aſſerens in primis, quod in neutro caſu vnus propriè dat alteri, ſed in primo vterque contribuit, vnus ſcilicet res, ſeù pecunias, alter operam, & induſtriam, neuter tamen à ſe abdicat dominium, in ſecundo autem vterque contribuit res, ſeù pecunias ad proportionem, nec tamen propriè tradit cum translatione Dominij, adeòque ex neutro caſu præcisè ſecundum illam conſiderationem, ſequitur, quod ſocietas ſit ex illis contractibus innominatis. Deindè hac ratione omnes alij contractus, qui nemine reluctante aſſeruntur nominati tranſirent in innominatos, ſic venditio eſſet contractus innominatus, quandòquidem vendens dat rem, & alter pretium retribuit, & ſic de cæteris.

In ſocietate propriè non transfertur dominium.

PRÆNOTIO III.

An in ſocietate abdicetur dominium rei, quæ contribuitur.

SVMMARIVM.

Proponitur ratio difficultatis 1.

In ſocietate propriè non abdicatur dominium rei, ſed fictione iuris fit commune ſocijs 2.

Verificatur, quandò vterque ſocius confert rem, vel pecuniam, ſecus quandò vnus duntaxat pecuniam, alter operam 3.

Negotians nomine ſocietatis immediatè lucrum non ſibi, ſed ſocietati acquirit 4.

Quomodò coniectari poſſit, quod quis negotietur nomine ſocietatis, vel proprio 5.

Ratio difficultatis in eo videtur conſiſtere, quod imperceptibile videtur, quod dominium eiuſdem rei, ſeù pecuniæ poſſit eſſe apud duos, vt liquet ex communi conſenſu, & ex vulgatis iuribus, in ſocietate autem, quandò res per ſocios conferuntur, eorum dominium transferri cenſendum eſt, cum efficiatur eiſdem commune, omneſque comparent dominium illius, quoniam fictione iuris id ſinguli poſſidere dicuntur, prout optimè notarunt *Molina diſp. 411. verſ. illud eſt obſeruandum. Ognate d. tract. 28. diſp. 97. ſect. 2. num. 24.* vndè etiam in iure dicitur, quod dominium inter ſocios transfertur etiam ſine traditione rerum immobilium *l. 1. §. ſocietate, & ibi Gloſa ff. pro ſocio l. 2. ff. pro ſocio. Bartolus in l. 1. ff. de vſu pro dote. Baldus in l. nulla C. de iur. dot., & in l. hæreditas C. de pac. conuent., & ibi Gloſ., & Ang. Baldus in l. qui ſibi C. de hæred., vel act. ven., & in l. 1. ff. de vſur. pro dot. Gloſa in d. l. 2. ff. pro ſocio; & Petrus de Vbal. in tract. de ſociet. 5. part. 1. col., & in Specul. de confeſ. §. 3. verſ. quid de contractu ſocietatum*, Nihilominus ſit 1

Ratio difficultatis expoſita. Molina. Ognate. Baldus. Gloſa. Angelus. Petrus de Vbaldis.

Aſſers

2 Aſſertio. Dominium propriè ex vi ſocietatis non abdicatur a conferente, ſed fictione iuris fit omnibus ſocijs commune, & a ſingulis poſſidetur pro indiuiſo *Molina d. diſp.411. verſ. illud eſt obſeruandum Ognate d. tract.28. de ſocietate diſp.97. ſect.2. nu.24. & alij communiter.*

Propriè dominium non abdicatur Molina. Ognate.

Probatur prima pars, quià ſi pecunia poſita in communione pereat, ex vi ſocietatis præcisè perit ipſi ponenti *Decius conſ. 116. Gloſa in cap. plerique 14. quæſt. 3. Baldus, & alij in l.1.C.pro ſocio. Ioannes Caphal. conſ.248. num. 34. vol.2.* per ea, quæ nos etiam attigimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ.6.§.8.* ergo non abdicauit a ſe dominium, cæteroqui eidem non periret, cum ſi res pereat, Domino pereat, vt videre eſt in mutuo, in quo, quia res mutuata quoad dominium transfertur in mutuatarium, ſi pereat, non mutuanti, ſed mutuatario perit. Confirmatur, quia ex communi omnium conſenſu ſocietas non eſt ex illis contractibus, per quos dominium transferatur.

Decius. Gloſa. Baldus. Ioannes Caph.

Si pecunia perit, perit ponenti.

Probatur ſecunda pars, quia in ſocietate lucra, & damna debent eſſe æqualia vtrique ſocio *Bartolus in l. vnus in princip. ff. pro ſocio. Gloſa in d. cap. plerique 14. quæſt. 3. Decius conſ. 116.* cum ſocietas habeat ius fraternitatis *l. verum in princ., & ibi Bartolus in primo not. ff. pro ſocio. In ſpecul. de ind. §. ſpecialia vero ad finem, & gloſ. in l. fin. C. de poſit.* Sed talia non eſſent, ſi res ſocietatis non eſſent communes vtrique ſocio, & pro indiuiſo non poſſiderentur, ergo &c. Probatur minor, quia non poteſt eſſe communio in damnis, & lucris rerum, niſi res ipſe etiam ſint communes, cum lucra, & damna cedant dominis *l. 1. 2., & 3. ff. pro ſocio iuncta gloſ. in d. l. 1.* notantque ibi *Bartolus, & alij,* & habetur *in l. 6. tit. 10. part. 5.*

Lucra, & damna æqualia in ſocietate. Bartolus. Gloſa. Decius.

3

Bartolus.

Hæc, quæ dicta ſunt in hac ſecunda parte aſſertionis potiſſimùm verificantur, quandò vterque ſocius communicat in capitali, quatenus vterque ad proportionem confert res, ſeù pecuniam, ſecus autem, ſi vnus communicat ſolum in capitali, quatenus ipſe ſolum confert pecuniam ad negotiandum, alter verò impendit operam, & induſtriam in negotiatione, quia tunc capitale ipſum talis negotiationis remanet quoad dominium ſolummodò penès conferentem, totumque in diſſolutione contractus eſt eidem reſtituendum, ſolumque lucrum ex negotiatione præceptum eſt diuidendum inter eoſdem ad proportionem rei collatæ, & laboris impenſi. Hæc colligo *ex Molina d. diſp. 411. verſ. illud eſt obſeruandum* conformitèr ad textum *in l. 3. ff. pro ſocio.*

Capitale non fit commune, quando vnus confert pecuniã, alter induſtriã Molina.

Hic aliqui dubitant, an lucrum illud, quod acquiritur in ſocietate negotiationis dependenter a capitali acquiratur antè diuiſionem eiuſdem lucri in diſſolutione contractus quoad dominium ei, qui negotiando illud immediatè acquirit, an verò immediate omnibus ſocijs. Omiſſis ipſorum placitis placet cum diſtinctione reſpondere, vel enim ille, qui per ſe negotiatur, negotiatur ſolummodò nomine proprio, vel negotiatur nomine ſocietatis; ſi primo modo, immediatè dominium talis lucri ſibi acquirit, licet poſtea teneatur illud diuidere inter ſocios; ſi verò ſecundo modo, æquè illud acquirit ſibi, & ſocijs *Couarruuias lib. 3. var. reſol. cap. 19. num. 1. Antonius Gomez tom. var. reſol. cap. 1. num. 3.* Quomodò autem coniectari poſſit, quod ille, qui immediatè negotiatur, quandò nihil eſt expreſſum, negotietur nomine proprio, an vero totius ſocietatis ex coniecturis deducendum eſt, vel enim ſocij ipſi aſſueti ſunt negotiationi, & vnus duntaxat quoad talem ſocietatem negotiatur, quia alius in proprijs negotiationibus impeditus non poteſt tali ſocietati incumbere, vel vnus tantum eſt negotiator, & alter ſolummodò, cum non ſit talis, contribuit pecuniam, vt communicet in lucro; primo modo probabilius eſt, quod negotiatio fiat communi nomine ſocietatis, quia in tantum vnus non concurrit per ſe ſimul cum alio ad negotiandum, in quantum eſt impeditus, cæterum, cum & ipſe ſit negotiator, intelligitur ſuas vices alteri negotianti communicare; Secundo modo eſt efficax præſumptio, quód negotiator agat duntaxat nomine proprio, licet cum capitali etiam alterius, qui, ex quo non eſt negotiator, intelligitur ſolum velle participare in lucro in reſolutione contractus cum ipſo negotiatore initi.

4

Lucrum immediatè acquiritur ſocietati, vel negotianti. Coaruuias. Anton. Gomez.

5

Ex præſumptionibus deducendum eſt, & quomodò.

PRÆNOTIO IV.

Ex qua culpa teneatur ſocius erga alios ſocios.

SVMMARIVM.

Societas eſt ex ijs contractibus, qui ſunt in fauorem vtriuſque contrahentis 1.
Multiplex culpa, & qualis 2.
Socius tenetur verſus ſocios, de dolo, culpa lata, leui, non tamen leuiſſima 3.
Nonnulla corrolaria ex dictis inferuntur 4.
Socius non ſolum tenetur ex culpa leui iuridica, ſed etiam Theologica 5.

EX diuerſitate contractuum arguitur maior, vel minor obligatio diligentiæ adhibendæ quoad res collatas, ex cuius defectu oritur culpa in eo, apud quem ſunt

colla-

ſollatæ; vel enim contractus ſunt in fauorem tantum conferentis, vel in fauorem
1 tantum recipientis, vel in fauorem tàm conferentis, quàm recipientis. Societatem eſſe ex ijs contractibus, qui ſunt in vtilitatem vtriuſque, facilè ex eo liquet,
2 quod lucrum vtrique acquiritur. Porrò defectus diligentiæ, ex quo oritur culpa, multiplex eſſe poteſt, & per conſequens, multiplex culpa, vel enim eſt defectus illius diligentiæ, quam ſolertiſſimi, & diligentiſſimi adhibere ſolent, & ſic eſt culpa leuiſſima, vel eſt defectus illius, quam dumtaxat adhibere ſolent ſolertiores, & diligentiores, & ſic eſt culpa leuis, vel eſt defectus illius, quam regularitèr omnes non ita diligentes adhibere ſolent, atque hic imputatur culpæ graui. Adeſt etiam alia culpa, quæ dicitur lata, atque hæc quandòque æquiparatur dolo, ſeù fraudi. Tandem huiuſmodi culpa adhuc duplex eſt, altera dicitur Theologica, altera iuridica. Iuridica eſt, qua quis deficit ab ea diligentia, quæ in foro externo requiritur ex vi talis muneris, quod quis exercet, & ſi non ponatur, imputatur eidem ad culpã. Theologica eſt, qua quis deficit in ſuo munere ab ea diligentia, quam adhibere tenetur in foro interno animæ, & ſic defectus ille reſpectũ deficientis eſt peccaminoſus quoad animam. Quibus ſuppoſitis ſit

Culpa alia leuiſſima, alia leuis, alia grauis, alia lata, alia Theologica, alia iuridica.

3 Aſſertio. Socius non ſolùm tenetur erga ſocios de dolo, culpâ lata, ſed etiam de leui, non tamen leuiſſima *Conradus de contractibus quæſt. 93. ad fin. Coaruuias 3. var. cap. 1. num. 2. Salonius ſecunda ſecundæ quæſt. 71. art. 4. conc. 3. num. 17. Molina diſp. 413. in princip. Reginald. cap. 27. num. 374. Rebellus lib. 9. quæſt. 8. num. 1. Fillucius tract. 38. cap. 2. num. 23. Felicius tract. de Societ. cap. 1. 22. 23. Azorius 3. part. inſtit. mor. lib. 9. cap. 2. quæſt. 2. Bonacina de contractibus diſp. 3. quæſt. 6. punct. 4. num. 2.*

Tenetur ſocius de dolo, & culpa leui.

Còradus. Coaruu. Salonius. Molina. Reginal. Rebellus. Filliut. Felicius. Azorius. Bonacin.

De dolo vix remanet ambigendi locus, quandòquidem ex ſuperiùs dictis contractus ſocietatis eſt contractus bonæ fidei, cui omnimodè aduerſatur dolus; tùm quià ex vi proprij muneris tenetur ſocius fidelitèr agere vices alterius; non ageret autem fideliter, quandò ageret cum dolo, & frau-
2 de; tùm quia tandèm hoc euincitur manifeſtè *ex §. vlt. Inſtit. de ſocietate, ex l. cum duobus §. verùm, & §. duob. ſeqq. l. non ob eam l. & ideò, & l. ſocius ff. pro ſocio.*

De culpa lata etiam non eſt dubitandum, cum etiam expreſsè habeatur in allegatis iuribus, & vlteriùs ex eo colligi poteſt, quod in rebus ſocietatis ad minimum adhibere tenetur eam diligentiam, quam regularitèr adhibent alij in rebus proprijs, ex cuius diligentiæ defectu per allegata oritur culpa lata, ergo ſocius tenetur erga alios ſocios ex culpa lata. Tandem euincitur ex textu *in l. ſocius 72. ff. pro ſocio.*

De dolo, & culpa lata, non remanet ambigendum.

De culpa leuiſſima etiam facilè innoteſcit ex eo, quod ſocij in ordine ad talem contractum ſe habent, vt fratres *l. verum in princip., & ibi Bartolus in pr. not. ff. pro ſocio* frater autem non tenetur in rebus fratris ſui maiorem diligentiam habere, ac habeat in rebus proprijs. Hoc idem colligitur ex textu *in §. fin. Inſtit. de ſocietate*, vbi ſic legitur: *Culpa autem non ad exactiſſimam diligentiam redigenda eſt*; cum autem quis de culpa leuiſſima tenetur exactiſſimam diligentiam debet adhibere.

Iure ſocij exiguntur exactiſſimam diligentiam in rebus ſocietatis.

Probatur iam aſſertio quoad culpam leuem, circa quam tota pendet ratio dubitandi in præſenti prænotione. Contractus ſocietatis eſt ex illis, qui conferunt ad vtriuſque contrahentis vtilitatem, ſed in contractibus, in quibus reſultat vtriuſque contrahentis vtilitas, vterque tenetur non dum de dolo, culpa lata, ſed etiam de leui *l. ſi vt certo ſcilicet ff. pro ſocio §. nunc videndum, & l. 5. ff. commodati, & l. contractus 23. ff. de reg. iur.* ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod nimis durum videtur, quod quis teneatur maiorem diligentiam adhibere in bonis alienis, vel etiam communibus, quam in proprijs, quod certè ſequeretur, ſi ſocius erga alios ſocios teneretur etiam de culpa leui, quandòquidem teneretur adhibere eam diligentiam, quam adhibent ſolertiores, & diligentiores, non ſolum, quam adhibent diligentes, & ſolertes; Non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem ex vi contractus poteſt quis obligari ad maiorem diligentiam quoad res alienas, quam quoad proprias, in proprijs enim, cùm ſit moderator, & arbiter, poteſt quomodocunque diſponere adhibendo quamcunque diligentiam voluerit, ſiuè maiorem, ſiuè minorem; in alienis verò tenetur adhibere diligentiam præſcriptam quoad modum pertinentem ad talem contractum, & ad naturam eiuſdem ſecundum iuris diſpoſitionem, in quo propterea, ſi delinquat, delictum delinquenti imputatur, & ex eodem tenetur. Iuris autem diſpoſitio habetur in præcitatis textibus, & præcipuè *in d. §. vlt. Inſtit. de ſocietate, & d. l. ſi vt certo 5. ff. pro ſocio.*

Ex vi contractus poteſt quis obligari ad maiorem diligentiam in rebus communibus, quam in proprijs.

Ex hac concluſione in particulari deducendum eſt primò, quod ſi res tradita in ſocietatem furto fuerit ſublata defectu debitæ cuſtodiæ, teneatur ille, cui data fuerat illam compenſare, nec damnum ſit commune vtrique *l. cum duobus 52. §. verùm ff. pro ſocio*, & in hoc conſentiunt omnes ſcribentes in materia ſocietatis. Secundò, 4
quod ſi alter ex ſocijs prodigè adminiſtret ex lucris ſocietatis teneatur alteri ſocio

com-

compenſare, quia tenetur adminiſtrare cum moderamine, & prodiga adminiſtratio non eſt adminiſtratio, ſed profuſio, vt benè notat *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 25. de contractu ſocietatis dub. 4. num. 37. verſ. denique ſi alter*. Tertiò, quod in ſocietate inter maritum, & vxorem, in qua lucra ſiunt vtrique communia, ſi maritus prodigè effundat lucra, teneatur eadem vxori compenſare, quod, ſi ipſe hoc non præſtet, teneantur ipſius hæredes per ea, quæ docet *Petrus Nauarra lib. 3. de reſtitutione cap. 1. num. 114.* propter rationem, quam in præcedenti illatione inſinuaui; Neque in hoc audiendus eſt *Nauarrus cap. 17. num. 155.* exiſtimans illa ſola, quæ tempore diuortij intelliguntur lucri facta, diuidenda eſſe inter maritum, & vxorem, non verò illa, quæ maritus impendit, licet malè, & prodigè, reliqua verò pro tali tempore non exiſtentia non ſunt compenſanda, quia ſcilicet ſunt lucra facta reuocabiliter, & ex eo, quod maritus ea licet malè inſumpſerit intelliguntur, & ſibi, & vxori abſolutè reuocata; Non, inquam, audiendus eſt, quia, cum maritus ab initio non ſolùm ſibi, ſed etiam partialitèr vxori fuerit lucratus, per conſequens fit, quod ab initio eadem vxor dominium ſaltem partiale in ijs acquiſierit, & cum ex ſuperius dictis in præcedenti prænotione iuris fictione in contractu ſocietatis per vnum ex ſocijs intelligatur alijs omnibus acquiſita poſſeſſio lucrorum, non eſt, cur, ſi per vnum ſcilicet maritum ius alterius nempè vxoris lædatur per prodigam effuſionem, non habeat hic alter ius in eo, in quo damnificatus eſt, vt compenſetur. Quartò, quod non ſolùm teneatur ex culpa leui in ordine ad damnum ex ea ſecutum, ſed etiam in ordine ad lucrum ceſſans, & damnum emergens *l. ſocium 80. ff. pro ſocio l. cum duobus 52. §. idem reſpondit ff. eod.* & ratio ex eo deduci poteſt, quia, ex quo quis aſſumpſit onus ſocietatis in tali, vel tali negotiatione, non ſolùm illud aſſumpſit in ordine ad capitale illæſum ſeruandum, ſed etiam, quinimmò principalius, ad lucrum acquirendum, ergo ſi ex culpa etiam leui tenetur in ordine ad capitale, tenebitur ex eadem etiam in ordine ad lucra, & damna. Quintò, quod ex culpa etiam leui alicuius ex ſocijs teneantur etiam hæredes eiuſdem delinquentis ad compenſationem alteri ex ſocijs faciendam *l. hæres 40. ff. pro ſocio, & l. verum 63. §. in hæredem ff. eod.* vbi ſpecialitèr dicitur: *In hæredem quoque ſocij pro ſocio actio competit, quamuis hæres ſocius non ſit; attamen emolumenti ſucceſſor eſt*.

Leſſius. *Petrus Nauarra.* *Nauarrus.* *Non vt lucra reuocata ex dictis inferuntur.* *Maritus prodigè effundens bona communia vxoris tenetur ad compenſationem.* *Tenetur etiam in ordine ad lucrū ceſſans, & damnum emergens.* *Tenentur etiam hæredes delinquentis, quāuis ip ſi nō ſint ſocij.*

5 Aſſertio II. Non ſolùm tenetur ex culpa leui iuridica, ſed etiam Theologica: *Molina diſp. 413. in princip. Fillitius tract. 38. cap. 2. num. 13. Ognate tract. 28. diſp. 99. ſect. 4. num. 81.* Quoad primam partem vix eſſe poteſt difficultas, quandòquidem omnia iura, & rationes præallegatæ in præcedenti aſſertione de ipſa procedunt. Quoad ſecundam ſic

Tenetur etiam ex culpa leui Theologica. *Molina.* *Filiutius.* *Ognate.*

Probatur; culpa Theologica connectitur neceſſario cum actione ſecundum ſe peccaminoſa, ſed ex negligentia leui in rebus ad ſocietatem pertinentibus poteſt, & de facto conſurgit actio ſecundum ſe peccaminoſa, & vtique contra iuſtitiam, ergo ſocius ex culpa leui Theologica tenetur aduerſus ſocium; neque dicas in culpa leui non poſſe conſurgere actionem peccaminoſam, quandòquidem non poteſt ad quid magis obligari ſocius quoad res communes, quam quoad proprias; contrà enim impugnaberis, quia præterquam quod impugnationem habes ex prædictis, inſtantiæ imbecillitas arguitur a poſteriori ex abſurdo, quod indè ſequeretur, nam ſi quam vim haberet eadem inſtantia, ſicuti non peccat qui adhibet negligentiam latam in rebus ſuis, ità non peccaret, qui talem negligentiam haberet in re aliena, quod tamen non eſt dicendum.

Inſtantia, & eius ſolutio.

PRÆNOTIO V.

An, & quomodò ſubſiſtat priuilegium, quod ſocij teneantur in id tantum, quod facere poſſunt.

SVMMARIVM.

Exprimuntur præcipuè perſonæ, quibus hoc priuilegium conceſſum eſt 1.

Poſſunt ſocij legitimè vti hoc priuilegio 2.

Extenditur hoc priuilegium etiam ad ſocietatem non vniuerſalem 3.

Hoc priuilegium à iure conceſſum ſocijs intelligendum eſt cum moderamine, & quo 4.

NOnnulla nonnullis conceſſa reperiuntur priuilegia in iure, ratione quorum nequeunt conueniri ſupra id, quod poſſunt præſtare. Inter cætera hoc vnum adeſt *in §. ſunt prætereà Inſtit. de action.* quo inter certas perſonas hoc cautum eſt, vt non omne id, quod debetur, poſſit exigi per creditorem, ſed dumtaxat id, quod poteſt debitor retento ſibi omni eo, quod poteſt eſſe neceſſarium ad congruam ſuſtentationem, reliquum, quod ſupereſt refundendo in eundem creditorem. Perſonæ autem, quibus ſpecialitèr hoc priuilegium conceſſum eſt enumerantur præcipuè à *Gloſſa in d. §. ſunt prætereà Inſtit. de action.* & ſunc primò Pater, qui non poteſt pro peculio debito filijs conueniri, niſi in eo, quod poteſt ſaluis ſibi neceſſarijs. Secundò dona- 1

In quo conſiſtat hoc priuilegiū. *Gloſa.* *Perſonæ enumerantur, quibus conceſſum eſt.*

donator, qui etiam non poteſt conueniri per donatarium, niſi in eo, quod commodè poteſt. Tertiò, maritus in ordine ad dotem vxoris, qui etiam &c. Reliqua tu ipſe recole *ex d. Gloſa*. Hoc tantum hic conſiderandum eſt, quod hoc priuilegium in eodem, aliſque ſimilibus textibus extendi videtur etiam ad ſocios, qui quamuis debitores in magna ſumma compelli non poſſunt ad reſtituendum ſupra id, quod commodè poſſunt.

Cõceſſum eſt præcipuè ſocijs. Gregor. Lopez. Gutier. Azorius. Fillutius

Aſſertio I. Ex quo in iure hoc priuilegium poſitum eſt, poſſunt ſocij eodem legitimè vti *Gregorius Lopez l. 15. tit. 10. part. 5. gloſ. præced. Gutier. de iuram. confirm. part. 3. cap. 15. num. 1. Azorius 3. part. lib. 9. cap. 2. quæſt. 2. Fillutius tract. 38. cap. 2. quæſt. 2. num. 15., & 16.* De conceſſione talis priuilegij vltra ius allegatum *in d. §. ſunt præterea* conſtat etiam ex pluribus alijs contextibus, & præcipuè *ex l. verum in princip., & §. ſeqq. ff. pro ſocio l. ſunt qui in id ff. de re iud. §. ſed & ſi quis Inſtit. de action.* De motiuo talis conceſſionis conſtat *ex ead. l. verum in princip. ff. pro ſocio*, quia ſcilicet ipſa ſocietas ius habet quoddam fraternitatis, quod intelligendum eſt non de fraternitate ſimpliciter quoad mutuos ſociorum affectus quaſi fraternos, ſed etiam quoad communionem bonorum realium, vt optimè notauit *Ognate d. tract. 28. de ſocietate diſp. 99. ſect. 5. num. 93.* Quibus ſuppoſitis

Ognate.

Probatur aſſertio, quia poſito priuilegio conceſſo ab habente legitimam poteſtatem, & cum fundamento in iure naturalis æquitatis non eſt, cur priuilegiati non poſſint gaudere facultate per idem priuilegium ſibi conceſſa, ſed priuilegium, de quo loquimur, eſt conceſſum ſocijs a iure habente legitimum &c., & eſt fundatum in naturali æquitate, ergo &c.

Dices hoc priuilegium potius inniti iniuſtitiæ expreſſe, quam naturali æquitati, quandòquidem priuat alterum iure, quod habet ex iuſtitia commutatiua decernente ſecundum æqualitatem, vt vnuſquiſque habeat, quod habere debet, & vt nemo habeat, quod habere non debet; in hypotheſi autem, de qua hic loquimur, ex vi talis priuilegij ſocius debitor haberet, quod habere non debet, & alter creditor non haberet, quod habere debet, ergo &c.

Iuſtitia commutatiua quãdoq; compatitur cũ naturali æquitate.

Sed contra, quia iuſtitia commutatiua quidem dictat, quod vnuſquiſque habeat, quod ſuum eſt, & non alienum, niſi ex debita cauſa excuſetur a reſtitutione eius, quod aliundè eſſet alienum, qua cauſa interueniente non eſt, cur iuſtitia commutatiua non poſſit compati cum naturali æquitate, & reſtringi ad limites iſtius. Cum igitur in hypotheſi, de qua loquimur, militet quædam ratio naturalis æquitatis, ſecundum quam præſumitur, quod ſocius non ſolùm communicet in affectibus, ſed etiam in rebus traditis ad ſocietatem, & iura dependentèr ab illa ſtatuerint, quod debitor ex illa negotiatione non teneatur, niſi in quantum poteſt, præſumitur, quod ipſe creditor conferendo pecuniam ad illam ſe accommodauerit tali iuris diſpoſitione, adeòque, quod eueniente caſu neceſſitatis alterius non ſit inuitus ad illam retentionem, quantum exigit neceſſitas eiuſdem.

Hic immediatè ſuboritur difficultas, an ea, quæ dicta ſunt in hac aſſertione, intelligenda ſint ſolummodò, quandò ſocietas eſt omnium bonorum, an verò etiam quandò eſt ſocietas dumtaxat determinata quoad aliqua bona. Videtur dicendum intelligenda dumtaxat, quandò eſt ſocietas omnium bonorum propter textum *in l. ſunt qui in id ff. de re iud.* Nihilominus dic extendenda eſſe ad quamcunque ſocietatem *Gloſa in d. l. ſunt qui in id. Molina diſp. 413. Fillutius tract. 38. cap. 2. quæſt. 3. num. 15. Reginaldus lib. 25. cap. 27. nu. 375.* quia tale priuilegium conceſſum eſt indefinitè cuicunque ſocio, nec diſtinguit inter ſocios omnium, vel aliquorum bonorum; quod autem lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; vndè ad allegatum textum *in l. ſunt qui in id. ff. de re iud.* dicendum eſt, quod debeat intelligi non excluſiuè, ſed tantum comparatiuè, quatenus reddat hunc ſenſum, quod ſcilicet hoc priuilegium reſpiciat ſocios maximè, ſi ſint ſocij omnium bonorum.

Gloſa. Molina. Filiutius. Reginaldus.

Aſſertio II. Hoc priuilegium à iure conceſſum ſocijs intelligendum eſt cum quodam moderamine, ita vt primò non reſpiciat præciſè abſolutam impotentiam ſocij debitoris, ſed etiam moralem. Secundò, vt non faueat ſocijs, qui ex dolo, & fraude ſe conſtituerunt in eo ſtatu, quo facere non poſſent, nec ijs, qui ſe ſocios negant. Tertiò, vt non faueat ijs, qui aliundè, vel ex officio, aut facultatibus ſuis habent, quo congruentèr ali valeant, & ſuſtentari. Prima pars eſt *Molina diſp. 413. Reginaldi d. lib. 25. cap. 27. num. 345. Fillutij tract. 38. cap. 2. quæſt. 3. num. 17.* Secunda pars eſt *Gregorij Lopez in l. 17. Regni Caſtellæ tit. 10. p. 5. Gloſa in l. verum verbo debetur ſocio ff. pro ſocio, & in l. ſi maritus ff. ſoluto matrim. Gutier. de iuramen. conf. part. 3. cap. 15.* Tertia pars eſt eiuſdem *Gregorij Lopez, Molina dict. diſp. 413., & Fillutij loc. cit.* Quarta pars eſt eorundem qui ſupra, & *Gloſa in l. ſunt qui in id ff. de re iud.* 4

Moderamina, ſecundum, quæ priuilegiũ intelligendũ eſt.

Molina. Reginaldus. Gregor. Lopez. Gutier. Molina. Filiutius Gloſa.

Ratio primæ partis colligitur ex eò, quia ſuppoſita impotentia abſoluta, & Phyſica fruſtraneum eſſet tale priuilegium, quandòquidem ex ipſo titulo impotenti

tentiæ præciſè excuſarentur à reſtitutione, vndè tale priuilegium, vt aliquam vim habeat, ſeù vt aliquid operetur, reſpicit duntaxat impotentiam moralem, quatenus non tenetur, niſi reſtituere id, quod vltrà congruam ſuſtentationem, & commodum victum ſuperfluit, vndè merito habetur *in l. in condemnatione ff. de reg. iur.* hæc declaratio. *In condemnatione perſonarum, quæ in id, quod facere poſſunt, damnantur, nec totum, quod habent extorquendum eſt, ſed & ipſarum ratio habenda eſt, ne egeant.* In taxanda autem quantitate, vltra quam ex vi talis priuilegij non teneatur reſtituere, ſtandum eſt iudicio prudentis Iudicis *Gregorius Lopez l. 15. tit. 10. p. 5. verb. conuenir. Molina d. diſp. 423. verſ. priuilegium hoc in fin. Ognate d. tract. 28. diſp. 99. sect. 5. num.* 103. qui attenta qualitate, & conditione perſonæ, & quantitate bonorum eius, alijſque præſentibus circumſtantijs præcipiet, quid ex æquitate expedire iudicauerit pro alimentis, non ſecundum id, quod inſumebat, quandò erat in proſpera fortuna, ſed quantum par eſt, vt poſt lapſum à tali fortuna parciùs viuendo inſumatur.

Intelligendū eſt de impotentia morali.

Gregor. Lopez. Molina. Ognate.

Ratio ſecundæ partis eſt, quià æquum non eſt, vt quis ex ſua fraude, & dolo lucrum aliquod reportet *l. verum 63. ff. pro ſocio Gloſa in l. ſi maritus ff. ſoluto matrim.* cum ex vulgatis iuribus dolus, & fraus nequeant ſuffragari auctori *c. ex literis extra. de dol., & cont. cap. ſuper literis extra de reſcrip. cap. inter dilectos extra de donat. l. ne ex dolo ff. de dolo l. 3. §. fin. ff. de vſucap. l. dubium non eſt C. de repud. §. in poteſtate ad fin. Inſtit. de ijs qui ſui iur. ſunt.*

Nemo ex ſua fraude lucrū reportat.

Ratio tertiæ partis eſt, quià hoc priuilegium conceſſum eſt præciſè ſocijs, qua ſocij præciſè ſunt tam propter communicationem affectuum, quam propter fidam rerum communionem, vt ex allegatis iuribus clarè conſtat, ergo non æquum eſt, quod tali priuilegio gaudeat, qui denegat ſe ſocium eſſe, non enim par eſt, vt quis beneficio ſtatus gaudeat, qui tali ſtatu dedignatur ineſſe *l. ſi vnus 67. §. ſi vnus ff. pro ſocio in fine.* Confirmatur non gaudet tali priuilegio, qui in celebratione contractus cedit iuri talis contractus, ſeù priuilegij tali contractui conceſſi *Gregorius Lopez l. 15. tit. 10. cap. 5. verb. ala compañia Gutier. de iur. conf. part. 3. cap. 15. num. 9.*, ergo etiam non gaudet, qui negat ſe ſocium eſſe, quandòquidem negando cedit iuri talis contractus.

Gregor. Lopez. Gutier.

Ratio quartæ partis eſt, quià generale eſt, quod quotieſcunque, quod datur titulo alimentorum, & ſuppoſita neceſſitate, non debeatur quotieſcunque commode aliundè habet, ſeù habere poteſt alimenta *§. ſunt præterea Inſtit. de action., & l. ſunt qui in id ff. de re iud.* non enim congruum eſt, quod legitimus creditor priuetur iure, quod habet ad integrum ſuum creditum in ordine ad ſubueniēdum alteri, quotieſcunque hìc alter poteſt aliundè ſibi ſubuenire, ſeù aliundè habet, quo ſibi ſubueniat; non enim eſt neceſſitas, vbi eſt commoditas ex alio titulo ſibi ſubueniendi *Gloſa in l. ſi maritus ff. ſoluto matrimonio l. 15. tit. 10. part. 5.* Ex quibus licet inferre, quod ſi ſocius habeat aliundè, vel ex officio, vel ex patrimonio, quo poſſit partialitèr ſe ſuſtentare, non tamen congruè, & totalitèr poſſit ex vi talis priuilegij ſibi tantum retinere ex bonis ſocietatis, quantum ſimul cum bonis officij, vel patrimonij poteſt ſufficere ad integrandum congruam ſuſtentationem *Molina d. diſp. 413. verſ. illud eſt obſeruandum 1. Gutier. de iuram. conf. part. 3. cap. 15. num. 5.*

Gloſa. Molina

PRÆNOTIO VI.

An ad taxandum id, quod facere poteſt ſocius debitor ſit deducendum æs alienum in tali taxatione.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus difficultatis 1.
Rationes dubitandi 2.
In taxatione eius, quod commodè facere poteſt non eſt deducendum æs alienum 3.

SEnſus difficultatis hic eſt. Inita inter duos, vel tres ſocietate, vi cuius vnus, 1
vel duo alteri contribuerunt maximam pecuniæ quantitatem, vt illa negotiaretur, negotiatione in deterius abeunte, ſocij creditores ſtatuerunt per diſſolutionem contractus pecuniam collatam cum lucris, ſi quæ fuerint, ſibi debitis, ad ſe trahere, ſed cum ſocius debitor facta illa reſtitutione in integrum, non haberet quo congruè poſſet ſe ſuſtinere contendebat vti priuilegio *quantum commodè facere poteſt*, cui non renuebant ſocij creditores. Hæc vna orta fuit controuerſia, an ad taxandum illud, quod commodè facere poteſt ſocius debitor, requiratur, quod detrahantur debita, quibus grauatur ex alio titulo, an verò ſufficiat, quod tantùm ex ſocietate relinquatur, quantum commodè ex illo viuere poſſit, etiam ſi poſtea illud inſumendum ſit in ſanandis vulneribus debitorum, quibus grauatur, ſeù ſauciatur.

Exponitur ſtatus quæſtionis.

Ratio dubitandi in eo ſita eſt, quod iura, 2
quæ conſulere voluerunt egeſtati ſocij debitoris ad id reſpexerunt, vt commodè debitor ſe alere, & viuere poſſet, quod certè non haberetur, ſi ex eo ſoluere debe-

ret

Google

ret debita, quibus opprimitur; atque hoc confirmari poteſt in donatore, qui ſi ex donatione conueniatur per donatarium, prius deducendum eſt alienum, & poſteà tot recipere debet, quot ſufficiant ad congruam ipſius ſuſtentationem, vt clarè colligitur *ex l. inter eos ff. de re iud.* ex quibus etiam congruè deduci poteſt, quod tale æs alienum etiam ſit deducendum, quoties ſocius conuenitur, & poſteà tantum eidem relinqui, quantùm ſufficere poſſit ad congruam ipſius ſuſtentationem. Nihilominus ſit

Ratione dubitandi.

3 Aſſertio. In taxatione eius, quod commodè facere poteſt ſocius, & vltrà quod non tenetur, non eſt deducendum æs alienum, ſed ſolùm attendendum eſt, vt per ſoluto debito ex ſocietate cæteris ſocijs non egeat ſocius, qui conuenitur, quamuis adhuc non remaneat liber à cæteris debitis. *Molina d. diſp. 413. verſ. illud eſt obſeruandum, vt iudicetur. Ognate d. tract. 28. de ſocietate diſp. 99. ſect. 5. num. 107., & 108.* Colligitur expreſsè ex textu *in l. verum §. id, quod ſocius ff. pro ſocio.*

Molina. Ognate.

Ratio aſſertionis eſſe poteſt primò, quià priuilegium iſtud per iura conceſſum eſt ſocietati, qua ſocietas eſt, in ordine ad bona eiuſdem, tùm propter mutuum contrahentium affectum in tali contractus genere, ſecundum quod ſocij ad inuicem comparantur, vt fratres, tùm propter communionem, quam habent in rebus, ſed in ordine ad debita, quæ ſunt extrà lineam ſocietatis, nec comparantur, vt fratres, nec adinuicem communicant in talibus bonis, ergo in ordine ad talia bona, ſeù debita, priuilegium illud eidem ſocio egenti non poteſt prodeſſe, adeòque non eſt, cur ſocius creditor ex contractu ſocietatis teneatur eidem egenti vltra id, quo commodè viuere poſſit ex bonis ſocietatis eidem relinquere, quo poſſit debita ex alia cauſa ſanare. Confirmatur, quià, ſi ſocius eſſet creditor ex alia cauſa a titulo ſocietatis non teneretur tantùm relinquere de credito, quantum ſufficeret ad ſananda alia debita, quæ ipſe debitor ex alijs cauſis cum alijs contraxiſſet, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo etiam non tenetur quamuis ſit creditor ex titulo ſocietatis in ordine ad alia debita contracta cum alijs ex alio titulo tantum relinquere, quantum poſſit ſanari vltra id, quo commodè viuere poſſit. Conſequentia probatur, quia illud creditum titulo ſocietatis in ordine ad aliorum credita ex alio titulo impertinentèr omninò ſe habet, quandòquidem illud creditum cum illis nullatenus communicat, & eſt contractum omninò independentèr ab illis, ergo &c.

Socij comparantur ad inuicem, vt fratres.

Ratio eſſe poteſt ſecundò, quià *in d. §. præterea Inſtit. de action.* vbi per gloſam enumerantur ſingillatim omnes perſonæ, quæ hoc priuilegio gaudent, non comprehenduntur fratres ſanguinis inter ſe, qua tales præciſè ſunt, niſi etiam ſint ſocij, prout rectè notauit *Ognate d. tract. 28. de ſocietate diſp. 99. ſect. 5. num. 93.*, & non alia ratione, niſi quia quamuis habeant indiuiduam quandam conſuetudinem in mutuis affectibus, non habent tamen communionem in rebus, ſed ſocius creditor in ordine ad ſocium debitorem non habet communionem quoad alia debita ex alio titulo cum alijs contracta, ergo in ordine ad illa non debet tantum relinquere vltrà id, quo commodè viuere poteſt, ad ſananda illa, cum ſocius debitor non habeat priuilegium quoad illa, cum quoad illa non habeat communionem.

Non comprehenduntur fratres ſanguinis, niſi etiã ſint ſocij. Ognate

Ratio eſſe poteſt tertiò, quià ex eo, quod quis contraxit ſocietatem cum altero non obligatur ad ſoluendum æs alienum, quod iſte ex alio titulo contraxit, neque enim hoc venit ex conuentione explicita, cum contrahentes ſocietatem de hoc non cogitarint, quinimmò ſi ſocius contribuens cogitaſſet, rationabilitèr præſumptiuè non contraxiſſet; non ex ipſa conuentione implicitè, quatenus ex diſpoſitione iuris illi ſit annexum tale onus ſoluendi illud æs alienum, cum nullibi de tali diſpoſitione conſtet, nam iura, ſi quæ afferantur, loquuntur præciſè in ordine ad debitum ſocietatis, & alia debita potius excludunt, vt expreſsè videre eſt *in d. l. verum §. id, quod ſocius ff. pro ſocio*, vbi ſic legitur. *Id, quod facere poteſt ſocius quemadmodum æſtimandum ſit? Et placuit non debere deduci æs alienum, quod debetur à ſocio.*

Non obligatur quis ad ſoluẽdum æs alienũ ex eo, quod ſocietatem cũ debitore contraxerit.

Ad rationem dubitandi, quæ in principio afferebatur, dicendum eſt iura conſulere voluiſſe ſocio egenti in ijs, in quibus non ſolùm in mutua affectuum conſuetudine, ſed etiam in rebus communicat cum ſocio creditore, non verò in alijs, in quibus nullatenus adinuicem communicant, prout rectè adnotauit *Gloſa in d. l. verum ff. pro ſocio*, quæ ideò excludit tale priuilegium inter fratres, qui ſocij non ſunt, quià quamuis habeant quaſi communem vitæ conſuetudinem in affectibus, non habent tamen communionem in rebus vtſupra nos etiam dicebamus. Cum igitur ſocij in ordine ad alia debita non habeant ad inuicem communionem, ideò &c. Ad id, quod ſubditur de donatore, quandò conuenitur per donatarium, dicendum eſt eſſe caſum in iure exceptum *in d. l. verum §. is quoque ff. pro ſocio*, vbi ſic legitur. *Is quoque, qui ex cauſa donationis conuenitur, in quantum facere poteſt condemnatur, & quidem is ſolus deducto ære alieno*, nec incongrua certè ra-

Soluitur id, quod pro ratione dubitandi afferebatur.

tione, quandòquidem, vt rectè notat *Molina dicta diſp. 413. verſ. illud obſeruandum eſt* donator erga donatarium ex ſola ſua liberalitate conſtitutus eſt debitor, & ſic rationi congruum eſt, vt conuentus ad maiorem inopiam non reducatur.

Molina.

PRÆNOTIO VII.

An debitor ex ſocietate, qui vult vti prædicto priuilegio teneatur poſtea, ſi ad pinguiorem fortunam deuenerit, integrè ſatisfacere, & an teneatur præbere cautionem de integrè ſatisfaciendo, ſi poſteà potuerit.

SVMMARIVM.

Ex regula generali qui ratione impotentiæ excuſatur à ſolutione debiti, non eximitur poſteà, ſi deuenerit ad pinguiorem fortunam 1.

Niſi ſit impotens, & in re, & in ſpe. Ibid.

Debitor ex ſocietate, qui ex priuilegio non obligatur, niſi ad id, quod commodè facere poteſt regulariter poſteà non eximitur ab onere integræ ſolutionis, ſi fiat potens 2.

Per ſoluentem tantum, quantum commodè poteſt præſtanda eſt cautio iuratoria 3.

1 REgula fere generalis hæc eſt apud Theologos in ſecunda ſecundæ D. Thomæ in quæſtionibus de iuſtitia, & iure, quod quandò debitor ob indigentiam, & neceſſitatem, qua premitur, excuſatur a ſolutione debiti, non eximatur ab obligatione talis reſtitutionis, ſeù ſolutionis, ſi poſtea deuenerit ad pinguiorem fortunam, ſi pro tempore, quo neceſſitas excuſabat, non ita erat indigens, vt quamuis non haberet in re, quo tunc poſſet reſtituere, haberet tamen in ſpe pro tempore futuro, ſecus verò, ſi ita erat indigens, vt non haberet, nec in re, nec in ſpe. Ratio autem huius regulæ quoad vtramque partem ea eſt, quia quandò eſt indigens, & re, & ſpe, tunc præſumitur, quod dominus talis rei non habeat animum ipſum obligandi ad talem reſtitutionem adueniente meliori fortuna, cum ſpes talis melioris fortunæ adeò exigua ſit, vt pro nihilo reputetur, ideo non præſumitur dominus eſſe inuitus quoad illam circunſtantiam, quod pauper re, & ſpe vſurpet ipſius rem abſque animo impoſterum reſtituendi, quod ſi ex circumſtantijs puta ex magno rei valore, vel ex peculiari inclinatione rationabiliter præſumeretur, quod non daret talem rem extremè indigenti, niſi cum obligatione reſtitutionis ex ſuppoſitione pinguioris fortunæ, cuius etiam nulla probabilis ſpes appareat, ſentiendum eſt in tali caſu pauperem re, & ſpe ſupra omnem ſpem ad pinguiorem fortunam aduenientem obligari ad reſtitutionem. Quandò verò eſt indigens tantum re, & non ſpe, tunc non præſumitur dominus abſolute cedere, nec ipſe ſimpliciter vſurpare cum animo poſteà non reſtituendi, quandò aduenerit illa ſpes, quam habet, adeòque &c. Quæ certè regula videtur poſſe adaptari ſtatui propoſitæ difficultatis, ſi cum debita proportione ſumatur; parum enim referre poſſe videtur, quod id, quod debetur, ſit debitum ex titulo ſocietatis, vel alio quocunque titulo, nam ſocietas quidem ex ſingulari priuilegio habet, vt non obliget debitorem ex eadem, niſi ad quantum commodè facere poteſt pro tempore, quo integrè non poteſt ſatisfacere, non habet tamen priuilegium, vt eximat a reſtitutione impoſterum facienda, ſi poſteà habuerit, quo plenè poſſit ſatisfacere. Quamobrem ſit.

Quandò eſt indigens re, & ſpe nō tenetur poſtea reſtituere.

Secus ſi ſit tantū impotens in re: & nō in ſpe.

Aſſertio I. Debitor ex ſocietate, qui ex priuilegio non obligatur, niſi ad id, quod commodè facere poteſt, regulariter poſtea non eximitur ab onere reſtitutionis integræ, ſi ad pinguiorem fortunam deuenerit *Gregorius Lopez in l. 15. tit. 10. part. 5. gloſ. penult. Gutier. de iur. conſ. part. 3. cap. 13. num. 9. Molina diſp. 413. verſ. quandò ſocius ex hoc priuilegio. Ognate d. tract. 28. diſp. 99. ſect. 5. num.* 106. Atque hæc aſſertio expreſsè habetur *in d. l. verum §. id, quod ſocius ff. pro ſocio.* 2

Obligatur poſtea, ſi deuenerit ad pinguiorē fortunam.

Gregor. Lopez. Gutier. Molina. Ognate.

Probatur, quia iura per præfatum priuilegium voluerunt quidem conſulere indigentiæ, & neceſſitati ſocij debitoris ſecundum etiam voluntatem rationabiliter præſumptam alterius ſocij creditoris ex motiuo præcisè eiuſdem indigentiæ, & neceſſitatis, non autem demere ius creditoris, dum non militat ratio eiuſdem neceſſitatis, & pro tempore talis neceſſitatis ſopitum remanet illud ius ex diſpoſitione legali, non extinctum, ſed pro circunſtantia pinguioris fortunæ aduenientis ſocio debitori motiuum illud neceſſitatis non amplius vrget, ergo cum ius creditoris non ſit extinctum, ſed dumtaxat ſemiſopitum ea adueniente circunſtantia iterum vigebit, & obligabit. Confirmatur ex regula generali in principio prænotionis expoſita, quia cum non ſit abſoluta indigentia, & in re, & in ſpe non eſt præſumptio, quod creditor abſolutè ceſſerit iuri ſuo abſque animo &c. Confirmatur ſecundò *ex d. l. verum §. id, quod ſocius ff. pro ſocio*, vbi præcipitur, quod per ſocium debitorem præſtetur creditori cautio de

Debitum tēpore neceſſitatis ſopitū remanet, nō extinctū.

Obligatur ad cautionem de integra ſatisfactione.

tali

tali integra ſolutione, ſeù reſtitutione, ergo, quià ſupponit non factam fuiſſe abſolutam remiſſionem.

Non requiritur cautio fideiuſſoria, ſeù pignoratitia, ſed ſufficit iuratoria.

3 Aſſertio II. Per ſocium debitorem ſoluentem tantummodò, quantum commodè facere poteſt, preſtanda eſt cautio de integra ſolutione creditori, ſi ad pinguiorem ſtatum deuenerit, quæ tamen cautio non debet eſſe fideiuſſoria, vel pignoratitia, ſed ſolùm iuratoria. Ità Doctores præallegati pro prima aſſertione, & quidem, quod ſit præſtanda talis cautio, clarè liquet *ex d. l. verum §. id, quod ſocius ff. pro ſocio*, nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem, ſi ſocius creditor pro tempore neceſſitatis ſocij debitoris iuxta diſpoſitionem iuris ceſſat à iuſta cæteroqui vexatione, quæ ius ſuum quodamodò eſſet, æquum omninò videtur, vt magis in tali iure firmetur recuperandi id, à cuius vexatione ceſſat ob motiuum neceſſitatis ceſſante tali neceſſitate. Quod verò non requiratur cautio, nec fideiuſſoria, nec pignoratitia, nec depoſitoria, ſed ſufficiat iuratoria ſic

Nimis eſſet ardua cautio fideiuſſoria.

Probatur primò quoad fideiuſſoriam, quia nimis ardua eſſet reſpectu debitoris hæc cautio, quandòquidem ex quo vergit in inopiam, vix inuenire poterit, qui pro ſe fideiubeat, & ſic ſi requiritur talis cautio, antequam eximatur ab onere præſentis integræ ſatisfactionis, vix poſſet gaudere illo priuilegio, vt teneatur ſolummodò præſtare, quod commodè poteſt, ſicque eſſet priuilegium conceſſum, quod vix poſſet in executionem deduci propter moralem incompoſſibilitatem coniungendi ea, quæ requiruntur ad talem vſum.

Iam haberet, quo plenè poſſet ſatisfacere.

Probatur ſecundò quoad pignoratitiam, quià ſi habet de facto pignus, per quod creditorem poſſit cautum reddere de futuro, & abſque illo poſſit de præſenti congruè ſe ſuſtentare iam habet de præſenti, quo poſſit plenè ſatisfacere, quandòquidem vltra id, quo commodè poſſit ſe alere, habet etiam pignus, quo, cum non poſſit vti, cum illud aſſignet in cautionem creditoris, poterit ad complementum debiti in ſatisfactionem aſſignare; atque hæc ratio militat etiam quoad cautionem depoſitariam;

Solùm requiritur cautio ſub promiſſione.

Probatur tertiò quoad cautionem iuratoriam primò, quia ex diſpoſitione iuris requiritur cautio, vt ex præallegato textu *in l. verum §. quod poteſt totius ff. pro ſocio*, ſed ex præactis non eſt neceſſaria cautio fideiuſſoria, nec pignoratitia, nec depoſitoria, ergo erit neceſſaria iuratoria. Secundò, quià in allegato textu *in d. l. verum* ſolùm præcipitur cautio ſub promiſſione, quæ cum aliquam vim debeat addere ſuprà obligationem ſecundum ſe, non debet intelligi de ſimplici promiſſione, ſed de promiſſione cum addito, ſcilicet ſub iuramento.

PRÆNOTIO VIII.

An debitor ex ſocietate poſſit vti tali priuilegio, quandò creditor eſt in æquali neceſſitate.

SVMMARIVM.

Socius debitor non poteſt gaudere priuilegio, quandò creditor ſecluſo eo, quod ipſi debetur ex ſocietate, non haberet competentem ſuſtentationem 1.

Probabilius eſt, quod ſocius debitor poſſit iuſtè gaudere priuilegio, quandò creditor ſecluſo eo, quod ei debetur ex ſocietate haberet aliunde competentem ſuſtentationem 2.

DOcent communitèr Theologi in ſecundam ſecundæ D. Thomæ in quæſtionibus de iuſt. & iure, dum de reſtitutione, quod exiſtentibus in æquali extrema neceſſitate creditore, & debitore æquè excuſetur debitor à reſtitutione, ac ſi creditor in eadem neceſſitate non eſſet, quià in neceſſitate extrema, vel etiam graui reſpiciente bona naturę res neceſſaria habetur, vt communis, de re autem communi nemo tenetur alteri potius, quam ſibi conſulere. Quod ſi dicatur non licere in extrema neceſſitate rem alienam vſurpare, quandò Dominus eſt in eadem neceſſitate, adeòque nec licere in eadem extrema neceſſitate rem alienam detinere, quandò Dominus in eadem neceſſitate reperitur, ſtatim occurret impugnatio, quia in pari caſu melior eſt conditio poſſidentis, ideò quandò Dominus eſt in poſſeſſione, non licet in pari neceſſitate ipſum priuare re, quam poſſidet, quià melior conditio ſtat pro ipſo, at quandò debitor eſt in poſſeſſione melior conditio ſtat pro eodem, ideò poteſt in pari caſu rem illam retinere. Hæc aliqualitèr conſonant cum ijs, quæ nos etiam docuimus *tom. primo ſub tit. Contractus I. de contractibus, vt ſic in Diſquiſ. §. I.* quæ propterea ſunt ibi recolenda.

In pari neceſſitate extrema melior eſt conditio poſſidentis.

Aduerte tamen iuxta ibi dicta, hæc verificari, quandò debitor ex reſtitutione debiti conſtitueretur in tali neceſſitate, vt abſolutè non haberet, quo nedum commodè, ſed nec ſimplicitèr viuere poſſet, nam ſi aliundè haberet, quo ſimplicitèr viuere poſſet, & creditor non haberet aliundè, quo talitèr poſſet viuere, certè nedum caritate ſuadente, ſed etiam iuſtitia compellente teneretur reſtituere. Nihilominus deſcendendo ad caſum particularem iuxtà quod proponitur in titulo videtur

eſſe quædam ſpecialis ratio, nam vel ſupponitur, quod ſocius creditor ſecluſo eo, quod ſibi ex ſocietate debetur non haberet competentem ſuſtentationem, vel ſupponitur, quod eo ſecluſo haberet ſolùm competentem ſuſtentationem, & non quid vlterius. Iuxta primum ſenſum ſit.

1 Aſſertio I. Socius debitor non poteſt iuſtè gaudere prædicto priuilegio, quandò creditor ſecluſo eo, quod ei debetur ex ſocietate non haberet competentem ſuſtentationem *Gregorius Lopez l. 15 tit. 10. part. 5. verb. viuir. Gutier. de iura. confirm. p. 3. cap. 15. num. 4.* qui pro ſe citant *Bartolum, & Paulum Caſtrenſem, Molina d. diſp. 413. verſ. quandò ſocius.*

Gregor. Lopez. Gutier. Bartolus. Paul. de Caſtro. Molina.

Probatur primò, quià iura, quæ ſunt prouida, & benefica contractui ſocietatis tùm propter affectuum contrahentium habitudinem, quam propter rerum communionem non debent eſſe noxia, nec venefica alteri ex contrahentibus, quandò eſt in æqualibus circumſtantijs, & conditionibus cum alio, quinimmò in potiori iure reſpectiuè ad ipſum, quandòquidem ne debitorem in deteriori ſtatu conſtituant, non debent in deteriori ſtatu conſtituere creditorem, cum in æqualibus circunſtantijs non ſint præſumenda iura velle vnius jus demere, vt alteri conferant, ſed in hypotheſi aſſertionis, ſi ſocius debitor gaudere poſſet illo priuilegio in paribus circunſtantijs iura eſſent noxia creditori, iuſque illius demerent, & conſerrent debitori, ergo &c.

Iura, quæ ſunt prouida vos non debet alteri eſſe noxia in paribus circunſtātijs.

Probatur ſecundò, quià ea, quæ dicta ſunt in principio procedunt dumtaxat exiſtente ex vtraque parte extrema neceſſitate, in qua omnia ex diſpoſitione iuris naturæ ſunt communia; hic autem non ſupponitur extrema neceſſitas, adeòque, nec illa communitas in rebus, cum debitor non ſupponatur eſſe in extremo vitæ periculo, ſi eroget totum id, quod debet, ſed tantum ſit conſtituendus per illam erogationem in neceſſitate citra arctam, ergo non eximitur ab onere talis integræ ſolutionis, quandò creditor ſine illa non haberet congruam ſuſtentationem, non enim valeret in ea hypotheſi illa regula, quod omnia ſint communia. Si deindè ſupponatur, quod per illam erogationem adæquatam debitor conſtitueretur in extrema neceſſitate, tunc non compelleretur ad ipſam integram reſtitutionem, ſed hoc non eſſet ex vi talis priuilegij, ſed ex motiuo iuris naturæ, ſecundum quod in extrema neceſſitate vnuſquiſque poteſt, & debet ſibi potius conſulere, quam alijs.

In extrema neceſſitate debitor eximeretur ab onere integra ſatiſfactionis iure naturæ.

2 Aſſertio II. Probabilius eſt, quod ſocius debitor poſſit iuſtè gaudere tali priuilegio, quandò creditor ſecluſo eo, quod ei debetur ex ſocietate haberet aliundè competentem ſuſtentationem. Ita ſentire videntur auctores præallegati, qui ex quo excipiunt dumtaxat in caſu, quo creditor non haberet aliundè congruam ſuſtentationem videntur firmare in quocunque caſu hic haberet, quo congruè poſſet ſe ſuſtentare; exceptio enim firmat regulam in non exceptis *Panormitanus in cap. quoniam frequenter extra. vt lit. pen. conteſt. Alexander conſ. 26. in primo vol. Bartolus in l. quæſitum §. denique ff. de fund. inſtruc. Decius in l. 1. num. 27. ff. de reg. iur., & cap. cum dilectum col. 2. de confir. vtil. vel inut. Laurentius Silua conſ. 74. num. 13. vol. 2.* nec incongruà ſanè ratione, quandòquidem per illā reſtitutionem, quam commodè facere poſſet, & faceret debitor, haberet creditor vltrà id, quod requiritur ad congruam ipſius ſuſtentationem, ſiquidem & haberet congruam ſuſtentationem aliundè, & vlterius id, quod per ſocium debitorem ſibi erogaretur; nec iura exigunt pinguiſſimum ſtatum creditoris remittentis ad hoc, vt creditor gaudeat tali priuilegio, ſed ſolummodò, quod non reſtringatur ſimpliciter ad ſtatum miſerrimæ ſuſtentationis, vel etiam ſimpliciter congruæ.

Panormitanus. Alexander. Bartolus. Decius. Laurent. Silua.

PRÆNOTIO IX.

Quid agendum ſit ad formandum prudens iudicium, an ſocio debitori tantum maneat, quantum ſufficit, vt dicatur non egere.

SVMMARIVM.

Illud, quod remanere debet penes ſocium debitorem, computandum eſt, tùm ex bonis patrimonialibus, tùm ex bonis ſocietatis, & quomodò 1.

Ad iudicandum, an ſocius debitor tantum habeat, vt non egeat, attendendi ſunt redditus bonorum patrimonialium, non valor ipſorum bonorum 2.

Excipe, niſi bona patrimonialia eſſent maximi valoris 3.

Id, quod remanere debet ſufficiens ad congruam ſuſtentationem debet eſſe ad totam vitam 4.

SVB hoc titulo plura ſcitu digniſſima ad hanc materiam pertinentia clare, & dilucidè placet examinare; & primo, an illud, quod manet, vt non dicatur egere, ſit computandum, tùm ex bonis patrimonialibus ipſius ſocij debitoris, tùm ex bonis ſocietatis, adeò vt ſi illa non ſufficiant, debeant ſolummodò tot ex bonis ſocietatis retineri, quot cum illis ſufficiant ad integrandam vnam congruam ſuſtentationem. Secundò, quomodò taxanda ſint

bona

bona patrimonialia, an ſecundum reditus, qui ex talibus bonis patrimonialibus percipiuntur, an verò ſecundum valorem rerum patrimonialium in ordine ſcilicet ad illud pretium, quod ex illorum venditione iuxta vſum fori, vel iuxtà prudentem æſtimationem peritorum percipi poteſt. Tertiò, an illa taxatio congruæ ſuſtentationis tàm ex dictis bonis patrimonialibus, quam ex bonis ſocietatis talis eſſe debeat, vt bona eidem relicta ſufficiant ad talem ſuſtentationem in ordine ad aliquod tempus determinatum, an verò ad totam vitam.

Varij articuli, qui ſub hoc titulo excitãtur.

1 Aſſertio I. Illud, quod remanere debet apud ſocium debitorem, computandum eſt tùm ex bonis patrimonialibus, tùm ex bonis ſocietatis, adeò vt bona ſocietatis non ſint conferenda, niſi quatenus debeant complere integram congruam ſuſtentationem *Gloſ. in l. ſi maritus ff. ſolut. matrimonio. Gregorius Lopez l. 15. tit. 10. par. 5. gloſ. fin.*

Computandũ eſt tũ ex bonis patrimonialibus, tum ex bonis ſocietatis.

Gloſa. Gregor. Lopez.

Probatur, quià iura per tale priuilegium intendunt præcisè conſulere egeſtati ſocij, adeò vt habeat, quo commodè viuere poſſit ex præſumpta etiam ſocij creditoris voluntate, adeò vt ſi aliundè habeat, quo commodè viuere poſſit, non poſſit debitor gaudere tali priuilegio, ergo ſi aliundè habeat, quo ſi non totalitèr congruè ſaltem partialitèr viuere poſſit, illud erit computandum pro congrua partiali ſuſtentatione, adeòque non erit, niſi vt integretur per ſupplemẽtum in bonis ſocietatis. Conſequentia probatur, quià iura non demunt ius creditoris, niſi quatenus, & in quantum conſtituendus eſt debitor in ſtatu, quo non egeat, ergo, ſicuti ſi aliundè habeat, quo ſimplicitèr non egeat, non poteſt vllo modo gaudere tali priuilegio, ita ſi habeat partialitèr aliundè, quo non egeat, non poterit, niſi in parte vti tali priuilegio, pro ea ſcilicet parte, quæ requiritur ad complendam integram commodam ſuſtentationem.

Iura conſulũt præcisè egeſtati ſocij debitoris.

2 Aſſertio II. Ad iudicandum, an ſocius debitor tantum habeat, vt non egeat attendendi ſunt reditus, qui ex bonis patrimonialibus ipſius percipiuntur, ſeù commodè percipi poſſunt, non verò ad valorem rerum patrimonialium comparatiuè ad pretium, quod ex illarum venditione percipi poteſt *Gregorius Lopez d. l. 15. tit. 10. part. 5. verb. viuir. Gutier de iur. confir. part. 3. cap. 15. num. 10. Antonius Gomez ad l. 10. Tauri num. 40. Molina d. diſp. 413. verſ. notant verò.*

Gregor. Lopez. Gutier. Anton. Gomez Molina.

Probatur ex textu *in l. qui bonis ff. de ceſſione bonorum*, vbi in titulo ſic legitur. *In exigendo, vel conueniendo aliquem in quantum facere poteſt inſpicitur quantum ex eius patrimonij fructibus poteſt redigi, non quantum ex venditione rerum exigitur*; nec ſine ratione hæc lex lata eſt, quandoquidem, cum talia bona concedantur ſocio debitori in congrua, & proportionata alimenta debent ſumi bona patrimonialia ſecundum eam rationem, ſecundum quam reddunt fructus, ex quibus hauriri poſſunt huiuſmodi alimenta, non ſecundum valorem, quem habent bona patrimonialia ſecundum ſe, ſi ſecundum illum percipi non poſſunt commodè alimenta.

Id, quod cõceditur eſt in ordine ad congrua alimenta.

Verum tamen eſt, vt bene notat *Molina d. diſp. 413. verſ. eodem in fine*, quod ſi valor rerum patrimonialium ſocij debitoris eſſet ſummè æſtimabilis, & conſiderabilis, modicos tamen talia bona redderent fructus, eſſent huiuſmodi bona vendenda, & pretium in parte collocandum in alijs bonis fructiferis, vel in annuis cenſibus quantum ſufficeret ad congrua alimenta ſocij debitoris, reliquum verò tribuendum ſocio creditori in extinctionem proportionatam ſui crediti *Gregorius Lopez in d. l. 15. tit. 10. part. 5. Reginaldus lib. 25. cap. 27. num. 37. Fillutius tract. 38. cap. 2. quæſt. 3. num. 18.* 3

Molina. *Excipe niſi valor rerum patrimonialium eſſet maximus.*

Lopez. Reginaldus.

Aſſertio III. Regularitèr id, quod remanere debet apud ſocium debitorem, ità vt non egeat, tale eſſe debet, vt ſufficiat ad eius congruum ſuſtentationem, non ad aliquod tempus determinatum, ſed ad eius vitam, niſi aliundè acquirat, quo commodè viuere poſſit, quia tunc ceſſante neceſſitate alimentorum integrum ſocij debitoris eſt ſoluendum creditori, vt colligit *Gutier loc. cit. ex quadam gloſa in margine §. item ſi de dote Inſtit. de actionibus*; nec ſine fundamento hoc aſſeritur, quandoquidem, cum iura reſpexerint ad prouidendum egeſtati ſocij debitoris eo vſque debent intelligi eidem fauere, quouſque motiuum talis egeſtatis intelligitur perſeuerare, & cum exigant cautionem ſaltem iuratoriam, in caſu, quo deuenerit ad pinguiorem fortunam, ſatisfaciendi in integrum, clarè deducitur, quod non obligent ad eandem, niſi in tali caſu pinguioris fortunæ aduenientis, & ſic perſeuerante egeſtate non erit deueniendum ad eandem integram ſolutionem, ſeù ſatisfactionem. 4

Gutier.

Durante motiuo egeſtatis durat priuilegium.

PRÆ-

PRÆNOTIO X.

An priuilegium ſocij debitoris extendatur ad fideiuſſores, & ad eius hæredes.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus controuerſiæ, & rationes dubitandi 1.

Priuilegium conceſſum ſocio debitori non extenditur ad fideiuſſores, niſi in certis caſibus indirectè 2.

Enumerantur caſus, in quibus indirectè extenditur 3.

In hypotheſi, qua ſocius debitor effugerit non poteſt fideiuſſor gaudere priuilegio 4.

Hæredes ſocij debitoris non gaudent priuilegio 5.

1 IN contractu Societatis inter duos inito, quorum alter operam, & induſtriam contulit, ſeù conferre promiſit, alter certam pecuniæ quantitatem ad certum negotiationis genus impendit ſic exigente ſocio, qui pecuniam contulit, pro eo, qui eam recepit adhibitus eſt alius in fideiuſſorem, ſed cum negotiatio in deterius abiret, & cum ex communi vtriuſque contrahentis conſenſu eſſet contractus diſſoluendus, ſocius debitor gaudere contendebat priuilegio ſibi à iure conceſſo non ſoluendi vltrà id, quod commodè facere poterat, vel etiam nihilo ſoluto aufugit, ſeque in tutum recepit. Hinc in hypotheſi, qua ſocius contendebat gaudere tali priuilegio, oritur difficultas, an eodem gaudere poſſit pro ipſo fideiuſſor, adeò vt, nec ipſe vexari poſſit pro integra ſatisfactione ſicuti nequit vexari ipſius principalis; in hypotheſi verò, qua ipſius principalis effugerit, an ipſe fideiuſſor conuentus à ſocio creditore pro integra ſatisfactione poſſit excipere de iure talis priuilegij ſibi competentis, adeò vt non poſſit compelli, niſi ad id, quod commodè facere poteſt.

Exponitur ſtatus, in quo eſt agitanda difficultas.

Id, quod controuertitur in ordine ad fideiuſſorem, quandò principalis ſe munit tali priuilegio, controuerti etiam poteſt in ordine etiam ad hæredes ſocij debitoris, adeò vt inquiratur, quod ſicuti ipſe debitor viuens poterat tali priuilegio gaudere, ità poſſint ipſo defuncto eodem gaudere ipſius hæredes, qui ſucceſſerunt in bonis, & oneribus eiuſdem.

Rationes dubitandi.

2 Aſſertio I. In hypotheſi fideiuſſoris priuilegium illud conceſſum ſocio debitori ad eundem ſecundum ſe non extenditur, niſi in certis caſibus indirectè *Molina d. diſp. 413. verſ. quamuis hoc idem priuilegium. Ognate tract. 28. de ſocietate diſp. 99. ſect. 5. num. 97.*

Ognate.

Probatur prima pars, quià hoc priuilegium eſt præcisè perſonale conceſſum ſocio tùm propter mutuam communicationem in affectibus ſociorum, tùm propter communionem in rebus per ea, quæ ſuprà commendauimus, quinimmò eſt quodamodò ſocio creditori iniurioſum, vt per ſe patet, ergo, quià eſt perſonale non extenditur vltra perſonas, quæ in iure exprimuntur, quià non habent illas cauſas communicationis in affectibus, & rebus fideiuſſores, quas habent ſocij, nec debent habere idem ius, quia eſt iniurioſum illud priuilegium, debet ſtrictè interpretari, & non extendi. Conformiter ad has rationes dicitur primò *in l. verum in princip. ff. pro ſocio*, quod hoc priuilegium *ſummam rationem habeat, cum ſocietas ius quodamodò fraternitatis in ſe habeat, videndum eſt, an fideiuſſori ſocij præſtari id debeat, an verò perſonale beneficium ſit, quod magis verum eſt*. Dicitur ſecundo *in l. & ſi fideiuſſor ff. de re iudic.*, quod *ſi fideiuſſor acceptus ſit rei, vel actionis non proderit ei, ſi perſona, pro qua fideiuſſit, in quantum facere poteſt, condemnanda eſt*, quod idem repetitur *in l. Neſſenius ff. eod. tit.*

Eſt priuilegium præcisè perſonale.

Probatur ſecunda pars quoad eos caſus, 3 in quibus indirectè extenditur etiam ad fideiuſſores; atque hi præcipuè duo ſunt. Primus eſt, quandò fideiuſſor ſocij tanquam defenſor principalis debitoris iudicium loco, & nomine illius ſumpſit; atque hoc expreſsè colligitur *ex d. l. verum in princip. ff. pro ſocio*, vbi ſic legitur. *Sed ſi hic fideiuſſor quaſi defenſor ſocij iudicium ſuſceperit proderit ſibi*, quod non incongrua ratione ſtatutum exiſtimo, quandòquidem tunc non agit, vt fideiuſſor, & nomine proprio, ſed vt ſocius, ſeù nomine eiuſdem ſocij, & ſic defenſorio nomine illius protegendo ſe ipſum quaſi indirectè munit, nam liberato ipſo principali, & ipſe liberatur, cum obſtrictus dumtaxat maneat ratione principalis *Bartholomæus Socin. in conſ. 163. incip. in præſenti in verbo præterea obligatio in ſecunda parte l. 2., & ibi Bartolus C. de fideiuſ. tit.*

Excipe, niſi quando in iudicio agit, vt defenſor principalis debitoris.

Bartholomæus Socinus. Bartolus.

Secundus caſus, quo priuilegium extenditur ad fideiuſſorem Socij debitoris, quem refert *Bartolus apud Gutier de iur. confir. part. 3. cap. 15. num. 15.* tunc eſt, quandò fideiuſſor conuentus denuntiat ſuo principali actionem aduerſus ſe ipſum intentatam, vt ſe opponat, iudiciumque in ſe ipſo ſuſcipiat, neque ſinat ipſum fideiuſſorem in toto condemnari, nam ſi condemnabitur, habebit regreſſum pro toto aduerſus eundem principalem debitorem, cum hic non gaudeat eo priuilegio aduerſus

Excipe item, niſi fideiuſſor conuentus denunciet ſuo principali actionem contra ſe intentatam.

Gutier.

ſus

ſus ſuum fideiuſſorem, ſicuti gaudet aduerſus alios ſuos creditores ex ſocietate; tunc etenim ipſe principalis debitor, vel ſuſcipit in ſe onus ſe defendendi, & per conſequens indirectè etiam ſuum fideiuſſorem, & ſic redimendo ſe ipſum per ſolutionem eius, quod commodè facere poteſt, redimit etiam eundem fideiuſſorem, vt ſuprà, qui propterea ad aliud non tenebitur; vel non ſuſcipit in ſe onus iudicij, & fideiuſſor condemnatur, & ſic ipſe fideiuſſor habet regreſſum ad eundem debitorem pro omni eo, quod ipſe ad exonus illius ſoluit propter eam rationem, quod priuilegium ſocij debitoris non extendatur, niſi aduerſus ſocios creditores, non verò aduerſus ſuum fideiuſſorem.

4 Aſſertio II. In hypotheſi, qua ſocius debitor effugerit, & actio intentetur aduerſus fideiuſſorem, non poteſt hic ſe munire tali priuilegio, vt ſolùm reſtituat, quantum commodè poteſt aduerſus ſocios creditores, nec quantum poſſet ſolummodò reſtituere ipſe ſocius debitor, ſi non effugiſſet. Conformis eſt ijs, quæ dicta fuerunt in præcedenti aſſertione, & conſentiunt Doctores præallegati.

Probatur primò, quià fideiuſſor in hac hypotheſi, nec nomine proprio poteſt aduerſus creditorem ſe munire exceptione talis priuilegij, cum non extendatur ad fideiuſſorem, qua talis eſt per allegatum ius *in l. verum in principio ff. pro ſocio, & in l. & ſi fideiuſſor ff. de re iud.* nec nomine ſocij debitoris, reſpectu cuius eſt fideiuſſor, quandòquidem hic effugiendo implicitè annuit ſe nolle ſoluere, adeòque ſe defendendo non ageret nomine, & in perſona illius, ergo nulla ratione poteſt ſe exceptione talis priuilegij defendere.

Non ageret nomine, & in perſona debitoris ſocij.

Probatur ſecundò, facto abſolutè impotente ſocio debitore, ſoluendi debitum, adeò vt, nec ſecundum aliquam partem poſſit reſtituere, fideiuſſor non poteſt ſe eximere ab onere integrè perſoluendi, quandòquidem ipſe ſe obligauit reſtituere in defectum principalis debitoris, nec poteſt, vt defenſor illius agere, cum ipſe ſecundum ſe excuſetur ratione impotentiæ, nec exigat in hoc caſu ſe munire exceptione priuilegij, ergo etiam effugiente ipſo ſocio debitore non poterit ſe eximere fideiuſſor ab onere integrè ſatisfaciendi. Conſequentia probatur, quià in ordine ad creditorem reſpectu iuris acquiſiti aduerſus fideiuſſorem, hæc æquiparantur, quod debitor factus fuerit impotens ad ſoluendum, ac ſine ſolutione effugerit, ergo, ſi quandò ſit ſimpliciter debitor impotens, fideiuſſor non remanet liber, nec erit liber, quandò ſine ſolutione effugerit.

Fideiuſſor eſt in ſubſidium defectus principalis.

Dices, quandò debitor eſt impotens pro parte debiti poteſt tali priuilegio ſe eximere pro eadem parte, & ſolùm ſoluere quantum commodè poteſt, & ſic in hac hypotheſi fideiuſſor liber remanet quoad totum, ergo quandò debitor eſt impotens quoad totum, etiam erit liber à toto, adeòque etiam erit liber fideiuſſor. Conſequentia tenet, quià ſicuti ſe habet pars ad partem, ita totum ad totum. Sed contrà conceſſo antecedente, neganda eſt conſequentia. Ratio in eo ſita eſt diſparitatis, quià fideiuſſor eſt pro caſibus impotentiæ principalis debitoris, non pro caſibus priuilegiorum ipſius, quæ ſibi à iure conceduntur, vndè eo ipſo, quod debitor abſolutè ſit impotens debet fideiuſſor onus ſuſtinere, cum ad hoc munus fuerit ſubſtitutus, eo autem ipſo, quo pro parte vtitur debitor priuilegio ſibi a iure conceſſo, fideiuſſor ab onere eximitur, cum hic non intelligatur datus pro caſibus eorundem priuilegiorum, & ſicuti fideiuſſor cenſetur liberatus per ſententiam latam pro reo *Baldus in l. properandum §. ſin autem reus col. 2. C. de iudic. Bartolus in l. fin. ff. de pactis* ita cenſetur liberatus per priuilegium eidem reo conceſſum, cum priuilegium æquiualeat ſententiæ.

Fideiuſſor eſt pro caſibus impotētiæ debitoris nō pro caſibus priuilegiorū eiuſdem.
Baldus.

Aſſertio III. Hæredes ſocij debitoris legitimè non gaudent priuilegio, quo gaudet ipſe ſocius ſoluendi tantum, quantum commodè poteſt *Molina d. diſp. 413. verſ. peres vtrum priuilegium.* 5

Probatur primò, quià vt ſuperius dictum eſt, hoc priuilegium eſt omninò perſonale per ea, quæ dicuntur ex textu *in l. verum in princip. ff. pro ſocio*, priuilegia autem perſonalia defuncti non transfunduntur in hæredes, cum quoad onera, & iura perſonalia non rapręſentent perſonam defuncti. Atque iuxta hunc ſenſum conſonant iura præallegata *in d. l. verum ff. pro ſocio l. & ſi fideiuſſor ff. de re iudic.* vndè meritò dicit *Gloſa in l. in condemnatione ff. de regul. iuris Baldus in cap. 1. in princip. de natur. feud. verſic. ſed numquid idem erit Gloſ. in l. verum in principio ff. pro ſocio*, quod hoc priuilegium ſit conceſſum ratione perſonæ, & contractus.

Quoad onera, & iura perſonalia nō rapræſentant perſonam defuncti.
Gloſa.
Baldus.

Probatur ſecundò, quia regulare eſt cuicunque hæreditati, vt non cenſeatur defunctus plura bona reliquiſſe hæredi, quam quæ reperta fuerunt deducto in vniuerſum toto ęre alieno ipſius defuncti, ſed debita ex titulo ſocietatis nondum diſſolutæ verè reſpectu eiuſdem ſunt æs alienum, quandò quidem ſolummodò per priuilegium pro parte duntaxat demitur, quandò in diſſolutione contractus ſit applicatio vſus talis priuilegij, quod, vt dictum eſt, eſt ſolummodò perſonale, ergo cum non fuerit diſſoluta ſocietas cum applicatione talis pri-

Bona ſocietatis ſaltē quoad partē ſunt propriè æs alienum

C uilegij

Digitized by Google

uilegij reſpectu ſocij debitoris intelligendum eſt, quod illud debitum ratione eiuſdem ſocietatis ſit abſolutè æs alienum, adeòque, quod debeat ſimpliciter deduci, & tribui creditori.

Hic ſuboritur difficultas, an ſi ſocius ipſe debitor in diſſolutione contractus facta cum ſocio creditore gauiſus fuerit prædicto priuilegio, in quo caſu diximus debuiſſe præſtare cautionem iuratoriam integrè ſoluendi, ſi poſtea deuenerit ad pinguiorem fortunam, an, inquam, ſi præmoriatur, teneatur hæres de illo, quod relictum fuerat pro congrua ipſius debitoris viuentis ſuſtentatione, integrè ſatisfacere creditori. Abſolutè crederem, teneri hæredem de illo, quod relictum fuerat defuncto pro congrua ipſius ſuſtentatione ſatisfacere ſocio creditori. Ratio eſſe poteſt, quia illud debitum extinctum non eſt, ſed ſolùm quodamodò ſopitum in perſonalem commoditatem ſocij debitoris, vt ſcilicet habeat, quo pro vitæ ſuæ tempore non egeat, ergo ceſſante illius egeſtate per mortem ius illud abſolutè reuiuiſcet contra hæredem, cum potiſſimum illud priuilegium, vtpotè perſonale ad eundem hæredem non tranſeat.

Exponitur ſpecialis difficultas, & diſſoluitur.

PRÆNOTIO XI.

Quinam, & quomodò contrahere poſſint ſocietatem ad negotiationem.

SVMMARIVM.

Ebrij, Furioſi, amentes poſſunt iuſtè continuare in ſocietate ad negotiandum, pro qua contraxerunt, & contulerunt pecunias pro tempore, quo erant ſobrij, dociles, ſanæ mentis &c. 1.

Amentes, ebrij &c. poſſunt primò contrahere per curatores 2.

Clerici conferentes pecuniam titulo ſocietatis non ſubeunt pænas iuris contrà Clericos negotiantes 3.

Regularitèr nobiles non amittunt nobilitatem per ſocietatem ad negotiandum 4.

CErtum eſt, illos omnes non poſſe inire per ſe ipſos contractum ſocietatis, qui non poſſunt contrahere, nec aduicem obligari; propoſitiones etenim de tertio adiacente ſupponunt illas de ſecundo; ſi enim non poſſunt abſolutè contrahere, ergo nec contrahere ſocietatem, & cum contractus propriè ſumptus ſit vltrò, citròque obligatorius, qui non poſſunt adinuicem obligari, nec poſſunt contractum inire, ex quo ſequitur mutua obligatio. Id, quod præcipuè in hac prænotione controuertendum occurrit, eſt primò, an furioſi, ebrij, amentes, & pueri habentes verum dominium in rebus ſuis poſſint per ſe ipſos, vel per alios inire ſocietatem in ordine ad negotiandum. Secundò, an non obſtantibus iuribus Pontificijs prohibentibus Clericis negotiationem, poſſint ijdem Clerici ſocietatem inire cum alijs, conferendo præcisè pecuniam eiſdem ad negotiandum. Tertiò, an nobiles conferendo pecuniam titulo ſocietatis ad negotiandum, amittant nobilitatem exiſtente iure, vel ſtatuto, quod nobiles non poſſint negotiari, & his ſimilia

Aſſertio I. Ebrij, furioſi, amentes poſſunt iuſtè continuare in ſocietate ad negotiandum, pro qua contraxerunt, & contulerunt pecunias pro tempore, quo erant ſobrij, dociles, & ſanæ mentis, & vigilantes. *Ognate d. tract. 28. de ſocietate diſp. 99. ſect. 2. num.* 14. 1

Ognate.

Probatur, quià per ſuperuenientem ebrietatem, dementiam, & ſomnum actus legitimè, & cum debitis conditionibus celebratus, & in ſuo eſſe completus non redditur irritus, & inanis, ergo non eſt, cur amentes, ebrij, dormientes &c. non poſſint in contractu continuare, quem ritè celebrarunt cum omnibus conditionibus requiſitis antè dementiam, ebrietatem &c. Conſequentia tenet, quia in tantum iura prohibent amentes, furioſos, & ebrios celebrare contractus, in quantum ſupponunt eos carere iuditio, & deliberatione requiſita ad celebrationem eorundem, ſed pro tempore, quo ſupponuntur celebrare, cum ſint ſui compotes non carent iudicio, plenaque deliberatione, ergo &c. Neque dicas, illam iudicij, & plenæ deliberationis carentiam ſubſequi ad contractum, qui, ſicuti eſſe primò non poteſt ſine conſenſu exhibito cum plena deliberatione, ita nec poteſt eſſe ſecundò, ſeù quod idem eſt non poteſt continuari ſine tali conſenſu, ſeù ipſo deficiente per ſuperuenientem dementiam, ebrietatem &c., contra enim impugnaberis, quia quod ab initio in ſui eſſe ſubſiſtit, per ſubſequentia non poteſt inualidari, & ſicuti contractus cum pleno vtriuſque contrahentis conſenſu celebratus non inualidatur, ſi poſtea alter ex contrahentibus poſitiuè retractet conſenſum jam præſtitum volente altero in contractu perſiſtere, ita & contractus celebratus per plenum, & deliberatum conſenſum non inualidabitur, ſi poſtea non per poſitiuum actum contrariū vnius, ſed per meram ceſſationem ab actu ratione dementiæ, ebrietatis &c. ſuperuenientis non continuet per influxum continuati conſenſus.

Ceſſant iura prohibentia quoad cōtinuationem, quæ militant quoad cōtractionē.

Aſſertio II. Amentes, Ebrij, dormientes, & furioſi nedum poſſunt perſeuerare in ſocietate contracta tempore ſanæ mentis, ſobrietatis, & vigiliæ, ſed etiam primò 2

con-

contrahere exiſtente eadem dementia, ebrietate &c. per Curatores, Tutores, ſeù Procuratores. Ità expreſsè *Ognate d. tract. 28. diſp. 99. ſect. 2. num. 14.*, & in hanc ſententiam omnes propendent, Intelligendummodò Tutores, Curatores, & Procuratores ſint legitimè conſtituti, vel a iure, vel a Iudice, vel ab habente legitimam poteſtatem.

Ognate.

Probatur primò, quia huiuſmodi Tutores, Curatores, & Procuratores ideò conſtituuntur, vt in actionibus ſuorum principalium ſuppleant ſic diſponente iure defectum maturæ deliberationis non exiſtentis in eiſdem principalibus, in quo ſenſu optimè dicitur, quod voluntates eorundem principalium intelligantur virtualitèr tranſlatæ in voluntatem eorundem Curatorum, Procuratorum &c. ſicuti voluntates pupillorum dicuntur tranſlatæ in voluntates tutorum, adeò vt, quod Tutores, Curatores &c. præſtant Phyſice, cenſeantur moralitèr præſtare ijdem pupilli, furioſi &c. ergo accedente pleno conſenſu eorundem Tutorum, Curatorum &c. non erit, cur in ſuo eſſe contractus per ipſos celebrati non debeant ſubſiſtere, cum intelligantur interuenire omnia neceſſariò requiſita ad validitatem ipſorum, dominium ſcilicet in conferente, & plena deliberatio ad conferendum.

Curatores ſupplet defectum maturæ deliberationis

Probatur ſecundò, quia contractus nomine pupillorum initi per Tutores plenè ſubſiſtunt, quantumuis ipſi pupilli careant vſu rationis, & plenæ deliberationis, ergo non erit, cur non poſſint ſubſiſtere contractus nomine amentium, furioſorum &c. initi per Curatores &c. Confirmatur, quia contractus matrimonialis, in quo propter vinculi indiſſolubilitatem ſumma libertas requiritur contrahi poteſt etiam per Procuratores, quantumuis pro illo tempore, quo iſti nomine principalium contrahunt ipſi principales ſint ebrij, ſeù dormientes *cap. fin. de procur. in 6. & cap. honorantur 32. quæſt. 2. cap. maiores de baptiſmo l. ſufficit ff. de ſponſalibus*, & in hoc conſentiunt *Vera Crux prima part. ſpecul. art. 16. dub. 6. Bartholomæus Ledeſma dub. 18. de matrim. Sanchez lib. 2. de matrimonio diſp. 11. num. 12.* ergo etiam contractus ſocietatis poterit iniri nomine amentium, furioſorum, & dormientium per Tutores, Curatores &c. quantumuis pro illo tempore non gaudeant vſu rationis.

Vera Crux. Bartholomæus Ledeſma. Sanchez.

3 Aſſertio III. Clerici conferentes pecuniam titulo Societatis alijs ad negotiandum non ſubeunt pœnas à iure inflictas contra Clericos negotiatores, quinimmò, nedum validè, ſed etiam licitè contrahere poſſunt ſocietatem, quantum eſt ex vi iuris communis, & ex natura ſocietatis eiuſdem *Conradus de contractibus quæſt. 52. concl. 4. Ioannes de Medina de reſtit. quæſt. 3. art. 2. in fin. Nauarrus cap. 25. num. 111. Molina tract. 2. de inſt. quæſt. 342. num. 2. Angelus verbo Clericus num. 3. Silueſter verb. Clerici. 3. quæſt. 3. Ognate d. diſp. 99. ſect. 2. num. 21.*

Cõradus. Ioannes de Med. Nauarrus. Molina. Angelus. Silueſter. Ognate.

Probatur primò, quod validè contrahere poſſunt, quantum eſt ex vi contractus ſocietatis etiam in ordine ad ſtatum Clericalem, quia contractus ipſe ſecundum ſe validus eſt, & a iure approbatus, nec inualidatur ex eo, quod ſit initus per Clericum contrahentem, ergo Clerici quantum eſt ex natura ſocietatis poſſunt validè contrahere. Probatur antecedens quoad ſecundam partem, quia iura quantumuis Clericis prohibeant negotiationem non tamen prohibent irritando, ſed tantum præcipiendo ſub pœnis, vt *cap. fornicari 88. diſt. cap. penult. 91. diſt. cap. vlt. de vita, & honeſtate Clericor. c. 1. ne Clerici, vel monac.* Deindè quantumuis prohiberent ſub nullitate procederent de negotiatione ſtrictè ſumpta, non de negotiatione lato modo, qualis eſt ſocietas ad negotiandum, ſecundum quam ſocius conferens pecuniam non dicitur propriè negotiari. Atque hæc ratio euincit etiam, quod validè contrahere poſſint, quantum ex vi iuris communis.

Societas ad negotiandũ nõ eſt ſtrictè negotiatio.

Probatur ſecundò, quod etiam licitè, quantum eſt ex vi iuris communis poſſint ſic contrahere, quia in tantum reſpectu Clericorum illicita eſt talis negotiatio, ſeù talis modus lucrandi, in quantum diſtrahit Clericum a ſpiritualibus ad ſæcularia negotia, ſed taliter negotiando, ſeù contrahendo ſocietatem nequaquam diſtrahitur ad terena per ea, quæ latè tradidi *tom. 1. ſubtil. Contractus II. de empt. Prænot. 13. num. 11.* quandòquidem non aliud præſtat in tali ſocietate Clericus, quam, quod pecuniam, quam repoſitam habebat in arca, concedit tertio per ipſum exercendam in negotiatione, ergò &c. Confirmatur, quia quamuis daretur, quod Clerici negotiantes per alios grauitèr peccarent, quod tamen alibi negatum fuit, non proptereà ſequitur, quod eidem culpæ ſubiacerent contrahentes ſocietatem cum alijs per ſimplicem pecuniarum erogationem, quandòquidem hoc non ita diſtrahit animum a ſpiritualibus, & retrahit ad ſæcularia, ſicuti illud, nam qui exercet negotiationem per famulos, cum iſti agant præciſè nomine dominorum, & ad beneplacitum ipſorum, vt plurimum, & regularitèr dirigit eandem negotiationem, & ſic opus habet applicationis induſtriæ, diſtractionis animi, iacturæ temporis, ratione quorum Clericis prohibita eſt negotiatio; qui verò contrahit ſocietatem cum alio erogando pecuniam præciſè non

Ceſſat in ſocietate ratio prohibitionis.

habet opus tantæ applicationis, diſtractionis, iacturæ &c. quandoquidem cum alter ſocius verſatus intelligatur in tali arte negotiandi, ad quam data eſt pecunia, & agat etiam nomine proprio non attendit directionem à ſocio, qui erogauit pecuniam, adeòque iſte &c.

Probatur tertiò, quod etiam Clerici contrahentes ſocietatem per erogationem pecuniæ præcisè non ſubeant pænas iuris impoſitas Clericis negotiatoribus, quià diſpoſitiones pænales ſtrictè ſunt interpretandæ, adeò vt non extendantur vltra expreſſa ſumpta in rigoroſo ſenſu, vt ſunt vulgatiſsima iura. *In ſpecul. de aduoc. §. 1. in verb. in ſumma in fin. & de ſent. §. 2. sextus eſt in l. cum quidam ad fin. ff. de lib., & poſth.*
Dymus. *Dynus Inſtit. de act. §. ſequens in fin. col. 2.* ſed qui contrahit præcisè ſocietatem per erogationem pecuniæ, propriè, & ſtrictè non poteſt dici negotiari, ergo pænæ illatæ contra negotiatiorem non extenduntur ad ipſum. Deindè motiuum, cur pænæ irrogantur contra Clericos negotiatores
Motiuum pœna non eſt propter lucrũ præcisè. non eſt præcisè propter lucrum, quod ex negotiatione acquirunt, ſed propter modum, qui adhibetur pro acquirendo tali lucro, qui nimis eſt diſtractiuus mentis a cæleſtibus, & applicatiuus ſæcularibus, qui propterea minus conſonus eſt ſtatui Clericali aſſerente Apoſtolo 2. ad Timotheum 2. *Nemo militans Deo implicet ſe negotijs ſæcularibus*, quod idem habetur *ex cap. Epiſcopus 88. diſt. & ex cap. 1. & ſeqq. 21. quæſt. 3.* Sed Clerici contrahentes ſocietatem præcisè per erogationem pecuniæ non afficiuntur illo modo talitèr diſtractiuo, & applicatiuo &c. ergo &c. Tandem hæc pars aſſertionis clarè colligitur ex præcedentibus, ſi enim nec ex vi ſocietatis quantum eſt de ſe, nec ex diſpoſitione iuris culpam contrahunt, ergo nec pænam ſubite debent *arg. l. ſancimus C. de pænis, & clem. 1. §. quæ omnia, & ibi gloſ. & Card. de pænis.*

4 Aſſertio III. Regularitèr nobiles non amittunt nobilitatem per ſocietatem, quam contrahunt cum mercatoribus ero-
Ognate. gando præcisè pecuniam. *Ognate d. tract. 28. de ſocietate diſp. 99. ſect. 2.* & hoc quamuis ſtatuto cautum, ſit ne nobiles negotientur.

Probatur primò, quià vel amitterent ratione lucri præcisè, vel ratione modi a iure prohibiti nobilibus, quo acquirunt, ex neutro capite poſſunt omittere, ergò &c. Minor quoad primam partem patet, quia nobilibus non eſt vetitum lucrari, cum contractus plures ineant, per quos nullo iure refragante lucra plura acquirant; quoad ſecundam ſic euincitur, quià ipſi non implicantur in tali modo acquirendi, ſed ſinunt negotiatores verſatos in eo genere in tali modo immergi, & implicari; & ſicuti, quamuis ſtatum nobilitatis non deceat vilia munera obire, non officit tamen tali ſtatui alios adhibere ad talia munera obeunda, ita quamuis dedeceat nobilibus ars negotiatoria, non dedecet tamen alios ad ipſam adhibere.

Amplia aſſertionem etiam procedere quantumuis ſtatuto cautum eſſet, vt nobiles, nec per ſe, nec per alios poſſent negotiari, quandòquidem ipſa ſocietas præcisè non eſt negotiatio, nec exigit ea munera, quæ exigit negotiatio facta proprio nomine per alios, quià hæc exigit directionem in negotio, applicationem induſtriæ, & alia plura, quæ non exigit præcisè ſocietas, vt ex ſe patet. Deindè ſecundum communem hominum conceptum, ſecundum quem, vt plurimum ſumuntur ea, quæ derogant dignitati, & nobilitati non elucent in ſocietate præcisè ſumpta ea, quæ ex eadem hominum æſtimatione officiunt eidem nobilitati, ergo &c.

Dixi *regularitèr*, quia ſi ſtatuto cautum eſſet, ne nobiles quomodocunque etiam per viam ſocietatis lucra aliqua poſſent *Excipe, niſi ſtatuto cautum ſit.*
acquirere, vel etiam ex communi hominum more in aliqua regione inductum eſſet, ne ſocietas per nobiles iniretur, & ſecus facientes pro nobilibus non reputarentur tunc nòn negauerim, quod ſi patentèr iniretur ſocietas, vel iam inita cognoſceretur amitteretur per contrahentes nobilitas, quandòquidem eſſet contra iura reprobantia talem contractum ſub pæna amiſſionis nobilitatis.

PRÆNOTIO XII.

Quænam actiones oriantur ex contractu ſocietatis.

SVMMARIVM.

Ex contractu ſocietatis oritur actio pro ſocio 1.

Actio pro ſocio poteſt eſſe ad complementum contractus, vel ad quantum intereſt, quod non fuerit completus, vel ad dolum, vel actionem redhibitoriam, vel actionem quantominoris 2.

Si ſocius vſurpet res ſocietatis habet duplicem actionem aduerſus ſe, alteram furtiuam, alteram pro ſocio 3.

Agentes de contractu permutationis *tom. 2. ſub tit. Contractus VI. Prænot. 6. per totum* aſſignauimus plures actiones, quæ ex diuerſis contractuum generibus oriuntur, vt ſunt actiones in factum, præſcriptis verbis, condictio ob cauſam, euictio, actio redhibitoria, quanto minoris, & actiones ex dolo, interdictum vti poſſidetis.

Nunc

Google

Nunc controuertitur, quænam ex ijs oriantur ex contractu ſocietatis. Porrò actio quæcunque detur ex huiuſmodi contractu poteſt eſſe diuerſa in ordine ad diuerſos effectus, vel enim poteſt eſſe ad complementum contractus, quandò ex vna parte dumtaxat completus eſt, vel ad reciſcionem eiuſdem, vel ad quantum intereſt, vel ad quanto minoris, prout defectus in eodem contractu contingunt.

1 Aſſertio I. Ex contractu ſocietatis propriè oritur actio, quæ ex ipſo denominatur actio pro ſocio, ſicuti ex contractu emptionis, & venditionis oritur actio ex empto, & ex vendito. Eſt conformis ijs, quæ diximus *tom. primo ſub tit. Contractus I. de contractibus, vt ſic Prænot. 4. §. rei perſequendæ Inſtit. de actionibus l. vt ſit ff. pro ſocio.*

Probatur, quia vt ſupra aſſerebam, ſocietas eſt contractus nominatus habens ſuum proprium, & ſpecificum nomen contradiſtinctum à cæteris contractibus etiam nominatis, & ex illis, qui ſolo conſenſu perficiuntur, ergo non eſt, cur ex proprio nomine actionem non debeat parere, ſicuti pariunt contractus nominati emptionis, & venditionis, locati &c. vnde meritò eodem modo comparantur contractus emptionis, & ſocietatis, vt ex textu *in §. rei perſequendæ Inſtit. de actionibus.* vbi ſic legitur. *Item commodati, depoſiti, mandati, pro ſocio, ex empto, vendito, locati, & conducti*, quod confirmari poteſt ex eo, quod in corpore iuris habeatur titulus *tàm in ff. quàm in C. pro ſocio.*

Societas eſt ex contractibus nominatis

2 Aſſertio II. Actio pro ſocio poteſt eſſe ad complementum contractus, quandò poſito ex vtraque parte conſenſu ex altera parte non adimpletur, vel ad quantum intereſt, quod non fuerit adimpletus, vel ad dolum, vel ad actionem redhibitoriam, vel ad actionem quanto minoris &c.

Ratio in vniuerſum eſſe poteſt, quià actio pro ſocio indifferens eſt, vt coniungatur cum quibuſcunque ex illis actionibus, prout defectus ex parte contrahentium, vel rerum contingunt, ergo, ſi præſtito conſenſu ad cõtractum, alter deficiat, compelli poterit ad complendum, vel ſi non poteſt complere, ad præſtandum totum id, quod intereſſe poteſt adimplenti, quod non fuerit completus, quandoquidē non adimplens in cauſa fuit, quod adimplens non fuerit conſecutus illud intereſſe, qui autem cauſa damni eſt, ſeù non conſecutionis lucri, damnum ipſum, ſeù lucrum reparare tenetur ex vulgatis iuribus; vel ſi vnus ex contrahentibus promiſſit, quod adimplere non poteſt, cogi ad reſtituendum id, quod ab altero accepit, & ecce actio redhibitoria, vel ſi in promiſſione læſit in quantitate poterit compelli ad id, in quo læſit, & ecce actio quanto minoris.

Actio pro ſocio indifferens eſt ad plures actiones.

3 Aſſertio III. Si ſocius vſurpet res ſocietatis habet aduerſum ſe duplicem actionem, alteram furtiuam, alteram pro ſocio *Gregorius Lopez l. 17. tit. 10. part. 5. ſed non deben. Azorius 3. part. lib. 9. cap. 17. quæſt. 6. Ognate tract. 28. diſp. 99. ſect. 3. nu. 43. & 44.*

Lopez. Azorius Ognate.

Probatur prima pars *ex l. rei communis 45. ff. pro ſocio*, vbi ſic legitur. *Rei communis nomine cum ſocio agi poteſt furti, ſi dolo, fallacia amouit; vel rem communem celandi animo contrectat, ſed & pro ſocio actione obſtrictus eſt, nec altera actio alteram tollet.* Item *ex l. ſed & ſi 47. ff. eod tit.* vbi ſic habetur. *Si damnum in communi ſocius dederit Aquilia teneri.*

Probatur ſecunda pars *ex ead. l. rei communis*, vbi vtraque actio elicet. Deindè etiam *ex l. merito 55. eod. tit.* vbi duplex illa actiò conceditur; furtiua ſcilicet ad pænam, & pro ſocio ad reſtitutionem.

Hic tamen aduerte, quod valdè probabile eſt, quod facile poſſit excuſari ab actione furtiua, quia vt bene *Gloſa in d. l. rei communis ff. pro ſocio*, non facilè præſumitur, quod ſocius faciat cauſa furandi, ſed potius iure ſuo, & ratione ſuæ partis, quam habet iure ſocietatis, vndè ſi pro ſocio actum fuerit, tollitur conditio furtiua, quod idem conſiderâſſe videtur *Ognate loc. cit. num. 45.* conformiter ad textum *in l. ſi vnus §. ſi vnus ff. pro ſocio, & l. ſi quis ſocietatem 74. ff. eod., & l. non ob eam, & l. ideò ff. eod.* in quibus iuribus dicitur, quod ſi quis ex ſocijs rem communem ad propria lucra adminiſtret, peccet quidem, & reſtituere teneatur damna ſocietati tàm quoad damnum emergens, quam quoad lucrum ceſſans, non tamen, quod dicitur quoad ea, quod actione furtiua teneatur *l. ſi quis ſocietatem ff. pro ſocio l. ſi patruus C. communia vtriuſque iudicij.*

Facilè tamen excuſatur ab actione furtiua. Ognate

Aduerte ſecundò, hæc omnia, quæ dicta ſunt, procedere quantumuis res ſocietatis ſolum per ſocium vſurpentur quoad ſolum vſum ſine tacita, vel expreſſa facultate ſociorum, vſurpans etenim tenetur ad reparationem damni emergentis, ſeù lucri ceſſantis.

PRÆNOTIO XIII.

An ſocij ſint alendi ex bonis communibus Societatis.

SVMMARIVM.

Expenſæ, quæ ſiunt in ordine ad bona ſocietatis debent eſſe communes 1.

Socij ſunt alendi ex bonis communibus, ſi ſocietas ſit omnium bonorum 2.

Si

Biblioteca Naz. Roma Vitt. Emanuele

Si ſocietas non ſit omnium bonorum, & ſocij domi ſe contineant, non debent ali expenſis ſocietatis 3.

Si ex neceſſitate ſocietatis vnus ex ſocijs aliò proficiſcatur, & ſumptus maiores faceret, eſt in illo exceſſu compenſandus 4.

Nonnulla limitationes aſſertionis 5.

Expenſa ad bona ſocietatis debent eſſe communes.

1 SVpponó primò expenſas, quæ ſunt in ordine ad bona ſocietatis ſecundum ſe communibus ſociorum expenſis computandas eſſe, & reſarciendas, puta in vecturis mercium, in naulo Nauigationis, in operibus ſeruorum, in vectigalibus, quæ Principi perſoluuntur *l cum duobus 52. §. ſi quis ex ſocijs ff. pro ſocio*, in domibus conductis, vel tapothecis ad cuſtodiendas merces, in litibus circa eadem bona ſocietatis deſcodendis *l. 72. ff. pro ſocio*, nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem, ſicuti lucra ſunt æqualiter æqualitate quaſi geometrica, hoc eſt vniformitèr difformitèr, partienda, ità & onera computanda *Molina diſp. 418. Angel. verb. ſocietas quaſt. 12. Salonius ſecunda ſecunda quaſt. 77. art. 4. de ſocietate controu. 3. num. 24.* ſecus autem, ſi illæ expenſæ factæ fuerunt in priuatum vnius ſocij commodum, tunc enim ipſe ex ſuo ſoluat *l. cum duobus 52. §. ſi quis, & §. ſocium vniuerſa ff. pro ſocio*.

Molina. Angelus. Salonius.

Suppono ſecundò. Societatem, vel eſſe omnium bonorum, vel aliquorum dumtaxat in determinata ſpecie, vel quantitate. Rurſus, vel ſocij domibus ſuis negotiantur, non peregrè proficiſcentes aliò, vbi commodius, ſeù vtilius negotia peragere poſſint, vel aliò peregrè proficiſcuntur, vt aſſueto ſuo victu nequeant ſuſtentari. Hæc diligentèr attendenda ſunt, vt prudens iudicium poſſit efformari ſecundum diſtinctiones, quæ proponuntur. Quamobrem ſit

2 Aſſertio I. Si ſocietas ſit omnium bonorum ſocij ſunt alendi ex bonis communibus ſocietatis. *Ognate d. tract. 28. de ſocietate diſp. 99. ſect. 4. num. 56. prope medium*.

Ognate.

Ratio eſſe poteſt, quia ſi ſocij non alerentur ex bonis communibus ſocietatis, non haberent quo alerentur, quandòquidem omnia ſua bona in ſocietatem contulerunt, ergo præſumendum eſt, quod illa contulerint ſub ea conditione, vt de illis deberent viuere, & quidem ius etiam naturale ex hoc conſurgit, ne quis per talem contractum, qui ad communem vtriuſque contrahentis vtilitatem initur, deſtituatur rebus ſibi ad victum neceſſarijs. Confirmatur, quià iura propter communionem in rebus, & affectibus conſuluerunt ſocijs etiam in diſſolutione contractus, vt commodè ſe alere poſſent, ne reſtituerent, niſi quantum commodè facere poſſunt per allegata iura ad eum finem ſcilicet, ne egerent, ſeù egeant, è fortiori præſumendum eſt, quod non ſolùm exigente iure poſitiuo, ſed etiam naturali æquitate ſit conſultum durante adhuc eodem contractu ſocietatis, vt poſſint ex bonis eiuſdem commodè viuere, quandòquidem in hoc caſu ſunt bona communia ſocietatis, in primo autem ſunt bona debita ſocio creditori, & ſi poſſunt detineri, quantumuis ſint debita eidem creditori in diſſolutione contractus in ordine ad congruam, & proportionatam ſuſtentationem ſocij debitoris, cur non poterunt in perſeuerantia eiuſdem contractus eadem inſumi, quandò adhuc ſunt communia ad congruam, & proportionatam ſuſtentationem eorundem contrahentium, præcipuè cum non ſupponantur habere alia bona extra illa ſocietatis?

Collatio omnium bonorum eſt conditionalis, & quomodò.

Argumentum efficax ad præſens inſtitutum.

Aſſertio II. Si ſocietas non ſit omnium 3
bonorum, & ſocij domibus ſuis ſe contineant, habeantque, quo commodè ſe poſſint ſuſtentare aliundè, non debent ali expenſis ſocietatis. *Silueſter verb. ſocietas quaſt. 12. Armilla eod. verbo nu. 10. Molina diſp. 418. Nauarrus cap. 17. num. 283. Gama deciſ. 110. num. 29.*

Silueſter. Armilla. Molina. Nauarr. Gama.

Probatur argumento à contrario ſenſu deducto *ex l. ſi fratres 53. ff. pro ſocio §. ſi quis verò profectus*, vbi ſic legitur. *Si quis ex ſocij propter ſocietatem profectus ſit veluti ad merces emendas eos dumtaxat ſumptus ſocietati imputabit, qui in eam rem inſumpti ſunt. Viatica igitur, & meritoriorum, & ſtabulorum, & iumentorum, & carrulorum vecturas, vel ſui, vel ſarcinarum ſuarum gratia, vel mercium rectè imputabit.* Quibus poſitis ſic argumentor. Non ſunt imputandi, niſi illi ſumptus, qui in rem ſocietatis inſumpti ſunt, & vlterius viatica &c. ergo cum ſumptus alimentorum non inſumantur in res ſocietatis, & domi ſuæ ſe continens non habeat illa viatica &c. non erit, cur poſſit ex bonis ſocietatis exigere illos fructus alimentorum. Confirmatur ex communi ſociorum praxi, & ex abſurdis, quæ ex aduerſa ſententia orirentur, nam ſi alimenta ſumenda eſſet ex bonis ſocietatis, cum diuerſarum familiarum diuerſi ſint ſumptus in alimentis eſſet ſemper radices litium, & diſſidiorum occaſiones.

Abſurda, quæ ex aduerſa ſententia orirentur.

Aſſertio III. Si ex neceſſitate ſocietatis 4
quis ex ſocijs proficiſcatur in alias regiones, & ſumptus longè maiores faceret, quos non faceret domi ſe continens, debet ex bonis ſocietatis quoad illos compenſari *Maior in 4. diſt. 15. quaſt. 47. Silueſter verb. ſocietas 1. quaſt. 12. Angelus eod. verb. nu. 12. Nauarrus cap. 17. num. 283. Salonius in ſecunda ſecunda D. Thomæ quaſt. 71. art. 4. controu. 3. num. 24. Bonacina diſp. 3. quaſt. 6. punct.*

Maior. Silueſter. Angelus. Nauarr. Salonius. Bonacina

punct. 4. *num.* 3. Clarè deducitur *ex d. l. ſi fratres* 53. §. *ſi quis profectus ff. pro ſocio*, & vlterius ſic.

Probatur, quià illi ſumptus fiunt in bonum commune ſocietatis, quos ſocius non efficeret, ſi bona ipſa ſocietatis hoc non exigerent, ergo ſunt compenſandi per ipſa bona ſocietatis. Conſequentia probatur, quia ad eum ſpectat impenſas compenſare, in cuius fauorem, & vtilitatem fiunt, ergo cum cedant in vtilitatem, & neceſſitatem ipſius ſocietatis per eiuſdem bona ſunt compenſandæ *l. cum duobus* §. *quidam ſagoriam ff. pro ſocio l. ſecundum Iulianum ff. pro ſocio*.

Limitanda eſt aſſertio quoad expenſas inutiliter, & irrationabilitèr factas.

Molina. Maior. Siluester

5 Limita tamèn primò hanc aſſertionem non eſſe intelligendam quoad illos ſumptus, qui inutilitèr, & irrationabilitèr fierent, puta in conuiuijs, alijſque rebus non neceſſarijs, hoc etenim non cederet in bonum ſocietatis, & per conſequens, nec de bonis ipſius, ſed de marſupio ipſos inutilitèr inſumentis eſt ſoluendum *Molina diſp.* 418. *verſic. aliæ expenſæ*, vbi pro ſe citat *Maiorem in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 47. *Silueſtrum verb. ſocietas* 1. *quæſt.* 12. non enim congruum eſt, quod pro ſe inutilitèr conſumitur in aliorum perniciem transfundatur.

Itē quando facta fuiſſet cōtraria cōuentio.

Limita ſecundò, niſi eſſet in pactum expreſſum, vel ſaltem implicitum deductum, quod ſocius teneatur illas omnes expenſas facere ex ſe ſine concurſu ſocietatis; pacta etenim in contractibus ſunt adamuſſim ſeruanda *l.* 1. *ff. de pactis l. iuris gentium* §. *prætor ait ff. eod. Franciſcus Curt. min. col.* 40. *num.* 2. *vol.* 1. Neque hoc pactum in præſenti hypotheſi eſt contra ius, quod propterea obligat *reg. quæ contrà ius de re iud. lib.* 6. *l. iuris gentium* §. *ſi quis ff. de pactis* argumento a contrario ſenſu deducto ex his iuribus, & directè *ex Gloſa in l. pacta, quæ contra C. de pact. Abbas in cap.* 2. *de precar.*, & *in cap. plerique circa fin. de pactis*.

Itē quando conſuetudo vigeret in cōtrariū.

Limita tertiò, niſi conſuetudo regionis obtinuiſſet, quod huiuſmodi expenſæ non fierent ex bonis ſocietatis, ſed dumtaxat ex marſupio inſumentis, quia contrahentes, quandò aliud non exprimunt, intelliguntur ſe conformare in tali modo contrahendi vſui legitimè præſcripto talis regionis: conſuetudo etenim iſta videtur habere vim legis.

Maior. Silueſter Gama. Filiutius. Molina.

Limita quartò, huiuſmodi expenſas non eſſe ex bonis ſocietatis integrè perſoluendas, ſed dumtaxat detractis ijs, quæ fuiſſet inſumpturus, ſi peregrè non profectus fuiſſet, ſed in propria domo negotians permanſiſſet *Maior in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 47. *Silueſter verb. ſocietas quæſt.* 12. *Gama deciſ.* 213. *Filliutius tract.* 38. *cap.* 3. *num.* 73. Aduerſus *Molinam diſp.* 418. *Leſſium lib.* 2. *cap.* 25. *dub. vlt. num.* 35. *Azorium lib.* 9. *cap.* 5. *quæſt.* 8. *Reginaldum lib.* 25. *cap.* 27. *num.* 395. qui ea ratione mouentur, quià iura præſcribentia expenſas huiuſmodi faciendas eſſe de bonis ſocietatis abſolutè loquuntur ſine vlla reſtitutione, quod autem lex non reſtringit, nec nos reſtringere debemus. Ratio autem huius limitationis ea eſt, quia expenſas, quas ſocij in rebus ſuis priuatis faciunt, vel facere deberènt ex ſuo ſoluere debent *l. cum duobus* 52. §. *ſi quis*, & §. *ſocium vniuerſa ff. pro ſocijs*, ſed huiuſmodi expenſæ, quas faceret ſocius, ſi peregrè non proficeſceretur, ſunt expenſæ factæ in rebus ſuis, vel ſaltem faciendæ, ergo &c.

Leſſius. Azorius. Reginaldus.

Expenſæ in proprium commodū debent ex propria fieri.

Confirmatur primò, quià ſi non proficiſceretur, ſed domi ſe detineret non poſſet ex bonis ſocietatis ea, quæ in ordinario victu, & veſtitu expenderet, ſibi acquirere, ergo nec eas poteſt legitimè acquirere ex bonis eiuſdem ſocietatis quamuis, ad loca remota pro eiuſdem ſocietatis neceſſitate, ſeù vtilitate profiſciſcatur. Conſequentia probatur, quià ex eo, quod profiſciſcatur, non habet ius, niſi vt ſibi compenſentur expenſæ, quæ ex tali profectione proueniunt, ſeù damna, quæ cæteroqui non ſubiret, ſed illas expenſas ordinarij victus, & veſtitus eſſet ſubiturus, etiam ſi non proficiſceretur, & damna illa quoad eaſdem expenſas æquè deberet pati, ſiuè proficiſcens, ſiuè non proficiſcens, ergo ex vi talis profectionis non habet ius ad illorum compenſationem faciendam ex bonis ſocietatis.

Reſponſio, ad rationem oppoſitam.

Ad id, quod afferebatur pro aduerſa parte de iuribus aſſerentibus expenſas eſſe faciendas de bonis ſocietatis, & abſolutè loquentibus ſine vlla reſtrictione dicendum eſt omninò gratis, & ſine fundamento aſſeri eadem iura loqui ſine reſtrictione. Legatur textus *in d. l. ſi fratres* §. *ſi quis ex ſocijs ff. pro ſocio*. *Viatica igitur, & meritoriorum, & ſtabulorum, iumentorum, carrulorum vecturas, vel ſui, vel ſarcinarum gratia, vel mercium rectè imputabit*; vbi vides in primis, quod enumerantur neceſſaria ad exercendam ſocietatem in locis extrà domum, & vlteriùs ſi aliqua afferantur, quæ videntur pertinere ad ipſam perſonam ſocij proficiſcentis, ſunt vltrà ea, quæ faceret, ſi propriè domui contineretur. Ibi - *vel, ſui, vel ſarcinarum gratiam*, quæ certè non requirerentur, ſi non proficiſceretur, quod idem expreſsè habetur *in l.* 27. *ff. pro ſocio* - Ibi - *Domus, vel ſapothecas ad merces cuſtodiendas, ſeruorum, & operariorum alimenta, & ſalaria, dolia, & inſtrumenta omnia negotiationis*, quæ certè ad eandem negotiationem pertinent, non ad ordinarium victum ſocij proficiſcentis.

Hæc autem, quæ dicta ſunt de expenſis

in

in ordinario victu, & veſtitu ſocij peregrè proficiſcentis ad negotia ſocietatis ſunt proportionalitèr intelligenda de expenſis factis in curatione infirmitatis, quam ſubijt in tali profectione; ſi enim illæ expenſæ ſint extraordinariæ, & excedentes illas, quas facturus fuiſſet, ſi domi permanſiſſet, tunc compenſandæ ſunt ex bonis ſocietatis ſolummodò quoad illum exceſſum, ſi verò tot ſolummodò expenſas fecerit, quot feciſſet domi, tunc nihil ex bonis ſocietatis eſt compenſandum, niſi ipſa profectio ex veriſimilibus coniecturis fuerit cauſa talis infirmitatis. Ratio autem ea eſſe poteſt, quia ſi domi manens aduerſa valutudine opprimatur, non debet expenſas facere curationis ex bonis ſocietatis, vt fatetur *Molina d. diſp. 418. verſ. eadem iura citata*, qui tamen abſolutè ſuſtinet expenſas in curatione factas extrà domum eſſe integrè perſoluendas ex bonis ſocietatis, ergo etiam ſi extra domum occaſione ſocietatis aduerſa valetudine opprimatur quoad eas expenſas, quas facturus fuiſſet in curanda infirmitate domi, non eſt compenſandus, quantumuis factæ fuerunt extra domum. Conſequentia probatur, quià ex eo, quod alio proficiſcatur ad negotia ſocietatis, acquirit ſolummodò ius ad compenſationem eorum, quæ expendit in tali profectione, non autem ad compenſationem eorum, quæ etiam ſine tali profectione fuiſſet inſumpturus per ea, quæ ſuprà dicebamus, & ſicuti non habet ius ex vi talis profectionis ad ea, quæ in ordinario victu, & veſtitu fuiſſet etiam domi inſumpturus, ita nec habere poteſt ius ad ea, quæ in morbi curatione fuiſſet etiam domi inſumpturus, quandòquidem hæc computantur inter ea, quæ ſpectant ad eundem ordinarium victum &c.

Extendẽda ſunt proportionalitèr dicta ad caſũ infirmitatis.

Molina.

Dixi, *niſi ipſa profectio ex veriſimilibus coniecturis fuerit cauſa talis infirmitatis*, quia tunc certè impenſæ omnes eiuſdem curationis eſſent compenſandæ ex bonis communibus ſocietatis, nam cum tunc ipſa ſocietas fuerit cauſa talis infirmitatis, cauſa etiam ſupponitur omnium damnorum, & expenſarum ex illa ſecutarum, quod enim eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati, & qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur ex vulgatis iuribus, & communi Doctorum conſenſu, & ſicuti expenſę talis profectionis, qua talis eſt, ſunt computandæ ſocietati, ita & expenſæ pro curatione infirmitatis ortæ ex tali profectione etiam ſunt computandæ, nec eſt, cur non debeant computari, cum in hac hypotheſi ſupponantur prouenire ex cauſa talis profectionis.

Expenſæ omnes curationis ſunt cõputandæ ex cõmuni quãdo profectio fuit cauſa infirmitatis.

Limita quintò, aſſertionem non eſſe extendendam ad illos ſumptus, ſeù expenſas, quæ ex aliquo caſu proueniunt tali perſonæ proficiſcenti ad negotia ſocietatis, non quatenus ſocius eſt, ſed quatenus talis perſona eſt, quamuis per accidens occaſione ſocietatis prouenirent, vt contingeret, ſi v.g. proficiſcens ad negotiationem obuium in itinere haberet inimicum, qui ipſum grauitèr vulneraret, vel rixaret cum aliquo in via, & ab eodem mutilatus remaneret; tunc enim ſocij non tenerentur pro rata ad reparationem illorum damnorum, quandòquidem illa damna prouenerunt ratione conditionis perſonalis vulnerati, ſeù mutilati, non ratione ſocietatis *Bartolus in l. ſocium §. ſocius ff. pro ſocio*; Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, damna, quæ patitur à prædonibus, & latronibus in via, & ab hoſtibus iure captiuitatis proficiſcens ad negotiationem eſſe ex bonis ſocietatis compenſanda, ergo etiam, quæ patitur à proprio inimico, vel ratione rixæ in via; Non, inquam, obeſſe poteſt, tùm quià, vt bene notat *Molina in d. diſp. 418. verſ. obſerua tamen* aliud eſt incommodum habuiſſe occaſione ſocietatis, aliud habuiſſe propter ſocietatem; in primo caſu latronum, prædonum, hoſtium &c. damnum patitur propter ſocietatem; in ſecundo autem proprij inimici, vel rixæ in via damnum non habet propter ſocietatem, ſed propter conditionem propriæ perſonæ occaſione ſocietatis; adeòque illud eſt imputandum ſocietati, non ſic iſtud; tùm quia illa pericula latronum, prædonum, & hoſtium ſunt communia, quæ vtique regularitèr præuidentur, ſeù præuideri poſſunt ab omnibus contrahentibus, quæ propterea debent communitèr æqualitèr ab omnibus participari; illa verò pericula peculiaris inimici reſpectu proficiſcentis, vel ratione rixę obuenientis ſunt particularia, quæ propterea non ſunt alijs communicanda, qui ex vi contractus non ſe obligare intendunt ad incommoda, quæ ex qualitate perſonæ, ſeù ſocij poſſunt prouenire.

Non computandæ ſunt expenſæ, quæ fiunt ab vno non vt ſocius, ſed vt talis perſona eſt.

Bartolus.

Molina.

PRÆNOTIO XIV.

An, & quandò quis expenſas fecit de ſuo marſupio pro bonis ſocietatis, poſſit illas de communibus bonis eiuſdem ſocietatis repetere.

SVMMARIVM.

Proponuntur omnia diſputabilia ſub hoc titulo 1.

Expenſæ rationabiles in vtilitatem ſocietatis ſunt ex communi faciendæ 2.

Socius tenetur ſumptus facere neceſſarios ad *con-*

Digitized by Google

conſeruationem rerum ſocietatis ex lege caritatis, & iuſtitia 3.

Poteſt deindè non ſolùm ſumptus repetere, ſed etiam compenſationem, ſi lucrum inde ceſſarit, vel damnum emerſerit 4.

Socius, ſi receperit ex neceſſitate mutuos nummos pro bonis ſocietatis ſub intereſſe poteſt compenſationem exigere ex bonis communibus 5.

Quoad tempus repetendi ſocius, qui expendit ſtare debet conuentis, vel conſuetudini 6.

SVB hoc titulo plura examinabuntur, quæ ad praxim ſocietatis crebrò conferre poſſunt. Primum erit, an re vera ſumptus, quos fecit de ſuo in commodum ſocietatis ſemper repetere poſſit. Secundum, an teneatur, & quo iure expenſas facere ad conſeruationem rerum ſocietatis, ſine quibus res ipſæ perirent. Tertium ex ſuppoſitione, quod teneatur facere, an poſſit non ſolùm illas repetere, ſed etiam earundem vſuras. Quartum, ſi ipſe commodè ex ſuo illas facere non poſſit, an teneatur ab alijs inquirere, quo poſſit res ſocietatis conſeruare etiam cum ſolutione vſurarum, & an in hoc caſu teneantur ſocij pro rata non ſolùm compenſare id, quod acceptum eſt, ſed etiam vſuras dependentèr ab eadem ſolutas. Quintum, an poſſit prædicta omnia repetere etiam ante diſſolutionem contractus ſocietatis ab alijs ſocijs, an verò teneatur compenſationem expectare vſque ad tempus diſſolutionis contractus.

Rationes dubitandi ſub hoc titulo.

Aſſertio I. Si expenſæ fuerint rationabiles, quas fecit de ſuo in vtilitatem ſocietatis, poteſt iuſtè, qui eas fecit, de bonis ſocietatis repetere. *Nauarrus tit. pro ſocio conſ. 99. Ognate tract. 28. de ſocietate diſp. 99. ſect. 4. num. 61.*, & eſt communis tùm Iuriſtarum, tùm Theologorum conſenſus.

Nauar-rus. Ognate.

Probatur primò, quia ſocius in vtilibus ſocietatis poteſt eſſe negotiorum geſtor reſpectu aliorum ſociorum *Molina d. diſp. 418. verſ. quandò aliquis Ognate d. diſp. 99. ſect. 4. num. 61.*, ſed negotiorum geſtores iuſtè repetunt impenſas etiam modicas *Bartolus in l. quod Nerua 11. quæſt. ff. depoſiti* præcipuè, ſi vtilitèr gerunt *l. 1. §. ſed nec ob impenſas C. de rei vx. act. Bartolus in l. omnimodo ff. de impenſ. in re. dom. fact.*, ergo ſi aliquid expendit in commune ſocietatis commodum poteſt iuſtè ad ratam illud repetere.

Molina. Bartolus. Bartolus.

Probatur ſecundò *ex l. ſocius §. idem, & l. ſi vnus §. ſi vnus ff. pro ſocio*, vbi dicitur, quod ſocius, qui aliquid impendit in bonum ſocietatis non ſolùm poſſit repetere id, quod impendit, ſed etiam intereſſe eius, quod impendit, de quo tamen erit ſermo infrà, an ſubſiſtat, nec ne. Confirmatur, quia ex vi ſocietatis præcisè habent ſocij, vt ſint quaſi legales adminiſtratores, & curatores bonorum eiuſdem, ſed adminiſtratores, & curatores repetunt expenſas, quas faciunt in vtilitatem eius, quorum bona adminiſtrant, & curant, ſi illas faciunt ex ſuo, ergo &c.

Socij ſunt quaſi legales adminiſtratores, & curatores bonorum.

Aſſertio II. Socius tenetur ſumptus facere neceſſarios ad conſeruationem rerum ſocietatis, ſine quibus res illę perirent, hocque non ſolùm lege caritatis, ſed etiam ex iuſtitia, adeò vt, ſi illis expenſis non poſitis pereant, teneatur compenſare damna ſocietati ſecuta. Ita expreſsè *Molina d. diſp. 418. verſ. quandò aliquis ſociorum*, qui quamuis afferat contrariam ſententiam probabilitatis ſpecie non carere, hanc tamen approbat, commendat, & vt veriorem probat non ſolùm pro foro externo, ſed etiam pro interno conſcientiæ. 3

Molina.

Probatur primò, quia ex vi contractus ſocius, qui recipit bona ſocietatis tenetur eam diligentiam in eiſdem rebus præſtare, quam regularitèr adhibent alij in rebus ſuis conſeruandis *l. ſocius ſocio ff. pro ſocio Baldus in rub. C. eod. tit. in fin. & in l. pignus 14. quæſt. C. de pignor. act., & in l. idemque in princip. ff. pro ſocio*, ſed ad res ſuas conſeruandas vnuſquiſque regularitèr facit ſumptus neceſſarios, niſi iſti excederent in valore rem cæteroqui ſine illis perituram, ergo ex vi contractus ſocius tenetur illos ſumptus facere neceſſarios &c.

Socius in rebus ſocietatis tenetur adhibere diligētiā, quā adhibet in ſuis.

Dices, Socium teneri quidem ad ſeruandam indemnitatem bonorum ſocietatis, ſed ſumptibus communibus, non ſuis *Baldus poſt Cinum in l. 1. 7. quæſt. in col. 5. C. pro ſocio*, ergo poteſt nolle conferre, niſi etiam ſocij conferant, adeòque ſi ex eo, quod ipſe non conferat, res illæ pereant, non ipſi pereunt, ſed ſocietati. Sed contrà, quia ſumptus illi ſunt quidem ex ſocietate faciendi, non ex proprijs, in hoc ſcilicet ſenſu, quatenus illi ſumptus ſunt compenſandi ex bonis communibus ſocietatis, non quatenus, ſi commodè conferri non poſſunt ex eadem ſocietate, conferri non debeant per ipſum ſocium, apud quem res illæ manent, ſi poteſt conferre, quandòquidem ex eo, quod res illas acceperit exponendas ſocietatis negotiationi, aſſumpſit etiam onus illas cuſtodiendi, eaque præſtandi, quæ ad illarum conſeruationem requiruntur, compenſanda poſteà in diſſolutione contractus, vel alio tempore opportuniori, vel iuxta conuenta, vel iuxtà conſuetudinem, cum ex vi talis contractus teneatur etiam de leui per ſupra allegata iura, & ſub ea conditione præſumuntur alij ſocij cum ipſo iniuiſſe talem contractum.

Baldus. Cinus.

Inſtantia, eiuſq; ſolutio.

Probatur ſecundò, quia ſocius, qui res

ſocietatis negotiandas accepit tenetur verſus alios ſocios actione negotiorum geſtorum, & quidem etiam, vt aſſerebam, de culpa leui, ſed negotiorum geſtor tenetur de neglectis in adminiſtratione, quæ alius geſſiſſet *Bartolus, & Baldus in l. tutors C. de negot. geſt. Bartolus in l. pupilli, & ibi Doctores communiter §. videamus ff. eod. tit.* ergo &c. præcipuè cum negotiorum geſtor, quem Dominus ſcit, & patitur gerere negotia ſua, obliget Dominum ex rebus, quæ vtilitèr gerit *Paulus de Caſtro in conſ. 261. Bartolus, & Alexander in l. ſi pupilli §. item ſi procuratori ff. de negot. geſt. Baldus in l. ei qui C. quod cum eo*,

Socius tenetur erga ſocios actione negotiorũ geſtorum.

Paul. de Caſtro, Bartolus Alexander. Baldus,

Dices, ſocium non teneri negotium gerere aliorum ſociorum, niſi ex ijs, quæ per eoſdem in ſocietatem fuerunt collata, ergo non tenetur ex proprijs rerum ſocietati quærere conſeruationem. Antecedens probatur paritate illius, qui electus ad cuſtodiendam ciuitatem cum tot militibus à Principe aſſignatis non tenetur ad damna, ſi alios milites non conducat, quamuis ex negatione talis conductionis illa damna proueniant, quæ cæteroqui non prouenirent, ergo &c. Sed contra negandum eſt antecedens cum eo, quod pro paritate adducitur in illius probationem; ſi enim negligat alios milites conducere, quos nouit neceſſarios ad cuſtodiam Ciuitatis, cum poſſet, vtique tenetur ad omnia damna per ea, quæ certè notat *Molina dict. diſp. 418. in fine*.

Molina,

4 Aſſertio III. Si ſocius ex illis ſumptibus, quos fecit, paſſus ſit aliquod damnum in rebus ſuis, vel eidem aliquod lucrum ceſſarit ex tali collatione, poteſt non ſolùm ex bonis ſocietatis exigere, ſeù repetere illud, quod contulit, ſed etiam intereſſe, ſeù compenſationem illius damni, ſeù lucri, ſi verò nullum damnum paſſus eſt, nec lucri ceſſationem, non poteſt intereſſe, ſeù compenſationem aliquam exigere. Eſt conformis ijs, quæ diximus *tom. I. ſub tit. de mutuo, & vſuris ſparſim per Prænotiones, & §.*

Probatur prima pars primò *ex l. ſi vnus §. ſi vnus ff. pro ſocio*, vbi dicitur: *Sed ſi ſuam pecuniam dedit non ſine cauſa dicetur, quod vſuras quoque recipere debeat, quas poſſet habere, ſi alij mutuam dediſſet*, ſed ſi dediſſet alij, & inde damnum paſſus fuiſſet, ſeù lucri iacturam poſſet exigere intereſſe, ergo &c. Nomine autem vſurarum in hoc textu exiſtimo, non aliud venire, niſi intereſſe pro lucro ceſſante, ſeù damno emergente, nam vſuræ propriè ſumptæ quocunque iure ſunt prohibitæ, vt latè probauimus *ſub eodem tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris*.

Nomine vſurarũ venit intereſſe pro lucro ceſſante, ſeù damno emergẽte.

Probatur eadem prima pars ſecundò, Æquum non eſt, vt quis damna ſubeat in fauorem alterius, (cuius ex prædictis remouere tenetur damna ſecutura in ſocietate,) ſine debita compenſatione, ergo poterit iuſtè illa exigere ſocius, qui illa impendit, ſeù qui ſubijt illa damna in fauorem alterius ſocij. Confirmatur, quia ſicuti ex prædictis ſocij concedentes alteri ad negotiationem res ſuas titulo ſocietatis præſumuntur concedere ſub ea tacita conditione, vt ſocius recipiens teneatur eas conſeruare, inſumendo ea omnia, quæ requiruntur ad talem conſeruationem, reſtauranda poſtea ex bonis communibus ſociorum, ita recipiens præſumitur accipere ſub ea conditione, quod ſocij teneantur poſtea damna reparare ſibi, quæ ex tali inſumptione paſſus eſt, ergo &c.

Inter ſocios eſt tacita conditionalis conuentio.

Dices, ad exigendam compenſationem lucri ceſſantis, vel damni emergentis requiritur pactum inter contrahentes de tali compenſatione per ea, quæ latè tradidimus *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 13. num. 3.* iuxta mentem *D. Thomæ quæſt. 13. de malo art. 4. ad 24. Nauarri in comment. de vſuris 14. quæſt. 4. num. 46.* ſed in hypotheſi, de qua loquimur, nulla interuenit conuentio, ergo &c. Sed contra dico, quod quamuis in hac hypotheſi non interueniat conuentio expreſſa, interuenit tamen implicita, eo enim ipſo, quod implicitè imponitur recipienti res ſocietatis onus illas conſeruandi, eaque omnia præſtandi, quæ ſunt neceſſaria ad talem conſeruationem, videtur etiam implicitè acquirere ius, vt ſibi omnia compenſentur, quæ ex onere talis conſeruationis paſſus eſt, vt æqualia ſint commoda, & incommoda.

D. Thomas. Nauarrus.

Aſſertio IV. Si ſocius, qui recepit res ſocietatis, non poſſit ex ſuo expenſas illas facere ad ipſarum rerum conſeruationem, poſſit tamen ab alio accipere mutuo nummos, quibus poſſit res illas conſeruare, tenetur eoſdem accipere, adeò vt ſi non accipiat, & res illa pereat, teneatur de culpa *Molina d. diſp. 418. verſic. quando aliquis*. Atque in hoc caſu, ſi ſocius recipiens mutuum ſe obligauit verſus mutuantem ad vſuras, ſocij alij tenentur pro rata illas eidem compenſare. 5

Molina.

Poteſt etiam exigere compẽſationẽ.

Probatur prima pars, quià ex quo ſocius ille res ſocietatis recipiens ſe obligat ex vi euiſdem contractus verſus alios conſocios etiam de culpa leui per ſuperius notata, obligat ſe ad præſtanda ea omnia quoad tales res, quæ dominus diligens, & prudens præſtat in rebus ſuis, quæque commodè poteſt præſtare, ſed ſollicitus Dominus ad conſeruandas res ſuas, quandò ſunt pretioſiores, potiùs patitur mutuum, quàm iacturam rerum ſuarum, ergo &c.

Con-

Illa receptio mutui ſit ex ipſo munere ſocietatis. Confirmatur, quia ſi ipſe fuiſſet abſolutè Dominus rerum illarum pro illarum conſeruatione certè accepiſſet mutuas pecunias, ergo dicendum eſt, teneri ad illas etiam mutuas accipiendas pro conſeruatione rerum ſocietatis.

Probatur ſecunda pars, quia ille ſocius, quantumuis ipſe præcisè receperit mutuas illas pecunias, cum tamen receperit in vtilitatem ſocietatis; intelligitur recepiſſe nomine ſocietatis, ergo omnia onera, quæ indè obueniunt, ſunt per eandem ſocietatem compenſanda, & reparanda. Conſequentia tenet, quia ad quem ſpectant commoda, ſpectare debent & incommoda. *Vtiliter geſſit negotiū aliorum ſociorum.* Confirmatur, quia ſocius, qui illas pecunias mutuò accepit etiam cum onere ſolutionis vſurarum, vtiliter geſſit negotium aliorum conſociorum, ergo illud, quod ipſe aſſumpſit pro negotio illo vtiliter gerendo, compenſandum erit per habentes ius in tali negotio. Conſequentia tenet, quia ex negotijs geſtis conceditur actio, ergo &c.

Dices, vſuræ in mutuo ſunt omninò vetitæ, & iure naturæ, & iure Diuino, ergo ſocius mutuum recipiens cùm obligatione illa ſoluendi vſuras non poteſt obligare alios ſocios ad tales vſuras ſibi proportionatas, ſeu ad compenſationem illarum, quandòquidem ipſi ſocij nō præſupponuntur ſe obligaſſe, niſi ad ea, quæ licita ſunt, & licitè exiguntur. *Illicita eſt exactio vſurarū, non ſolutio.* Sed contra, quia illicita quidem eſt exactio vſurarum, non tamen ſolutio earundem, quandò aliundè haberi non poteſt mutuum ſine tali ſolutione, vndè quoad hoc tota ratio malitiæ eſt reſpectu recipientis vſuras, non ſoluentis. Quamobrem ad id, quod ſubditur, dicendum eſt, quod, ſicuti in traditione rerum ſuarum titulo ſocietatis præſupponũtur imponere onus recipienti eaſdem res tali titulo ad ſeruandas illas omni modo licito, & ſibi vtili, ita præſupponuntur etiam vice verſa aſſumere onus in ſe compenſandi ea omnia, quæ occaſione talis conſeruationis ſocius ille paſſus eſt, & ſicuti, ſi eiſdem ſocijs proponeretur, an potius velint pati iacturum rerum ſuarum in ſocietate expoſitaram, an verò ſolutionem vſurarum, certè potius eligerent talem ſolutionem, ita præſumendi ſunt, quandò in eam, quo res ſocietatis, vel eſſent perimendæ, vel aſſumendum onus vſurarum per ſocium nomine ſocietatis, annuant potiùs huic oneri, quam illi peremptioni; neque illa ſolutio illicita eſt, quamuis ſit iniqua receptio reſpectu recipientis.

6 Aſſertio V. Socius, qui illas expenſas ex ſuo fecit pro conſeruatione rerum communium ſocietatis quoad tempus illas repetendi ſtare debet conuentis, ſi aliqua pactio inita eſt, vel iuribus municipalibus, vel locorum conſuetudini; regularitèr autem non repetuntur, niſi in fine ſocietatis. Hæc concluſio vim habet in facto, & in praxi, quæ propterea attendenda ſunt, nec quoad hoc diutiùs immorandum.

PRÆNOTIO XV.

An in diſſolutione ſocietatis non ſolùm lucrum, ſed etiam capitale ſit inter ſocios diuidendum, & quomodò.

SVMMARIVM.

Si ſocij contulerint aquè res, & induſtriam æqualitèr etiam capitale eſt diuidendum 1.

Caſus particularis, circà quem eſt controuerſia 2.

Attenta natura contractus capitale eſt reſtituendum ei, à quo datum eſt, & ſolum lucrum diuidendum 3.

Non eſt licitum pactum, vt capitale in ſocietatis diſſolutione diuidatur, niſi nouo pretio compenſetur 4.

Explicantur modi, quibus poteſt fieri compenſatio 5.

Attenta præcisè natura contractus capitale in pecunia per vnum collatum iſti perit 6.

QVandò ſocij non ſolum in ſocietate conferunt res ad proportionem, ſed vnuſquiſque etiam proportionalitèr operam, & induſtriam, tunc ſine dubio non ſolum lucrum eſt proportionalitèr diuidendum, ſed etiam capitale, quià cum ſit æqualis vtriuſque contrahentis communicatio, debet, & eſſe æqualis inter ipſos diuiſio, vt ſeruetur debita æqualitas. 1
Difficultas quoad præſentem titulum potiſſimum eſt, an quandò vnus confert res negotiationibus exponendas, alius non niſi operam, & induſtriam, tunc non ſolum debeat fieri diuiſio in lucro, ſed etiam in capitali, an verò dumtaxat in lucro, & capitale totum ſit reſtituendum ei, qui res contulit. Pro clariori notitia

Efformo caſum in particulari, iuxtà quem exponam ſtatum præſentis controuerſiæ, & quid in eadem dicendum per ſubſequentes aſſertiones apponam. *Exponitur caſus particularis.* Suppono igitur in primis, quod vnus ex ſocijs conferat ſocietati bis centum nummos aureos per alterum negotiationi exponendos, qui aliud non habeat conferre, niſi operas ſuas, & induſtriam, & fortè etiam vſum inſtrumentorum ad talem negotiationem requiſitorum, quæ operæ, & induſtria, & vſus inſtrumentorium ex communi peritorum conſenſu æſtimentur dumtaxat centum nummis aureis. Suppono

vlterius, quod tempore diſſolutionis contractus ex lucro indè acquiſito illa ſumma capitalis, quæ erat tercentum aureorum computato valore laboris, operarum, induſtriæ, & vſus inſtrumentorum peruenerit ad valorem quatuor centum, & quinquaginta aureorum. Hic iam controuertendum remanet, an diuiſio ita facienda ſit, vt qui ducentum capitalis in rebus appoſuit, debeat prius illos ducentum extrahere, & ille, qui appoſuit in operibus induſtria &c. centum, illos centum etiam extrahere, & deindè primus extrahere duas partes lucri, ſecundus reliquam vnam correſpondentem tertiæ parti capitalis, quam appoſuit in operibus induſtria &c. an verò ita facienda ſit, vt prius apponens ducentum in rebus in diuiſione illos extrahat, reliquum verò æqualitèr inter vtrumque diuidatur.

Difficultas eadem de lucro, & damno

Hoc, quod controuertitur, quaodò in negotiatione ſocietatis lucrum aliquod acquiſitum fuit, proportionali ratione erit controuertendum, quandò ipſa negotiatio ſocietatis in deterius abiuit, adeò vt potiùs deperditum, quam acquiſitum ſit, an ſcilicet etiam, quod ex tali negotiatione remanſit, debeat in tres partes diuidi, & duas conferri ei, qui res tribuit, & reliquam alteri, qui contulit operas, an verò totum conferendum ei, qui contulit capitale, & nihil ei, qui operas, & induſtriam appoſuit, an tandem duas partes totius, quod remanſit ei, qui contulit res, reliquam verò tertiam partem diuidendam eſſe inter ipſos.

Varij ſenſus, iuxtà quos poteſt examinari.

Hæc controuerſia ſic in vniuerſum propoſita examinari poteſt, vel aſſumpta præciſè natura, & conditione ſocietatis, vel attentis pactis, per quæ contrahentes ſibi adinuicem legem conſtituunt. Porrò in ordine ad huiuſmodi pacta, videndum erit, quandonam, ſi apponantur, ſint licita, & quandonam, illicita. Tandem, vel operæ, & induſtriæ, & vſus inſtrumentorum, quæ alter ex contrahentibus apponit ſunt æquales quoad valorem comparatiuè ad res, ſeù pecuniam ab altero collatam, vel ſunt inæquales comparatiuè ad valorem rerum per alterum collatarum, æquales tamen in ordine ad lucrum, vel tandem inæquales tam in ordine ad valorem, quam in ordine ad lucrum. Quibus pro
2 claritate ſuppoſitis ſit

Abbas. Bolognetus.

Aſſertio I. Attenta præciſè natura contractus, ſi alter ex ſocijs contulit res, ſeù pecuniam, & alter induſtriam, operas, & laborem præciſè, capitale non eſt diuidendum inter ſocios, ſed reddendum ei, a quo collatum eſt, ſed ſolummodò lucrum. *Abbas conſ. 77. col. 2. Bolognetus in apoſtil. ad conſ. 99. Ioannes de Anan. Lapus alleg. 94. num. 3. D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 78. art. 2. ad quintum Sotus lib. 6. de iuſt. quæſt. 6. art. 1. in fin. Nauarrus in Enchir. cap. 17. num. 353. Silueſter verb. ſocietas 1. quæſt. 20. Angelus verb. Societas §. 17. Leſſius lib. 25. dub. 20. num. 15. vſque ad 20. Mantica lib. 6. tract. 14. num. 17.* aduerſus *Maiorem in 4. diſt. 15. quæſt. 47. Conradum quæſt. 93. corrol. 3. Coaruuiam 3. var. cap. 2. num. 2. Caietanum ſecunda ſecundæ quæſt. 78. art. 2. ad 5.* qui tamen ſibi parum conſtans in ſumma verb. ſocietas contrarium docuit *Reginaldum lib. 25. cap. 29. num. 390. Molinam diſp. 416. per tot.* Nomine autem capitalis venit dumtaxat id, quod in pecunia, vel in rebus recipientibus functionem confertur *Ognate tract. 28. de ſocietate diſp. 100. ſect. 4. num. 89.*

Lapus. D. Thô. Sotus. Nauarr. Angelus. Leſſius. Mantica. Maior. Conrad. Coaruu. Caietan. Reginaldus. Molina.

Probatur aſſertio primò ex varijs diſpoſitionibus iuris, & præcipuè *toto tit. pro ſocio, & tit. fam. Erciſcund., & de commun. diuidundo*, vbi dicitur, ſocijs capitale integrè reddendum, & nullibi fit mentio de capitali diuidendo, ex quo argumentum ſic efformo ad rem noſtram. Omninò improbabile eſt iura præterijſſe mentionem facere de eo, quod eſt de natura contractus in caſu omninò practico, dum paſſim de eo loquuntur, indefinitè aſſerentia capitale integrè reddendum eſſe ei, qui illud contulit, ergo abſolutè dicendum eſt ſecundum diſpoſitionem iuris capitale in pecunia non eſſe diuidendum &c.

Molina.

Capitale quoad dominiū remanet penès conferentem.

Probatur ſecundò ratione, quià capitale ipſum pecuniarum, ſeù in re admittente functionem quoad dominium remanet penes conferentem, quod etiam admittit Molina quamuis adhæreat ſententiæ aduerſæ, qui *diſp. 411. verſ. illud eſt obſeruandum*, docuit non ſolùm remanere penès conferentem, ſed integrum eidem in diſſolutione contractus reſtituendum conformitèr ad textum *in l. 3. ff. pro ſocio*, ergo re vera capitale integrum eſt eidem reſtituendum, quandòquidem diſſoluto contractu res domino eſt reſtituenda. Confirmatur, quia ſi capitale pereat, perit ipſi conferenti, ergo ſi remanet, eidem remanere debet.

Probatur tertiò, quià ſi capitale eſſet inter contrahentes diuidendum, quantumuis vnus dumtaxat operam, & induſtriam appoſuerit, non eſſet æqualis vtriuſque contrahentis conditio, ergo non eſt diuidendum. Antecedens probatur, quia conferens res non poſſet habere, niſi ius ad lucrum proportionatum cum amiſſione partis capitalis, conferens verò operam, & induſtriam haberet ius ad lucrum etiam proportionatum, & vlterius ad determinatam partem capitalis, ergo &c. Confirmatur, quia illa appoſitio operæ, & in-

duſtriæ

Illa ſpes lucri futuri dependentèr à pecunia per alium appoſita eſt pretio æſtimabilis.

Ognate.

induſtriæ ſufficientèr compenſatur per ſpem quotæ lucri futuri, ergo non eſt, cur exigat vlterius acquiſitionem determinatæ partis capitalis. Antecedens probatur, quia illa ſpes lucri futuri dependentèr à pecunia per alterum appoſita eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, & regularitèr acceptabilis a quocunque negotiatore, quinimmò vt rectè obſeruauit *Ognate tract.* 28. *de ſocietate diſp.* 100. *ſect.* 4. *num.* 29. communi conſuetudine receptum eſt, vt capitale non ſit diuidendum, ſed lucra tantum, quæ conſuetudo omninò ſeruanda eſt *l. quod ſi nolit §. qui aſſidua ff. de adilit. adicto, & l. prius §. placuit ff. de aqua pluu. arc.*

Tranſeuntia no habent æſtimationē, niſi prout eliciūtur.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur primò, potius oriri inæqualitatem ex noſtra ſententia, quandòquidem labor, operæ, & induſtria reſpectu ea apponentis ſe habent, vt capitale, ſicque ſi ſolum lucrum eſſet diuidendum, iſte partem aliquotam lucri acquireret cum amiſſione ſui capitalis, alter verò, & lucrum acquireret, & capitale ſeruaret, quæ certè ſecundum ſe ſunt inæqualia; Non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem hæc eſt natura tranſeuntium, vt nullam habeant æſtimationem, niſi prout eliciuntur, vndè poſtquam peracta ſunt, cum tunc deſinant, nullius ſunt æſtimationis ad differentiam permanentium, quæ cum permaneant ſemper habent ſuam æſtimationem, & proindè iſta, cum remaneant ſub poteſtate, & dominio conferentis in diſſolutinne contractus illi ſunt reſtituenda, illa verò cum omninò deſinant, non eſt, cur ſint reſtituenda, & hoc eſt ex conditione earundem rerum ſiuè permanentium, ſiuè tranſeuntium, neque ex hoc oritur aliqua inæqualitas, nam reſpectu diuerſarum rerum admittentum in diuerſo ſtatu diuerſam æſtimationem, non debet eſſe par conditio, ſicque ſufficientèr videntur compenſari per ſpem illam quotæ lucri probabilitèr futuri, cum regularitèr quid magis acquiratur per illa opera, & induſtriam in huiuſmodi negotiationibus, ac acquireretur, ſi præcisè huiuſmodi operæ, induſtria, locarentur.

Neque obeſſe poteſt ſecundò, ſi aſſeratur conferentem centum in pecunia, vel alijs rebus functionem recipientibus, & conferentem centum, ſeù valorem, vt centum in operibus induſtria &c. æqualitèr conferre, ergo debent æqualitèr referre; non referrent autem æqualitèr, ſi conferens operas, induſtriam, & laborem referret tantum partem lucri; nam demus, quod tota ſumma reſultans tempore diſſolutionis contractus ex ſocietate perueniret ad tercentum, & 50. conferens pecuniam referret ſua centum pro capitali, & vlterius ſeptuaginta quinque pro lucro; conferens verò centum in operibus, & induſtria non referret, niſi ſeptuaginta quinque pro lucro, & capitale induſtriæ totum amitteret; Non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem opera, induſtria, labor &c. valent centum, prout applicantur, prout verò applicantur, amittuntur, cum ex genere ſuo ſint tranſeuntia, & ſic valent centum, prout amittuntur in fauorem ſocietatis, ſicque pretium amiſſionis eſt imbibitum in illa ſpe lucri futuri, nec aliam meretur compenſationem, ſecus vt benè notat *Ognate d. tract.* 28. *de ſocietate diſp.* 100. *ſect.* 4. *num.* 94. *ad ſecundum* duplicem mereretur compenſationem adæquatam, alteram, prout conferretur, alteram, prout amittitur. Quod ſi deindè in diuiſione lucri non tantum reſultet, quantum ad æqualitatem poſſit correſpondere illi labori, operibus, & induſtriæ, hoc eſt ex fortunæ alea, ſecundum quam quandòque plus, quandòque minus ex negotiatione acquiritur; cæterum ſecundum ſe compenſatur per ſpem illam quotæ lucri futuri, quamuis ſpes illa quoad totum non reducatur in actu, ea proportionali ratione, qua dicebamus *tom.* 1. *ſub tit. Contractus II. de emption., & vendit. Diſquiſ. I.* §. 10. de emptione rei in ſpe, quæ res in ſpe ad iuſtitiam venditur, ſi ſpes proportionetur pretio collato, quantumuis poſteà adæquatè illa ſpes non ſortiatur ſuum effectum.

Pretium amiſſionis eſt imbibitum in illa ſpe lucri futuri.

Ognate.

Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, inferre licet, quod ſi operæ, induſtria, labor &c. quæ alter ſociorum apponit, non ſint æqualia capitali quoad valorem, ſint tamen æqualia prudentis arbitrio eidem capitali in ordine ad lucrum, tunc etiam ſolummodò lucrum ſit diuidendum æqualitèr inter ſocios, ſi verò ſint etiam inæqualia in ordine ad lucrum, tunc etiam ſit diuidendum ipſum lucrum, ſed non æqualitèr, ſed geometricè, quantum ſcilicet proportione ſeruata æquiualeat eiſdem operibus; atque in hoc conſentit *Molina d. diſp.* 416. *verſ. ſecunda concluſio*, qui etiam dicit, quod ſi aliqui abſolutè celebrent contractum ſocietatis quibuſdam apponentibus capitale pecuniarum, alijs verò operam, & induſtriam, nihilque exprimant de parte diuidenda in diſſolutione contractus, an debeat eſſe de tota ſumma conflata ex capitali ſimul, & lucro dependentèr ab eodem acquiſito, an verò ſolummodò de ſumma conſiſtente in lucro, intelligendum ſit de ſolo lucro deducto capitali, non verò de lucro ſimul, & capitali, quod videtur aliqualitèr contra ea, quæ ſuperiùs dixerat.

Molina.

Qui videtur non conſequentèr loqui.

Hic tamen aduerterem, quod ſi ſocius vltra operas, & induſtriam, quam appoſuit, applicuerit etiam inſtrumenta ex quo-

quorum vſu in tali negotiatione ſocietatis exercito in eiſdem damnum aliquod ob deteriorationem fuerit illatum, ſit etiam illud damnum quodamodò compenſandum, niſi in pactum deductum fuerit, quod veniat ſimul cum operibus, & induſtria, & ratio eſt, quià illa damnificatio eſt pretio ſecundum ſe compenſabilis, & ſecundum ſe non venit nomine operarum, & induſtriæ.

Deterioratio inſtrumētorū eſt cōpenſanda.

4 Aſſertio II. Non eſt licitum pactum ſecundum ſe, vt capitale in ſocietatis diſſolutione diuidatur, niſi nouo pretio compenſetur. Ità expreſsè *Ognate d. tract. 28. de ſocietate diſp. 100. sect. 4. nu. 95. Mantica lib. 6. tit. 5. & 6. per totum. Conradus quaeſt. 93. corrol. 3. Coaruuias 3. var. cap. 2. num. 2.* a quibus etiam diſſentiri non videntur *Molina diſp. 416. Reginaldus lib. 25. cap. 29. num. 399. Fillincius tract. 38. cap. 3. num. 45.* qui quamuis videantur hanc aſſertionem admittere ſine vna limitatione, ſi attentè tameo conſiderentur, loquuntur dumtaxat in caſu, in quo operæ, induſtriæ &c. quæ per vnum ex ſocijs conferuntur, non ſolum tantum valeant, quantum lucrum, ſed etiam quantum lucrum, & capitale, prout rectè notauit *Ognate loc. cit. num. 91. in fin.* quod eſt conforme limitationi, quam nos adducimus in aſſertione.

Ognate. Mantica. Cōradus Coaruuias. Molina. Reginaldus. Fillincius

Probatur prima pars. Illicitum eſt omninò pactum, per quod in detrimentum vnius ex contrahentibus læditur æqualitas a iuſtitia commutatiua reqoiſita, ſed tale eſſet pactum de hypotheſi, de qua loquimur, ergo &c. Minor probatur ex dictis in præcedenti aſſertione, vbi dictum eſt, illam diuiſionem capitalis eſſe omninò præter, & extrà naturam contractus ſocietatis, & per ipſum grauari ſocium pecuniarium, & ſocio induſtrio plus conferri, quam exigit ipſius miniſterium in tali ſocietate in damnum ipſius ſocij pecuniarij, ergo &c. Neque dicas, nullum inferri grauamen contra iuſtitiam ſocio pecuniario, quandòquidem ex eo, quod conſentiat conuentioni, conſentit etiam illi grauamini; ſcienti autem, & conſentienti non fit iniuria; contra enim impugnaberis, quia ille conſenſus non eſt omninò liber, & voluntarius, ſed voluntarius mixtus inuoluntario, eâ proportionali ratione, qua dicebamus de conſenſu præſtito ad ſolutionem vſurarum. Deindè etiam ementes præſtant conſenſum in emptione, in qua enormitèr, & vltra dimidium læduntur, & tamen propter læſionem talis contractus reſcinditur, ergo &c.

Plus conferretur ſocio induſtrio, quā pecuniario.

Eſt conſenſus non ſimpliciter liber, ſed mixtus inuoluntario.

Probatur ſecund ò ex textu *in §. de illa ſane Inſtit. de ſocietate*, vbi cum facta fuiſſet coouentio, vt ad vnum ex ſocijs duæ partes lucri pertinerent, & vna damni, ad alterum verò duæ partes damni, & vna lucri, cumque ibi diceretur videri contrà naturam ſocietatis illam pactionem, & ob id non eſſe ratam habendam, concluſum fuit per Seruium Sulpiciom, cuius ſententia in ea controuerſia præualuit, poſſe tale pactum eſſe licitum propter eam rationem, *quià ſapè quorundam ità pretioſa eſt opera in ſocietate, vt eos iuſtum ſit conditione meliore in ſocietatem admitti*, & poſteà ſubdit *Nam, & ità coiri poſſe ſocietatem non dubitatur, vt alter pecuniam conferat, alter non conferrat, & tamen lucrum inter eos commune ſit, quià ſapè opera alicuius pro pecunia valet*, vbi habes primò, pactionem illam ſolummodò cohoneſtari, quandò opera alterius ſocij induſtrij adeò eſt pretioſa, vt illam diuiſionem mereatur, ergo in tantum valet, in quantum per illam compenſatur id, in quo ſocius pecuniarius eſſet præferendus, ergo argumento à contrario ſenſu deducto non valebit, ſi illa opera non ſuperabit &c. Habes ſecundò in dicto textu ſermonem præcisè eſſe de lucro ex ſocietate reſultante, non de ipſo capitali, vndè ad ipſum oon videtur poſſe fieri extentio, niſi ſit exceſſus in valore adæquans &c.

Explicatur textus in §. de illa ſane inſtit. de ſocietate

Intelligitur de lucro, nō de capitali.

Probatur ſecunda pars primò ex *l. ſi non fuerint in princip. ff. pro ſocio*, vbi ſic legitur *Si verò placuerit, vt quis duas partes, vel tres habeat, alius vnam, an valeat? & placet valere, ſi modo aliquis plus contulerit ſocietati, vel pecunia, vel opera, vel cuiuſcunque alterius rei*, vbi nota cohoneſtari pactionem, ſi ponatur compenſatio exceſſus, vel per maiorem pecuniæ quantitatem, vel per operam magis meritoriam, ergo ſi nouo pretio, vel per operas ſuperexcedentes compenſetur &c. licitum erit &c.

Probatur, quia nolla eſt repugnantia, quin pars capitalis, quæ pertineret ad ſocium pecuniarium, poſſit acquiri per iuduſtrium, vel per erogationem pecuniæ, vel per aliquas operas meritorias talis quantitatis, ſiuè hæ ſint diſtinctæ ab operibus præſtandis in ſocietate in ordine ad lucrum acquirendum, ſiuè ſint ab illis indiſtinctæ, tales tameo, vt noo ſolum mereantur illud lucrum, ſed etiam aliquam quantitatem correſpondentem illi parti capitalis, ergo poſita illa compenſatione per exceſſum operarum licitum erit illud pactum de illa acquiſitiooe partis capitalis. Confirmatur, quia vbi eſt nouus titulus diſtinctus à iure acquirendi lucrum in ſocietate, ibi poteſt eſſe nouum ius ad acquirendum aliquid aliud ab ipſo lucro, ſed poſito exceſſu operarum comparatiuè ad lucrum adeſt nouus titulus ſecundum ſe meritorius alicuius alterius ab ipſo lucro, ergo poteſt per ipſum aliquod aliud ius acquiri, & ſi

Poteſt fieri compēſatio in alijs à ſocietate.

erit

erit proportionatum ad partem capitalis, eadem pars poterit acquiri.

5 Hic pro complemento huius aſſertionis remanet explicandum, quomodò poſſit fieri illa compenſatio pro parte capitalis, quandò de illa in celebratione contractus fit conuentio. Multifariam, multiſque modis hæc compenſatio poteſt fieri; primò per diminutionem partis lucri, quod veriſimilitèr poteſt ſperari, ſicuti enim ex dictis *tom. 1. ſub tit. Contractus VI. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 8. num.* 11. poteſt in triplici illo contractu ſpes illa probabilis lucri incerti vendi pro pretio certo, dummodò aliquid diminuatur pro incertitudine, ita per diminutionem lucri, quod veriſimilitèr ſperatur ex negotiatione in præſenti ſtatu, poteſt emi ius illud ad partem capitalis, dummodò ſeruetur æqualitas inter illam diminutionem, & ius, quod ex illa acquiritur. Secundò, per additionem alicuius partis pecuniæ determinatæ, & proportionatæ per ipſum ſocium induſtrium, ſicuti enim alius ab ipſo poteſt per pecuniam emere illam partem capitalis, ita poteſt ipſe ſocius induſtrius per appoſitionem eiuſdem, vel ſimilis quantitatis pretij. Tertiò, per opera maioris valoris, quam exigat illud lucrum æqualitèr diuidendum, ſicuti enim oppoſita proportionata ad tale lucrum, exigunt tale lucrum, ita opportuna excedentia tale lucrum exigunt ſecundum ſe quid magis ad tale lucrum, adeòque ſi in exceſſu ſint talia, vt proportionentur etiam parti capitalis, meritò debent, & poſſunt exigere talem partem.

Varij modi, quibus poteſt fieri cōpēſatio.

6 Aſſertio III. Attenta præcisè natura contractus capitale in pecunia per vnum collatum ſi perit, perit eidem conferenti *Trullench. in expoſ. Decal. lib. 7. cap. 23. dub. 3. num. 4. Salonius tom. 2. art. 4. controu. 2. Bonacina diſp. 3. quæſt. 6. punct. 3. num. 9. Leſſius lib. 2. cap. 25. dub. 12. num. 12. Villalobos ſecunda part. tract. 26. diff. 7.*

Trullèch. Salonius. Bonacin. Leſſius. Villalobos.

Probatur primò; eadem ratio, quę euincit capitale integrè reſtituendum eſſe in diſſolutione contractus illud conferenti, euincit etiam eidem perire, ſi non remaneat, ergo &c. Antecedens probatur; ratio, quæ euincit eidem integrè reſtituendum eſſe, ea eſt, quia dominium eiuſdem adhuc remanet penès eundem ratione cuius, ſi permaneat, eſt illi referendum, ſed ex eo, quod dominium remaneat penès eundem, ſequitur etiam, quod ſi pereat, eidem pereat, ſiquidem res perit Domino, ergo &c.

Limita tamen, niſi pereat culpa eius, qui eodem negotiatur ex propria induſtria, nam cum ex ſuperiùs dictis hìc teneatur non ſolum de dolo, & culpa lata, ſed etiam de leui, ſi ex ſua incuria, & negligentia pereat, ipſe tenetur illud compenſare.

Intellige, niſi pereat ex culpa eius, qui negotiatur.

Probatur ſecundò, quia ſi capitale ipſum perſeuerat quamuis nullum lucrum indè acquiratur, perſeuerat Domino illud conferenti, ergo ſi pereat, eidem perire debet. Conſequentia probatur, quià commoda, & incommoda rei ad eundem debent pertinere, qui eſt dominus eiuſdem rei, ergo, ſi res perſeuerat in eſſe, perſeueret domino conferenti, etiam ſi res pereat debet perire eidem conferenti.

Ex ijs, quæ dicta ſunt in præſenti aſſertione ſuboritur difficultas, an ſi ex negotiatione nullum lucrum fuerit acquiſitum, quin potiùs aliqua pars capitalis pecuniarij deperdita, iactura diuidenda ſit inter ſocios, & reſarcienda ei, qui capitale contulit, an verò iactura ipſa pertineat abſolutè ad ipſum conferentem. Abſolutè ſentiendum eſt, illam iacturam pertinere ad eum, qui contulit capitale, nec eſſe per ſocios reſarciendum, niſi culpa ipſorum contigerit *Caietanus in ſumma verb. ſocietas. Silueſter verb. ſocietas 1. quæſt. 6. Armilla eod. verb. num. 3. Sotus lib. 6. de iuſt. quæſt. 6. art. 1. ad 3. Couarruuias 3. var. cap. 2. num. 2. Nauarra lib. 3. de reſtitutione cap. 2. nu. 461. Leſſius lib. 25. dub. 2. num. 12. & 17.* Ratio huius aſſerti deducitur ex præcedentibus; ſi enim totum perit, perit domino, ergo ſi in parte pereat, eidem perire dicendum eſt; Deindè ſi operæ, & induſtria pereant, ità vt nullum conſequantur lucrum, nullumque effectum, pereunt illis, qui eaſdem apponunt, ergo etiam ſi pars capitalis pereat domino eiuſdem capitalis perire dicenda eſt.

Caietan. Silueſter. Armilla. Sotus. Couarru. Nauarra. Leſſius.

PRÆNOTIO XVI.

Quonam titulo ſocius pecuniarius acquirat illud lucrum, ſeù ius ad illud.

SVMMARIVM.

Impugnatur ſententia Soti exiſtimantis titulum acquiſitionis lucri ſolum fundari in periculo, cui ſocius pecuniarius exponit pecuniam 1.

Titulus reſpectu ſocij pecuniarij acquirendi lucrum eſt non ſolum periculum, ſed etiam ſpecialis modus, quo per ſocium induſtrium negotiatur 2.

Explicatur ille ſpecialis modus, quo negotiatur 3.

PEcuniam non parere pecuniam, ſed omninò ſecundum ſe ſterilem eſſe ex vulgatis iuribus clariſſimè liquet. Cum igitur præſuponatur ſocius pecuniarius nullam

mullam operam, nullamque induſtriam conferre, ſed præciſè pecuniam, non videtur habere legitimum ius ad aliquod lucrum licitè conſequendum, nec exiſtimandum eſt, titulo negotiationis acquirere, quatenus per ſocium induſtrium tanquam per miniſtrum eam artem exerceat; non, inquam, exiſtimandum, quia ſocius induſtrius non eſt præciſè conductus certo ſtipendio, quo debeat eſſe contentus, ità vt omne id, quod acquirat, debeat acquirere ipſi ſocio pecuniario per ea, quæ ſuprà notaui *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Pranot. I.* & ſtipendium non ſit pro rata, vt ſit in ſocietate, ſed pro quota laboris, adeòque &c. Suppoſito igitur, quod nullo ex ijs titulis poſſit acquirere lucrum, controuertitur, quinam ſit titulus, per quem iuſtificetur illa lucri acquiſitio.

1 Sotus *lib. 6. de iuſtitia art. primo*, exiſtimat totam rationem, qua ſocius pecuniarius acquirit, ſeù acquirere poſſit lucrum fundari in ratione periculi, cui exponit pecuniam, ſeù res ſuas. Sed meritò impugnatur à *Nauarro cap. 12. nu. 251.*, & à *Molina diſp. 416. verſ. duo inſuper admonuerim*, nam ſi quis magnam pecuniæ quantitatem, puta decem mille nummos aureos conferret ſocietati exponendam negotiationi, cui vel vix, vel modicum ſubeſſe poſſet periculum, in qua modica requireretur induſtria, & tamen ingens lucrum reſultaret, vix aliquid lucri ſocius pecuniarius poſſet acquirere, & multum conſequeretur ex modica induſtria ſocius induſtrius, quod rationi, & praxi non videtur conſonum. Impugnari etiam poteſt ex textu *in cap. per veſtras de donat. inter vir., & vxor.* vbi cum dos cuiuſdam mulieris periclitaretur eo, quod maritus eius vergeret in decoctionem, dictum fuit per Pontificem, quod traderetur mercatori titulo ſocietatis ad aliquam tutam negotiationem, vt de lucro eius maritus viueret, & indè aliqualitèr ipſam vxorem ſuſtentaret, ergo periculum præciſè, cui res exponitur, non eſt ratio adæquata conſequendi lucrum ex ſocietate, cum Pontifex, ibi dixerit *In ſecuram aliquam negotiationem*. Impugnari poteſt vlterius ex ijs, quæ docuimus *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 8.*, vbi diximus poſſe ſocium pecuniarium ex vi alterius contractus aſſecurari quoad capitale, & tamen adhuc poteſt conſequi aliquod lucrum per ea, quæ ibi ex diſpoſitione iuris, & ex Doctorum placito latè firmauimus. Quamobrem ſit

Sotus. *Opinio Soti, eiuſque impugnatio.* Nauarrus. Molina.

2 Aſſertio. Titulus reſpectu ſocij pecuniarij acquirendi lucrum ex ſocietate coaleſcit non ſolum ex periculo, cui res exponitur, ſed etiam ex ſpeciali quodam modo, quo intelligitur ſimul cum ſocio induſtrio negotiari, non ſolum inſtrumentalitèr ratione pecuniæ, quam confert, ſed etiam ex onere, quod aſſumit ſocius induſtrius agendi communi nomine vtriuſque. Ità videtur ſentire, licet non ita expreſsè *Molina diſp. 416.*

Probatur per ſingulas partes, & quidem quoad periculum facilè ſit perſpicuum, quandòquidem ipſum periculum, cui res exponitur, eſt ſecundum ſe pretio æſtimabile, ergo iuſtè poterit compenſari per aliquod lucrum, quod ex tali negotiatione proueniat; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, periculum contingens ex natura contractus, vel ex periculo perſonarum ſemper ſequi dominum ſcientem qualitatem rerum, vel qualitatem perſonarum *Baldus in rub. C. de peric. & com. rei vend. in* Baldus.
vltima col. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet re vera periculum ſequatur dominum ſcientem, non tamen tollitur, quod, ſi ex illo aliquid vtilitatis conſequatur, illud non debeat proportionalitèr eidem cedere, quandòquidem rem illi periculo exponit ad finem conſequendi idem lucrum, ſicuti ſit regularitèr in negotiationibus.

Probatur ſecundò quoad illam ſpecialem modum negotiationis, quam exercet ſocius induſtrius communi nomine vtriuſque, quia licet pecunia natura ſua ſit ſterilis, arte tamen poteſt fieri ſecunda, & apta fructificare, ergo ſi exponatur negotiationi, quæ fiat etiam nomine eandem apponentis, cum hæc ſit ars fructificatiua, eidem apponenti poterit lucrum fructificare. Confirmatur, quia ſicuti ſocius pecuniarius communicat in ordine ad lucrum ſuam pecuniam ſocio induſtrio, ita ſocius induſtrius communicat ſuam induſtriam in ordine ad idem ſocio pecuniario, ita vt ex vtroque fiat quoddam conflatum aptum ad illud lucrum, ergo vterque poteſt ex illo lucrum proportionatum acquirere. 3

Explicatur ſpecialis ille modus, quo ſocius pecuniarius negotiatur.

Non poſſum facilè acquieſcere rationi, quam ad hoc probandum adducit *Molina d. diſp. 416. verſic. duo inſuper admonuerim*, Molina.
ſi nudè ſumatur; aſſerit enim, quod ideò ſocius pecuniarius poſſit lucrum acquirere, quia tradendo pecuniam tradit inſtrumentum ad illud lucrum acquirendum. Non poſſum, inquam, acquieſcere, quià etiam deponens pecuniam apud alterum, qui ea vtatur ad aliquos vſus ſibi proficuos, & lucratiuos, tradit illam, qua depoſitarius vtitur tanquam inſtrumento, & tamen deponens non participat in lucro cum depoſitario, ergo &c. Dixi *ſi nudè ſumatur*, nam ſi tradatur eo fine, & conditione, vt ſocius induſtrius ea negotietur communi vtriuſque nomine,

tunc

tunc ratio efficax eſt, & cum noſtra coincidit.

PRÆNOTIO XVII.

Vtrum poſſit eſſe licitus contractus ſocietatis, vt periculum totum capitalis ad eum pertineat, qui apponit operas.

SVMMARIVM.

Quantum eſt ex vi ſocietatis non poteſt obligari ſocius induſtrius ad aſſecurandum capitale 1.

Societas cum aſſecuratione quomodò damnetur per Sixtum V. 2.

Reijcitur probatio Soti 3.

DVplicitèr poteſt titulus examinari, vel quantum eſt ex vi ſocietatis præcisè, vel quatenus eadem ſocietas coniungitur cum alio contractu aſſecurationis attentis ijs omnibus, quæ ſecundum æqualitatem pertinent ad vtrumque contractum. *Duplex ſenſus difficultatis.* De ſocietate hoc ſecundo modo accepta latè actum fuit *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris. Diſquiſ. 6. §. 8. per totum*, vndè non eſt, cur in præſenti immoremur. Difficultas igitur reducitur ad primum ſenſum, an ſcilicet ex vi ſocietatis præcisè poſſit obligari ſocius induſtrius ad aſſecurandum capitale, adeò vt totum periculum ad ipſum pertineat. Qua in re videtur dicendum, vtique poſſe, quandòquidem, ſi poteſt capitale in certam negotiationem implicari cum ordine ad determinatum lucrum, vt definitum eſt *in c. per veſtras de donat. inter vir., & vxorem*, cur non poterit tradi in negotiationem, quæ firmetur per ſocium recipientem pecunias? Nihilominus ſit

1 Aſſertio. Quantum eſt ex vi ſocietatis non poteſt obligari ſocius induſtrius ad tutum reddendum dominum pecuniarium quoad capitale, niſi tantum diminuatur de lucro, quod veriſimilitèr poteſt ſperari, in qua tamen diminutione ſaltem implicitè interuenit alius contractus aſſecurationis, de quo propterea idem dicendum eſt, quod dictum fuit *d. tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſq. 6. §. 8.*

2 Probatur iam aſſertio *ex Conſtit. Sixti V. incipient. Deteſtabilis*, quæ in ordine ſuarum conſtitutionum eſt quadrageſima ſexta *edita anno* 1586. 12. *Kal. Nouembris*, per quam ſocietas cum illa aſſecuratione damnatur, & licet *Leſſius de iuſt., & iur. lib. 2. cap. 25. num. 33. verſ. nec obſtat, quod Sixtus*, dicat præfatam conſtitutionem non eſſe moribus vtentium comprobatam, nec vſu receptam, nihilominus quid fit de tali vſu non recepto, ibi diximus conſtitutionem præfatam duntaxat diſponere quantum eſt ex vi ſocietatis præcisè, per quod firma redditur aſſertio. *Conſtitutio Sixti V. quomodò intelligenda.*

Probatur ſecundò, quia præciſa illa diminutione lucri, ſeù non poſito alio æquiualenti poneretur grauamen ſocio induſtrio, quod eſt præter naturam contractus ſocietatis, quinimmò ſupra illam ſine vlla prorſus compenſatione, ergo non ſeruaretur æqualitas requiſita ad naturam eiuſdem contractus, adeòque &c. Antecedens probatur, quia non eſt de ratione ſocietatis, vt ſocius, qui apponit operas, aſſumat in ſe onus periculi rei appoſitæ per ſocium pecuniarium, quinimmò, cum dominium rei appoſitæ pertineat ad ipſum ſocium pecuniarium, ad ipſum etiam ſpectare debet, quantum eſt ex vi talis contractus præcisè, tale periculum. *Periculum pertinet ad ſocium pecuniarium.*

Hic nò placet ratio, quam adducit Sotus aſſerēs, quod eo ipſo, quod ſocius induſtrius aſſumit in ſe ipſo periculum, cui res exponitur, acquirat dominium talis rei, adeòq; quod immediatè deſinat eſſe ſocietas, & tranſeat in mutuum palliatum; non, inquam, placet, tum propter ea, quæ tradidi aduerſus eundem Sotum *d. tom. 1. ſub tit. Contractus III. loc. cit.* tum propter ea, quæ tradit *Nauarrus in comment. cap. 114. q. 3. nu. 36.* nempè ex eo, quod in commodatarium, ac depoſitarium reijciatur periculum totum rei commodatæ, ſeù depoſitæ, non tranſire tamen in ipſos dominium earundem rerum. 3 *Sotus. Nauarrus.*

PRÆNOTIO XVIII.

An in diſſolutione contractus ſocio pecuniario reſtituendum ſit capitale in pecunia ſecundum valorem, quem habebat tempore celebrati contractus, an verò ſecundum valorem, quem habet tempore diſſolutionis eiuſdem.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus difficultatis 1.

Nonnulla conſiderabilia circà titulum 2.

Si facta fuerit conuentio de determinato valore, capitale reſtituendum eſt ſecundum valorem conuentum 3., & 4.

Si nulla facta fuerit conuentio reſtituenda eſt pecunia ſecundum valorem tempore diſſolutionis contractus 5.

TEmpore, quo ſocietas fuit celebrata inter ſocium pecuniarium, & induſtrium, pecunia collata per primum erat maioris valoris, tempore verò diſſolutionis 1

nis contractus, & per conſequens reſtitutionis longè decreuerat. Id, quod ſub præſenti titulo controuertendum eſt, in eo conſiſtit, an capitale pecuniarium ſit reſtituendum ſecundum valorem, quem pecunia habebat tempore celebrationis, an verò diſſolutionis contractus. Pro quo

Senſus difficultatis.

2 Aduerte circa hoc, vel fuiſſe conuentionem inter partes, quod pecunia reſtituatur ſecundum valorem, quem habet tempore collationis ſiuè creſcat, ſiuè decreſcat, vel nullam de eo habitam fuiſſe conuentionem. Rurſus, ſi nulla habita fuit conuentio de tali valore, vel expreſſa fuit determinata quantitas pecuniæ in ea ſpecie, in qua creuit, vel decreuit, puta in tot Phylippis effectiuis non exprimendo valorem, quem tunc habebant, vel expreſſa tali quantitate etiam cum expreſſione valoris, ſecundum quem tunc temporis currebant Phylippi, puta ad rationem librarum ſex cum dimidia imperialium pro ſingulis Phylippis. Secundum has omnes conſiderationes præſens titulus examinabitur. Interim ſit.

Nonnulla conſiderabilia circa ipſum titulum.

3 Aſſertio I. Si facta fuerit conuentio de determinato valore pecuniæ per ſocium pecuniarium collatæ ſiuè creuerit, ſiuè decreuerit, valida eſt, ſi æqualia fuerint ſpes augmenti, & periculum decrementi. Conſonat cum ijs, quæ diximus *tom. 2. ſub tit. Contractus V. de cambijs II. Diſquiſ. 3. §. 1. num. 5., & eod. tit. de Cambijs III. Diſquiſ.* 1. § 10.

Seruanda eſt conuentio, ſi iuſta fuerit.

Probatur primò, quià in tali conuentione ſeruatur æqualitas, & eſt par vtriuſque contrahentis conditio, ergo non eſt, cur non debeat eſſe omninò valida, & licita. Antecedens probatur, quia vterque contrahens æque ſe priuat ſpe maioris emolumenti, & periculo minoris, vterque in illa conuentioue conſentit, ſibique quodamodo legem conſtituit, quæ lex non poteſt eſſe, niſi iuſta, cum conſtituat vtrumque in pari ſtatu, & conditione. Confirmatur, quia iuſtè, & licitè poteſt vendi ius incertum per quid certum, quandò ius illud incertum eſt æquilibre pro vtraque parte, & quandò conſideratis omnibus circunſtantijs proportionatur iuri certo, quod acquiritur, per ea, quæ latè docuimus *tom. primo ſub tit. Contractus II. de empt., & vend. Diſquiſ.* 1. §. 1. *ad ſecundam reſp.* dum de emptione, & venditione iactus retis pro determinato pretio, *& ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Pranot.* 10. *num.* 14. *verſ. probatur ſecunda pars*, de frumento mutuato in determinato pondere, & menſura cum onere reſtitutionis in æquali pondere, & menſura ſtante dubio æquali pro incremento, vel decremento valoris futuri pro tempore reſtitutionis, *& tom. 2. ſub tit. Contractus V. de cambijs II. Diſquiſ. 3. §. 1. num. 5.* de emptione literarum cambij pro certo pretio, quandò eſt æqualis ſpes, & periculum, quod tempore ſolutionis ſint pluris, vel minoris valituræ, ergo etiam poterit eſſe iuſta conuentio, qua ius incertum valoris pecuniæ reſtituendæ pro tempore diſſolutionis contractus ſocietatis commutetur pro certo, ſi æqualia ſint ſpes, & periculum incrementi, & decrementi, & ius hoc certum ſit proportionatum illi incerto ſecundum prudentem æſtimationem, vel iuxtà vſum fori.

Poteſt iuſtè vendi ius incertum per quid certum.

Probatur ſecundò, quià licitus eſt contractus innominatus fortunæ aleæ, quo contrahentes ſe exponunt æquali periculo, & ſpei, ergo etiam licita eſt illa conuentio, de qua loquimur in præſenti aſſertione. Conſequentia probatur, quià per illam conuentionem ſocius induſtrius ſe liberat à periculo ſoluendi quid magis, ſi pecunia in valore creuerit, & pecuniarius ſe priuat ſpe acquirendi quid magis, iſte ſe liberat à periculo recipiendi quid minus, ſi decreuerit, ille ſe priuat ſpe ſoluendi quid minus, ergo &c.

Aſſertio II. Si per ſocium pecuniarium traditi fuerint ſocio induſtrio mille Phylippi effectiui v. g. cum conuentione, vt in diſſolutione contractus reſtituantur ad rationem tot ſolidorum pro ſingulis, reſtituendi ſunt ſecundum illum valorem conuentum, ſiuè creuerint, ſiuè decreuerint Phylippi, nec ſufficit reſtituere Phylippos effectiuè, ſi decreuerint, ſed debent reſtitui ſecundum valorem in celebratione contractus determinatum. *Coarruuias de col. vet. numiſ. cap. 7. num. 4. & 5. Abbas in cap. quandò de iur. iuran. Bartolus in l. Paulus ff. de ſolut. num. 3. Albericus Brun. tract. de augment. concl. vlt. lim.* 1. 4

Coarruu. Abbas. Bartolus. Alberic. Brun.

Eſt hæc aſſertio conformis ijs, quæ docuimus *tom. 2. ſub tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ. III. §. 3. per totum*, quæ propterea ad probationem ſunt ibi recolenda, non hic repetenda; notum quippè eſt pactiones inter contrahentes eſſe omninò ſeruandus *l. ex empto ff. de act. empt. l. iuris gentium §. prater ait ff. eod.* nec in hoc datur aliqua optio debitori, vel ad conferendos Phylippos effectiuos, vel ad enunciatam ſolidorum quantitatem, quandòquidem, ex quo iſte ſe obligauit ad talem quantitatem conuentam poteſt quidem ſoluere in tot Philippis effectiuis, debet tamen ipſos computare ad valorem contractum in celebratione contractus. Vide abſolutè, quæ diximus *d. tom. 2. loc. mox cit. & hic applica.*

Aſſertiò III. Si nulla facta fuerit conuentio de valore pecuniarum erogatarum 5

titulo

titulo ſocietatis reſtituendæ ſunt ſecundum valorem, quem habent tempore diſſolutionis contractus. Eſt conformis ijs, quæ ſuprà diximus, eſt tamen aliquo modo contra *Nauarrum cap. 17. num. 252. Bonacinam diſp. 3. quæſt. 6. punct. 3. verſ. tertio qui. num. 11. Trullenchum in expoſ. Decalogi lib. 7. dub. 3. num. 7. in fin.*

Nauarr. Bonacina Trullench.

Probatur ex ſupradictis, quia dominium pecuniæ collatę titulo ſocietatis, quantum eſt ex vi eiuſdem ſocietatis præcisè remanet penes conferentem, ergo ſi aliud conuentum non ſit, ſiue creſcat, ſiue decreſcat in valore, eidem conferenti creſcit, vel decreſcit, ergo reſtituenda eſt ſecundum valorem, quem habet tempore diſſolutionis contractus. Prima conſequentia probatur, quia augmentum, & decrementum rei ſemper ſpectat ad dominum eiuſdem rei. Confirmatur, quia ſi res, ſeu capitale reale expoſitum ſocietati per ſocium pecuniarium pereat, perit eidem exponenti per ſuperiùs probata, ergo etiam ſi deterioretur eidem deteriorari dicendum eſt, quod ęquè intelligendum eſt de deterioratione reali ratione materiæ deterioratæ in eadem re, ac de deterioratione morali ratione valoris eiuſdem rei, quandòquidem etiam hæc, quamuis contingat, vel ex facto Principis, vel ex copia ſuperueniente pecuniæ in eodem genere, ſemper afficit eandem pecuniam, quæ in valore diminuitur.

Inſtantia contra aſſertionẽ, eiuſq; impugnatio.

Dices, valorem rei inſpici ſecundum tempus contractus, & valor rei, quandò agitur de euictione ex contractu inſpicitur tempore, quo euincitur *l. Titius 1., & ibi Bartol. in 2. not. ff. de act. empt.* ergo debet res reſtitui ſecundum valorem, quem pecunia habebat tempore, quo fuit celebratus contractus, non pro tempore, quo contractus ipſe debet diſſolui. Sed contra, ea, quæ dicuntur in allegato textu procedunt dumtaxat in ijs contractibus, in quibus immediatè transfertur dominium, vnde meritò ibi dicitur *de euictione ex empto*; hîc autem verſamur in contractu, in quo dominium rei, ſeu pecuniæ collatæ non transfertur, ſed remanet penes deponentem, cui propterea, ſi diminutio aliqua ſequatur, debet ex neceſſitate cedere.

Corrolarium ſequens ex dictis.

Ex quibus omnibus habes, quod ſi ſocius pecuniarius in traditione pecuniæ expreſſerit quantitatem pecuniæ, in aliqua ſpecie, puta, in tot Phylippis nulla facta expreſſione valoris eorundem, in reſtitutione nil aliud poſſit exigere, niſi eandem pecuniam ſecundum quantitatem in eadem ſpecie, & hoc ſiuè creuerit in valore, ſiue decreuerit, ſi verò expreſſerit quantitatem expreſſo etiam valore pecuniæ in eadem ſpecie, tunc probabilius poſſit exigere eandem ſecundum valorem, ſecundum quem facta fuit illa expreſſio, quia tunc illa expreſſio, ne fruſtatoria appareat, ſupponi debet tanquam appoſita ad obligandum ad eam quantitatem reſtituendam ſecundum eundem valorem.

PRÆNOTIO XIX.

De Societatibus officiorum in genere.

SVMMARIVM.

Forma, qua initur ſocietas officiorum 1.
Variæ dubitandi rationes circa titulum 2.
Societas officiorum ſecundùm ſe non eſt illicita, nec vſuraria 3.
Societas officij ſuſtineri non poteſt ſine officio ſuper ſolo vitæ periculo 4.
Societas non poteſt contrahi ſuper officio ultrà valorem officij 5.
Pecunia, quæ traditur in ſocietate officij remanet ſoluentis ſub ſolo periculo amiſſionis in caſu mortis 6.

PLura ſub hoc titulo examinanda occurrunt, quæ non modicum conferre poſſunt ad difficultatum explanationem, quæ paſſim, & crebrò in hac materia contingere poſſunt; ſed quia latitudo quæſtionum, ſi omnes hic comprehenderentur, giganteam efficeret prænotionem, vt omnia metro, & ordine fiant proportionato, nonnullas ſolummodò hic placet congerere, & examinare, reliquas in ſubſequentibus reſeruando. Pro claritate

Aduerte, contractum ſocietatis officio- 1
rum ſecundum hanc formam iniri. Primò, qui officium aliquod, vel in curia Romana, vel alibi emit, alium ſibi in ſocium adſciſcit accepta ab eodem determinata, & conuenta pecunia, eumque participem facit fructuum, qui ex tali officio, quod ipſe emit, percipiuntur. Secundò, cum quandoque fructus, qui ex tali officio ſperari poſſunt, ſint omninò incerti, cum poſſint iuxta diuerſas circunſtantias, quandoque ad plus, quandoque ad minus peruenire habito veriſimiliter reſpectu pro qualitate incertitudinis reducit eoſdem fructus incertos ad determinatam ſummam, quæ regulariter eſt duodecim pro centenario, in qua reductione fit implicitè nouus contractus innominatus, ſecundum quem ipſe officialis quodamodo emit à ſocio, quem ſibi adſciuit, ius illud ad fructus incertos pro iure ad determinatam ſummam, puta, eorundem duodecim pro centenario, qui contractus ex alibi dictis omninò licitus eſt, cum in eodem omnimoda ſeruetur æqualitas, & par ſit vtriuſque contrahentis conditio. De hoc contractu ſocietatis 2
officiorum hoc modo initu contingit pri-

Forma, ſub qua initur ſocietas officiorum.

mo dubitare in præſenti, an licitè, & validè poſſit fieri. Secundò, an ſi talis con- *Varia contione dubitando,*
tractus ſic initus vltra valorem officij ſuſtineri poſſit ſaltem in vim alterius contractus. Tertiò, an ſocietas officij ſine officio ſuper ſolo periculo vitæ conſtitui poſſit. Quartò, an quandò ſocietas officij contrahitur, pecunia fiat recipientis, an verò remaneat ſoluentis ſub ſolo periculo amiſſionis in caſu mortis. Reliqua in ſequentibus diſcutientur.

3 Aſſertio I. Societates officiorum ſecundùm *ſe* non ſunt illicitæ, nec vſurariæ. Dixi, *ſecundum ſe*, nam attentis alijs circunſtantijs, quæ vtique poſſunt concurrere, certè poſſunt deprauari. *Ioannes de Amicis conſ. 154. num. 18. Tiraquel. de retract. conuentionali in fin. tituli num. 131. Decianus conſ. 2. num. 89. & ſeqq. lib. 1. Caſtracanus in ſuo tract. offic. cap. 4. num. 19.* (Ioannes de Amic. Tiraquel. Decianus Caſtrac.)

Probant communitèr Doctores prææallegati aſſertionem ex generali obſeruantia, quæ contractus videtur facere licitos *l. ſi quis fugitiuus §. apud Labeonem ff. de ædil. edict. Oldradus conſ. 207. num. 7. Gratianus conſ. 39. nu. 4. lib. 2. Rota in vna Vrbeuetana cenſus 31. Maij num. 591. coram Penia*, quod etiam oſtendit *Ioannes de Amicis conſ. 154. num. 18. & Tiraquel. de retractu conuention. in fin. tit. num. 131.* quandò contractus eſſet alias illicitus, & Caſtracanus exemplificat in contractu ſocietatis officiorum *in ſuo tract. de Societ. offic. cap. 4. num. 19.* Sed non facilè acquieſcerem huic rationi, niſi hæc obſeruantia eſſet innixa in rationabili æquitatis naturalis fundamento, quandòquidem conſuetudo circa illicita, & vſuraria, eſt potiùs corruptela, & abuſus; quàm conſuetudo, quæ propterea nequit contractum cohoneſtare. *Bero. conſ. 167. num. 10. lib. 1. Rota in vna Vrbeuetana cenſus coram Gypſio 6. Iunij 1594. & in vna Romana Societatum 29. Ianuarij 1601. coram Card. Melino*; vndè debuiſſent priùs huiuſmodi Doctores probare non inuoluere huiuſmodi contractus aliquam turpitudinem, vel ſaltem priùs eximere à quacunque turpitudine, & iniuſtitia, antequam inducerent obſeruantiam tanquam fundamentum honeſtatis talis contractus. (Oldrad. Gratian. Rota. Tiraquel. Berous. Rota Rom.)

Probatur igitur aſſertio. Nulla eſt aſſignabilis radix iniuſtitiæ, nec turpitudinis in tali contractu, ſi debitè ſeruentur conditiones requiſitæ ad naturam ſocietatis, ergo non eſt, cur non debeat eſſe licitus, & honeſtus. Antecedens probatur ſoluendo ea omnia, quæ per aduerſarios opponi poſſunt inferentia iniuſtitiam, & turpitudinem.

Dices primò, officia eſſe de regalibus, & non poſſe oppignorari, vel obligari; præcipuè, ſi ſit ſermo de officijs Curiæ Romanæ, oppignorarentur autem, & obligarentur, ſi per officialem alius admitteretur in ſocium in tali officio. Sed contra, quia per iſtum contractum non oppignoratur, nec alienatur officium, ſed ſocius admittitur ſolùm ad participationem fructuum. Deindè licet titulus officij non poſſit alienari ſine conſenſu Papæ ad effectum euitandi fraudes, & vt eidem conſtare poſſit de vacatione, tamen reſpectu contrahentium, dummodò non mutetur perſona officialis, & remaneat periculum vitæ in eadem perſona eſt in communi commertio, & poſſunt fructus ipſius in totum communicari *Rota Rom. in vna Romana officij ſcripturæ 1. Aprilis 1588. coram Domino Pamfilio*, quæ communicatio permittitur à Papa etiam ſine licentia *Rot. Rom. in vna Romana Societatum Lunæ 29. Ianuarij 1601. coram Card. Melino.* (*Reijcitur prima ratio impugnans conſiſtiã talis contractus.* Rot. Rõ.)

Dices ſecundò, talem ſocietatem eſſe iniuſtam, eo quia non eſt cum æquali periculo, cum non ſtet communi periculo, ſed per mortem officialis totum perit damno ipſius contra naturam contractus ſocietatis. Sed contra, quia quamuis per mortem officialis officium totum ſtet damno eiuſdem non tamen ſocietas eſt iniuſta, eo quia illud periculum compenſatur cum alio periculo, quod ſubit ille, qui confert pecuniam; nam ſicuti, ſi præmoriatur officialis damnum officij ipſi totalitèr cedit, ita ſi præmoriatur ſocius, qui contulit pecuniam, totum damnum eiuſdem pecuniæ collatæ ipſi cedit. (*Reijcitur ſecũda impugnatio.*)

4 Aſſertio II. Societates officiorum ſine officijs ſuſtineri non poſſunt ſuper ſolo vitæ periculo *Rota in vna Romana Societatis 29. Ianuarij 1601. coram Card. Melino Cencius de cenſibus part. 3. cap. 1. quæſt. 1. art. 1. num. 28.* (Rot. Rõ. Cencius.)

Probatur primò, quia nequit ſubſiſtere contractus ſine proprio ipſius ſubiecto, in quo radicatur *Rota in d. Rom. ſocietatis num. 10. & 17.* ergo ſine officio non poteſt ſuſtineri ſocietas ſuper eodem. Antecedens latè probatur per eandem *Rotam Romanam d. Rom. ſocietatis num. 17.* vbi dicit contractum ſocietatis ſine officio eſſe vſurarium, & ita deciſum fuiſſe teſtatur in pluribus Tribunalibus adhibito etiam Theologorum conſilio, & etiam Congregatione ad iſtum effectum a Pontifice inſtituta, cui inter fuerunt quinque Cardinales, tres Auditores Rotæ antiquiores, & tres Theologi. Conſequentia tenet, quia ſubiectum contractus Societatis eſt ipſum officium, ergo ſi contractus nequit ſubſiſtere ſine ſubiecto, non poterit ſocietas ſuſtinere ſine officio. (Rot. Rõ. *Contractus nõ poteſt ſubſiſtere ſine ſubiecto.*)

Probatur ſecundò, quia in ſocietate officiorum communicantur inter ſocios fru-

ctus

ctus eiuſdem ſocietatis prouenientes ab ipſis officijs, ergo vbi nullum eſt officium, nulli poterunt eſſe fructus communicabiles, ergo per conſequens nulla ſocietas poteſt ex illo ſubſiſtere. Prima conſequentia patet, quia, ſicuti non entis nullæ poſſunt eſſe qualitates, ita non officij nulli poſſunt eſſe fructus; tum quia non poteſt aliquod fundari in eo, quod abſolutè non eſt *l. verum §. fin. ff. pro ſocio Gabriel. conſ. 63. nu. 5. lib. 2. Mantica de tac. & ambig. lib. 6. §. 2. num. 18. tit. 24. num. 35.*

Gabriel. Mantica.

Dices primò, cenſus vitalitius ſuſtineri poteſt ſuper ſolo vitæ periculo, ergo etiam ſocietates officiorum ſine officijs poterunt ſuper tali periculo ſuſtineri. Conſequentia probatur, quia non minus eſſet ſine ſubiecto cenſus vitalicius, ac ſocietas officij in data hypotheſi, de qua loquimur, ergo ſi ille poteſt ſuſtineri, poterit etiam ſuſtineri ſocietas. Sed contrà, quia in primis falſum eſt, quod cenſus vitalitius ſuper ſolo vitæ periculo poſſit ſuſtineri, cum cenſus perſonalis quantumuis vitalitius omninò ſit illicitus *Cencius de cenſibus part. 1. cap. 3. quæſt. 1. art. 6. num. 10. Innocentius in cap. in ciuitate nu. 2. ad fin. extrà de vſuris. Conradus in tract. de Contractibus quæſt. 74.* Deindè dato etiam, quod poſſet ſubſiſtere cenſus merè perſonalis, non propterea idem dicendum eſſet de ſocietate officij ſine officio, quandòquidem Rota Romana in eiſdem paſſim multa obſeruauit diſcrimina, & precipuè *in vna Romana ſocietatis 29. Ianuarij 1601. coram Card. Melino*, vbi dicitur, quod per ſocietatem officij præciſè communicantur reditus eiuſdem, quæ certè communicatio eſſe non poteſt, ſi non ſit officium, nam ſine officio non poſſunt eſſe reditus eiuſdem; per cenſum verò vitalitium mere perſonalem poſſunt eſſe fructus dependentèr ab operibus, & induſtria perſonæ, in qua dicitur cenſus conſtitui, adeòque &c. Deindè, vt etiam optimè obſeruauit *Oldradus conſ. 202.* cenſus vitalitius ſuſtinetur propter incertitudinem vitæ, quod eſt quid pecunia æſtimabile *Decius conſ. 123. ſub num. 1. & ibi*, quod pro eodem datum eſt, non poteſt repeti; ſocietas verò non habet talem incertitudinem, cum vt obſeruat *Rot. Rom. in ead. Rom. ſocietatis 29. Ianuarij 1601.* ſocius qui tradidit pecuniam poſſit illam elapſis ſex menſibus repetere.

Cencius. Innocentius. Conrad.

Diſcrimẽ inter ſocietatem officij, & cẽſum vitalicium.

Oldrad.

Rot. Rõ.

Dices ſecundò, poteſt eſſe aſſecuratio rei ſuppoſitæ cum onere tam reſpectu aſſecurantis, quam reſpectu aſſecurati, ergo etiam poterit eſſe ſocietas officij ſuppoſiti cum onere vtriuſque contrahentis. Antecedens probatur, quia in mercibus traiectitijs poſſunt duo conuenire ità, vt traijciens, vel alius ab ipſo aſſecuret, conuenta certa pecuniæ quantitate ob onus, quod aſſumit, eaſdem merces, donec peruenerint ad locum deſtinatum, & etiam præciſè ſine mercibus eandem nauim perindè, ac ſi in illa eſſent eædem merces, vt pluries in Rota Romana definitum accepi ab vno ex eiuſdem Romæ Auditoribus, ergo &c. Sed contrà, quidquid ſit de illis Rotæ Romanæ deciſionibus, argumentum in caſu, de quo loquimur, à paritate nihil euincit, quandòquidem aſſecuratio eſt præciſè compenſabilis ratione principalis, quod vtique eſſe poteſt, ſiuè in naui traijciantur merces, ſiuè præciſè ipſa nauis traijciatur cum hoc nihil aliud ſit, niſi quidam ludus fortunæ aleæ, qui ſi ſit ad æqualitatem attentis omnibus, non poteſt non eſſe licitus pro quocunque ille fiat, cum periculum æquè ſubeſſe poſſit, ſiuè res traijciantur, ſiuè tantum nauis, in qua ſupponantur eſſe res; ſocietas verò in officio eſt ratione communicationis fructuum, qui certè eſſe non poſſunt, ſi non ſit officium, vndè in caſu aſſecurationis ſubiectum eſt periculum nauis, quæ ſupponitur pro mercibus, in caſu verò ſocietatis eſt ipſa communicatio, quæ eſſe non poteſt ſine officio.

Inſanta. cètrò propoſita antea eiuſq; ſolutio.

Dices tertiò, poteſt eſſe valida emptio, & venditio rei alienæ, nam ſi à domino res illa vindicetur, venditor tenetur de euictione, ergo etiam poteſt eſſe valida ſocietas officij, quantumuis ipſum officium ſit alienum, dummodò, qui accepto pretio alium in ſocietatem admiſit, teneatur eidem ſoluere tot, quot perciperet ex ſocietate in officio, ſi hoc adeſſet. Sed contrà, quia quidquid ſit de illa venditione, & emptione rei alienæ, de qua alibi fusè, diſpar omninò eſt ratio, quia per Dominum vindicata re aliena vendita ſuccedit in venditore obligatio ad intereſſe, non ſic autem in ſocietate officij, quæ non poteſt eſſe ſine officio, & hoc ex diuerſitate contractuum, nam ceſſante officio ceſſat & ipſa ſocietas.

Alia inſtantia, eiuſq; ſolutio.

Aſſertio III. Societas non poteſt contrahi ſuper officio vltra valorem officij 5
Rota Romana in d. Romana Societatum 29. Ianuarij 1601. coram Card. Melino, & clarè euincitur ex conſtit. fel. record. Pauli IV. & Pij IV.

Rot. Rõ

Probatur ratione, quia nequit conſtitui ſocietas ſine officio ſimplicitèr, quod ſit ſuper ſolo periculo vitæ per ea, quæ probata ſunt in præcedenti aſſertione, ergo nequit etiam conſtitui ſocietas ſuper officio vltra valorem eiuſdem officij. Conſequentia probatur, quia illa ſocietas quoad exceſſum ſupra valorem officij perindè eſt, ac ſi eſſet ſine officio, & ſic quoad illum exceſſum eſſet ſolum ſuper ipſo periculo vitæ.

Quoad exceſſum, perindè eſt, ac ſi eſſet ſine officio.

Rot. Rō. vitæ, vt benè notauit *Rota Romana in vna Forliuienſi ſocietatis Lunæ Ianuarij 1614. coram Damaſceno, & in ead. Romana Societatum 29. Ianuarij 1601. coram Card. Melino*, ergo quoad illum exceſſum nequit ſuſtineri. Hæc conſequentia euincitur; quia valet argumentum de parte ad partem; ſicut de toto ad totum *l. quæ de tota ff. de rei vendic. cap. paſtoralis §. 1. & gloſ. verb. citationis de offic. deleg. l. iteriò genitum §. adeò ff. de pactis l. qui ſcit de vſuris*.

6 Aſſertio IV. Societas officij, quandò contrahitur; pecunia non fit recipientis, ſed remanet ſoluentis ſub ſolo periculo amiſſionis in caſu mortis *Rota Romana in d. illa Forliuienſi ſocietatis Lunæ Ianuarij 1614. num. 8.* Rot. Rō.

Seruanda eſt generalis regula, quādo in iure non fit exceptio.

Probatur primò ex generali regula ſocietatis, ſecundum quam dominium pecuniæ per alterum collatæ in ſocietate remanet penes illam conferentem, ergo non eſt; cur fiat exceptio in caſu ſocietatis contractæ in officio. Conſequentia probatur, quia quoad contractum ſocietatis in ordine ad tale dominium nulla fit exceptio in iure, vbi autem in iure nulla fit exceptio, ſeruanda eſt generalis regula. Confirmatur, quia ſi officialis præmoriatur ſocio; pecunia per iſtum collata eſt eidem reſtituenda, ergo manifeſtum ſignum eſt, quod in dominio eiuſdem ſocij permaneat, & ſolum eidem pereat in caſu mortis ipſius.

Rot. Rō. Probatur ſecundò, quia vt optimè notat *Rota Rom. in d. Forliuienſi ſocietatis Lunæ Ianuarij 1614. coram Damaſceno* regulariter in contractibus Societatis officiorum apponitur *ſub periculo amiſſionis in caſu mortis*, & hoc etiam, ſi expreſſè non apponatur, communiter implicitè ſubintelligitur, ſed non poſſet dici pecunia collata amitti in caſu mortis, niſi remaneret quoad dominium penès ipſum dantem *ad l. decem ff. de verb. oblig.* amitti enim dicitur, quod habetur, non autem; quod antecedentèr ex vi contractus iam eſt tranſlatum.

PRÆNOTIO XX.

Diluuntur nonnullæ aliæ difficultates quoad ſocietates officiorum.

SVMMARIVM.

Societas officij contracta ſuper duobus officijs, altero ex his vendito ſuſtinetur in vno, quandò eſt capax 1.

Plures ſocij ſuper eodem officio nequeunt admitti, quandò idem officium non eſt capax ſummæ ab vnaquoque collatæ 2.

Periculum officij manet penès officialem, pretij verò penès ſocium 3.

Enumerantur conditiones, quæ requiruntur ad contrahendam ſocietatem officij 4.

Non ſubſiſtit ſocietas ſuper officio commodato 5.

Aſſignantur modi, quibus ſocietas officiorum ſoluitur 6.

NE quid deſit, quod ad notitiam præfatæ ſocietatis officiorum attinere poteſt, & ne quæſtiones præterquamquod par eſt, protrahantur, placuit ea hic attingere, & ſub hoc vno, eodemque titulo omnia comprehendere. Primò igitur, quod hic examinabitur, erit, an ſocietas officij contracta ſuper duobus officijs, ſi vnum ex illis vendatur, ſuſtineatur in alio, ſi capax ſit. Secundum, an ſocij plures ſuper eodem officio poſſint admitti. Tertium, quomodò in ſocietate officij communicetur periculum. Quartum, quot, & quænam conditiones requirantur ad ſocietatem officiorum. Quintum quot modis officij ſocietas dirimatur.

Aſſertio I. Societas officij contracta ſuper duobus officijs, altero ex his vendito ſuſtinetur in vno, ſi ſit capax *Rota Rom. in vna Romana Societatis de Luchinis 24. Ianuarij 1573. coram Blanchetto, & in altera Romana Cenſus Lunæ 14. Ianuarij 1602. coram Sacrato, & in altera Romana ſocietatis officij Mercurij 28. Ianuarij 1604. coram Card. Melino, Cencius de cenſibus part. prima cap. 3. quæſt. 2. art. 2. num. 9.* 1

Rot. Rō. Cencius.

Probatur primò, quia vbi eſt ſubiectum ſufficiens communicabile in ordine ad fructus correſpondentes toti ſummæ collatæ, ibi poteſt ſuſtineri contractus ſecundum ſe totum, ergo ſi vnum officium capax eſt totius ſummæ collatæ in ordine ad duo officia; vno pereunte contractus adæquatè ſuſtinebitur in alio. Conſequentia probatur; quia pereunte, ſeu vendito vno officio, aliud permanens eſt ſufficiens ſubiectum pro tota ſumma. Confirmatur cenſus impoſitus ſuper duobus fundis ſuſtinetur in alio, ſi ſit capax pro ſuſtentatione totius cenſus *Rota Rom. in vna Romana cenſus de Carauaſchinis 28. Iunij 1610. coram Penia, & in alia Romana retractus domus 15. Decembris 1614. coram Vbaldo*, ergo etiam ſocietas contracta ſuper duobus officijs vno ipſorum vendito ſuſtineri debet in alio permanente, ſi hoc ſit capax.

Extenditur ex paritate cenſus ſuper duobus fundis conſtituti. Rot. Rō.

Probatur ſecundò. Non poteſt officialis, qui a ſocio integram ſummam recepit conuentione facta de communicatione quoad fructus determinata eidem præiudicium inferre eodem inconſulto, ergo vendito vno officio tenetur officialis in altero ſecundum ſe capaci omnia onera ſocietatis ſuſtinere, cæteroqui præiudicium inferret eidem ſocio vendendo alte-

tum

rum officium ipſo in conſulto, quandòquidem contra ius ab eodem acquiſitum alienaret diminuendo ius in eo, quod acquiſiuit

2 Aſſertio II. Plures ſocij ſuper eodem officio nequeunt admitti, quandò idem officium non eſt capax ſummæ ab vnoquoque collatæ. *Rota Rom. in vna Romana ſocietatum Luna 29. Ianuarij 1601. coram Card. Mellino.*

Probatur primò, quia ſocietas officij ex ſuperiùs dictis nequit ſuſtineri vltra valorem eiuſdem officij, ergo plures ſocijs ſuper eodem officio nequeunt admitti, quandò idem officium non eſt capax ſummæ ab vnoquoque collatæ. Conſequentia probatur, quia admiſſis pluribus ſocijs in quantitate excedente valorem eiuſdem officij eſſet conſtituta ſocietas ſupra id, quod pati poteſt officium, in quo conſtituitur. Confirmatur, quia ſi per vnum, & eundem conſtituatur ſocietas ſupra id, quod exigit ſocietas, non tenet eadem ſocietas quoad exceſſum, ergo etiam ſi conſtituatur per plures ſupra valorem eiuſdem officij non tenebit, niſi ſecundum eam quantitatem, ſecundum quam eſt capax officium. Conſequentia probatur, quia in tantum in primo caſu ſocietas quoad exceſſum non ſubſiſtit, in quantum officium non eſt communicabile, niſi ſecundum valorem, quod in ſe continet, vltra quem non poteſt communicari, ſed æquè eſt incommunicabile pluribus quoad illum valorem, quem in ſe non continet, ergo &c.

Non ſuſtinetur ſocietas ſine officio, nec ſuprà valorem officij.

Probatur ſecundò, quià ſuper officio, quod non eſt non poteſt conſtitui ſocietas, ergo etiam ſuper officio iam adæquatè communicato non poteſt conſtitui. Antecedens ex ſuprà dictis eam patet. Conſequentia probatur, quia communicato iam officio quoad totum ſuum valorem in ordine ad alium valorem perindè eſt, ac ſi non eſſet officium, cum non ſit aliud, quod poſſit communicari, ergo &c. Confirmatur, quia tota ratio ſocietatis conſiſtit in communicatione reddituum eiuſdem officij, non enim officium ipſum confertur ſocio ſecundum ſuam ſubſtantiam, cum ſtet periculo ſolummodò officialis, ſed redditus iam ſupponuntur alteri adæquatè communicati, ergo &c.

Ratio ſocietatis cõſiſtit in communicatione redditũ.

Ex quibus inferre potes, quod ſi vnus ex ſocijs tantum contribuit pecuniæ quantum abſorbeat totum id, quod ex ſocietate percipi poteſt in officio, & quidem antecedentèr ad alios, tunc ſocietas quoad ipſum adæquatè ſuſtineatur, & non quoad alios, eo modo, quo ſi vnus rem emerit antecedentèr ante alios eſt præferendus alijs emptoribus ſubſequentibus cum excluſione ipſorum per ea, quæ dicta ſunt *ſum. 1. ſub tit. Contractus II. de empt., & vend. Prænot. 11. num. 2.* ſi verò omnes ſimul contribuerint, tunc teneat ſecundum valorem, quem habet officium pro rata reſpectu vniuſcuiuſque, & quoad exceſſum ſit abſolutè inualida.

Aſſertio III. In ſocietate officij communicatur periculum non quoad ipſum officium, quod ſtat periculo officialis, ſed quoad pretium, quod confertur per ſocium, adeò vt vterque ſubiaceat periculo, officialis ſcilicet officij, ſocijs verò pretij collati. *Rota Romana in cit. Romana ſocietatum Luna 29. Ianuarij 1601.* 3

Rot. Rõ

Probatur, quia ex ſupradictis officium ipſum, nec quoad partem transfertur in ſocium, nec dominium pretij per eundem ſocium collati transfertur in officialem, niſi in caſu præcedentis mortis eiuſdem ſocij, ergo periculum ſolummodò officij ſtat penès officialem, & periculum pecuniæ penès ſocium eandem conferentem. Conſequentia probatur, quia periculum rei cedit domino eiuſdem rei, ergo ſi officium remanet penès officialem, & dominium pretij penès illud conferentem periculum debet reſpectiuè vtrique cedere. Confirmatur primò, quia in hoc perfectiſſima ſeruatur æqualitas, adeò vt periculum periculo compenſetur. Confirmatur ſecundò, quia pecunia collata in ſocietate per ſocium pecuniarium ſocio induſtrio ſtat periculo ſocij pecuniarij per ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt, ergo etiam pecunia collata per ſocium pecuniarium officiali in ſocietate officij eiuſdem periculo cedere abſolutè debet.

Aſſertio IV. Ad ſocietatem officij contrahendam multæ requiruntur conditiones, quarum aliæ requiruntur ſecundum quid aliæ ſimplicitèr. Singulas expendo 4

Prima eſt, quam colligo ex Conſtitutionibus *Leonis X. quæ incipit ad perpetuam rei memoriam Pauli IV., quæ incipit Inter cæteras curas, & Pij IV. quæ incipit. Motu proprio cum ſicut accepimus*, quod officium re vera ſit, & quod nulla pacta contra bonos mores interueniant; ratione quarum conditionum exegerunt Leo X., & Paulus IV. ne huiuſmodi ſocietates contraherentur, nec ſubſiſterent, niſi coram Romano Pontifice in ſignatura proponerentur, vel ſuper eis ſupplicationes expedirentur; ſed hæc qualitas propoſitionis coram Romano Pontifice, & expeditionis ſupplicationum abrogata fuit per Pium IV., & decretum, dummodò non interueniant pacta contra bonos mores, poſſint ſocietates ſine illis oriri.

Nulla pacta contrà bonos mores admittuntur.

Circà hanc conditionem oritur difficultas, an ſubſiſtat ſocietas contractus inter duos, quorum alter ſoluit alteri centum 5

num-

nummos aureos, vt admittatur in conſortium ſocietatis officij, alter admittit; cum tamen officium ipſum non habeat in ſe quoad proprietatem, ſed tantum quoad hunc effectum commodatum ab alio ipſum habente ea conditione, & pacto appoſito, vt ille, qui recipit illos centum nummos aureos ſoluat ſex ad bimeſtre, ille verò, qui ſoluit, ſi intra ſemeſtre præmoriatur, amittat illos centum. Quidquid aliqui in contrarium dixerint, Sentio abſolutè ſocietatem ſic contractam non ſubſiſtere. Ita, quamuis dubitanter propter conſuetudinem Romanæ Curiæ ſentire videtur *Caſtracanus tract. de ſocietatibus officiorum cap. 5.* Ratio, propter quam moueor, multiplex eſt, & primò, quia ſocietas officiorum ex ſua ratione importat communicationem fructuum eiuſdem officij factam per officialem ſocio ſoluenti pecuniam, ſed qui habet commodatum officium præcisè, non poteſt alteri communicare fructus eiuſdem officij, cum res commodata non pariat fructus commodatario; quod ſi dicas, quod, quamuis non communicet fructus officij, communicet tamen fructus æquiualentes, ad quos ſe obligat, ſtatim impugnaberis, quia hac ratione poſſet ſubſiſtere etiam ſocietas ſine officio, quandòquidem admittens alium in ſocietatem, poſſet eidem communicare, ſi non fructus officij, quod non habet, ſaltem alios fructus æquiualentes, ad quos ſe obligat, quod tamen eſt contra ſuperius dicta, & contra mentem Pontificum prohibentium ſocietatem ſuper officio ſine officio. Secundò, quià ille, qui accepta pecunia alterum admittit in ſocietatem, non eſt propriè reſpectu talis officij, officialis, quinimmò, ſi præmoriatur ante ſemeſtre ille, qui beneficium commodauit, ceſſat nemine reluctante ſocietas, ergo officium ipſum non eſt penès commodatarium, adeòque &c. Tertiò, quia qui non habet plenum dominium fundi non poteſt ſuper illum cenſum conſtituere, ergo qui non habet officium cum proprietate, & pleno iure non poteſt in illo conſtituere ſocietatem, quandòquidem in vtroque caſu tam cenſus, quam ſocietatis non venditur fundus, nec officium, ſed dumtaxat ius ad fructus. Quartò, quia hoc manifeſtè eſt in fraudem legis, & ſemel hoc poſito paſſim aperiretur aditus ad contrahendam ſocietatem officij ſine officio. Quintò, quia omnes fructus officij commodati pertinent ad commodantem, ergo per commodatarium nequeunt alteri ſocio communicari, adeòque neque ſuper illo conſtitui ſocietas. Conſequentia probatur, quia admiſſo vno ſocio ſuper officio pro ſumma adæquante valorem eiuſdem beneficij quoad fructus eiuſdem nequit alius ſocius admitti ſuper eodem beneficio, ſeù officio, ergo ſpectantibus omnibus fructibus officij ad commodantem ipſum officium, non poterunt fructus eiuſdem communicari per commodatarium alteri contribuenti pecuniam pro ſocietate in tali officio. Conſequentia probatur, quià in tantum in caſu antecedentis nequit alius admitti in ſocietatem officij, in quantum, cum fructus ad primum pertineant, ad quem ſunt communicati, non poſſunt amplius alteri communicari, ſed etiam ex eo, quod ſint obligati domino commodanti non poſſunt alteri communicari, ergo &c.

Non ſubſiſtit ſocietas ſuper officio alieno.

Caſtracanus.

Variæ rationes cui ponentes in ſententiam.

Secunda conditio eſt, quam etiam ſuprà aſſignauimus in ſecunda aſſertione, quod non admittantur plures ſocij in ſocietate officij, ità vt per collationem pecuniæ excedatur æſtimatio eiuſdem officij. Hanc ſtatuit Pius IV. in ſua conſtitutione ſupra allegata, qui etiam in hac parte moderatus eſt Conſtitutionem Iulij III. qui ſtatuerat, ne vltra medietatem æſtimationis officiorum ſocietates contraherentur.

Non admittitur ſocietas ſupra valorem officij.

Circa hanc conditionem controuertitur, an, ſi quis ſuper officio valoris quinquecentum nummorum aureorum conſtituát ſocietatem erogando ſexcentum nummos aureos ſuſtineri poſſit, ſi non in vim ſocietatis, ſaltem in vim ſponſionis. Vt autem clarius res percipiatur, efformo caſum in particulari. Theodoricus habens officium valoris quinque centum aureorum accipit a Flauio ſexcentum aureos ea conditione appoſita, vt idem, Theodoricus ſoluat fructus proportionatos eiſdem ſex centum aureis, ita tamen, vt ſi Flauius præmoriatur intrà ſex menſes Theodoricus eoſdem ſexcentum aureos faciat ſuos. An hic contractus licitus ſit, maximè inter ſe diſſident auctores. Caſtracanus *in tract. de ſocietatibus officiorum cap. 6. num. 7., & ſeqq. Virginius in libello de ſociet. offic. num. 102. & 126.* damnant, vt vſurarium, quia tunc contractus tranſit in mutuum, & per conſequens id, quod recipit Fabius, cum ſit vltra ſortem principalem importet vſuram, adeòque ſit reſtituendum, vel computandum in ſortem. Sotus *verò lib. 6. de iuſt. quaſt. 6. art. 2. ad fin. Nauarrus conſ. 25. de vſuris num. 2., & 3.* videntur eximere a quacunque labe vſuræ, & iniuſtitiæ propter periculum, cui ſe exponit Flauius. Quid, ergo concludendum? Ego ante factum non approbarem propter ſpeciem vſuræ, quæ præſumi poſſet in tali contractus, vt bene notat *Azorius Inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 9. quaſt. 1. verſ. ego ſane*, tum propter præſumptiones, quod ille contractus ſit initus in fraudem legis, & conſtitutionum Pontificum; poſt factum

Caſtracanus. Virginius.

Sotus. Nauarrus.

Ante factum non approbandum, poſt factum non damnandum.

verò

verò nõ damnarem, tùm propter rationem periculi, cui Fabius exponit ſortem ſuam, ſi præmoriatur intrà illud tempus; tùm quià hic eſt contractus innominatus fortunæ aleæ, ſecundum quem Fabius exponit diſcrimini capitale, Theodoricus verò propter ſpem acquiſitionis illius, quæ eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis ſoluit illud lucrum proportionatum; tùm quia tandem ſic practicatur nemine reluctante in ſimilibus contractibus, prout refert idem *Azorius loc. cit. quæſt. 1. verſ. certi iuris eſt*.

Tertia conditio eſt, vt ſocius, qui admittitur in ſocietatem per officialem numeret pecuniam conuentam coram Notario, & teſtibus. Hæc conditio præſcribitur per eaſdem Pontificum Conſtitutiones; videtur tamen quodamodò reuocari per Pium IV.

Hæc conditio ablata fuit per Pium IV.

Circa hanc conditionem nonnullæ ſuboriuntur difficultates, quarum primam eſt, an ſubſiſtat ſocietas, ſi pecunia actualitèr non conferatur, ſed res alia pretio æſtimabilis loco pecuniæ. Probabilius crederem in foro externo talem ſocietatem non ſuſtineri, quià per Sixtum V. *in ſua conſtit. hac de re edita* 1586. præſcribitur tanquam certa formula actualis numeratio pecuniæ coram notario, & teſtibus in contractu ſocietatis æque, an præſcribatur per Pium V. in conſtitutione cenſus per ea, quæ latè tradidi *tom. 1. ſub tit. Contract. IV. de emphyth., & cenſibus Prænot. 21. ſect. 4.* ergo ſicuti non ſubſiſtit cenſus ſine tali numeratione, quantumuis alia res pretio æſtimabilis conferatur, ità nec poteſt ſubſiſtere ſocietas ſine eadem numeratione, quantumuis &c.

Secunda difficultas eſt, an ex credito ex cauſa præcedenti poſſit ſocietas conſtitui, v. g. Caius officialis emit à Sempronio merces valoris centum nummorum aureorum, quos actu non ſoluit, ſed debet; deindè eundem Sempronium admittit in ſocietatem officij conuento pro eadem pretio centum aureorum; quæritur, an ſi Sempronius ratione crediti præcedentis, quod habet aduerſus eundem Caium, computet eoſdem pro totidem, quos deberet ſoluere ratione ſocietatis validè contrahat. Stante tali Pontificis conſtitutione crederem in foro externo non ſubſiſtere, quia numeratio ſtat pro forma, qua deſſiciente non ſtat contractus *Virginius de Societ. offi. nu. 64. & ſeqq.* Recole, quæ dicta ſunt *d. tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de emphyteuſi, & Cenſibus Prænot. 21. ſect. 4. per totum.*

Numeratio ſtat pro forma. Virginius.

Specialis conditio quoad ſocietatẽ officij.

Quarta conditio eſt, vt ſocius, qui centum ſoluit officiali ea conditione, vt, ſi intra ſex menſes deceſſerit, officialis eos ſibi centum acquirat, ità tamen, vt liberum ſit eidem ſocio intra dies quindecim a die celebrati contractus alium, quem voluerit nominare, cuius periculo vitæ ſtet officiali illos centum acquirere. Ex hac conditione ſequitur, quod ſocius apponens, tales centum ratione periculi, cui eos exponit, acquirat ſex ad ſex menſes. Quod ſi ſocius apponens illos nummos, antequam alium nominauerit, cuius vitæ periculo ſtet illa pecunia appoſita, præmoriatur, Caſtracanius *de ſociet. cap. 8. num. 11.* ſentit de iure communi illam pecuniam non amittere, quod verum exiſtimo, quantum eſt ex vi præciſè iuris communis, quià tamen regularitèr apponi ſolet pactum de tali amiſſione, ideò regularitèr ſequitur talis amiſſio, ſeù iactura, immò etiam vbi viget conſuetudo tale pactum apponendi, etiam ſi non expreſsè apponatur, quià id actum inter eos, qui contrahunt, eſſe dicitur, quod eſt ſolitum fieri *l. quod ſi nolit §. quià aſſidua ff. de ædil. edict., & l. ſi prius §. rectè placuit ff. de aq. pluuial. arc.*

Caſtracanus.

Alia conditio hanc ſocietatẽ requiſita.

Quinta conditio eſt, vt officialis, qui alium admiſſit in ſocietatem officij accepta pecunia, ſi is qui illam dedit, vixerit poſt ſex menſes, teneatur in quemcunque euentum reſtituere cum determinata quantitate lucri conuenti. Hæc conditio æquitandas conſona eſt, nam ſicuti pecuniam eam exponit periculo, ſi præmoriatur, ità eam accipiens in ſe videtur atrahere periculum poſt illud tempus, ſi ille, qui dedit, ſuperſtes fuerit; non enim hoc pactum eſt contrà naturam ſocietatis, ſed præter, quod, cum non habeat aliquam in iure diſſonantiam, non eſt, cur per contrahentes non poſſit induci *l. 1. §. conuenit ff. Depoſiti, & l. contractus quidem ff. de reg. iur. & l. in emptionibus ff. de pactis.*

Sexta eſt, vt officialis poſt ſex menſes à die initæ ſocietatis, ſoluat ſex pro centenario, quæ quidem conditio iuſta videtur, quia regularitèr officia quot annis tot fructus pariunt; tùm quia ratio iuſtificatiua acquiſitionis illorum ſex pro centenario poteſt eſſe ſufficientèr periculum, illud vi ſocius exponit illos centum, ſi præmoriatur ante bimeſtre, vtſuprà dictum eſt. Alias conditiones tu ipſe vidè apud *Azorium Inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 14. & 15.*

Azorius.

Aſſertio V. Multis modis ſocietas officij diſſoluitur. Singulos expendo.

Primò ſoluitur ſocietas per obitum eius, 6
cuius eſt officium, nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem ex ſuperius dictis ſocietas ſine officio ſuſtineri nequit, ſed quandò officialis mortuus eſt, officium non adeſt, quià tranſit ad Principem conferentem, ergo &c. Quamobrem in hoc caſu ſecuta morte officialis ex bonis hæreditatis ſocius compenſandus eſt in eo omni, quod contulit, & etiam in lucro, quod ex

Soluitur primò per mortem eius cuius eſt officium.

eodem debetur antecedentèr ad mortem. Neque hoc intelligendum eſt de morte naturali ſolummodò, ſed etiam de ciuili eiuſdem officialis, vt ſi ob delictum bona eius publicentur, & Fiſco adijciantur *l. adijone §. publicatione ff. pro ſocio Inſtit. de ſocietate §. publicatione*. Sed, an in hoc caſu teneatur idem Fiſcus reſtituere pecunias, quæ cæteroqui ſunt debitæ ſocio, qui illas contulit, diſſidium eſt apud Doctores. Crederem tamen abſolutè Fiſcum ad illam reſtitutionem obligari, quidquid in contrarium dixerit *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 16. verſ. quæres*. Ratio eſt, quia Fiſcus in hac hypotheſi computatur, vt hæres *Gloſſa, & Bartolus in l. intereſt §. fin. ff. de fideiuſſoribus, & Baldus in l. penult. §. primo C. ad Trebell. & in l. 3. C. ad leg. falcid.* quamuis non habeatur, vt ſuus, ſed vt extraneus hæres *Bartolus in l. iura libertorum ff. de iure patronatus, in l. eum qui in princip. ff. de interd. & releg., in l. 1. C. de bon. libert. Angelus in l. eorum ff. ad leg. Iul. Maiest. Romanus conſ. 63. col. 2. Alexander conſ. 23. Socinus conſ. 121. col. 3. vol. 4.* in quem propterea tranſeunt omnia iura, onera & actiones hæreditatis *In Specul. de ceſ. act. §. primo verſ. quid ſi bona*. Deindè illa bona tradita in ſocietatem per ſocium non fiunt ipſius officialis per ſuperius tradita, ergo per confiſcationem tranſire nequeunt in Fiſcum, ſed remanent eius, cuius ſunt, adeòque ſi capiantur, debent reſtitui.

Azorius. Gloſſ. Bartolus Baldus. Bartolus. Angelus. Roman. Alexander.

Soluitur ſecundo per venditionem officij

Secundò ſoluitur ſocietas, ſi officialis vendat officium, vel ad alterum transferat accedente Principis conſenſu propter eandem rationem, quandòquidem per talem tranſlationem deſinit eſſe officium apud officialem, adeòque ſubiectum ſocietatis, ſine quo nequit ſuſtineri ſocietas, quæ fundatur in ipſo, nec poteſt onus ſocietatis transferri in eum, qui idem officium acquiſiuit titulo emptionis, ſiquidem ille nullam contraxit ſocietatem cum eodem ſocio. In hac tamen hypotheſi hæredes eiuſdem ſocij venditoris, ſi hic præmoriatur, tenentur reſtituere eidem ſocio id, quod per officialem fuerat receptum, ad quod etiam tenentur fideiuſſores in defectum hæredum *Azorius Inſtit. moral. part. 3. lib. 9. cap. 16.*

Azorius.

Soluitur tertio morte naturali eius, qui ſoluit pecuniam

Tertio ſoluitur morte naturali eius, qui ſoluit pecuniam, quam tunc lucratur ille, qui eandem accepit, quæ ſolutio intelligenda non eſt, quandò mors ſequitur, vel ferro, vel veneno, ſi dictum fuerit in conuentione, ſi moriatur morte naturali. Quid autem dicendum ſit, ſi ille, qui dedit pecunias, ſe ipſum interemerit, aut ſi bello fuerit occiſus, Azorius *inſt. moral. part. 3. lib. 9. cap. 16. verſ. ſed quid ſi is, & verſ. ſeq. ſi quæras* exiſtimat quoad vtramque mortem ſocij, qui contulit pecunias, officialem illas ſibi non acquirere, quia vtraque mors non eſt naturalis, ſed violenta. Virginius *vero de ſocietatibus officiorum nu. 121. Caſtracanus tract. de ſocietatibus cap. 22. n. 2. & cap. 23. num. 1.* è contra ſentiunt officialem illas acquirere, qui etiam pro ſe citant *Bartolum, Baldum, Gulielmum*, & mouentur ea ratione, quia *ex cap. placuit 23. quæſt. 5.* dicitur, quod, qui ſibi mortem inferunt, dicantur ſe ipſos voluntariè perimere, quod idem dicunt, quandò ſocius in bello occiditur. Vtraque opinio probabilis, probabilior tamen prima Azorij.

Azorius. Virgin. Caſtrac. Bartolus. Baldus. Gulielm.

Soluitur quarto morte naturali eius, quem ſocius nominauit

Quartò ſoluitur morte naturali eius, quem nominauerit ille, qui pecunias dedit, vt vitæ eius periculo eſſent expoſitæ, hocque ſequitur ex ipſa conuentionis natura. Hic ſequitur immediatè difficultas, an in hypotheſi, ſecundum quam ſocius alterum nominauerit, ad cuius vitæ periculum eſſet expoſita pecunia, an, inquam, ſi ipſe, qui contulit talem pecuniam, & alterum nominauit, præmoriatur illi, quem nominauit, officialis immediatè lucretur illam pecuniam non expectata morte nominati. Abſolutè crederem officialem illam non lucrari, quia ex vi conuentionis pecunia non ſtat amplius periculo nominantis, ſed nominati. Verum tamen eſt, quod per mortem præcedentem ſocij, qui contulit pecunias, & nominauit, diſſoluatur ſocietas, non tamen officialis pecuniam ſibi collatam lucratur, quia ſuperuiuente nominato ipſius vitæ periculo ſtat ſolummodò eadem pecunia. Altera difficultas ſuboritur, quæ eſt, an ſi nominatus per ſocium, qui contulit pecunias poſt menſem ab inita ſocietate moriatur, ſocius, qui ab officiali totum lucrum accepit initio celebrati contractus, teneatur illud ad ratam temporis reſtituere eidem officiali. Exiſtimo non teneri illud lucrum ad ratam temporis reſtituere, & ſic communi conſuetudine Romæ receptum eſſe teſtatur *Azorius Inſtit. moral. lib. 9. cap. 16. verſ. dubia quæſtionis eſt*; nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem ſatis eſt, quod officialis, qui illud lucrum anticipatè ſoluit ſuccedente morte nominati acquirat totam ſortem; ſecus autem eueniret, ſi non nominatus, ſed officialis intra menſem interiret, & totum lucrum ſex menſium perſoluiſſet, quia tunc eidem, ſeu hæredibus eius eſſet lucrum ad ratam temporis vniformem reſtituendum, nam tunc ſocio, qui pecunias contulit, ſaluum eſſet abſolutè capitale, illudque reciperet poſt menſem poſtquam officialis mori præſuponitur. Ita Azorius loc. ſupracit. quem tu ob vberiorem notitiam conſule.

Azorius

Alia plura ſupereſſent de diſſolutione

socie-

Digitized by Google

ſocietatis diſcutienda, ſed quia abundè de illa occurret ſermo in diſquiſitionibus; ideò ab eiſdem in præſenti abſtineo. Interim ad alia progredimur, & præcipuè ad formulas, & Pontificias ſanctiones quo ad huiuſmodi officiorum ſocietates.

PRÆNOTIO XXI.

De Formulis ſocietatis officiorum, & Pontificijs conſtitutionibus quoad eandem ſocietatem officiorum.

SVMMARIVM.

Formula ſocietatis officiorum per extenſum 1.
Conſtitutio Pauli IV. per extenſum 2.
Conſtitutio Pij IV. per extenſum 3.

NON congruentiùs explicari poteſt modus, quo contrahitur ſocietas officiorum, & conditiones, quæ ad illius contractum requiruntur, quàm ſi de verbo ad verbum formula, & Pontificiæ conſtitutiones præſcribentes talem modum, & conditiones referantur. Formula igitur, quæ in vſu eſt in Ciuitate Romæ, eſt tenoris ſequentis ſcilicet.

Formula ſocietatis officiorum quoad vrb. Romæ.

1 In nomine Domini &c. *Per præſens publicum inſtrumentum &c. Perſonaliter conſtituti D. D. N. Sacri Palatij Apoſtolici cauſarum Notarius ex vna, & N. ex altera parte ſponte &c. inierunt inter ſe ſocietatem ſuper dicto officio Notariatus, quam venire, & durare voluerunt ad ſex menſes proximè venturos, & deindè ad beneplacitum amborum partium cum diſdicta, & intimatione quindecim dierum præcedente, qua fieri poſſit domi dimiſſa copia, in qua ſocietate dictus ſecundus N. poſuit ſcuta 200. in auro, quæ prædictus Sacri Palatij Apoſt. cauſarum Notarius N. ab eodem N. præſente in mea Notarij &c. præſentia, in prompta, & numerata pecunia recipit, & ad ſe traxit, de quibus &c. exceptioni &c. & illa reſtituere promiſit eidem N. præſenti &c. ſeu, cui ipſe ceſſerit, in ſimili ſpecie, ſtatim finita præſenti ſocietate abſque exceptione, & illa durante facere participem dictum N. in fructibus ordinarijs, & extraordinarijs dicti officij pro rata parte, quam partem propter incertitudinem fructuum dicti officij, & faſtidia computorum, quæ deſuper oriri, & eſſe poſſent dictus N. ſocius conduxit ab eodem N. officiali ad rationem duodecim ſcutorum ſimilium pro qualibet centenario in anno, quæ ſolui debeant de ſemeſtri in ſemeſtre, & in principio cuiuslibet ſemeſtris, & ſine libera, & exempta ab omni onere ordinario, & extraordinario, decimæ, ſubſidio, impoſitione quauis auctoritate impoſitis, & imponendis in euentum belli, peſtis, obitus Pontificis, concilij, etiam ipſo officiali officium amittente, ſeu dimittente, & in quoſcunque alios caſus, & euentus, qui eſſe poſſent, cum pacto, quod dicta ſcuta duodecim ſimilia ſemper currant, & debeantur ad eandem rationem in omnes dictos euentus, & poſt finitam, ſeu diſdictam ſocietatem, vſque ad integram, & realem dictorum ſcutorum reſtitutionem loco damnorum, & intereſſe, quæ ad tantundem dicti contrahentes æſtimarunt, & taxarunt. Super morte autem conuenerunt, quod moriente eo, qui pecuniam contulit ante officialem durante ſocietate huiuſmodi morte tamen naturali, non violenta, non vi, ferro, nec veneno, ſeu aliter cumque inflicta ab homine violenter, quod dictus officialis lucretur illa ducenta, & teneatur tantum ad ſolutionem fructuum decurſorum non ſolutorum. In omnes autem alios caſus, & euentus idem dictus officialis teneatur ad dictam ſcutorum ducentorum ſolutionem, & reſtitutionem, & dictus ſocius, qui primò ſoluit illa ducenta ſponte &c. confeſſus fuit habuiſſe dictam ratam partem conductam, ſeu fructus primi ſemeſtris ab eodem officiali, de quibus &c. Vlterius conuenerunt, quod dictus ſocius, qui ſoluit illa ducenta, poſſit nominare aliam perſonam, & in eam periculum mortis, ac dicta ſcuta ducenta cum omni iure, quod habet virtute præſentis obligationis, & inſtrumenti cum conuentione, quàm dimiſſum, dictaſque pecunias in totum, ſeu in partem arbitrio ſuo transferre, & ſe ex toto, vel in parte excludere, quæ perſona poſſit, & valeat vti præſenti inſtrumento, & contra quoſcunque virtute illius agere, & experiri in iudicio, & extra in omnibus, & per omnia, prout ipſe nominans poſſet, ſi alium non nominaſſet, adiecto pacto, quod ipſe ſocius teneatur eandem nominationem, & translationem intimare, & vincere per decem dies poſt factam intimationem, quæ etiam valeat domi dimiſſa copia. Et item idem officialis promiſit dare in fideiuſſores huic ſocietati, qui perſonaliter accedent D. N., & N. quos licet abſentes me Notario &c. indemnes releuare promiſit, & promiſit, quod moriente, ſeu conditionem deteriorante vno, ſeu quolibet ipſorum dabit alium, ſeu alios æque idoneos, qui eodem modo accedant; Alias voluerunt dicti contrahentes, quod dictus officialis teneatur ad reſtitutionem, & ſolutionem omnium, ad quæ teneretur, ſi ſocietas eſſet finita præſentibus teſtibus &c.*

Ex huius ſerie inſtrumenti facilè erit colligere conditiones omnes, quæ in huiuſmodi contractibus ſocietatis officiorum apponi ſolent, & poſſunt, quæ etiam ſparſim explicatæ ſunt in præcedenti præcipuè prænotione. Vt tamen clarius appareat, quænam fundentur huiuſmodi

conditioue, placet etiam de verbo ad verbum tenorem Pontificiarum Conſtitutionem in hac materia emanatarum hoc in loco referre. Prima eſt Pauli IV. edita anno Incarnationis Dominicæ 1555. nonis Nouembris, quæ eſt tenoris ſequentis.

PAVLVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

INter cæteras curas, quibus ex miniſterio Apoſtolatus nobis Diuina gratia munere commiſſo aſſidue premimur, illa nos maximè vrget, vt praua conſuetudines, & abuſus, qui in hanc almam vrbem noſtram malitia hominum irrepſiſſe cernimus, noſtra diligentia tollantur. Cum itaque (ſicut fide dignorum relatione nobis innotuit) diuerſæ vtriuſque ſexus perſonæ, tam ipſius vrbis ciues, ſeu originarij, quàm Romanam Curiam ſequentes ſub prætextu, quod in dicta Curia ſuper illius officijs ſocietates ad rationem duodecim, & quandoque plurium pro centenario paſſim fiant, & ſocietates huiuſmodi licitæ reputentur propterea, quod officia ipſa fructus ſuos verisimiliter ad eandem rationem reddant, & pecunias ipſas in ſocietatem recipientes, ſi illas donec, aut ſinguli aliquem ex ijs nominati moriantur, ſortem principalem pecuniarum per eos in ſocietatem receptarum lucrentur, & è contra ſi recipientes pecunias in ciuitate commoriantur, pro eo, quod officia, ſuper quibus ſocietates huiuſmodi contractæ fuerunt, ipſis morientibus deficiant, eorum hæredes, aut fideiuſſores ſortem receptam reſtituere cogantur, pecunias ſuas ſub nomine ſocietatis, ſeu tamen ſuper aliquo eiuſdem Curiæ officio mutuent, & duodecim, & quandoque plura pro centenario nomine quidem fructuum ipſius Societatis, ſed re vera pro vſuris pecuniarum per eos mutuatarum exigant, vſurariam prauitatem committendo, & nonnulli præfatæ Curiæ officiales ſuper officijs per eos pro tempore obtentis, diuerſas ſocietates cum diuerſis perſonis etiam vltra valorem ipſorum officiorum, & cum pactis aliquando minus licitis ſæpius ineant, & ſingulis perſonis pecunias ſuas eiſdem officialibus intra valorem eorundem officiorum, abſque eo, quod vnam alia ſciat, credentibus tam pro ſorte principali, quàm pro fructibus dictarum ſocietatum fideiuſſionem præſtent aliorum officialium, qui officia ſua alijs pro maiori pecuniarum ſumma, quàm illa valeant obnoxia, & hypothecata habent, & exinde fiat, vt officia ipſa, quandoque vltra decuplum eius, quo vendi poſſunt, obligata reperiantur. Et tam principales debitores, quàm fideiuſſores non ſolum fidem fallant, & creditores ſuos pecunijs, quas illas eiſdem officialibus crediderunt, & fideiuſſorum ſuorum fidem ſequentes crediderunt, priuent, & fruſtrentur, etiam iuramentis per eos in ſocietatibus huiuſmodi præſtitis temerè contrauenienda, verum etiam facultate ſocietates huiuſmodi clam ineundi, ſe ipſos, & ſuam familiam depauperent, ſuumque, & aliorum ſubſtantiam diſſipent, & animarum ſuarum periculum, & eiuſdem Curiæ ignominiam, ac complurium, qui in præmiſſis non delinquunt, detrimentum. Nos cupientes, quantum cum Deo poſſumus, animarum periculis obuiare, & alijs inconuenientibus prædictis occurrere, motu proprio, non ad aliquam nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & mera deliberatione noſtris per præſentes decernimus, & declaramus omnes, & ſingulas ſocietates ad rationem certo, & determinata pecuniarum ſumma quolibet menſe, vel anno, aut alio ſtatuto tempore ſoluenda, etiam ſub periculo mortis alicuius alias, quàm ſuper officijs præfatæ Curiæ de cætero faciendas illicitas, & iniuſtas fore, & vſurariam prauitatem continere, & ex eis aliquod ius, & actionem acquiri non poſſe. Et inſuper hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione ſancimus, atque ſtatuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus nullus tàm in dicta Curia, quàm in tota ditione Eccleſiaſtica officialis cuiuſque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ exiſtat, aliquam ſocietatem ſuper officio, vel officijs ad noſtram, vel ſedis, vel Cameræ Apoſtolicæ, vel Camerarij, Vicecancellarij, Pœnitentiarij Maioris, & cæterorum Palatij Apoſtolici Auditorum diſpoſitionem quomodolibet pertinere, ſeu pertinentibus, quæ vendi conſueuerunt, per eum pro tempore obtentis cum aliqua, ſeu aliquibus perſona, ſeu perſonis, Collegio, communi, & vniuerſitate vltra dimidium valoris officij, ſeu officiorum huiuſmodi, & niſi præcedente ſignatura nobis, aut Rom. Pontifice pro tempore exiſtente obtenta, in qua ſubſtantia rei [illegible] vt diſcerni poſſit, an licita ſit, vel illicita, facere præſumat. Et quod ſocietates ſuper officijs huiuſmodi aliter factæ non valeant, nec viribus ſubſiſtant, earumque prætextu nulla agi poſſit. Nos enim ſignaturas huiuſmodi, quas abſque aliarum literarum expeditione, regula contraria non obſtante, ſufficere volumus, per noſtrum Datarium, ad inſtar reſignationum officiorum huiuſmodi expediri, & pacta in ipſis ſocietatibus pro tempore appoſita, ad hoc, vt licita tantum ſtatuantur, committi, ne ſocietates ipſas, vt quibus innoteſcere poſſint, nec vltra dimidium pretij ipſorum officiorum ſiant, in aliquo particulari libro, apud ipſum Datarium adnotari, & pro expeditione ſignaturæ, & adnotatione huiuſmodi dimidium tantum pro quolibet centenario partes ipſas præfato Datario ſolui. Et vt fraudes, & pacta illicita in ſocietatibus aliàs facta detegantur, ac illæ in tempore examinari poſſint, ſocietates

hacte-

habentes ſaltem, & adhuc vigentes, videlicet datarios, & ſeu ab eorum tempore deputatos cum opportuna ſpecificatione eorum, qui illas cum eiſdem, quam paſſiuè fecerunt, & officiorum, ſuper quibus, ac pecuniarum pro quibus, & temporis de quo, & ad quod facta fuerunt, infra tres menſes à die publicationis præſentium modo infraſcripto faciendæ computandos, notificari volumus, & mandamus, ac niſi, vt præfertur, notificatæ fuerint, eaſdem eiſdem tribus menſibus elapſis penitus, & omnino extinctas eſſe, nec ius, aut actionem aliquam tribuere poſſe. Sicque, & non alias in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque etiam Auditores præfatos, ac Cameræ huiuſmodi Clericos in quauis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi authoritate, & facultate, iudicari, & definiri debere, ac ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Vt autem præſentes literæ ad omnium, quorum intereſt, aut intereſſe poterit quomodolibet in futurum, notitiam deducantur, nec vllus ſe illarum ſui ignorantiam excuſare, aut ignorantiam prætendere poſſit, volumus eaſdem literas in valuis Cancellariæ Apoſtolicæ, & audientiæ literarum noſtrarum contradictarum, ac Cameræ Apoſtolicæ, & aciei campi floræ per aliquos ex curſoribus noſtris, legi, & publicari, ac affigi, affixaſque inibi aliquo temporis ſpacio dimitti, & poſtmodum tolli, earum exemplis cum originali collationato loco illarum affixo, & dimiſſo. Nulli ergo &c.

Ex huius conſtitutionis Paulinæ ſerie iam habes multas conditiones, quæ in præcedentibus fuerunt examinatæ; aliaſque plures, quæ pertinent ad formam extrinſecam, ſolemnitatemq; talis contractus Societatis officiorum, alias, quæ reſpiciunt contractus imposterum ineundos, alias, quæ etiam referuntur ad iam initos.

Secunda conſtitutio eſt Pij IV. quæ incipit *Cum ſicut accepimus*, in qua plures reuocantur ex conditionibus poſitis in præallegata Conſtitutione Pauli IV. aliæque inducuntur, quæ eſt tenoris ſequentis videlicet.

PIVS Papa IV. motu proprio.

CVM ſicut accepimus fel. record. Paulus Papa IV. Prædeceſſor noſter certis tunc expreſſis cauſis motus, quod nullus tunc in Curia, quauis in alia ditione Eccleſiaſtica Officialis cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis, & præeminentiæ exiſteret, tunc, & pro tempore aliquam ſocietatem ſuper aliquo, ſeu aliquibus eius officiis ad eum ſuam, ſeu Sedis, aut Cameræ Apoſtolicæ, ſeu Camerarij, ViceCamerarij, Pœnitentiarij maioris, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditoris diſpoſitionem quomodolibet pertinentibus, quæ venali conſueuerunt per eum obtineri, pro tempore cum aliqua alia perſona, ſeu perſonis, communi, Collegio, ſeu Vniuerſitate, niſi præcedente ſignatura ab eo, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente, obtin. in qua pacta, & conuentiones partium exprimi deberent, pro cuius expeditione, & certa aduocatione mediam pro centenario quolibet ſcutorum, ſeu ducatorum cogeretur ſoluere, inire præſumeret, & ſocietates aliter quam ſic initæ non valerent, & earum prætextu agi non poſſe, & forſan alia tunc expreſſa, ſua conſtitutione motu proprio ſub dat. Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ 1555. nonis Octobris Pontificatus ſui anno primo ſtatuerit, & ordinauerit, prout in ea latius continetur, & habetur. Nos conſiderantes, ſicuti fideli relatione percepimus, quod ex huiuſmodi Conſtitutione multæ, & diuerſæ tam noſtræ almæ Vrbis, quàm Ditionis Eccleſiaſticæ, & extrà eam perſonæ, quæ antea, pecunias in ſocietatibus officiorum huiuſmodi contrahere ſolebant, ea prohibitione vtentes nouas terrere dictas ſocietates, quæ in notabili numero, & ingenti pecuniarum ſumma exiſtebant, ſtatim diſſoluerunt, & reuocarunt, ad exactionemque pecuniarum ſic in ſocietatibus datarum agere, & officiales, eorumque fideiuſſores cogere cœperunt, & eouſquè inſtiterunt, quo factum eſt, vt officiales ipſi, et eorum fideiuſſores tum etiam ob mala tempora, quæ interuenerant promptam non haberent, quam reſtituerent pecuniam, nec ab aliis propter huiuſmodi conſtitutionis difficultatem pecunias in ſocietatem reciperent, eorum officia, ſeu bona alia vili ſtatim pretio vendere, et alienare, vel pecunias aliàs ſub grauioribus etiam illicitè capere, vel poſſent, quod pluribus contigit, decoquere, et ab Vrbe aufugere, et ſic creditores omnino defraudare cogerentur; ex quo grauia damna, et incommoda tam Vrbi, quàm ipſis particularibus officialibus, et perſonis illata fuerunt, quæ etiam hodie ſuſtinent, cupientes quantum cum Deo poſſumus his malis obuiare pro tempore futuro, ac officiales ipſos, et alios intereſſe putantes ab huiuſmodi grauaminibus, et damnis eoſdem cum debitis exactionibus liberare, Supplicationibus dilectorum filiorum noſtrorum populi Romani, et Conſeruatorum almæ Vrbis noſtræ ſuper hoc nobis porrectis inclinati, eiſque inſtantibus, et cum eis more pij Patris benignè agere volentes motu

ſimili

ſimili ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine dictam Conſtitutionem per dictum Paulum IV., vt præmittitur, factam cum omnibus in ea appoſitis clauſulis, cuius tenores, ac ſi de verbo ad verbum insererentur, pro expreſſis haberi volumus; caſſamus, irritamus, & annullamus, ac pro caſſatis; irritis, et annullatis haberi volumus, illamque viribus tempore futuro penitus euacuamus. Volentes, et auctoritate noſtra decernentes, quòd de cætero ipſis officialibus ſuper tamen eorum officijs ſocietates quaſcumque cum pactis tamen licitis, et honeſtis, prout, et quemadmodum ante Conſtitutionem præfatam ſolitum erat, etiam nulla à nobis, ſeù Romano Pontifice pro tempore exiſtente deſuper expedita ſupplicatione, ſeù ſignatura; non tamen vltrà valorem officiorum, ſuper quibus illa fieri contingeret, ità quod ad requiſitionem ſecum ſocietates contrahentium teneantur in ipſo contractu ſpecialiter exprimere alias ſocietates ſuper eodem officio contractas, ſi quæ ſint, et ſi eas falsò negauerint, vel non expreſſerint in toto, vel in parte pœnam priuationis officiorum ipſorum, ſuper quibus ſocietates huiuſmodi contractæ fuerint, ſine tamen præiudicio creditorum, quatenus illis aliundè ſatisfieri non poſſit, ipſo iure incurrant, et nihilominus tàm ipſi, quàm fideiuſſores deſuper præſtiti ad ſatisfactionem ſocietatum, et debitorum deſuper contractorum teneantur, et obligati exiſtant, facere, et inire, ac pecunias recipere, et contractus deſuper celebrare, qui alias tamen legitimè initi validi, & efficaces exiſtant, & executioni demandari debeant liberè, & licitè poſſint, & valeant, licentiam, & facultatem concedimus per præſentes. Dicta conſtitutione, cæteriſque in contrarium quomodolibet facientibus non obſtantibus quibuſcumque præmiſſorum omnium, & aliorum hic forſan neceſſariò exprimendorum tenores pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes &c.

Aliam conſtitutionem Leonis X. refert *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 8. verſ. 2. quæritur*, quam, quia non inuenio in Bullario inter conſtitutiones eiuſdem Pontificis, ideò pro eadem vos remitto ad *Caſtracanium tract. de ſocietatibus officiorum prope finem*, qui eandem ad verbum refert, prout teſtatur idem *Azorius loc. cit.*

PRÆNOTIO XXII.

De iuſtitia, vel iniuſtitia quarundam conditionum in ſocietatibus officiorum.

SVMMARIVM.

Proponuntur rationes dubitandi 1.
Poteſt licitè officialis, qui pecuniam recepit, obligari ad ſoluendum lucrum anticipatè 2.
Non poteſt obligari officialis ad ſoluendum lucrum ad ſemeſtre in euentum, quo intra illud officium amittat, vel dimittat 3.
Idem dic de lucro finita ſocietate, vel dimiſſo officio vltra illud ſemeſtre 4.
Amiſſo officio ſi ante reſtitutionem capitalis ſocius moriatur, reſtitutio facienda eſt ipſius hæredibus 5.
Scriptura ad validitatem ſocietatis officiorum non eſt neceſſaria 6.

QVoniam Pius IV. in præallegata ſua conſtitutione caſſatiua, ſeù annullatiua quarundam conditionum, quas appoſuit Paulus IV., conſtituit, vt imposterùm iniri poſſent ſocietates ſuper officijs, cum pactis tamen licitis, & honeſtis, prout, & quemadmodum ante conſtitutionem præfatam Pauli IV. ſolitum erat, ideò ad pleniorem notitiam earum, quæ ad huiuſmodi officiorum ſocietates pertinere poſſunt, placet nonnullas conditiones, quæ ſub dubio eſſe poſſunt, an ſint iuri, & æquitati conſentaneæ, ex profeſſo examinare, quas omnes ſub hoc vno, eodemq; titulo comprehendo, vt, quantum fas eſt, conſulam breuitati. Prima igitur 1
conditio, quæ cadere poſſit ſub dubium, ea eſt, an, qui habet officium, & pecuniam accepit in ſocietatem, poſſit obligari ad ſoluendum lucrum anticipatè in principio ſemeſtris. Secunda, an iuri ſit conſentaneum, vt qui habet officium, & aliquam pecuniæ quantitatem recepit in ſocietatem, obligetur ad ſoluendum lucrum ex illa pecunia ad ſemeſtre in omnem euentum, etiam ſi amittat, vel dimittat officium, immò poſt finitam quoque, aut ſolutam ſocietatem, donec illam pecuniam, quam accepit, re ipſa reſtituat. Tertia, an ad validitatem contractus ſocietatis neceſſe ſit, vt ſcriptura compleatur.

Articuli, circa quos præſēs titulus verſatur.

Aſſertio I. Non eſt æquitati diſſonum, 2
vt, qui habet officium, & pecuniam in ſocietatem recepit, obligetur ad ſoluendum lucrum anticipatè. Sic expreſsè ſentire videtur *Azorius inſtit. mor. lib. 9. cap. 14.* qui tamen antecedenter nonnullas difficultates contra aſſertum proponit, nec dilucidè ſoluit.

Azorius

Probatur aſſertio. Ea eſt ſocietatis officiorum conditio, vt ſi ſocius, qui pecuniam erogat officiali in ſocietatem intra ſex menſes moriatur, amittat pecuniam, quam erogauit *Caſtracanus de ſocietatibus cap. 8. num. 11. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 11.* & eſt conformis conſtitutioni Pauli IV. præallegatæ, & ſtilo Romanæ Curiæ, & communi conſuetudini vbique receptæ, ergò iuri, & æquitati conſenta-

Caſtrac. Azorius. Paulus IV.

ſentaneum videtur, vt ipſe poſſit exigere conditionem, vt lucrum, quod ex tali contractu ſperat, poſſit anticipatè velle, & licitè acquirere. Conſequentia probatur, quia conſentaneum eſt, vt qui periculo ſuam ſortem exponit, ſi propria mors intra ſex menſes obueniat, poſſit exigere emolumentum lucri pro tali tempore, ità vt fiat quodammodo compenſatio illius periculi cum tali lucro. Confirmatur ex ſtilo Romanæ Curiæ; vt præcipuè colligitur ex formula inſtrumenti contractus ſocietatis in principio præcedentis prænotionis ad verbum recitati. Ibi: *Et dictus Paulus ſponte &c. confeſſus fuit habuiſſe dictam ratam partem conductam, ſeu fructus primi ſemeſtris &c.* quod certè intelligi non poteſt, niſi antecedenter facta fuerit eadem ſolutio, quandòquidem, vbi fit inſtrumentum, ſeu tempore eiuſdem inſtrumenti ſupponitur dumtaxat fieri, & exprimi dictus contractus ſocietatis.

Aſſignatur æquitas, & ratio, cur lucrum anticipatè acquiri poſſit, & exigi.

Ex ſtilo Romanæ Curiæ.

Dices primò, ex natura, ſeu iuxtà naturam ſocietatis in genere eſt, vt lucrum non debeatur, niſi finita ſocietate *Azorius d. part. 3. lib. 9. cap. 14.* & communiter omnes ſcribentes; ergo etiam in ſocietate officiorum illud lucrum non debetur, niſi poſt ſex menſes, non verò anticipatè. Conſequentia probatur, quia, quod competit generi in ſua latitudine, debet etiam competere ſpeciebus ſub illo contentis. Sed contrà, quia in primis, vt bene notat *Azorius dict. cap. 14.* ſocietas officiorum non eſt propriè ſocietas, niſi ſecundum quandam analogiam, & ſecundum nominis ſignificationem, cæterum eſt potius quidam contractus innominatus, *Do, vt des*; nam in cæteris ſocietatibus rerum, ſeù pecuniarum ea non ineſt conditio, vt ſi ſocius moriatur ante ſemeſtre, amittat ſortem, quam in ſocietatem erogauit, vndè ſicuti ſocietas officiorum ſortitur diuerſas conditiones ab alijs ſocietatibus, ita non eſt, cur diuerſa iura nequeat ſortiri. Deindè dato etiam, quod ſocietas officiorum eſſet propriè ſocietas, non eſt aliqua diſſonantia, cur ex diſpoſitione iuris, ſeù ex communi conſuetudine ſine contradictione recepta non poſſit aliquod ſpeciale priuilegium habere, ſicuti habet diuerſas rationes, vt videre etiam eſt in cenſu vitalitio comparatiuè ad alios cenſus irreuocabiles, reſpectu cuius competunt aliqua, quæ non competunt alijs cenſibus.

Azorius.

Specialis rationis eſt ſpecies iuris.

Societas officiorum non eſt ſocietas, niſi ſecundum analogiam.

Dices ſecundò. Si ſocius anticipato tempore lucrum ſemeſtris poſſet licitè accipere, puta ſex pro ſingulo centenario, perindè ſe haberet, ac ſi tantum ſocio pro centum dediſſet nonaginta quatuor, ſed hoc iuri non eſt conſentaneum, quandoquidem pro nonaginta quatuor tantum lucri exigeret, ac ſi centum contuliſſet, ergo &c. Sed contrà, quia quamuis illa anticipata ſolutio lucri æquiualeat ſolutioni ſortis in illa minori quantitate, nempè nonaginta quatuor, re tamen vera, & formaliter ſolutio ſortis eſt centum, & quamuis per ſocium non ſoluerentur, niſi nonaginta quatuor, fictione tamen iuris haberentur pro centum habito reſpectu ad illa ſex, quæ omittuntur pro lucro; neque hoc mirum debet apparere, quia hoc eſt ſpeciale in ſocietate officiorum propter argumentum adductum ad probationem aſſertionis; atque in hoc conſentiunt *Azorius, & Caſtracanus loc. cit.*

Fictione iuris illa nonaginta quatuor habetur pro centum.

3 Aſſertio II. Officialis, qui alterum admiſit in ſocietatem officij accepta ab eodem certa pecuniæ quantitate, non poteſt licitè obligari ad ſoluendum lucrum ad ſemeſtre in euentu, quo officium amittat, vel dimittat, nec vltra ſemeſtre poſt finitam, ſeu ſolutam ſocietatem, ſi capitale adhuc non reſtituerit, donec reſtituat. In hanc aſſertionem propendent nonnulli ſuppreſſo nomine apud *Azorium inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 15.*

Azorius.

Probatur primò aſſertio. Societas officij cum certo lucro non poteſt ſubſiſtere non exiſtente eodem officio per ea, quæ ex allegatis Pontificum Conſtitutionibus ſtatuta ſunt in ſuperioribus, ergo in euentu, quo officialis officium amittat, vel dimittat non poteſt obligari ad ſoluendum lucrum ex eodem. Conſequentia probatur, quia amiſſo, vel dimiſſo officio poteſt pro illo tempore, pro quo amittitur, vel dimittitur, dici, quod abſolutè non exiſtat penès eundem officialem, ergo ſi eo non exiſtente non poteſt ſocietas exiſtere, & per conſequens non parere lucrum, eo etiam dimiſſo non poteſt idem lucrum gignere. Hoc argumentum, quod euincit non poſſe obligari officialem ad ſoluendum lucrum ſemeſtris, quandò intra ſemeſtre officium amiſit, vel dimiſit, euincit etiam non poſſe obligari ad ſoluendum illud lucrum ſocietatis finita, ſeù ſoluta ſocietate, donec ſortem, quam recepit, reſtituat, prout conſideranti fit manifeſtum.

Sine officio non ſubſiſtit ſocietas, nec parit fructus.

4

Non poteſt obligari, ad ſoluendum lucrũ ſocietatis ipſa finita, quamuis pecuniam retineat.

Dices primò, ex dictis in præcedenti aſſertione, eiuſque probatione poteſt officialis obligari ad ſoluendum ſocio conferenti pecuniam, lucrum ſemeſtris anticipatè, ergo, etiam ſi illud amittat, vel dimittat intra ſemeſtre, tenebitur illud relinquere eidem ſocio, cui contulit; non enim idem ſocius tenetur dimittere, quod iuſtè recepit, ergo etiam poterit obligari ad illud ſoluendum pro integro ſemeſtri, quantumuis illud officium amiſerit, vel dimiſerit ante idem ſemeſtre. Hæc conſequentia probatur, quia ius, quod habet ſocius

ten-

retinendi ſolutum per officialem, arguit etiam ius ipſum obligandi ad ſolutionem, ſi nondum ſoluerit. Sed contrà, quia inprimis non ita certum eſt, quod ſocius poſſit detinere illud lucrum integrum, quod anticipatè pro ſemeſtri per ipſum receptum eſt, quando intra ſemeſtre officium amittitur, vel dimittitur; ſupponi enim poteſt, quod illa anticipata ſolutio fuerit ſaltem implicitè conditionata, ſi ſcilicet ipſe officialis pro toto illo tempore perſeuerauerit in officio, ſecus quod non teneat, niſi ad ratam temporis vniformem; hæc etenim præſumi debet intentio contrahentium iuxtà exigentiam eiuſdem contractus. Deindè non valet argumentum à iam ſoluto ad ſolutionem ponendam; multa enim facta tenent, quæ fieri prohibentur, & in ſpecie quoad hoc congruit non inefficax præſumptio, quandòquidem, ſicuti ſocius exponit ſuam ſortem periculo, ſi intra ſemeſtre præmoriatur, ita officialis illud lucrum, quod anticipatè perſoluit exponere præſumendus eſt, ſi officium ante ſemeſtre amittere, vel dimittere contigerit; eo enim ipſo, quod illud ſoluit, cuicunque iuri cedere cenſendus eſt, præcipuè ſi illud amittat culpa ſua, vel ſpontè dimittat, quod non eſt præſumendum, quandò illud anticipatè non ſoluit.

Non valet argumentũ à iam ſoluto ad ſolutionem ponendã.

Dices ſecundò, quotieſcunque officialis, qui officium ſua culpa amiſit, vel ſpontè dimiſit, non reſtituit ſortem, quam a ſocio recepit, eſt in mora indebita, ergo vtpotè moroſus, & iniuſtus debitor obligari poteſt ad lucrum proportionatum eidem contractui perindè, ac ſi ipſe contractus in ſua ſubſtantia perſeueraret. Sed contrà, quià ad ſummum in pœnam dilatæ ſolutionis contrà expreſſam, vel ſaltem præſumptam voluntatem creditoris poterit obligari ad aliquid perſoluendum, non autem ad lucrum contractus, ſi ipſe contractus non amplius perſeueret; & quidem contractus, qui non eſt, nullum poteſt eſſe intereſſe. Deindè videndum eſt, an ex tali iniuſta, & indebita ſolutionis dilatione ipſi ſocio damnum aliquod emergat, vel lucrum ceſſet, quod certè erit iuxta iuſtitiæ ordinem compenſandum etiam non poſità de hoc conuentione, quià officialis ſupponitur iniuſtus detentor, ſed hoc non eſt lucrum ſocietatis, de quo ſolummodò procedit aſſertio. Cæterùm nullo damno emergente, vel lucro ceſſante non eſt aliqua ratio quid exigendi, niſi in pœnam dilationis indebitæ, & iniuſtæ contra voluntatem creditoris, quod teſte *Azorio Inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 15. verſ. ſed dicendum exiſtimo* non poteſt aſcendere, niſi ad quatuor, vel quinque pro ſingulo centenario in ſingulos annos iuxta conſuetudinem receptam in Romana Curia, ſecundum quam per Iudicis ſententiam moroſus debitor non ſolet condemnari, niſi ad enuntiatam ſummam quatuor, vel quinque pro centenario.

Ad ſummum pœnendo eſt cõpenſatio pro lucro ceſſante, vel damno emergente.

Azorius.

Pœna dilationis aſcendo ad ſummum ad quatuor, vel quinque.

Probatur ſecundo aſſertio. Extincta per amiſſionem, vel dimiſſionem officij, vel alio quocunque modo ſocietate, pecunia, quam ſocius contulit officiali, non amplius ſubeſt periculo, ſed eſt, vel per ipſum officialem, vel per ipſius hæredes reſtituenda, vel ipſi ſocio, ſi ſuperſit, vel eius hæredibus, ergo, vel ipſe ſocius, qui pecunias contulit, vel ipſius hæredes non poſſunt obligare officialem, vel hæredes ipſius ad lucrum eiuſdem ſocietatis. Conſequentia probatur, quia potiſſima ratio exigendi lucrum ex ſocietate eſt periculum, cui pecunia exponitur, ergo ſi nullum ſubſit periculum, non poterit tale lucrum iuſtè exigi. Confirmatur, quia *ex l. Mutius ff. pro ſocio* lucrum ſocietatis intelligitur deducto omni damno & periculo, ergo ſi nullum adeſt periculum &c.

Hic oritur difficultas, an ſi officialis inita ſocietate cum alio, a quo pecuniam receperit, intra ſemeſtre officium amittat, vel dimittat, & interim ſemeſtri nondum elapſo ſocius, qui contulit pecunias, præmoriatur, periculum ſortis ſolutæ maneat penès ipſum ſocium, qui ſoluit, an verò penès officialem, qui recepit, adeò vt per ipſum ſit reſtituenda hæredibus eiuſdem ſocij ſolutoris, an verò retineri poſsit tanquam ſibi quæſita per officialem receptorem. Exiſtimo, abſolutè aſſerendum, manere periculo officialis, qui recepit, adeò vt per ipſum ſit reſtituenda hæredibus eiuſdem ſocij. Conforme eſt hoc aſſertum iuri, & æquitati, quandoquidem ipſa ſocietas per amiſſionem, ſeù dimiſſionem officij ſoluta abſolutè eſt, nec amplius ſubſiſtit, ergo nón poteſt ſortiri conditiones, quæ competunt ſocietati, ſecundum quas ſancitum eſt, vt, ſi ſocius præmoriatur antè ſemeſtre, amittat capitale, quod ſoluit. Confirmatur, quia ſoluta ſocietate per amiſſionem, vel dimiſſionem officij pecunia ſoluta eſt ipſo iure reſtituenda ſocio, qui ipſam ſoluit, & ſi non reſtituit, eſt in mora culpabili, ergo non eſt, cur ſubſequentèr non ſit reſtituenda; Neque dicas, ex eo, quod officialis ſoluerit anticipatè lucrum pro toto ſemeſtri, habere etiam ius detinendi capitale etiam pro toto eodem ſemeſtri, ergo ipſo iure non tenetur illud reſtituere, adeòque ex ratione confirmationis nihil poteſt euinci; contra enim impugnaberis, quia dato etiam, quod non teneatur immediatè ipſo iure ſortem in actu dimittere, ſeù reſtituere, ipſo tamen iure onus habet reſtituendi poſt elapſum ſemeſtre,

5

Per amiſſionem officij ſocietas abſolute diſſoluta eſt.

Inſtantia aduerſus aſſertum, eiuſq; ſolutio.

Digitized by Google

ſtre, vndè quandò diximus, quod ipſo iure reſtituendum eſt, intelligi debet, quod ab ipſo die amiſſionis, ſeù dimiſſionis officij incipiat ius in ſocio creditare ſortem ſuam repetendi, & onus in officiali reſtituendi poſt ſemeſtre, quandòquidem à die amiſſionis, ſeù &c. ceſſet à ſuo eſſe ſocietas, quod ſi vlteriùs detineat, vſque ad complementum ſemeſtris, non eſt ex vi ſocietatis; quæ adhuc non perſeuerat, ſed ex vi lucri, quod intuitu eiuſdem ſocietatis anticipatè perſoluit. Deindè non ita certum eſt, quod officialis poſſit etiam ex vi lucri anticipatè ſoluti detinere ſortem, vſque ad complementum ſemeſtris, quandòquidem ſua culpa amittendo, vel ſpontè dimittendo officium ſine ſcientia, & conſenſu ſocij præſumendus eſt cedere iuri ad illud lucrum, prout ſuprà.

6 Aſſertio III. Ad validitatem contractus ſocietatis officiorum non eſt neceſſe, quod ipſe contractus ſcriptura compleatur *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 15. verſ. ſi roget quis.* Azorius.

Probatur, quià contractus ſocietatis eſt ex illis, qui ſolo conſenſu, verbis, vel nutibus expreſſo perficiuntur *Inſtit. de act. & obli. in principio, item Inſtit. de oblig. ex conſenſu §. vnico*, ergo ad ſui perfectionem, ſeù validitatem non exigit ſcripturam. Confirmatur *ex l. pactum C. de pactis*, vbi legitur *Pactum, quod bona fide interpoſitum docebitur, & ſi ſcriptura non exiſtente, tamen ſi alijs probationibus rei geſtæ veritas comprobari poteſt, Præſes prouinciæ ſecundum ius cuſtodire efficiet*; vbi Gloſa explicat illud ſecundum ius, quatenus idem ſonet *ſecundum iuris formam, vt agatur ſcilicet, ſi fuerit ad agendum; excipiatur ſi fuerit ad excipiendum*, ſed ſocietas eſt ex genere ſuo contractus bonæ fidei, & ſupponitur in caſu particulari, de quo agimus, bona fide, & ſine dolo initus, ergò ad ſui validitatem, & perfectionem non exigit, vt ſcriptura compleatur.

No eſt neceſſaria ſcriptura ad validitatē contractus.

PRÆNOTIO XXIII.

An ſocietas officij ad rationem duodecim pro centenario ſuper officio non vacabili teneat.

SVMMARIVM.

Explicatur quænam ſint officia vacabilia, & non vacabilia 1.

Societas etiam ſuper officio non vacabili licita eſt, & valida 2.

Societas ſuper officio non vacabili non poteſt conſiſtere ad illam rationem, ad quam conſtituitur ſuper officio vacabili 3.

Lucrum debet eſſe ad proportionem fructuum, & periculi 4.

Id, quod conferendum eſt ratione periculi, taxandum eſt; vel iuxtà conſuetudinem, vel per prudentes 5.

LAtè, & crebrò diſcuſſa fuit propoſita difficultas in Auditorio Sacræ Rotæ Romanæ, & præcipuè *in vna Forolinienſi ſocietatis 25. Februarij 1611. coram Lancellotto, in alia Romana Societatis officij 1. Iulij 1596. coram Corduba, & in alia Romana Societatis 14. Ianuarij 1613. coram Pamphilio, et in alia Forlinienſi Societatis Lunæ Ianuarij 1614. coram Damaſceno*, vbi ſemper concluſum fuit pro iniuſtitia talis contractus. Pro clariori notitia Rot. Rō.

1 Aduerte, officia eſſe in duplici differentia, alia vacabilia, alia non vacabilia. Primi generis ſunt ea, quæ non ſunt perpetua, & expirant morte officialis, quatenus ita ipſi ſunt collata, vt ab ipſo in alios, nec in hæredes ſint transferibilia. Secundi generis ſunt ea, quæ ſunt perpetua, & ab officiali tranſferibilia in hæredes, & ſucceſſores, prout colligo *ex Lugo tom. 2. de iuſt. & iur. tit. de Contract. Societatis diſp. 30. ſect. 5. n. 56.* Procedit præcisè titulus de officijs ſecundi generis, circa quæ contingit in primis dubitari, an ſuper ipſis abſolutè poſſit contrahi ſocietas. Deindè ex ſuppoſitione, quod poſſit contrahi, an poſſit contrahi cum illis conditionibus, & ad rationem illius lucri, quibus, & ad quam rationem contrahitur ſub officijs, ſeù in officijs vacabilibus. Siluester *Zacchias in opuſculo de modo contrahendi ſocietates num. 117.* quoad primum abſolutè ſuſtinet ſocietatem non poſſe ſuſtineri, quod confirmat pluribus Rotæ Romanæ deciſ. & præcipuè *in vna Forolinienſi anno 1614. ſub Sacrato, & in alia etiam Forolinienſi eod. anno ſub eodem, & in alia Romana ſub Pamphilio anno 1613.* Nihil omnius ſit.

Officium vacabile, & no vacabile, quid ſit. Lugus. Siluester Zach. Rot. Rō.

2 Aſſertio I. Societas ſuper officio etiam non vacabili, ſi debitæ ſeruentur conditiones, eſt in iure ſuſtinibilis, vt valida, & licita. *Lugus d. tom. 2. de iuſtitia, & iure tit. de Contractu Societatis diſp. 30. ſect. 5. num. 56.* quod confirmat alijs pluribus Sacræ Rotæ deciſ. & præcipuè *ex diuerſ. 175. part. 1. & ex alia Forolinienſi Societatis anno 1583. relata inter impreſſa diuer. deciſ. 763. part. 1. & ex alia Romana ſub Pamphilio 1613.* quæ eſt 61. inter eas, quas dictus *Silueſter Zacchias* congeſſit *num. 13.* vbi Rota fatetur officia etiam non vacabilia eſſe capacia alicuius ſocietatis. Lugus. Rota. Siluester Za. ch.

Probatur iam ratione, quia ſi debitæ ſeruentur conditiones, nec ex iure naturæ, nec ex iure poſitiuo apparet aliqua ratio vitians, ſeù conditio deturpans talem contractum, ergo non eſt, cur non debeat

eſſe ſuſtinibilis. Antecedens probatur, quia illud officium quantumuis non vacabile eſt ſecundum ſe fructiferum, & reddit fructus congruos, ergo non eſt, cur illi fructus titulo ſocietatis non poſſint ſocio communicari accepto pro illis congruo capitali; neque obſtare poteſt ea conditio, quod in ſocietate officij non vacabilis periculum ſocij non compenſetur cum periculo officialis, quandòquidem cum officium ſit perpetuum, & non vacabile, officialis nullum ſubit periculum; non, inquam, obſtare poteſt, quià, vt benè notat *Rota Romana in vna Foroliuienſi Societatis Lunæ Ianuarij* 1614. *coram Damaſceno nu.4.* illud lucrum, quod confertur ſocio in ſocietate talis officij, non eſt pro periculo vitæ eiuſdem ſocij, ſed quia iſtud officium ità conſueuit reddere, prout colligitur ex communi formula prædictarum ſocietatum. Ibi: *promiſſit facere participem fructuum dicti officij, ſed quia aliquando plures, aliquando pauciores &c. reduxerunt ratam ad rationem &c.* Deindè dato etiam, quod illud periculum, quod ſubit ſocius non compenſatum per æquale periculum officialis eſſet meritorium, prout eſt de facto, alicuius lucri, compenſari poſſet per maiorem fructuum quantitatem, propter quod appoſui in aſſertione; *ſi debitæ ſeruentur conditiones,* adeò vt ſit æqualis vtriuſque contrahentis conditiò, ita ſcilicet, ſi maius ſit periculum in ſocio ad proportionem tantum, detrahatur de lucro in officiali &c.

Illud emolumentum ... quod ſubit ſocius compenſandum eſt.

Probatur ſecundò. Ratio, qua periculum in cenſu vitalitio remaneat ſolum penès creditorem, nullatenus penès ipſum debitorem non vitiat ipſum contractum, ſi debitæ ſeruentur conditiones per ea, quæ latè docuimus *tom. primo ſub tit. Contractibus IV. de Emphyteuſi, & Cenſibus Prauit. 14. num. 5.*; & eſt in praxi vbique receptum, ergo neque in ſocietate officiorum ratio, qua periculum remaneat ſolum penès ſocium, non penès officialem vitiare poterit eandem ſocietatem, ſi eædem debitæ conditiones ſeruentur. Conſequentia probatur, quia ratio, quæ iuſtificat cenſum vitalitium, iuſtificare etiam poteſt ſocietatem officiorum, cum vterque contractus radicetur in re ſecundum ſe fructifera, & ratio illa periculi poſſit compenſari, nec vllibi reperitur aliquod ius poſitiuum, quod talem rationem damnet.

[illegible] ... vitæ ... ſus vitalitij.

3 Aſſertio II. Societas ſuper officio non vacabili non poteſt licitè conſtitui ad illam rationem, ſeu cum illis conditionibus, cum quibus conſtituitur ſuper officio vacabili. *Rota Romana in vna Foroliuienſi ſocietatis 25. Februarij* 1611. *coram Lancellott, in alia Romana ſocietatis officij 1. Iulij* 1596. *coram Cordubà, Lugus d. tit. de contractu ſocietatis diſp. 30. ſect. 5. num. 56.* & à fortiori *d. Silueſter Zacchias in d. opuſculo de modo contrahendi ſocietates num. 117.* in quo ſenſu dumtaxat intelligendæ ſunt præcitatæ deciſiones eiuſdem Rotæ Romanæ, quas pro ſe allegauit d. Silueſter Zacchias.

Rot. Rô. — Lugus. — Silueſter. Zacch.

Probatur primò aſſertio, quia in ſocietate ſuper officio non vacabili, non eſt æqualis vtriuſque contrahentis conditio, ſicuti eſt in ſocietate ſuper officio vacabili, ergo cum eiſdem conditionibus, & ſecundum eandem rationem non poteſt contrahi. Antecedens probatur, quia in ſocietate ſuper officio vacabili officialis ſubit periculum reſtituendi capitale ſocio pereunte officio, quod compenſatur per periculum, quod ſubit ſocius amittendi capitale ſolutum, ſi præmoriatur; in ſocietate verò ſuper officio non vacabili ipſe officialis nullum ſubit periculum, cum ipſi officium perire non poſſit, ergo quoad hoc non eſt æqualis vtriuſque contrahentis conditio.

Non ſunt æquales rationes officij non vacabilis, & vacabilis.

Probatur ſecundò, quia fructus rerum non vacabilium non ſunt æquales fructibus rerum vacabilium, ergo æquè taxari non poſſunt in ſocietate fructus officij non vacabilis, ac officij vacabilis. Antecedens probatur, quia fructus rerum non vacabilium æquant ſortem in 20. annis, & ſic non reddunt, niſi ad rationem quinque pro centenario *Gloſ. in auth. perpetua §. iuſta C. de Sacroſanct. Eccleſ. Iaſon in l. ſi fundum per fideicommiſſum num. 5. ff. de leg. 1. Romanus conſ. 369. num. 9. verſ. 2. ſi conſuetudo Afflictus deciſ. 384. in fin. Natta conſ. 498. num. 10. Crauetta conſ. 189. num. 6. in fin. Tiraquel. de retractu lignag. §. 1. gloſ. 6. n. 19.* fructus verò officiorum vacabilium ſecundum conſuetudinem nemine reluctante receptam aſcendunt ad 12. pro centenario, ergo &c.

Gloſ. Iaſon. Roman. Afflictus Natta. Crauetta. Tiraquel.

Aſſertio III. Societas ſuper officio non vacabili, vt licitè conſtituatur, non ſufficit, vt ſolummodò tantum fructuum tribuatur ſocio, quantum reddit ipſum officium ad proportionem pretij per eundem ſocium collati, ſed quid vlterius eſt conferendum intuitu periculi, quod ipſe ſubit, quodque non ſubit ipſe officialis. Eſt conformis menti *Lugi dict. diſp. 30. num. 57.* licet quoad illum exceſſum ſit contra *Rotam Romanam in d. Foroliuienſi Societatis Lunæ 1614. coram Damaſceno.* 4

Lugus. Rot. Rô.

Probatur primò, quia in ſocietate lucra, & damna debent eſſe æqualia *Inſtit. de ſocietate in princip. l. ſi non fuerint 29. ff. pro ſocio Tuſchus concl. 307. verb. ſocietas Fillintius tract. 38. cap. 3. num. 39. Molina diſp. 415. num. 3. & 9. arg. l. Meminiſſe*

Tuſchus. Fillintius. Molina.

ſin. & *l. ſi fratres §. ſi quis ex ſocijs ff. pro ſocio*, quia vt dicitur *in l. ſi non fuerint 29. ff. pro ſocio*; Iniquiſſimum genus ſocietatis eſt, ex qua quis damnum, non etiam lucrum expectet, ex quo ſequitur, quod etiam iniquum ſit, ex quo quis damnum non eadem proportione expectat, qua lucrum *arg. l. qua de toto ff. de rei vendic. cap. paſtoralis §. 1. & gloſ. verb. citationis de offic. deleg. l. iuris gentium §. adeò ff. de pactis l. qui ſcit ff. de vſuris*, ſed æqualia non eſſent damna, & lucra, ſi ſuper officio non vacabili tot fructus ſolummodò redderentur, quot officium fructificat ad ratam pretij collati, ergo &c. Probatur minor, quia periculum ipſum, quod eſt reſpectu ſocij conferentis pecuniam computatur inter damna, ſiquidem æquè eſt pretio compenſabile, ac ipſa damna ſeruata proportione, ergò non eſſent æqualia damna, & lucra, ſi periculum, cui exponitur ſocius, non compenſaretur per aliquem fructuum exceſſum.

Periculū ipſum cōputatur inter dāna.

Dices *ex Rota Romana in illa Foroiulienſi ſupra citata*, illud periculum in ſocietate officiorum non eſt compenſabile, quandoquidem non licet conſtituere ſocietatem cum exigentia fructuum ſuper ſolo vitæ periculo ſocij per ſuperius fusè probata, nam non eſt ſubiectum communicatiuum fructuum, ex quo deducitur, quod neque poſſit conſtitui ſocietas, cuius pars fructuum ſtet ſuper ſolo vitæ periculo *arg. l. qua de toto ff. de rei vendic. cap. paſtoralis §. 1. de offic. deleg.* Sed contra, quia ipſum periculum ſecundum ſe eſt pretio æſtimabile, & compenſabile, licet non ex vi ſocietatis formaliter, vt benè videtur probare inſtantia, ſaltem ex alio titulo ſecundum ſui naturam, quandoquidem eſt onus, quod ſecundum ſe exigit pretium, ea proportionali ratione, qua opera in mutuo, quæ præſtat mutuans in fauorem mutuatarij ſunt pretio compenſabilia; non eſt igitur aliqua difficultas, quod, quamuis ille exceſſus non exigatur formaliter, vt fructus ſocietatis, exigatur tamen ratione alicuius oneris eidem annexi, ratione cuius per alium contractum ſaltem implicitè, & virtualiter annexum obligentur ad ratam fructus eiuſdem officij ſupra id, quod exigit eadem ſocietas.

Nō exigeretur ratione ſocietatis precisè, ſed ratione periculi.

7 Probatur ſecundo: Non eſt æqua proportio, ſi ſolummodò tantum penſionum contribuatur in cenſu vitalitio, ac contribuitur in cenſu conſignatiuo per ea, quæ latè diximus *tom. 1. ſub tit. Contractibus (K) de emphyteuſi, & cenſibus Prænot. 14.* non niſi, quia cenſus vitalitius ſtat periculo vitæ creditoris, ergo etiam non eſt æqua proportio, ſi ſolummodò tantum in ſocietate officij non vacabilis conferatur, quantum ad ratam reddit ipſum officium, quandoquidem hic vlterius vrget periculum duntaxat vitæ ſocij, quod certè eſt pretio compenſabile.

Etiam ſi tur ex parte vitæ ſocij vitalitij.

Hic in particulari remanet diſcutiendum, quantumnam ratione talis vitæ periculi ſocij conferentis pecuniam poſſit exigi ſupra valorem fructuum, quos reddit ipſum officium ad ratam pecuniæ collatæ. Nonnulli ſuppreſſo nomine apud *Lugum d. diſp. 30. ſect. 5. num. 57.* docent, tantum fructuum aſſignandum eſſe ſocio, quantum aſſignari ſolet creditori in cenſu vitalitio. Sed immeritò hoc docent, quandoquidem non eaſdem induunt conditiones in ſocietate officij non vacabilis, quas induit in cenſu vitalitio, nam in hoc creditor non poteſt amplius repetere capitale, in ſocietate verò ſocius poſt ſex menſes poſita diſdicta poteſt ſuum capitale repetere. 5

Lugus.

Diſcrimina inter cenſ. vitalitiū, & ſoc. ratione officij non vacabilis.

Rurſus in cenſu vitalitio quacumque morte pereat creditor, amittit capitale, non ſic autem in ſocietate officij, nam ſi pereat morte non naturali, ſed violenta ab ipſo per ſuperius notata, ſocius ſuam ſortem non amittit, ſed reſtituenda eſt hæredibus. Quamobrem ijs omiſſis exiſtimo, dicendum vltra valorem, quem reddit officium ſecundum ſe ad ratam pecuniæ collatæ per ſocium, tantum de fructibus conferendum eſſe, quantum, vel conſuetudo legitimè præſcripſit, & taxauit, vel quantum iudicium prudentum attentis omnibus circumſtantijs taxabit; non enim tutiorem regulam in huiuſmodi taxatione inuenio, quam prudens peritorum iudicium, quod in huiuſmodi rebus regulariter adhibetur, ſicuti enim ex viu ſori pretia rerum taxantur, ita & huiuſmodi pericula ex peritorum arbitrio, quod ſuadet vſum iuris, taxanda ſunt. 6

Tutior regula ad taxandū eſt officij peritorū iudicium.

PRÆNOTIO XXIV.

De Diſdicta in ſocietatibus officiorum.

SVMMARIVM.

Quid propriè ſit diſdicta, & vndè dicta 1.

Diſdicta præfigitur terminus dierum quindecim, poſt quos officialis debet ſortem reſtituere, vel deponere 2.

Enumerantur conditiones requiſita ad hoc, vt diſdicta habeat ſuos effectus 3.

Diſdicta poteſt fieri etiam per procuratorem ſocij exhibita copia mandati 4.

Sufficit, ſi habeat generale mandatum 5.

Diſdicta debet denuntiari ipſi officiali, in ſubſidium ipſius Procuratori habenti mandatum vendendi 6.

Societas officij durat durante tempore diſdictæ 7.

Si officialis facta diſdicta ſoluat immediatè non tenetur ſoluere lucrum correſpondens tempore diſdictæ 8.

EX occaſione, qua in præcedentibus ſermo incidit de diſdicta, hic cauſam non incongruè aſſumimus inquirendi, quid illa ſit, quos effectus pariat, quas conditiones exigat, & quo iure; & ad quem finem fuerit inducta. In formula enim communi inſtrumenti ſocietatis ſuper officio, quam allegauimus *in principio Præuentionis* 21. Dictum fuit *Quam, tenere, & durare voluerunt ad ſex menſes, & deinde ad beneplacitum amborum partium cum diſdicta; & intimatione dierum quindecim præcedente*, & in præcedenti *proximè præuentione in fin. verſ. hic in particulari* Ibi *In ſocietate verò ſocius poſt ſex menſes poſita diſdicta poteſt ſuum capitale repetere.*

1 Quoad ethimologiā igitur nominis diſdicta idem ſonat, ac dicta reuocatio; diſdicere etenim ſignificat idem, ac dicto renūtiare, ſeù ſenſum per dictum manifeſtatum reuocare. Plurima agitant de huiuſmodi diſdicta in materia cenſus Doctores in conſtitutione Pij V. ſuper creatione cenſuum, & præcipuè *Cencius de cenſibus part. 3. cap. 1. quæſt. 3. art. 9. per totum*, vbi agit de conditionibus ad ipſam requiſitis. Nos materiam reſtringentes ad contractum ſocietatis officiorum conformitèr ad communem praxim, & ad Pontificum ſanctiones, inquiremus ſolummodò, quantum temporis ad reſolutionem contractus debeat huiuſmodi diſdicta præcedere. Secundò, quas ſolemnitates exigat, quos effectus pariat. Tertiò, an huiuſmodi diſdicta poſſit fieri ſolummodò per ipſum ſocium, an verò etiam per eius legitimum Procuratorem exhibita copia mandati, & an ſolummodo officiali, an verò etiam eius Procuratori. Quartò, an ſocietas officij duret durante tempore diſdictæ, & an pro eo tempore debeantur proportionati fructus, & his ſimilia

Diſdicta, quid ſit ſecūdum nominis ethymologiam.
Cencius.
Rationes dubitandi circa præſentem quæſtionem.

2 Aſſertio I. Diſdicta in contractu ſocietatis officiorum præfigitur terminus dierum quindecim, poſt quos officialis debet, vel ſortem receptam reſtituere, vel deponere iuxta tenorem eiuſdem diſdictæ. Colligitur hæc aſſertio primò, ex communi formula inſtrumenti ſocietatis officiorum, quæ cum innixa ſit communi conſuetudini, in hoc vim habet legis obligantis; niſi aliud per ipſos contrahentes conſtituatur; nam illi poſſunt ſibi legem conſtituere, niſi alitèr in iure ſtatutum ſit. Secundo hoc euincitur *ex Conſtit. Pauli V. ſuper reformat. triban. verb. ſub titulo de Notarijs triban. Vrbis*, & ſic in praxi obſeruatur *Bocacius in ſuo tract. de ſociet. offic. num. 164. Caſtramanus in ſimil. tract. cap. 57. num. 1. Cencius de Cenſibus part. 3. cap. 1. quæſt. 3. art. 9. num. 45.*

Formula, cum conſuetudini innitatur habet vim legis.
Bocacius.
Caſtracanus.
Cencius.

Aſſertio II. Ad hoc, vt huiuſmodi diſdicta ſuos ſortiatur effectus multas exigit conditiones, quas mox expendo 3

Prima eſt, vt per Notarium huiuſmodi diſdicta in manuali regiſtretur, & in margine inſtrumenti ſocietatis notetur his verbis *Tali die diſdicta, & tali die reproducta* ex diſpoſitione *Pauli V. in conſtit. ſuper reformat. tribun. ſupra citata*, qui etiam voluit reproductionem talis diſdictæ fieri non poſſe in actis alteriùs Notarij de ſocietate non rogati, & ſi fiat, noluit ſuffragari, niſi quandò contractus ſocietatis rogatus fuiſſet extra vrbem, in quo caſu voluit, vt regiſtretur in manuali, vtſupra.

Requiritur regiſtratio in manuali, & in margine inſtrumenti.

Secunda eſt, vt huiuſmodi diſdicta denuntietur, officiali non ex propria ſocij auctoritate, ſed ex mandato, & decreto Iudicis competentis, prout ſentiunt communitèr Doctores in materia redemptionis cenſus, & præcipuè *Cencius de cenſibus d. part. 3. cap. 1. quæſt. 3. art. 9. num. 5. Gaſpar Rodericus in ſuo tract. de ann. redit. lib. 2. quæſt. 18. num. 54.* quod æquè applicari poteſt in materia ſocietatis officiorum, de qua hìc agimus, cum eadem omninò militet ratio. Hic autem oritur immediatè difficultas, quinam debeat eſſe Iudex, de cuius mandato debeat fieri intimatio talis diſdictæ, an officialis, an verò eiuſdem ſocij creditoris. Latè egimus de hoc diſſidio *tom. primo ſub tit. Contractus IV. de Emphyteuſi, & Cenſibus Præuent. 21. Sect. 11. Aſſert. 8. num. 106.* in materia de cenſibus, vbi relatis pro vtraque parte Doctoribus concluſimus Iudicem competentem, cuius requiritur decretum pro redemptione cenſus eſſe Iudicem ordinarium debitoris. Nihilominus in materia ſocietatis officiorum exiſtimo, Iudicem competentem debere eſſe Iudicem officialis, non ſocij, atque iuxta hunc ſenſum præcisè exiſtimo locutos fuiſſe *Rodericum de annuis redditib. lib. 2. quæſt. 18. num. 54. Tiraquel de retract. lignag. §. 8. gloſ. 5. num. 2. Conformitèr ad l. 2. C. vbi, & apud quem.* Ratio diſparitatis quoad Iudicem in materia cenſus redimendi à materia ſocietatis diſſoluendæ in eo ſita eſt, quod venditor cenſus comparet, vt reus, vt ſe liberet abonere, quo afficitur, ſocius autem comparet, vt Actor, vt obliget officialem ad reſtituendum; in caſu autem reſtitutionis Actor ſequitur forum rei *Baldus in l. 2. C. vbi, & apud quem, & in l. acceptam quæſt. 13. nu. 24. C. de vſuris.* Si autem inquiras, cur venditor cenſus in redemptione cenſus compareat, vt reus, ſocius verò in diſſolutione ſocietatis compareat vt actor, hoc ea ratione exiſtimo euenire, quia venditor cenſus

Item diſdicta denuntiatio facta officiali de mandato Iudicis.
Cencius.
Gaſpar Rodericus.
Roderic.
Tiraquel
Baldus.

ſus eſt grauatus tùm ad ſoluendos annuos redditus, tùm ad reſtituendum capitale; ſocius verò neque ad reditus, neque ad ſortem ſoluendam, ſed dumtaxat officialis, & propterea &c.

Nam vt fiat officialis procuratori, ſi ipſe ſit amēs, vel furioſus. Tertia eſt, vt huiuſmodi denuntiatio diſdictæ non fiat officiali, ſi furioſus, vel amens factus fuerit, ſed tunc facienda eſt eius legitimo Procuratori, ſi adſit, vel ſi non adſit, curare debet ſocius, vt ipſi detur Procurator, cui poſtea facienda eſt huiuſmodi denuntiatio *Rodericus d. tract. de annuis redit. lib. 2. quaſt. 15. num. 37. Bartol. in l. ſi ex legati cauſa num. 3. ff. de verb. oblig.* Roderic. Bartolus.

4 Aſſertio III. Huiuſmodi diſdicta non ſolum poteſt fieri per ipſum ſocium, ſed etiam per ipſius legitimum Procuratorem exhibita copia mandati *Rota Romana in vna Anconitana bonorum 24. Maij 1614.* Rot. Rō. *Cencius de cenſibus d. part. 3. cap. 1. quaſt. 3. art. 9. num. 7.* Cencius.

Probatur primò, ex generali regula, qui per alium facit per ſe ipſum facere videtur, niſi ius aliquod obſtet per alium fieri, & quod fit per mandatarium imputatur mandanti, ergo ſi talis denuntiatio fiat per Procuratorem ad hoc deputatum per ſocium per legitimum mandatum erit ſufficiens, & valida ad effectum, qui intenditur, quandòquidem nullum ius poſitiuum prohibet fieri per alium. *Intimatur ex poteſtate redemptionis ſemper.* Secundò, quia diſdicta in redemptione cenſus legitimè fit per Procuratorem cum apto, & legitimo mandato, ergo etiam per eundem poteſt fieri in diſſolutione ſocietatis cum ſimili mandato. Conſequentia tenet, quia non eſt aſſignabilis diſpar ratio. Antecedens euincitur ex deciſione *Rotæ Romanæ in d. Anconitana bonorum 24. Maij 1614.* Rot. Rō.

5 Hic oritur difficultas, an ad talem diſdictam ſufficiat Procurator cum generali mandato, an verò requiratur mandatum ſpeciale in ordine ad talem effectum. *Sufficit mandatū generale.* Reſpondeo ſufficere Procuratorem etiam cum generali mandato. Textus eſt manifeſtus *in l. actione §. renuntiare ff. pro ſocio*, vbi ſic legitur; *ſed vtrum de eo dictum ſit, cui omnium bonorum adminiſtratio conceſſa eſt, an de eo, cui hoc ipſum nominatum mandatum eſt, videamus, an vero per vtrumque rectè renuntietur, quod eſt verius, niſi prohibuerit eum Dominus ſpecialiter renuntiare*; quod idem expreſsè confirmat *Bartolus in d. l. actione ff. pro ſocio.*

6 Aſſertio IV. Diſdicta huiuſmodi debet principaliter denuntiari ipſi officiali, in ſubſidium tamen poteſt denuntiari ipſius Procuratori legitimo, non quomodocunque conſtituto, ſed habenti facultatem vendendi *Rota Rom.* in ſimilibus terminis de redemptione cenſus *in vna Anconitana cenſuum 24. Maij 1613. coram Vbaldo, & in alia Ianuenſi cenſus 25. Decembris 1613. coram Dunozet.*

Ratio primæ, & ſecundæ partis ea eſt, quia cum diſdicta ſit quædam proteſtatio animi declaratione debet principaliter fieri ei, cui intereſt, & Procuratori, nonniſi in ſubſidium, quandò dominus haberi, & reperiri non poteſt *l. aut qui aliter §. & ſi forte ff. quod vi, aut clam Alexander in l. non ſolum §. morte num. 37. verſ. item adde, & ibi Iaſon num. 33. verſ. ibi enim ff. de non. oper. nunc.*, quod idem voluit *Rota Rom. in illa Anconitana cenſuum 29. Nouembris 1613. coram Vbaldo.* *Diſdicta eſt proteſtatio animi declaratoria.* Alexander. Iaſon. Rot. Rō.

Ratio tertiæ partis eſt, quia ipſa diſſolutio ſocietatis eſt quædam ſpecies redemptionis, ergo eidem intimanda eſt, qui habet ius emendi, vel vendendi non alteri, qui tale ius non habeat, cui propterea; ſi fieret intimatio, non eſſet relevans *Rota in illa Anconitana cenſuum 24. Maij 1613. coram Vbaldo*, & ratio ea eſt, quia ſicuti Procurator qui non fit ad vendendum, vel emendum, vel alienandum, ſolutionem recipere non poteſt *l. ſi Procuratorem ff. de condit. indeb. l. hoc iure ff. de ſolut.* ita nec intimatio ad ſoluendum, illi fieri poteſt *Tiraquel de retrac. lig. §. 1. gloſ. 13. nu. 33.* *Diſſolutio ſocietatis eſt ſpecies redemptionis.* Rota. Tiraquel.

7 Aſſertio V. Societas officij durat durante tempore diſdictæ, & pro eo tempore ſoluendi ſunt ſocio congrui fructus. *Puteus deciſ. 68. lib. 3. Hond. conſ. 38. num. 11. lib. 1. Caſtracanus d. tract. de ſociet. cap. 61. num. 2. Bocacius eod. tract. num. 15.* Puteus. Hondeus. Caſtrac. Bocacius.

Probatur, quia illa diſdicta ad præfatum tempus eſt denuntiatio ad diſſoluendum contractum immediatè poſt illud tempus, ergo vſque ad illud tempus contractus adhuc perſeuerat, adeoque fructus etiam correſpondentes illi tempori ante diſſolutionem ſunt erogandi, quod idem confirmat *Cencius de cenſibus part. 3. cap. 1. quaſt. 3. art. 9. num. 46.* paritate deſumpta a redemptione cenſus, quæ denuntianda eſt per bimeſtre, antequam cenſus ſit extinguendus per traditionem pretij, quo tempore bimeſtris perdurante cenſus in ſuo eſſe perſeuerat, & currunt adhuc fructus, prout non incongruè deducit ex conſtit. Pij V. ſuper creatione cenſuum. *Diſdicta non eſt ſolutio ſocietatis, ſed denuntiatio ad diſſoluendū.* Cencius.

Hic oritur difficultas, an, ſi officiali facta ſibi tali denuntiatione diſdictæ non expectatis quindecim diebus, immediatè ſoluat ſocio ſortem receptam, atque hic immediatè ipſam recipiat, eximatur ab onere ſoluendi proportionatos fructus correſpondentes illis quindecim diebus. Abſolutè dicendum eſt, officialem eximi ab onere ſoluendi fructus correſpondentes tali tempori, quandòquidem extincta iam ſocietate nullum ius eſt in ſocio exigendi fructus eiuſdem, *Extincta ſocietate nullū eſt ius ad fructus illius.*

eiuſdem, ne in o. ff. tali onus illos ſubeundi, arg. l. eius qui in prouincia ff. ſi certi. pet. neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, quod ſocius tenetur perſeuerare in contractu, vſque ad finitum tempus, diſtictæ; non, inquam, obſtare poteſt, quandoquidem, vt optimè notauit *Cencius de cenſibus dicta* Cencius *part. 3. cap. 1. quæſt. 3. art. 9. num. 47.* & cum Bonacina eo *Bonacina in ſuo tract. de contractibus diſp. 3. quæſt. 4. punct. vnico num. 40. verſ. circa prædictam* ibi *Ego vero exiſtimo*, hoc ad ſummum verum eſt, quatenus ipſe ſocius intra illud tempus pretium recipere nolit, ſecus ſi ſponte recipiat, quia tunc per talem receptionem ſponte factam expirat ſocietas officij, qua propterea extincta, non eſt, cur fructus ex illa amplius debeantur *Bocacius in tract. de contract. par. 2. num. 115.* Bocacius Rot. Rō. *Rota Romana in vna Vrbeuetana cenſus 16. Decembris 1594. coram Blancheto, & in alia Romana Seluiani interdict. 23. Iunij 1600. coram Litta.*

PRÆNOTIO XXV.

De Societate omnium bonorum.

SVMMARIVM.

Societas omnium bonorum contrahitur per ſolummodo conſenſum legitime præſtitum per contrahentes 1.

In ſocietate omnium bonorum communicantur bona ex quouis titulo prouenientia 2.

Theſaurus inuentus per vnum ex ſocijs eſt conferendus 3.

In ſocietate omnium bonorum communicantur omnia, quantumuis bona vnius ſint multo plura bonis alterius 4.

Dos vxoris ſocij omnium bonorum durante matrimonio quoad vſum fructum communicantur 5.

In ſocietate omnium bonorum communicantur omnia damna, & expenſa, quæ non ſunt ex culpa alicuius ex ſocijs 6.

Tertius adſcitus in ſocium ab vno ex ſocijs non fit ſocius aliorum 7.

Quomodo ſint diuidenda lucra in hac hypotheſi 8.

PLura attigimus de ſocietate omnium bonorum in præcedentibus, & præcipuè ſub hoc eodem titulo Prænot. 1. vbi diſtinximus ſocietatem vniuerſalem, ſeu omnium bonorum à ſocietate abſoluta. Nunc aliqua in particulari diſcutienda ſunt circa talem vniuerſalem ſocietatem, quoad modum, quo contrahitur, quoad tempus, quo bona inter ſocios communicantur, quoad bona, quæ ex vi eiuſdem fiunt communia, quoad commoda etiam priuata, quæ contrahentes ex illa poſſunt

Articuli diſputandi ſub hoc titulo.

percipere; & alia huiuſmodi, quæ in præcedentibus fuerunt omiſſa, vt hic tanquam in ſuo loco examinanda, cenſeantur.

Aſſertio I. Societas omnium bonorum contrahitur præciſè per ſolum conſenſum legitimè præſtitum per eoſdem contrahentes. Colligitur primò *ex l. ea verò ff. pro ſocio*, vbi dicitur, quod ſocietas omnium bonorum non intelligitur contracta, niſi ſpecialiter inter ipſos conuenerit, quod ſit omnium bonorum ſocietas. Vlteriùs ex præcedentibus, & præcipuè *Prænot. 2. præſentis tituli*, ſic arguitur, quia ſocietas in genere eſt ex illis contractibus, qui ſolo conſenſu perficiuntur per iura ibi allegata, ergo etiam ſocietas omnium bonorum ſolo partium conſenſu perficietur, cum nullum ius, nullaque ratio aliquid aliud ad perfectionem huius contractus exigat. 1

Societas in genere ſolo conſenſu contrahitur.

Ex ijs facilè erit deducere, & hoc, quod fuit propoſitum circa tempus, quo bona inter ſocios communicantur, poſito conſenſu ipſo iure bona inter ſocios communicari, etiam abſque vlla traditione *l. 1. ff. pro ſocio, & l. ſocietas, l. quibus ff. eod. tit.* cuius rei ea ratio eſt, quia eo ipſo, quod ſocij expreſſe conſentiunt, intelligitur implicitè interuenire traditio *arg. eiuſdem l. quia licet ff. pro ſocio*, quod *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 17. verſ. tertiò quæritur* aſſerit eſſe peculiare in ſocietatibus, quandoquidem in alijs contractibus dominia rerum, non niſi traditionibus, & vſucapionibus transferuntur *l. traditionibus ff. de pactis*.

Poſito conſenſu bona ipſo iure communicantur.

Aſſertio II. In ſocietate omnium bonorum communicantur inter ſocios quæcunque bona ex qualibet cauſa prouenientia *Michael Salonius de contractu ſocietatis art. 2. num. 2. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 17. verſ. primo quæritur.* 2 Salonius Azorius

Sic primò communicantur bona caſtrenſia, quæ conferuntur militibus *l. qui ſtipendia ff. de procuratoribus*, & quæcunque obueniunt ex bonis caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus *l. cum duobus §. idem Papinianus ff. pro ſocio*. Secundò quæcunque bona, quæ acquiruntur ex labore, opera, & induſtria, negotiatione, donatione, legato, hæreditate *l. ea verò ff. pro ſocio*. Tertiò, quæ acquiruntur ex iniuria, & damno accepto *l. ſi fratres §. ſocium ff. pro ſocio*. Quartò, omnia tum præſentia, tum futura per allegata ſuperius iura Prænot. 1. Quintò, communicantur omnia debita contracta, lucra, damna, & impenſæ quantumuis fiant ex iudicis decreto, vniuerſum omnia quacunque via, & ratione honeſta, & iuſta contingant. 3

Enumerantur bona, quæ conferuntur.

Hinc oritur difficultas, an theſaurus per aliquem ex ſocijs adinuentus intuitu ſocie- 4

tatis

ſatis omnium bonorum debeat cum ſocio communicari. Reſpondet *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 17. verſ. 8. quæritur*, quod ſi fuerit inuentus in fundo, vel agro proprio inuenientis, non ſit communicandus, quia perinde eſt, ac ſi rem ſuam inuenisset, ſecus verò, ſi fuerit inuentus in alieno fundo. Non libens acquieſco huic reſponſioni, quandoquidem in primis falſo innititur ſuppoſito Azorius, dum dicit, *ſi fuerit inuentus in fundo proprio inuenientis*, nam ex quo inita eſt ſocietas omnium bonorum, fundus ille non eſt proprius, ſed communis inter ipſos ſocios per ea, quæ ipſemet concedit *loc. cit. verſ. tertio quæritur* iuxta textum, quem allegat *in l. 1. ff. pro ſocio*. Deindè incongruè aſſerit theſaurum comparari rei propriæ inuentæ, quandoquidem, vt diximus *num. 1. ſub tit. Contractus I. de contractibus in genere Diſput. §. 5. num. 2.* theſaurus habetur pro derelicto, & quod ſub nullius ſit poteſtate, cum enim theſaurus ex ſuo conceptu dicat veterem rei pretioſæ depoſitionem, cuius non extat memoria, vt definitur *in l. nunquam 31. ff. de acquir. rerum dominio* ex eo, quod deſijt tanto tempore poſſidens, deſijt eſſe ſub cuiuſcunque dominio. Quamobrem aſſerendum exiſtimo eſſe inter ſocios communicandum æquè, ac omnia ipſorum bona, cum nulla ſit ratio, cur in hoc ab illis debeat ſegregari, potiſſimum cum bona, vel ipſius induſtria, vel caſu etiam obuenientia, puta legato, ſeù hæreditate inter ipſos communicentur iuxta textum *in l. ea verò ff. pro ſocio*.

Iſſus Azorij, eiuſq; impugnatio.

Theſaurus in ſocietas per vnum ex ſocijs eo ferendus eſt.

5 Aſſertio III. In ſocietate omnium bonorum communicantur inter ſocios omnia bona, quantumuis bona vnius ſint multo plura bonis alterius. *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 17. verſ. 2. quæritur Michael Salonius diſp. de contractibus ſocietatis art. 2. ſub num. 4.* vbi idem Azorius aſſerit hoc eſſe proprium, & peculiare huius ſocietatis.

Azorius. Salonius.

Probatur primò *ex l. ſocietas ff. pro ſocio*, vbi dicitur *ſocietas autem coiri poteſt, & valet etiam inter eos, qui non ſunt æquis facultatibus* ibique ſubditur ratio *, cum plerumque pauperior opera ſuppleat, quantum ei per comparationem patrimonij deeſt*. Secundò *ex l. ſi ſocietatem vniuerſarum fortunarum ff. pro ſocio*, vbi hoc idem videtur expreſsè, vel ſaltem deductiue ſtatui.

Dices, in hac ſocietate non eſt æqualis vtriuſque contrahentis conditio, quandoquidem plus vnus conferret, quam alter, vt conſideranti ſit manifeſtum, ergò non iuſta eſt, nec licita. Sed contra, quia quamuis conſiderato præciſè eo, quod confertur ſit inæqualis contrahentium conditio, conſideratis tamen alijs, quæ conſiderari poſſunt ex qualitate perſonarum, & ſpe futuræ acquiſitioni poteſt fieri æqualis, vt ſi ſocius pauperior, ſit magis induſtrius, quam qualitatem quidem conſiderauit textus *in d. l. ſocietas ff. pro ſocio*, vel nobilior, vel pulchrior, ex qua qualitate prouenire poſſunt ditiores nuptiæ, vt bene conſiderauit *Salonius d. diſp. de contractu ſocietatis art. 2. ſub num. 4. verſ. ſed nihilominus non obſtante*. Deinde ex eo præciſè, quod ſocius ditior ſibi adſciuerit in ſocietatem omnium bonorum pauperiorem, videtur ipſo iure ſponte ceſſiſſe iuri ſuo, adeòque &c.

Ex qualitate perſonæ poteſt eſſe vberior præſtatio.

Hic ex eo, quod dictum fuerit poſſe fieri æqualem conditionem vtriuſque contrahentis ex eo, quod ſocio pauperiori obuenire poſſint ditiores nuptiæ, ſuboritur difficultas, an dominium illius dotis pinguioris fiat commune vtrique contrahenti, adeò vt æqualiter inter ipſos eadem dos ſit diuidenda. Pro quo, ſcias dominium dotis durante matrimonio ſpectare ad ipſam vxorem, ſolamque adminiſtrationem, & vſumfructum pertinere ad maritum; ſoluto poſtea matrimonio eandem dotem etiam quoad adminiſtrationem, & vſumfructum redire ad eandem vxorem, niſi viuat cum filijs, & hæredibus eiuſdem mariti. Quo poſito reſpondeo, durante matrimonio vſumfructum communicari omnibus ſocijs; quo deindè ſoluto dotem cum eodem vſufructu redire ad eandem vxorem, niſi vixerit ex bonis ſocietatis. Ratio primæ partis facilè ex eo deducitur, quod omnia obuenientia ex quacunque cauſa iuſta, & honeſta ſocio in ſocietate omnium bonorum indifferentèr communicantur eidem ſocietati per ſuperius allegata, præcipuè *ex l. ea verò ff. pro ſocio*, cum igitur vius fructus ex matrimonio, tanquam ex iuſta, & honeſta cauſa eidem obueniat ex recta iuris diſpoſitione illum debet communicare, potiſſimum cum & ipſa vxor viuat ex bonis communibus eiuſdem ſocietatis. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod, cum ipſa vxor diſſoluto matrimonio nullum ius habeat in bonis ſocietatis, nec onus debet habere, vt ſua bona eidem ſocietati communia remaneant, vnde meritò dicitur *in l. actione §. ſi vnus ex ſocijs ff. pro ſocio*, quod *ſi diſtrahatur ſocietas manente matrimonio dotem percipere maritus debet*, & ſubditur, *Quod ſi iam diſſoluto matrimonio ſocietas diſtrahatur eadem dos recipienda eſt, quæ & ſolui debet*.

Dos vxoris ſocij omnium bonorum quoad vſumfructum communicatur.

6 Aſſertio IV. In ſocietate omnium bonorum communicantur etiam omnia damna, & expenſæ, quæ ſocijs contingunt ſine vera, & propria illorum culpa. Conſentiunt omnes tum Theologi, tum iuris periti, & præcipuè Salonius,

Salonius Azorius

nius, & Azorius locis citatis.

Lucra, & damna de bonis eſſe, æqualia. ? Probatur, quia naturalis æquitas exigit, vt ſicuti omnia bona, quæ poſt contractam ſocietatem omnium bonorum ex quacunque cauſa obuenientia debent fieri communia omnibus ſocijs per ſuperius allegata, & probata, ita omnia damna, & expenſæ, quibus ex ſua culpa cauſam non dedit, fiant etiam communia iuxtà textum *in l. ſi ſocietatem vniuerſarum fortunarum, & in l. ſi quis ſocietatem contraxerit ff. pro ſocio*, vt æquè ex eodem capite, quo ſuſtinet onera, ſortiatur & commoda.

Azorius. Dixi, *ſine vera, & propria illorum culpa*, nam ſi ex ſua culpa damna illa, & expenſæ obuenerint, non ſunt ſocietati imputanda, niſi obuenerint intuitu eiuſdem ſocietatis, quod etiam optimè obſeruauit *Azorius d. lib. 9. cap. 17. verſ. primò quæritur* iuxta textum *in l. ſi fratres §. ſocium ff. pro ſocio*, vbi legitur *Atilicinus, Sabinus, & Caſſius reſponderunt, ſi iniuria Iudicis damnatus ſit, conſecuturum, ſi ob maleficium ſuum, ipſum tantum damnum ſentire debere* iuxta textum *in l. quod quis ff. de reg. iuris*, quibus valdè congruit, quod *in d. l. ſi fratres ff. ſocium* reſpondiſſe refertur Seruius. Scilicet, *ſi ſocij bonorum omnium fuerint, & vnus cum ad iudicium non adeſſet*, intellige ſi ex ſua culpa, ſeù negligentia, *damnatus ſit, non debere eum de communi id conſequi, ſi verò præſens iniuriam Iudicis paſſus ſit, id de communi ſarciendum*.

7 Aſſertio V. Si duo adinuicem contraxerint ſocietatem omnium bonorum, & alter ipſorum tertium ſibi in ſocium adſciuerit inſcio, vel recuſante altero, hic tertius erit ſocius illius, qui ipſum adſciuit, non alterius, qui ipſum neſciuit, & recu-

Azorius. ſauit *Azorius dict. lib. 9. cap. 17. verſ. quarto quæritur*. Colligitur expreſſè hæc aſſertio ex textu *in l. qui admittitur ff. pro ſocio*, vbi dicitur: *Qui admittitur ſocius, eius tantum ſocius eſt, qui admiſit*, ibique redditur ratio, *cum enim ſocietas conſenſu contrahatur ſocius mihi eſſe non poteſt, quem ego ſocium eſſe nolui*, quod confirmatur *ex l. nam ſocij eod. tit.* vbi dicitur *ſocij mei ſocius, meus ſocius non eſt*.

8 Hic immediatè oritur difficultas, quomodò regulanda ſit ſocietas in hac hypotheſi, & lucra inter ipſos conferenda. Certa regula præſcribitur *in l. ex quidquid ff. pro ſocio*, vbi dicitur, quod ille tertius, qui per vnum fuit adſcitus in ſocietatem

Præſcribitur modus diuidendi. altero recuſante totum id, quod fuit conſecutus, debeat communicare cum eo, qui ipſum adſciuit, ille verò, qui eum adſciuit totum id, quod acquiſiuit debeat communicare tum adſcito, & cum eo, cum quo prius inierat ſocietatem omnium bonorum, ille verò, qui prius inierat ſocietatem, & adſcitum recuſauit, totum id, quod comparauerit, debeat cum ſolo ſocio, non cum illo tertiò adſcito communicare. Atque hæc de ſocietate omnium bonorum dicta ſint ſatis.

PRÆNOTIO XXVI.

De Societate circà pecudes, & animalia, quæ dicitur ſocida.

SVMMARIVM.

Quandoque fit traditio pecudum, & animalium titulo locationis, & conductionis, & quomodò 1.

Quandoque per modum cuiuſdam contractus innominati, & quomodò 2.

Traduntur etiam per modum cuiuſdam venditionis, & quomodò 3.

Traduntur etiam per modum venditionis modiſicata, & explicatur 4.

Traduntur etiam per modum ſocietatis, & quomodò 5.

Explicatur ſpecialitèr modus talis traditionis 6.

Conditiones ſeruandæ in huiuſmodi ſocietatibus 7.

Aſſignatur, quomodò debeant communicari damna, & lucra in huiuſmodi ſocietate 8.

Non eſt illicitum pactum, quod periculum animalium pertineat ad eum, qui ipſa recipit ſeruatis debitis conditionibus 9.

Non eſt illicitum pactum, quod animalia collata in ſocietatem ſint communia, & commune quoque lucrum, & damnum 10.

Pactum, quo dans animal cum fœtu nutriendum, & cuſtodiendum expenſis recipientis, debeat prius ſatisfieri in fructibus quoad capitale, & reliquum fructuum diuidatur, non eſt licitum, & quomodo 11.

Pactum, quo quis dat alteri duo iugera bonum, & poſſeſſionem, quam aret, & colat ea conditione, vt fructus æqualitèr diuidantur poteſt eſſe licitum, & quomodo 12.

Si tradita ſit res æſtimata, quandoque æqualitèr diuidenda cum fructibus, aliquando non eſt 13.

Societas animalium perſeuerare debet vſque ad tempus conuentum, vel iuxtà conſuetudinem 14.

Regularitèr in animalibus groſſis durat ad quinquennium, in minutis ad triennium. Ibid.

Finita ſocietate diuiſio facienda eſt, vbi nihil conuentum eſt, iuxtà conſuetudinem, vel arbitrio boni viri 15.

MVltis, varijſque modis contingit fieri traditionem pecudum, animalium, armentorum, equorum, iumentorum, & ſimilium, prout latè referunt *Conradus*

de

Digitized by Google

Cōradus. Angelus. Siluester. Azorius. Salonius.

de Contractibus à quæſt. 88. ad 91. Angelus, & Siluester in verbo ſocietas 2. Azorius Inſtit. mor. parte 3. lib. 9. c. 7. Michael Salonius diſp. de contract. ſocietatis art. 5. & alij plures, quos modos mihi quoque moleſtum non erit referre currenti tamen calamo, quia multum conferre poſſunt ad clariorem notitiam traditionis, quæ fit per ſocietatem, vt contradiſtinctæ ab alijs traditionibus, quæ fiunt per alios contractus, qui non ſunt ſocietas. Diutiùs tamen non immorabor in conditionibus, & qualitatibus huiuſmodi traditionum perueſtigandis, quia ſub ſuo vniuſcuiuſque titulo ſuſa erit de ipſis tractatio.

1 Traduntur igitur primò titulo locationis, & conductionis, quod adhuc dupliciter contingere poteſt; primò quatenus dominus pecudum, vel iumentorum &c. ea, vel ea tradit cuſtodiendas, vel cuſtodienda alicui paſtori aſſignato ei certo, & determinato ſtipendio ob cuſtodiam præeſſe, in quo ſenſu ipſe colonus, ſeù Paſtor dicitur locare ſuas operas eidem Domino in ordine ad cuſtodiendum gregem, & ipſe Dominus dicitur conducere dictas coloni, ſeù Paſtoris operas in ordine ad eum finem, vnde merito in iure facta comparatione, vel ad Dominum, vel ad colonum, quandoque dicitur locatio, quandoque conductio, vt videre eſt *in l. veteres ff. de act. empt. & in l. 1. §. ſi quis ſeruum ff. depoſ.* Secundò, quatenus dominus pecudes, aut armenta, ſeù iumenta tradit alicui in ordine ad aliquas vtilitates per colonum percipiendas, puta ad lac, caſeum, lanas, fructus, ratione quorum conuenit de certo pretio cum ipſo colono, qua etiam ratione ex parte domini conferentis eſt locatio, ex parte recipientis conductio. De iuſtitia, & qualitate huiuſmodi traditionum erit ſermo ſub ſuis titulis.

Traditio per modū locationis, & conductionis quomodo fiat.

2 Traduntur ſecundò, per modum cuiuſdam contractus innominati, quatenùs dominus pecudum, ſeù animalium eadem confert colono ſub ea conditione, vt per ipſum meliora reddantur, & ſic effecta meliora fiant communia vtrique. Hæc traditio reducitur ad contractum innominatum *Do, vt facias*; dat enim vnus animalia ſua, vt alter illa accipiens faciat meliora, & tunc venduntur, & pretium quod ex illis exigitur diuiditur æqualiter inter Dominum, & colonum *l. ſi tibi area mea §. ſed ſi puerum ff. de præſcriptis verbis.*

Explicatur contractus innominatus, quo quādoq; traditur pecudes.

3 Traduntur tertiò, per modum cuiuſdam venditionis, quatenus dominus confert v. g. alteri triginta animalia æſtimata, & appretiata transferendo etiam in eundem, quodcunque periculum cum onere poſtea reſtituendi illud pretium, ſecundum quod fuerunt æſtimata. Diſſident multum inter ſe Doctores circa hunc traditionis modum, an ſit verè mutuum, an verò venditio. Tabiena *verbo vſura 3. num. 3.* exiſtimat eſſe quoddam genus mutui, quandoquidem tantum confertur cum translatione dominij, vt tantundem poſt aliquod temporis reſtituatur. Congruentius ſentiunt *Angelus verbo ſocietas 3. num. 9. Baldus in l. ſi vt certo ff. commodat.* eſſe quoddam genus venditionis, quia ex eo, quod huiuſmodi animalia tradantur, vt æſtimata cum translatione periculi in recipientem, perinde re ſe habent, ac ſi illa animalia vendantur. Non immoror in hoc, quia non eſt locus proprius, ſufficit enim pro nunc, quod non ſit ſocietas.

Explicatur quoddā genus venditionis.

Tabiena. Angelus. Baldus.

4 Traduntur quartò, per modum cuiuſdam venditionis modificatæ, vt loquuntur *Tabiena, & Siluester*, vel per modum cuiuſdam cenſus vitalitij, vt loquitur *Michael Salonius de contractu Societatis art. 5. verſ. quinto traduntur*. Hæc autem traditio fit hoc pacto, Quis tradit animalia, vel oues in certo numero alicui Eccleſiæ, vel Monaſterio, vel etiam determinatæ perſonæ ea conditione, vt dominium ipſorum ſit penès eandem Eccleſiam, Monaſterium, ſeù perſonam, ita tamen, vt ipſa Eccleſia, Monaſterium, ſeù priuata perſona teneatur ad vitam ipſius conferentis eidem tradere duo animalia, vel duas oues, vel æquiualens eiſdem, intercedente vero morte conferentis extinguatur, quodcunque onus. De conditionibus huiuſmodi conditionis erit ſermo ſuo loco.

Explicatur, in quo conſiſtat venditio modificata.

5 Traduntur quintò, per modum veræ ſocietatis, atque hic modus tradendi eſt meta præſentis Prænotionis, circa quam nonnullæ ſunt diſcutiendæ difficultates. Prima eſt, quandonam animalia, ſeù oues &c. intelligantur dari in ſocietate. Secunda, quas verè conditiones exigat huiuſmodi ſocietas. Tertia, an, & quomodò lucra, & damna in huiuſmodi ſocietate debeant communicari. Quarta, quænam pacta inficiant huiuſmodi ſocietatem, & quænam non. Quinta, quomodò facienda ſit diuiſio animalium, & ouium finita ſocietate. Quamobrem ſit

Explicatur quomodo traditur titulo ſocietatis.

6 Aſſertio I. Animalia, & oues tunc intelliguntur conferri in ſocietatem primò, quandò ſinguli ſocij conferunt ſua animalia, ſeù oues, ſubeunt proportionalitèr periculum, ſoluunt vniformiter, difformitèr, expenſas, lucrumque, & capitale reſeruata debita proportione inter ſe diuidunt; Secundò, quandò vnus confert ſua animalia, ſeù oues, & alter operam ſuam in commune collocat, ita tamen, vt fructus, & vtilitates, ſeù lucra poſtea adinuicem communicentur; Tertiò, quandò vnus item confert animalia, & alter ope-

ram ſuam ea tamen conditione, & pacto, vt tam animalia illa, quam operæ, tam periculum, & damnum, quam lucrum æqualitèr diuidantur. In hanc aſſertionem propendet ut *Michael Salonius d. diſp. de contractu Societatis art. 5. num. 2. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 7. verſ. decimo quæritur.*

Salonius. Azorius.

Probatur in vniuerſum ex analogia, quam ſeruat ſocietas animalium cum ſocietatibus ad alia negotia, ſicuti enim propriè ſaluatur ratio ſocietatis, quandò duo proportionalitèr conferunt pecuniam ad certum negotiationis genus, ita vt periculum, & lucrum æqualitèr communicetur, & item quandò vnus confert pecuniam, & alter operam cum iure proportionali ad lucrum, quantumuis periculum maneat dumtaxat penès eum, qui pecuniam contulit comparatiuè ad idem capitale, & item quandò vnus ſolum pecuniam contulit, & alter operam appoſito pacto, quod periculum, & lucrum ſtet penès vtrumque, ita non eſt, cur non ſaluetur etiam ſocietas animalium, quandò contrahitur iuxta aliquem ex tribus aſſignatis modis in aſſertione, ſi ſeruentur omnes conditiones, quæ ſeruantur in alijs ſocietatibus iuxta hanc paritatem; æquè enim poteſt eſſe ſocietas circa animalia, ac circa pecunias, aliaſque res communicabiles.

Saluantur omnes conditiones, quæ in cæteris ſocietatibus.

Dices primò, iuxtà ſecundum modum aſſignatum contractus hic non contradiſtinguitur a primo modo traditionis, qui eſt per locationem, & conductionem, quandòquidem perindè eſt, ac ſi dominus animalium conduceret operas alteriùs, & tanquam pretium conductionis erogaret partem illius lucri, item perindè, ac ſi colonus conduceret animalia, ſeù oues domini, & pro pretio locationis conferret partem lucri, quod ex tali conductione conſequeretur, ergo non eſt propriè ſocietas, ſed potiùs locatio, & conductio. Sed contra, negatur aſſumptum, quandòquidem longe diſpar ratio euincit huiuſmodi contractum non eſſe locationis, & conductionis; in locatione etenim, & conductione fit conuentio de certo ſtipendio ratione cuſtodiæ, quod æquè debetur ſiuè animalia illa fructificent, ſiuè non, & ſic fructus omnes, ſi qui percipiantur, pertinent ad eundem Dominum ex vi talis contractus, quamuis hic poſtea, vel in pecunia, vel in huiuſmodi fructibus teneatur ſoluere ſtipendium conuentum; in ſocietate verò conuentio eſt de diuiſione fructuum, qui æquè vtrique ſocio debentur, ſi percipiantur, & ſi non percipiantur nihil debetur ei, cui tradita ſunt animalia, & proinde &c. Ruſus in conductione, quam præſtat ruſticus animalium, ſeù ouium Domini totam vtilitatem, quam ex illis percipit ſibi acquirit, licet poſteà teneatur conferre domino pretium ſtipendij conuenti; in ſocietate verò vtilitas æquè omnibus communicatur, adeòque &c.

Diſcrimē traditionis per modū ſocietatis à traditione per modum locationis.

Dices ſecundò, iuxta tertium modum ſocietatis aſſignatum non eſt æqualis vtrius contrahentis conditio, ergo ſub illo modo non poteſt ſubſiſtere ſocietas. Antecedens probatur, quia Dominus animalium, ſeù ouium confert eadem nihil conferente eo, cui conferuntur, niſi operam, & tamen periculum eorundem animalium, ſeù ouium inter vtrumque diuiditur, quo poſito ſic arguo, vel pereuntibus omnibus animalibus, ſeù ouibus colonus teneretur domino erogare pretium correſpondens parti eorundem animalium, ſeù ouium, & ſic deterior eſſet ipſius conditio, quandòquidem amitteret partem animalium, & ouium, & vlteriùs ſuas operas, dominus verò, non niſi alteram partem animalium, ſeù ouium; vel illis pereuntibus nihil deberet conferre, ſed tantum amittere ſuas operas, & ſic eſſet deterior conditio Domini, quandòquidem plus hic amitteret, quam ille, ergo non eſſet æqualis vtriuſque contrahentis conditio. Sed contra non eſſe in ea hypotheſi inæqualem contrahentium conditionem dicendum eſt, ſiquidem, vt benè aſſerit *Salonius d. diſput. de contractu ſocietatis art. 5. num. 2. verſ. ſecundo modo poteſt* quidquid acciderit in illo grege tam damni, & iacturæ, quàm vtilitatis, & lucri debet ad vtrumque pertinere, vel ad æqualitatem, ſi coloni operæ æquales fuerint in valore gregi appoſito, vel ad ratam valoris illarum, ſi fuerint inæquales.

Argumentū contrà propoſitū, eiuſq; ſolutio.

Aſſertio II. In huiuſmodi ſocietatibus tres potiſſimum conditiones obſeruandæ ſunt. Prima eſt, vt non adijciantur pacta, quæ aduerſentur naturæ euiſdem contractus, & ſi quæ adijciantur, ſiuè circa periculum animalium, ſiuè circa lucrum, & prouentus illorum, ſiuè circa tempus, quo durabit ſocietas, obſeruentur, niſi ſint contra naturam ſocietatis, ſiuè ſi ſit contra bonos mores. Hanc ſtatuit *Salonius loco cit. num. 5.* Quænam autem pacta aduerſentur, quænam non tali ſocietati infra ſtatuetur. Secunda eſt, quod, ſi nullum pactum fuerit adiectum, omne periculum, ſeù damnum, ſiuè fortuitum, ſiuè naturale pertineat ad Dominum *Baldus, & Doctores in l. ſi paſcenda C. de pactis*, & ratio eſt, quia per ſocietatem ſimpliciter non transfertur dominium rei, quæ propterea, ſi pereat, vel deterioretur, domino perit, & deterioratur. Tertia eſt, vt circa diuiſionem expenſarum, lucri, & ſimilium, ſeruetur conſuetudo loci, vbi verò nulla viget conſuetudo, ſtetur arbitrio peritorum, 7

Aſſignantur conditiones requiſitæ ad hunc contractum.

Salonius.

Baldus.

rum, & prudentum *l. ſi nolit §. qui aſſiduo ff. de ædil. edict. & l. ſi prius §. rectè placuit ff. de aqu. pluuial. arc.*

Quomodo communicetur dãna, & lucra in hac ſocietate.

8 Aſſertio III. Damna, & lucra in ſocietate animalium, ſeù ouium ita debent communicari, vt ſi vterque conferat animalia, & operas ſint pariformitèr difformiter æqualia, hoc eſt ex æquo, ſi animalia, & operæ ſint in valore æqualia, ad ratam, ſi animalia, vel operæ ſint inæqualia, ſi verò vnus conferat animalia, alter verò dumtaxat operas ſub ea conditione, vt tam periculum capitalis, quàm lucrum diuidantur, ex æquo tam periculum, quam lucrum erit diuidendum, ſi operæ in valore adæquent animalia, ſeù oues, ad ratam, ſi non adæquent, ſi verò vnus conferat animalia, alter verò dumtaxat operas in ordine ad lucrum præciſè, lucrum ipſum erit æqualitèr diuidendum, periculum tamen animalium adæquatè erit apud dominum conferentem, ſi operæ adæquent in communi æſtimatione periculum.

Æqualitas nõ ſemper debet eſſe aridmetica, ſed aliquã do ſufficit Geometrica.

Ratio horum omnium facilè ex eo deduci poteſt, quod contrahentes non debent grauari ſupra id, quod exigunt ea, quæ in ſocietate conferunt, nec releuari ſupra ius, quod important collata, quod ſi communitèr dicatur, quod in ſocietate lucra, & damna debent eſſe æqualia, hoc intelligendum eſt de æqualitate geometrica, ſi in collatis non fuerit æqualitas, vel aridmetica, ſi fuerit talis æqualitas in collatis, & conferentibus, ſed iuxtà ea omnia, quæ in aſſertione ſtatuuntur, contrahentes non grauantur ſupra id, quod exigit id, quod per ipſos confertur, nec releuantur ſupra ius, quod ex illo habent, vt manifeſte patet conſideranti attenta comparatione ibi facta, ergo &c.

Non eſt illicitum pactum aſſecurationes.

9 Aſſertio IV. Non eſt aliqua repugnantia, quin circà animalia, quæ in ſocietatem per vnum ex ſocijs conferuntur, adijciatur pactum, vt periculum ipſorum, vel in toto, vel in parte pertineat ad eum, cui conferuntur, non quidem ex vi eiuſdem ſocietatis, ſed alterius contractus aſſecurationis, ſi debitæ ſeruentur conditiones, & tantum diminuatur de lucro reſpectu conferentis, quantum importat onus periculi, quod ſuſcipit ille, cui conferuntur. Eſt conformis ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 8* quæ ſunt ibi recolenda. Argumenta, quæ ibi fuerunt adducta, efficacitèr conferunt ad præſens inſtitutum,

Angelus.

nec in hoc audiendus eſt *Angelus in verb. ſocietas ſecundo num. 3.* aſſerens non idem iuris eſſe in ſocietate pecuniæ ad negotiationem, ac in ſocietate animalium ad lucrum, quandòquidem pecunia, quæ in commune confertur, nunquam melior redditur, animalia verò, quæ in ſocietatem conferuntur, meliora, vt plurimum fiunt, ſicque in ſocietate animalium oritur alia inæqualitas inter contrahentes conſiſtens in eo, vt totum emolumentum, & commodum animalium ſit penès conferentem, etiam quoad illud augmentum meliorationis, periculum verò, & damnum totum penès recipientem; non, inquam, audiendus eſt, nam vel animalia data fuerunt, vt æſtimata, vel ſine vlla æſtimatione; ſi primum, augmentum illud, quod in valore receperunt animalia, eſt in diſſolutione diuidendum iuxta regulas ſocietatis, & ſic quoad hoc non eſt inæqualitas; ſi ſecundum, vel dic hoc eſſe ex conditione conferentis, non ex natura contractus, vel quoad illud augmentum eſſe proportionalitèr ſocium, qui animalia recepit, compenſandum, illud etenim augmentum computatur inter fructus eorundem animalium, & hoc eſt, quod innuebam in aſſertione, *ſi debitæ ſeruentur conditiones.*

Augmentum computatur inter fructus animalium

Præter argumenta, quæ loco citato fuerunt adducta comprobantia hanc aſſertionem, hoc vnum ad hominem deductum ex principijs Aduerſariorum placet adducere. Si ſocius recipiens animalia nolit ſubeſſe aliquibus conditionibus, quæ ſunt iuxta naturam contractus, poteſt periculum eorundem animalium in ipſum transfundi *Angelus d. verbo Societas ſecundo num. 3.*, Angelus, quià grauatus in vno eſt in altero releuandus *l. ſecundum naturam ff. de reg. iur.*, ergo etiam ſi recipiat aliqua commoda, quæ ex natura contractus ipſi non competunt, poterit grauari in onere periculi, quod cæteroqui eidem competeret. Confirmatur, quia ſi recipiens animalia nolit teneri de illorum interitu etiam ex ſua culpa poteſt iuſtè grauari in diminutione fructuum, qui eidem de iure competerent, ſi ſe non eximeret ab illo onere interitus, ergo ſi recipiens velit teneri de illorum interitu, non ſolum ex ſua culpa, ad quam de iure tenetur, ſed etiam ſine ſua culpa, ad quam de iure non tenetur, poterit iuſtè releuari per excedentem fructuum erogationem. Confirmatur ſecundò, quià non minus congruere videtur naturæ ſocietatis, quod periculum rei collatæ pertineat ad ipſum conferentem, quando non eſt ex culpa eius, cui fuit collata, ac congruat, quandò periculum eſt ex culpa eius, cui fuit collata, quod periculum ad ipſum pertineat, ſed illud onus non ſtandi periculo interitus rei ex culpa eius, cui res collata eſt reſpectu conferentis poteſt iuſte compenſari per maiorem fructuum erogationem reſpectu eiuſdem conferentis, & per diminutionem reſpectu eius, cui confert, vt concedunt Aduerſarij, ergo &c.

Argumentũ ad hominẽ deductũ ex principijs aduerſariorum.

10 Aſſertio V. Non eſt illicitum pactum, quod animalia collata in ſocietatem ſint communia vtrique ſocio, & periculum, & damnum eorundem æqualitèr ad vtrumque pertineat. *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 7. verſ. queres itidem. Michael Salonius d. diſp. de contractu ſocietatis art. 5. num. 2. verſ. ſecundò modo Molina de contractibus diſp. 420. Lugus de contractu ſocietatis diſp. 30. ſect. 3. num. 26.*

Azorius. Salonius. Molina. Lugus.

Debent eſſe æquales induſtria, & labores capitali per alterum collato.

Probatur non eſt illicita ſocietas, quæ ſocij conferunt proportionalitèr animalia, & operas, & poſtea æqualitèr diuidunt tam lucra, & prouentus, quam damna, & pericula, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo neque erit illicitum pactum, quo animalia quātumuis per vnum dumtaxat collata, tam quoad lucra, quàm quoad pericula, & damna fiant vtrique communia. Conſequentia probatur, quià poteſt contingere, quod opera, & induſtriæ eius, qui recipit quoad valorem, & æſtimationem talia ſint, vt adæquent quoad partem eadem animalia, & operas, ſi partialitèr conferret ſimul cum alio, ergo ſi in caſu antecedentis non eſt, illicita ſocietas, neque erit illicita cum ſecundò, cum illo pacto &c. Confirmatur, quià illud periculum, quod ſubit ſocius, qui recipit, in parte animalium, compenſatur cum æquali, & proportionata ſpe commodi in diuiſione eorundem, ſi non pereant &c. ergo non eſt, cur illud pactum reddatur illicitum.

Speciale pactum, quod poteſt fieri in huiuſmodi contractu.

11 Aſſertio VI. Pactum, quo quis dans animal æſtimatum cum foetu, & fructu nutriendum, & conſeruandum expenſis recipientis ſub ea conditione, quod de primis foetibus, ſeù fructibus ſatisfiat danti de capitali, & reſiduum æqualitèr diuidatur, dummodò tamen periculum caſuale ſit penès dantem eſt illicitum. *Vldaricus, & Joannes de Lignano apud Silueſtrum verb. ſocietas 2. idem Silueſter, & Tabiena verb. vſura 3. num. 6. in fine quaſt. 5. Azorius Inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 7. verſ. ſed quid iudicandum.*

Vldaric. Ioannes de Lignano. Silueſter. Tabiena. Azorius.

Probatur, quià in huiuſmodi pactis, & conditionibus maius onus imponitur recipienti, quam conferenti, ergo contractus, vtpotè non cum æqualibus conditionibus initus non erit licitus. Antecedens probatur, quia recipiens tenetur conferre de ſuo ad conſeruandum capitale conferentis, & ipſe ſuum laborem ſæpe amitteret, & conferens nihil de ſuo perderet, ergo maius onus eidem imponitur.

Dices primò, ſi quis conferret alteri impendenti dumtaxat operam, & induſtriam aliquam pecuniæ quantitatem ad lucrum poſſet licitè, ſi nil lucri fuerit acquiſitum, & remanſerit ſola pecunia collata in ſocietatem illam recipere, quantumuis alter operas, & induſtriam amiſiſſet, & nihil lucratus fuiſſet, ergo etiam poteſt licitè fieri conuentio in hypotheſi, de qua loquimur, vt ex foetibus, & fructibus futuris prius ſatisfiat danti pro capitali, quantumuis contingeret, quod recipiens ſuam operam, & induſtriam perderet. Sed contra negatur conſequentia. Ratio diſparitatis eſt, quia illud, quod ex foetibus, & fructibus deducitur debet eſſe ex ipſa natura contractus tanquam lucrum commune, & æqualitèr diuidendum, adeòque ſine præiudicio conferentis operam, & induſtriam nequeunt in reſtitutionem capitalis conferri, nam illud ius, quod iam quæſitum eſt ſocietati tranſiret in commodum ſocij, quod non euenit in primo caſu, in quo præſuponitur capitale tantum perſeuerare.

Variæ rationes contra aſſertionē earumque ſolutio.

Dices ſecundo id, quod ex foetibus, ſeù fructibus conferretur danti in ſolutionem, ſeù compenſationem capitalis non eſſet ex bonis proprijs ipſius ſocij, qui animalia recepit, ſed ex communibus ſocietatis, ſeù vtriuſque ſocij, & proindè &c. Sed contra, quia quamuis eſſent ex bonis communibus ſocietatis, cederent tamen in priuatum commodum ſocij conferentis animalia, quod ſaltem partialitèr cedit in præiudicium recipientis eadem animalia. Non negauerim tamen; quod ſi illi foetus, ſeù fructus, qui ſunt communes vtrique ſocio, ſubſtituerentur loco capitalis, vt poſtea vtrique fructiferent, illud pactum poſſet eſſe licitum, quia, vt benè notat Azorius, ſocio qui recepit illa animalia intereſt, vt hoc modo, quæ deſiderantur oues, ſuppleantur. Azorius.

Aſſertio VI. Pactum, quo quis alteri dat duo iugera bouum, & poſſeſſionem, quam aret, & colat ea appoſita conditione, vt fructus poſſeſſionis æqualitèr inter ipſos diuidantur, poteſt eſſe licitum, ſi in communi æſtimatione opera, & induſtria recipientis æquiualeant in valore valori vſus bouum, & fructuum terræ, ſecus ſi non æquiualeant, quia tunc recipiens debet tantum acquirere ad ratam valoris operarum, & induſtriæ comparatiuè ad valorem vſus bouum, & fructuum poſſeſſionis *Silueſter verb. ſocietas 2. quaſt. 6. dicto quarto Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 7. verſ. decimotertiò quæritur.* 12

Silueſter. Azorius.

Probatur in vniuerſum. Non eſt illicitum pactum, quod a iure non prohibetur, quodque ſecundum ſe non tollit inæqualitatem requiſitam ad naturam contractus, qui ſecundum ſe exigit, vt quis plus, minuſque lucri, vel damni ſentiat, iuxtà quod plus, minuſue attulerit, ergo ſi recipiens tātum in ſuis operibus, & induſtria afferat, quantum adæquet valorem vſus bouum, & fru-

Supponũtur operæ, & induſtria adæquare valorem ſoyſis.

& fructuum poſſeſſionis non erit illicitum pactum, quod fructus ad æqualitatem diuidantur, & quod, ſi non adequat id, quod affert, tantum ſolummodò recipiat, quantum exigunt eædem operæ, & induſtria. Aduerte tamen, quod aliquid magis eſſet tribuendum de fructibus Domino propter periculum, cui exponit bouum iugera, niſi aliter illud compenſetur.

Res ad duplicem finem poteſt æſtimari.

Hic oritur difficultas, quomodò lucrum, & damnum regulandum ſit, quandò quis animal æſtimatum cum terra confert ſine vllo prorſus pacto, nec de capitali, nec de lucro. Pro ſolutione aduerte, quod quandò *in l. æſtimata ff. ſolut. matrimonio, & in l. plerumque ff. de iure dotium* dicitur, quod æſtimatio faciat venditionem, hoc intelligendum ſit, vel in eo ſenſu, quo æſtimatio faciat ſimplicitèr rem æſtimatam, vel in eo ſenſu, quo faciat eam æſtimatam non ſimplicitèr, ſed in ordine ad aliquem determinatum finem, vt ſi ſcilicet nõ caſu fortuito ſed dolo, vel culpa res illa pareat, teneatur ille, qui eandem recepit reſtituere congruum, & proportionatum pretium. Iuxta primum ſenſum æſtimatio videtur facere venditionem iuxta allegata iura, non ſic iuxtà ſecundum. Quibus poſitis ad propo-
13 ſitam difficultatem reſpondeo, quod ſi dans contulerit animal æſtimatum ſimplicitèr, tunc lucrum, & damnum ſit æqualitèr diuidendum, ſi verò contulerit æſtimatum ſub certa conditione, tunc videndum eſt, an opera, & induſtria, & labor ipſum recipientis adæquent valorem vſus bouis, & fructuum terræ, vel non, & ſic dicendum erit, quod dictum fuit in mox poſita aſſertione, ſi verò contulerit æſtimatum, ſed non innoteſcat, an ſimplicitèr, an ſub illa certa conditione, tunc præſumendum eſt ſecundum id, quod eſt in conſuetudine in tali regione; Ratio pri-

Æſtimatio, quandoque ſacit diuiſionem.

mæ partis ex eo deducitur, quia cum illa æſtimatio faciat venditionem iuxta prænotata, dans videtur ponere partem animalis, & terram, recipiens verò partem animalis, quod videtur emiſſe ratione æſtimationis, & operas, ſicque vterque æqualiter contuliſſe, quibus propterea æquale debet eſſe damnum, & lucrum *l. cum duobus §. damna ff. pro ſocio Silueſter verbo ſocietas 2. quæſt. 6. in fin.* Ratio ſecundæ partis deducitur ex dictis in probatione aſſertionis. Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quia actum videtur, quod conſuetum eſt *l. quod ſi nolit §. qui aſſidua ff. de adil. edicto. l. ſi prius §. rectè placuit ff. de acq. plu. arc.*

14 Aſſertio VII. Circà tempus quo perſeuerare debet ſocietas animalium ſtandum eſt conſuetudini, vbi nullum fuerit adiectum pactum, ſecundum quam ſocietas in animalibus groſſis durare conſueuit per quinquennium animalium verò minutorum per triennium. Ità *Angelus vrb. ſocietas 2.* qui ad hoc aſſertum confirmandum allegat quædam iura extrauagantia inter extraordinaria capitula feudorum, quæ quidem rationi congruunt, quandòquidem in minori tempore non poſſit eſſe ſine iactura aliorum &c. *Silueſter verb. ſocietas 2. quæſt. 6.*

Tempus diſſolutionis cotractus ſocietatis animalium. Angelus. Silueſter.

Aſſertio VIII. Finita ſocietate, nulloque 15
expreſsè conuento inter eos, qui coierunt diuiſio animalium, & ouium facienda eſt, ſecundum quod importat conſuetudo, vbi verò nulla viget conſuetudo, arbitrio boni viri iuxta conditiones *l. ſecundum naturam ff. de reg. iuris.* Ita *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. art. 7. verſ. decimoquarto quæritur Silueſter verb. ſocietas 2.*

Azorius Silueſter

Conſuetudo dicitur ius ſcriptum.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia iuxta ſuperius allegata, quandò nihil conuentum eſt in contractibus, & iura nihil determinatè præſcribunt, id actum præſumitur, quod conſuetum eſt *l. quod ſi nolit §. quia aſſidua ff. de adil. edict. & l. ſi prius §. rectè placuit ff. de acq. plu. arc.*, & quidem iure merito, quia conſuetudo dicitur ius non ſcriptum *Petrus Phyl. Corn. conſ. 107.* cum ſit ius quoddam moribus vtentium comprobatum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex *cap. conſuetudo diſt. 1.* quinimmò æquiparatur ſtatuto *l. magiſtratus ad munic. l. ſemper de iur. immun. Inſtit. de iur. nat. §. ex non ſcripto, & §. conſtat Baldus in l. omnes populi 2. col. ff. de iuſt. & iu.* & ſapit naturam pacti *Gloſa, & Baldus in l. 1. de ſeru. fug. idem Baldus in l. 1. col. 2. de offic. deleg.*

Baldus. Gloſa.

Ratio ſecundæ partis eſt, quià quandò non eſt ius, nec pactum, nec conſuetudo æquitas ſeruanda eſt, vt partes quominus fieri poſſint grauentur, ſed ad proportionem collatorum maneant quodamodò in æquilibrio, quia iuſtitia commutatiua reſpicit ne quis plus habeat, quam habere debeat, nec minus habeat, quam habere debeat; vnde in hoc ſpeciali caſu, de quo agimus hoc aduertendum eſt, vt quo quiſque plus, minuſue ex ſuo in ſocietate comperiet, plus, minuſue damni, lucrique participet, quod eſt id, quod decernitur *in d. l. ſecundum naturam ff. de reg. iuris.*

PRÆNOTIO XXVII.

De Societate inter Fratres.

SVMMARIVM.

Ex indiuiſione hereditatis non arguitur inter fratres inita ſocietas.

Arguitur tamen, ſi vterque negotiatur 2.

Enume-

Enumerantur adminicula, quibus ſocietas præſumitur Ibidem.

Non tamen ſocietas omnium bonorum 3.

Non conferuntur omnia bona 4.

Enumerantur ea, quæ non conferuntur. Ibid.

Viuentes fratres ex communi menſa poſt obitum Patris inita ſocietate non repetunt, quæ contulerunt ad communem victum 5.

Secus ſi non eſt inita ſocietas. Ibid.

Contracta ſocietate omnium bonorum inter duos fratres poteſt quilibet filias ſuas dotare bonis communibus 6.

Bona per Patrem viuentem collata filio pro ſtudijs, ſi Pater habebat eiuſdem filij bona caſtrenſia, vel quaſi, ſunt computanda in parte eiuſdem filij 7.

Item, quæ in proſecutione ſtudij incæpti ante mortem Patris impenduntur per vnum ex filijs poſt obitum Patris 8.

Item, quæ poſt mortem Patris inſumuntur in laurea Doctorali 9.

Item, quæ Pater viuens contulit cauſa ſtudiorum, ſi filius inſumpſit in ludis, vel meretricibus 10.

Item, quæ Pater contulit filio pro emancipatione 11.

Item, quæ inſumpta fuerunt circà vxorem alterius fratris, ſi adhuc durent, & non ſunt neceſſaria ad quotidianum vſum 12.

Non ſunt computanda inſumpta cauſa ſtudiorum viuente adhuc Patre, ſi hic non haberet bona caſtrenſia filij 13.

Nec quæ Pater contulit pro delicto filij, ſi ad hoc ſe obligauit 14.

Nec item decrementa in valore, quæ habuerunt libri empti à Patre cum conditione, vt computentur in diuiſione cum Fratribus 15.

Nec item damna, quæ Pater viuens contulit in bonis aduentitijs filij quoad proprietatem 16.

Lucrum acquiſitum per vnum ex fratribus per pecuniam communem, & nomine communi fit commune 17.

Secus ſi nomine proprio. Ibid.

Detrahendum tantum eſt, quantum correſpondet operibus, & induſtria fratris negotiantis 18.

Lucrum, quod acquiritur ex pecunia communi per vnum ex fratribus negotiantem altero ignorante non fit commune 19.

Communicantur etiam damna, quando negotiatio fit communi nomine 20.

Niſi negotiatio fuerit inſolita, & imprudens. Ibid.

Mortuo Patre, relictiſque quatuor filiis, quorum alter habebat duos etiam filios aptos ad labores, & lucra, ſi iſti communicauerint in labore, & lucris poſt mortem ſui Patris diuerſimode ſuccedant, cum ſuis patruis, & quomodo 21.

PLura contingunt quoad propoſitum titulum examinanda circa, modum quo contrahitur, circà bona, quæ communicantur, circa expenſas, & damna, aliaque his ſimilia, de quibus fusè agunt *Bartolus in l. ſi patruus C. communia vtriuſ. iud. Petrus Peruſinus tract. de duobus fratribus. Silueſter in verb. peculium 2., & alij plures.* Vtilis valdè diſceptatio, quandoquidem ex hac apparebit, quænam bona in diuiſione hæreditatis ſint computanda, & quænam non.

Bartolus. Petrus Peruſinus Silueſter.

Aſſertio I. Ex eo præcisè, quod duo, vel plures fratres habeant hæreditatem, vel patrimonium indiuiſum, non ſupponitur inter eos contracta Societas *Bartolus in d. l. ſi patruus C. communia vtrinſq. ind. Silueſter verb. peculium 2. quæſt. 4. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 19.* Dixi, *præcisè*, nam ſi interueniunt alia adminicula, de quibus infrà, ex quibus rationabilitèr poſſit coniectari eorum mens, & intentio ſocialis, non negauerim, poſſe inter ipſos eſſe, veram ſocietatem, quamuis inter ipſos nihil fuerit expreſsè conuentum.

Bartolus Silueſter Azorius

Probatur aſſertio, quia ſocietas per ſuperius probata eſt duorum, pluriumue conuentio contracta ad finem commodioris vſus, & vberioris quæſtus *arg. l. ſi non fuerit §. plerumque ff. pro ſocio*, ſed ex eo, quod duo, vel plures habeant bona indiuiſa ſine alio adminiculo, non intelligitur hæc ipſorum conuentio ad finem commodioris vſus, & vberioris quæſtus, vt per ſe eſt manifeſtum, ergo ex eo præcisè non intelligitur contracta ſocietas. Confirmatur, quia ex eo præcisè, quod plures poſſideant res pro indiuiſo, non dicuntur propriè ſocij, ſed ad ſummum per quandam analogiam, & aliqualem ſimilitudinem lato modo *l. ex parte §. filius ff. fam. erciſ. l. cum duobus §. fratres ff. pro ſocio l. 1. cet. C. de Decurionibus lib. 10. Iaſon in l. ſi emanci patis col. 3. C. de collat. Decius in l. 1. C. qui teſt. fac. poſ.* Confirmatur ſecundo, quia ſi duo fuerint fratres, & alter fuerit pupillus, & alter non, & omnia bona communia poſſideant, non præſumitur inter ipſos ſocietas *Baldus in l. cum oportet in princ. in 2. col. in fine in verſ. quæro quare fratres C. de bon. quæ lib. Alexander in conſ. 35. part. 4.* vbi etiam dicit, quod ſocietas cum pupillo non contrahitur per *l. vt conducta ff. pro ſocio*, ergo ex indiuiſione bonorum præcisè non rectè præſumitur contracta ſocietas.

Poſſidentes pro indiuiſo non dicuntur ſocij.

Iaſon. Decius.

Baldus.

Alexander.

Ex eo autem, quod diximus præſumi ſocietatem, ſi alia acceſſerint adminicula, placet ea ſingula in præſenti examinare & primò, ſi vterque negotietur ex ratione iuſtè, & rationabilitèr præſumitur inita ſocietas *Bartolus in l. cum duobus, &* Bartolus.

ibi

Digitized by Google

Alexander. ibi *Alexander, vbi plenius §. idem Papinianus circa medium ff. pro ſocio, & in l. ſi patruus in 3. col. verſ. ſed quæro hic dicitur C. communia vtriuſque Iudicij*, nec incongrua ratione, quandoquidem huiuſmodi actus quibus ſit negotiatio, & lucra in commune conferuntur ſunt actus ſociales *Baldus in l. cum duobus §. ſi frater ff. pro ſocio, & in l. cum duobus C. communia vtriuſque Iud.* talis autem præſumitur mens, qualis ex actibus poteſt colligi *arg. l. duo fratres ff. de acq. hæred. & l. reprehendenda ſic magis eſt C. de inſtit. & ſubſtit.* quod idem intellige, quamuis vnus negotietur in vno negotiationis genere, alter in altero, dummodò lucra communicent *Baldus loc. cit.*, quæ tamen vera non ſunt, ſi alter tantum negotietur, & non alius iuxta Doctores, & iura ſupra allegata, ſi tamen alter, qui non negotiatur, omnia bona, quæ ſibi vndequaque obueniunt, cum fratre negotiante communicet, præſumendum eſt, quod ſaltem tacitè inierit ſocietatem per ea, quæ notat *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. c. 19. verſ. inſuper ſi vnus*, & item ſi alter curam domus habeat, & alter ſe exerceat in munere aduocatus per ea, quæ notat *Silueſter verb. peculium 2. quæſt. 4.* Secundò, ſi vterque ſit nobilis, & tamen vterque conferat omnia dona, ſalaria, & dotes, tunc implicitè præſumitur contrahi vera ſocietas per adnotata per Baldum *in d. l. cum duobus §. ſi frater ff. pro ſocio, & in l. ſi patruus C. communia vtriuſque Iud.*, quia huiuſmodi collatio pertinet ad actus ſociales.

Præſumitur ſocietas, ſi vterq. negotietur. — Baldus. — *Etiam ſi negotientur in diuerſo genere.* — Azorius. — Silueſter.

3 Aſſertio II. Ex eo, quod fratres poſſideant bona pro indiuiſo, & ambo negotientur, & bona inuicem conferant non benè arguitur, quod inter illos contracta ſit ſocietas omnium bonorum, quamuis negotientur in diuerſo negotiationis genere *Azorius inſtit. moral. part. 3. lib. 9. cap. 19. verſ. quarto quæritur. Silueſter verb. peculium 2. quæſt. 5. Bartolus in l. Titium ff. de adminiſ. & per tut. in 2. altero, contra Bertachinum in tit. ſocietas* qui aſſerit, quod ſi actus negotiationis ſint diſcordes, contrahatur ſocietas omnium bonorum, ſeu vniuerſalis.

Azorius. — Silueſter. — Bartolus. — Bertach.

Probatur primò in vniuerſum; Societas omnium bonorum, non niſi expreſsè contrahitur *l. 3. §. cum ſpecialiter ff. pro ſocio, & gloſ. in l. cum duobus §. idem Papinianus ff. eod.* adeovt ſi ſiat ſimpliciter non cenſeatur vniuerſalis *l. coiri l. quæſtus, & l. nec adiecit ff. eod. Bartolus in l. 2. ff. com. diuid. Baldus in l. 1. quæſt. 11. C. pro ſocio Rimin. in l. 1. num. 1. & 2. C. qui teſtam. fac. poſ. Iaſon in l. ſi vnus in princip. ff. de pactis Ioannes Caph. conſ. 247. num. 16. vol. 2.* ergo quamuis bona inuicem conferant, & negotientur ambo, non propterea intelligitur contracta ſocietas omnium bonorum.

Gloſſa. — Bartolus. — Baldus. — Rimin. — Iaſon. — Ioannes Caph.

Probatur ſecundò, quia non eſt rationabilis præſumptio, quod quis velit conferre in commune commodum, & lucrum id, quod pleno iure tam quoad proprietatem, quam quoad vſumfructum ad ſe ſpecialiter pertinet independenter ab alijs, niſi de hoc actum fuerit, ergo non benè poteſt argui, quod ex negotiatione, & collatione lucri ex eadem in commune commodum contracta fuerit ſocietas omnium bonorum. Conſequentia probatur, quia ſi eſſet ſocietas omnium bonorum, omnia bona ex quacunque cauſa obuenientia eſſent in commune commodum conferenda per ea, quæ ſuperiùs diximus ſub ſuo titulo.

Probatur tertiò, quoad vltimas particulas, *quamuis negotientur in diuerſo contractuum genere*; quia quæcunque negotiatio in quocunque genere eſt negotiatio ad quæſtum, vt fatentur communiter Doctores, ſed ſocietas, quæ eſt ad quæſtum non eſt ſocietas omnium bonorum, quandoquidem in ſocietate bonorum omnium veniunt alia omnia, quæ non ſunt ex quæſtu, ergo &c. Confirmatur, quia ſocietas omnium bonorum non præſumitur per communicationem fructuum *l. ſi ſic pleno ff. pro ſocio l. cum duobus §. fratres ff. eod. tit.*

Ex dictis ſequitur primò, quod bona caſtrenſia, ſeu quaſi caſtrenſia non veniant ſub ſocietate inter fratres, niſi expreſsè actum fuerit de ſocietate omnium bonorum *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 19. verſ. quinto quæritur*, vnde ſi huiuſmodi bona aduenerint poſt initam ſocietatem, non tenetur ea conferre in commune commodum, ſi aduenerint & collata fuerint, ſeu impenſa, poteſt ea repetere *Bartolus in l. ſi patruus C. communia vtriuſque Iud. Silueſter verb. peculium 2. quæſt. 20. ad finem* iuxta textum *in l. in hoc iudicium ff. communi diuid.* 4

Enumerantur bona, quæ nõ conferuntur inter fratres. — Bartolus. — Silueſter.

Sequitur ſecundò, Fratrem habentem cum fratre hæreditatem indiuiſam non teneri communicare omne lucrum ſibi obueniens ex publici alicuius officij adminiſtratione *Azorius inſtit. mor. d. cap. 19. verſ. quarto quæritur Silueſter verb. peculium 2. quæſt. 20.* non aliter, niſi quia inter ipſos non ſupponitur contracta ſocietas omnium bonorum. Sequitur tertiò, quod quando vnus ex fratribus, qui habet communia bona, & hæreditatem indiuiſam cum fratre expenſas, & ſumptus facit in conſequendo gradu aliquo, vel in nuptijs proprijs non poſſit eaſdem in communi computare, nec ex communi inſumere *Azorius inſtit. mor. d. cap. 19. verſ. octauo quæritur* propter eandem rationem, quia ſcilicet non eſt contracta ſocietas bonorum omnium, ſeu vniuerſalis. 5

Azorius. — Silueſter. — Azorius.

Aſſer-

5 Aſſertio III. Viuentibus duobus fratribus poſt obitum patris ſimul è communi menſa, cibo, & potu, ſi aliquis eorum ex ſuo aliquid in commune victum impenderit, non poteſt illud repetere, ſi inita ſit ſocietas ad communem victum, ſecus ſi non ſit inita, nec item, ſi alter fuerit pupillus, furioſus, & prodigus, niſi impendens proteſtatus fuerit, ſe illud non condonare; eo quod redditus communes ad alimenta ſufficiant. *Baldus in l. cum duobus ff. pro ſocio Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 19. verſ. ſexto quid dicendum. Silueſter verb. peculium 2. quæſt. 22.*

Baldus. Azorius. Silueſter.

Ratio ſecundæ partis ea eſt, quia frater non tenetur ex ſuo alere fratrem, nec ex ſuo impendere in vtilitatem ipſius, ergo ſi aliquid impendit in talem vtilitatem poteſt illud iuſtè repetere. Antecedens patet, quia nulla lex ad hoc obligat, nec titulus naturalis pietatis, quandoquidem ſupponitur, quod ex bonis communibus tantum habeat, quo ſufficienter poſſit ſe alere. Hęc omnia conſonant cum textu *in l. Neſenius ff. de neg. geſt.*

Ratio primæ partis ea eſt, quia quando eſt ſocietas conuiuendi, non habetur conſideratio ad illud plus, quia ſocietatis iure intelliguntur conſumpti *cap. ſi duo fratres de fratribus de non. benef. inueſt. de vſibus feudor.* Confirmatur, quia ex eo, quod frater contulerit ad illos vſus, ad quos inita eſt ſocietas, præſumitur illud, quod contulit, donare, niſi aliud expreſſerit, ergo rationabiliter illud non poteſt poſtea repetere.

Frater non tenetur ex ſuo alere fratrem.

Ratio tertiæ partis ea eſt, quia expenſæ factæ per Fratrem in ordine ad alimenta minoris de iure non repetuntur, quia ſemper præſumuntur condonatæ, ſeu gratis factæ, niſi facta fuerit proteſtatio, quod non intelliguntur fieri gratis, ſeu condonari iuxta textum *in l. Neſenius ff. de neg. geſt.*

6 Aſſertio IV. Contracta expreſsè inter duos Fratres ſocietate omnium bonorum poteſt alteruter filias ſuas ex bonis communibus dotare iuxta ſtatum propriæ conditionis. Ita expreſsè *Azorius loc. cit. verſ. nono quæritur.*

Azorius.

Probatur, quia in ſocietate omnium bonorum ſunt communia omnia iura, & damna, & etiam expenſæ, quas ex necesſitate iuſtitiæ, vel naturalis pietatis tenentur ſocij præſtare, ſed ex naturali pietate ſaltem, ſi non ex iuſtitia ſocius tenetur dotare filiam, ergo poteſt hoc præſtare ex communibus bonis, quandoquidem aliud non præſumitur habere poſſe à bonis communibus.

Aſſertio V. Præſcindendo a ſocietate, bona à Patre adhuc viuente collata filio in diuiſione poſt mortem Patris facienda inter filios ſuperſtites, quandòque computanda ſunt in parte ipſius filij, quandòque non. Explicatur in particulari, quando veniant computanda, & quando non.

Sunt computanda primò, quando Pater viuens habebat apud ſe peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe ipſius filij, & eidem contulit pro ſtudio vltrà neceſſaria. Colligitur *ex l. fin. C. de promiſ.* & ratio eſt, quia quando non conſtat de expreſſa voluntate eiuſdem Patris in dubio præſumendum eſt, quod Pater egerit adminiſtratorio nomine, vt benè notat *Silueſter verb. peculium 2. quæſt. 8. poſt Baldum.* 7

Pater ager et administratorio nomine. Silueſter. Baldus.

Sunt computanda ſecundò bona, quæ in proſecutione ſtudij incæpti ante mortem Patris impenduntur per vnum ex filijs poſt mortem eiuſdem Patris. *Silueſter d. verbo peculium 2. quæſt. 11.* & ratio ea eſt, quia factum per Patrem viuentem incæptum in fauorem alicuius ex filijs non obligat Hæredem, niſi quatenus erat obligatus *l. & ſi filium ff. de mun. & ho. l. honores §. is qui ff. de decur. & l. ſi filia §. idem ſcribis ff. fam. ercis.* Pater autem obligatus non erat ad ſumptus in proſecutione ſtudij erga illum filium. 8

Silueſter. *Factum Patris nō obligat hæredem.*

Computanda ſunt tertiò bona, quæ poſt mortem Patris inſumuntur ab aliquo ex filijs in laurea Doctoratus capeſcenda, quantumuis ſtudium habuerit ex bonis ſibi a Patre viuente collatis. Ratio eſt, quia Doctoratus eſt nouus actus diſtinctus ab ipſo ſtudio *l. ſi ſeruus legatus §. ſed ſi cum mihi ex teſtamento ff. de leg. 1.* ſed fratres non tenentur ad expenſas, quæ fiunt ab altero Fratre defuncto iam Patre in ordine ad nouos actus, ergo &c. 9

Doctoratus eſt actus diſtinctus a ſtudio.

Computanda ſunt quartò bona, quæ Pater adhuc viuens contulit filio ob cauſam ſtudiorum, puta ad libros emendos, ſi ipſe filius eadem inſumpſit in ludos, vel expoſuit in meretrices, & hoc præcipuè colligitur *ex Bartolo in auth. quod locum C. de coll.* nec incongra ratione, quandoquidem non præſumendum eſt, quod Pater voluerit tradere ad illos vſus. 10

Bartolus.

Computanda ſunt quintò bona, quæ Pater viuens contulit filio pro emancipatione per *Bartolum in l. 1. §. nec caſtrenſe, & in l. vt liberis C. de collationibus*, & ratio eſt, quia bona, quæ conceduntur filio in emancipatione computantur inter partem eiuſdem filij emancipati, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo etiam bona, quæ conferuntur pro tali emancipatione *Silueſter in verb. peculium 3. quæſt. 9.* 11

Bartolus. Silueſter.

Computanda ſunt ſextò omnia, quæ Pater adhuc viuens inſumpſit circa vxorem filij familias, quoad veſtes, & alia ornamenta, ſi adhuc durent, & non ſint neceſſaria ad quotidianum vſum, & ſint 12

pre-

pretioſa, ſecus ſi non adhuc durent, & ſint neceſſaria ad quotidianum vſum, nec ſint pretioſa. Ratio primæ partis eſt, quia illa non ſupponuntur per Patrem vxori filij familias donata, ſed ad vſum conceſſa *l. mortis in fin. ff. de donat. inter vir. & vx.* Ratio ſecundæ partis eſt, quia quæ ſunt conceſſa ad vſum, ſi poſt vſum non permaneant, non ſunt obligata, nec recipiens tenetur ad illorum compenſationem, nec ratione rei acceptæ, quæ non perſeuerat, nec ratione iniuſtæ acceptionis, vt per ſe patet, nec minus ſunt obligata, ſi permaneant, & ſint neceſſaria ad quotidianum vſum, quia in ordine ad iſta præſumitur a Patre facta donatio, & a principio tenuit donatio inter ſocrum, & nurum *l. ex animo ff. de don. inter vir. & vx. l. ſi dos cum ſua gloſ. ff. ad leg. falc.* Reliqua, in quibus computanda ſunt bona a Patre collata filio in parte eiuſdem poſt mortem Patris in diuiſione cum reliquis fratribus, vide apud *Silueſtrum in verb. peculium 2. per totum.*

Supponuntur facta donatio.

Silueſter.

13 Non computanda ſunt primò in parte eiuſdem filij bona, quæ Pater viuens contulit filio cauſa ſtudiorum, quando non habebat apud ſe idem Pater bona caſtrenſia; vel quaſi caſtrenſia eiuſdem filij, & eadem bona viuente adhuc Patre fuerunt inſumpta in tali cauſa iuxta textum *in l. qua Pater ff. fam. ercis.*, & ratio eſt, quia Pater præſumitur ea contuliſſe, vt Dominus, & donaſſe.

Pater præſumitur contuliſſe, vt Dominus.

14 Non ſunt computanda ſecundò, ea quæ Pater contulit pro delicto filij, pro quo ſe obligauit, ſi hoc fecit ductus naturali pietate iuxta textum *in l. liber captus ff. de capt.* ſecus, ſi Pater contulerit ex neceſſitate ſcilicet ſtatuto ſic ſtatuente, vt notat *Gloſa ſup. rub. C. de decret. decur.* & ratio eſt, quia in primo caſu ſupponitur donaſſe, non ſic præſumitur in ſecundo.

Gloſa.

15 Non ſunt computanda tertiò, in damnis partis filij decrementa in valore, quæ habuerunt libri tempore diuiſionis empti a Patre, & collati eidem filio ſub ea conditione, quod idem filius ſumptus in eiſdem libris factos deberet conferre cum reliquis fratribus, & ratio eſt, quia filius tempore diuiſionis debet conferre ſecundum valorem, quem habent, non ſecundum valorem, quem habuerunt *Gloſa in l. illud C. de coll. in verbo poterat.*

Debet conferre ſecundū valorē, quem habent.

16 Non ſunt computanda quartò damna, quæ Pater viuens contulit in bonis aduentitijs filij circa proprietatem eorundem bonorum iuxtà textum *in l. cum oportet C. de bon., quæ lib. §. ſed cum tacitai*, & ratio eſt, quia circa proprietatem bonorum aduentitiorum filij Pater nullum habet ius, vndè hæredes, qui repreſentant perſonam defuncti, tenentur talia damna emendare.

Pater non habet ius in proprietatem bonorū aduentitiorum filij.

Reliqua vide apud eundem Silueſtrū loc. cit.

17 Aſſertio VI. Lucrum, quod vnus ex fratribus ex pecunia hæreditaria, & communi mercando acquirit, fit commune cum alijs fratribus, ſi negotiatus fuerit nomine communi, ſecus ſi nomine proprio, quod idem dicendum eſt quoad damna, ſi quæ in tali negotiatione obuenerunt, dummodò tamen agreſſus fuerit negotia ſolita diſcretè operando, ſecus ſi inſolita inconſideratè operando, quia tunc etiam, ſi nomine communi negotiatus fuerit, damna non communicabit cum fratribus. *Baldus in l. ſi patruus C. communia vtriuſque Iud. Silueſter verb. peculium 2. quæſt. 17. & 18.* Baldus. Silueſter.

Ratio primæ partis eſt, quia quod fit de cōmuni, & nomine communi eſt cōmune *l. qui ex aliena C. ſi quis alteri, vel ſibi, & ibi Baldus, & plenius idem Baldus in l. 1. C. pod. vit. Alexander conſ. 36, & ſequentibus p. 4.* ergo non eſt, cur lucrum illud non debeat inter ipſos fratres communicari. Confirmatur, quia lucrum illud, quod fit de pecunia communi, & etiam nomine communi eſt profectitium *Bartolus in l. certum 1 ſol. ff. famil. ercis. & in l. ſi patruus C. communia vtriuſq. Iud., & in l. illud C. collat. Flor. in l. ex re ff. de vſuf.* ſed bonum profectitium eſt fratribus communicandum per allata iura, & Doctores; ergo &c.

Quod fit de communi, & nomine communi eſt commune. Baldus. Alexander. Bartolus. Flor.

18 Hic immediatè ſuboritur difficultas; an totum lucrum ſit in commune conferendum, an verò ſit tantum a communi detrahendum, quantum correſpondet operibus, & induſtriæ operantis, ſeu negotiantis. *Flor. in d. l. ex re ff. de vſuf.* aſſerit eſſe communicandum pro parte, quæ attribuitur pecuniæ, non pro parte, quæ attribuitur perſonæ pro induſtria, quod idem dicit *Bartolus in l. 1. §. nec caſtrenſe 29. ff. de collat. bon. & Gloſa in l. cum oportet C. de bon. quæ lib.* qui etiam Bartolus dicit, quod totum lucrum, quod ex pecunia Patris acquiritur, non ſit profectitium, ſed pro medietate tantum, quia pro alia dicitur aduenticium, tanquam debitum negotianti pro operibus, & induſtria ſua, ſicuti cuilibet extraneo ſecundum conſuetudinem *Baldus in auth. ex teſtamento ſexta col. C. de col.*

Flor. Bartolus. Gloſa. Baldus.

Difficultas alia eſt, an, ſi frater mortuo patre negotietur ex pecunia hæreditaria, & communi inſcio, & ignorante alio fratre, ſibi, an verò communi acquirat. Abſolute crederem, lucrum ſolum acquiri fratri negotianti, non communi. *Bartholomæus Socinus in conſ. 93. incip. circa primum, verb. aliquando, & tertiò circa finem in prima parte, & ibi in verb. primo nota.* Ratio in vniuerſum eſſe poteſt, quia regulariter frater præſumitur negotiari, & emere nomine proprio, licet de pecunia communi *Baldus in l. qui ex aliena C. ſi quis*

Bartholomeus Socinus. Baldus.

I alteri,

Præſumi-tur negotiari nomine proprio.

alteri, vel ſibi, & in l. ſi defunct. C. de arb. tut. quod autem fit per negotiationem nomine proprio etiam de pecunia communi acquiritur eidem negotianti, non alteri *l. qui ex aliena C. ſi quis alteri, vel ſibi Baldus in l. prima C. eod. tit.* Quod ſi idem Baldus *in l. 1. C. ſi quis alteri, vel ſibi, & in l. ſi vt proponis C. de rei vend. & in l. ſocius ff. ſi cert. pet. & alibi* exceperit nonnullos caſus, in quibus, etiam ſi fiat negotiatio nomine proprio in re communi, nihilominus lucrum ſit communicandum, vt ſi negotians eſſet ſocius omnium bonorum, vel eſſet tutor, vel ſocius fratris pupilli, vel nepotis minoris, vel emptio ſit facta per vnum altero ignorante, vt euenit præcipuè in caſu, de quo loquimur; nihil tamen per hoc euincitur aduerſus noſtrum ſenſum, quandòquidem ibi ſupponitur contracta ſocietas inter ipſos, in noſtro autem caſu ſolummodò rerum indiuiſio, & communio. Confirmatur, quia ſi quis emat nomine proprio, licet de pecunia alterius, ſibi acquirit non alteri, ſi inter ipſos non inita ſit ſocietas

Baldus.

Baldus in l. ad probationem la. 1. C. de probationibus, ergo etiam ſi emat de re communi nomine proprio ſibi acquiret, non communitati; nec obeſſe poteſt ignorantia alterius, quandòquidem hęc ſolummodò efficit, vt negotiatio non fiat nomine ipſius.

Ratio ſecundæ partis deducitur ex mox dictis, & præcipuè *ex d. l. qui in aliena C. ſi quis alteri, vel ſibi, & ex d. l. ad probationem la. 1. & ibi Baldus C. de probationibus.*

20 Ratio tertiæ partis quoad damna, quandò negotiatio inita eſt in re communi, & nomine communi ex eo deducitur,

Communicantur etiã dãna

quia ad quem ſpectat commodum lucri, ſpectare debet, & incommodum damni, ſi quod obuenerit, ſed quandò negotiatio fit nomine communi lucrum ex eadem acquiſitum pertinet ad communem ſocietatis vtilitatem, ergo etiam damnum, ſi quod obuenerit, erit eidem ſocietati communicandum; neque dicas alterum, qui non negotiatur, non teneri rata habere damnosè per alterum geſta, quæ propterea negotians ſibi debet imputare, & alteri pro rata emendare *l. hæredes §. non tantum, & §. item culpa ff. famil. ercis. l. puto §. ſed, & ſi dolo, & l. in communi diuidundo, & l. ſi is, cum quo, & l. in hoc iudicium, & l. communis ſeruus ff. communi diuid.* contrà enim impugnaberis, quia quæ dicuntur in allegatis iuribus procedunt, quandò damna illata ſunt ex dolo, vel culpa lata ipſius adminiſtrantis, ſeù negotiantis, vt rectè adnotauit *Siluester in verb. peculium 2. quæſt. 19. & cum eo Baldus in addit. ad Bartolum de duobus fratribus.*

Siluester. Baldus. Bartolus.

Dixi *dummodò tamen aggreſſus fuerit negotia ſolita diſcretè operando, ſecus, ſi inſolitè inconſideratè operando*, quià tunc ſibi imputet negotians damnum, ſi quod indè obuenerit *l. ſi negotia ff. de neg. geſtis Bartolus in l. Titius ff. de adminiſ. tut. Silueſter d. verb. peculium 2. quæſt. 17. in fine.*

Bartolus. Silueſter.

Ratio quartæ partis deducitur ex textu *in l. ſi vnus §. ſi vnus ex ſocijs ff. pro ſocio*, vbi ſic legitur. *Nam ſi nomine ſuo, quoniam ſortis periculum ad eum pertinuerit, vſuras ipſum retinere oportet*, ergo ex dicto textu optimè conuincitur, quod periculum ad eum pertinet, qui proprio nomine negotiatur.

Aſſertio VII. Mortuo Patre, relictiſque quatuor filijs æqualitèr ei ſuccedentibus, altero eorum habente duos filios aptos ad labores & lucra, ſi iſti poſt mortem Aui ſine diuiſione laborauerint communicantes inuicem bona, & lucra vſque ad obitum ſui Patris, in diuiſione bonorum cum reliquis ſuis Patruis fratribus Patris ſui in ordine ad bona, quæ relicta fuerunt per Auum ſuccedere debent per capita, in ordine verò ad bona quæſita poſt mortem Aui ſuperſtite adhuc ſuo Patre ſuccedunt per capita in ordine ad ea bona, quæ pertinerent ad Patrem, in ordine verò ad proprios labores acquirunt dumtaxat ſalaria proportionata ad arbitrium duorum peritorum; in ordine verò ad bona quæſita poſt obitum Patris ſui; ſi cum Patruis inierit ſocietatem debent ſuccedere in capita, ſi verò nullam ſocietatem contraxerint, ſuccedunt per capita in ea quantitate, in qua ſuccederet ipſorum Pater, & vlterius acquirunt ſalaria proportionata. Ita in vniuerſum *Silueſter verb. peculium 2. quæſt. 33. per totum.* 21

Aſſignantur varij modi, quibus debēt ſuccedere

Silueſter.

Ratio primæ partis eſt, quia in ordine ad bona Aui filij ſuccedunt in ijs omnibus iuribus, in quibus ſuccederet eorum Pater, cum omnes ſimul repræſentent perſonam ipſius Patris, ſed ipſe Pater cum alijs ſuis fratribus ſuccedere debuiſſet ſecundum ſtipes *l. inter filios C. famil. ercis.* ergo filij ipſius in ordine ad portionem, quæ contingeret ipſorum Patri, ſecundum ſtipes ſuccedere debent inter ſe per capita, cum diuidere habeant inter ſe æqualitèr bona Patris ſui; vndè in ordine ad fratres patris ſui ſuccederent ſecundum ſtipes, comparatiuè verò ad ſe ſuccederent per capita.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia in ordine ad bona Patris ſui, ipſi filij ſuccedunt æqualitèr ab inteſtato *l. inter filios C. fam. ercis.* ergo æqualiter ipſa debent diuidere inter ſe per capita, vndè etiam ipſis poſt mortem Patris veniunt in diuiſione cum reliquis fratribus Patris ſui in ea dumtaxat portione, quæ contingeret Patrem ſuum, & ſic in ordine ad dictos fratres Patris ſui ſuccederent ſecundum ſtipes, comparatiuè

Filij ſuccedũt æqualitèr ab inteſtato.

verò

Digitized by Google

verò ad ſe in ordine ad illam portionem, quæ competeret Patri ſuo, ſuccederent per capita, hoc eſt illam æqualitèr inter ſe diuiderent; nec exiſtimandum eſt, quod vltra portionem pertinentem ad eorum Patrem, ſuccedere etiam debeant æqualitèr cum ſuis patruis fratribus Patris ſui, eo quod cum eiſdem communicant in laboribus, quos impenderunt in communem vtilitatem; non, inquam, exiſtimandum, quandòquidem, cum nulla bona communicauerint, ſicuti communicauit Pater ipſorum, non cenſendi ſunt eo viuente contraxiſſe ſocietatem. Quamobrem, vt benè notat *Silueſter d. verb. peculium 2. quæſt. 33. prope medium*, & nos etiam in aſſertione innuebamus, propter prædictos labores lucrabantur congruam, & proportionatam mercedem, quia perſonas ſuas communicauerunt circa negotia communia; Taxatio autem circa huiuſmodi mercedem non congruentiùs fieri poſſe videtur, quàm per peritos &c.

Silueſter.

Taxatio debet fieri per peritos

Ratio tertiæ partis eſt; quia, ſi ſocietatem inierint cum ſuis patruis poſt obitum Patris ſui, & contulerint laborem, & induſtriam in communem ſocietatis vtilitatem in ordine ad bona quæſita dependentèr à ſocietate pro tempore, quo fuit inita, iam ex vi eiuſdem ſocietatis habent ius, vt lucra æqualitèr diuidantur; ergo in eiſdem ſuccedere debent per capita, cum ſinguli laborem, & induſtriam impendant; ſi verò ſocietatem non inierint, non habent maius ius, ac illud, quod habebat ipſorum Pater, dum viueret, adeoque ſuccedant tantum in portione eiuſdem Patris, & vlterius acquirunt mercedem laborum, nempè ſua ſalaria, vt ſupra. Vlterius in his non immoror; quia erit ſermo vberior in Diſquiſitionibus.

PRÆNOTIO XXVIII.

De Societate inter Maritum, & Vxorem.

SVMMARIVM.

Ex Matrimonio præcisè, nec de iure naturali, nec Diuino intelligitur contracta ſocietas inter maritum, & vxorem 1.

Nec de iure ciuili communi, & canonico 2.

De iure municipali Regnorum Hiſpaniæ, & Galliæ adeſt talis ſocietas 3.

In ſuppoſitione talium iurium municipalium eſt ſocietas omnium bonorum 4.

Et communicandi ſunt fructus tum induſtriales, tum naturales, dummodo ſint exiſtentes, & nati 5.

In ſuppoſitione iurium municipalium, ſi dominium directum mariti conſolidatur cum vtili, & hoc ſit commune etiam vxori 6.

De iure communi bona, quæ conſtante matrimonio ex pecunia communi acquiſita ſunt, ſunt communia 7.

In hypotheſi legum municipalium facto diuortio inter maritum, & coniugem ob culpam vnius innocens communicat in lucris alterius, non ſic nocens in lucris innocentis 8.

PRoſequimur examinare ſpeciales aliquas ſocietates ratione perſonarum, inter quas per ſpecialia pacta, vel ex diſpoſitione iuris, vel ex ipſa perſonarum qualitate intelliguntur ipſo iure contractæ; huiuſmodi autem perſonæ, de quibus in præſenti eſt controuerſia, ſunt maritus, & vxor, de quibus erit primò inquirere, an eo ipſo, quod matrimonium contraxerunt, ſimulque habitant, intelligantur habere durante coniugio ſocietatem bonorum, quæ lucri fiunt, & an hoc de iure communi, an de iure municipali alicuius regionis, an ex præſumpta ipſorum voluntate, an ex ipſorum natura, & qualitate. Secundò ex ſuppoſitione, quod præſumatur talis ſocietas, quorumnam bonorū intelligatur eſſe talis ſocietas, an omnium, an aliquorum duntaxat. Tertiò ex ſuppoſitione, quod maritus antè contractum matrimonium habuerit in aliquo fundo dominium directum, non tamen vtile, & poſtea contracto matrimonio dominium vtile conſolidetur cum directo, an vſusfructus talis fundi fiat communis etiam eidem vxori. Quartò, quo modo diſſoluatur huiuſmodi ſocietas.

Difficultates circa propoſitū titulum examinādæ.

Aſſertio I. Ex eo præcisè, quod contractum fuerit matrimonium, & maritus, & vxor ſimul cohabitent, nec de iure communi naturali, nec Diuino, nec humano intelligitur contracta ſocietas inter maritum, & vxorem, adeò vt bona ſuper lucrata tempore matrimonij ſint communia ad æquales partes *Petrus Nauarra lib. 3. de reſtitutione cap. 1. num. 96. Corduba quæſt. 129. ſumma, Trullench. in expoſitione Decalogi lib. 7. cap. 1. dub. 8. num. 3. Molina de iuſt., & iur. diſp. 422. in princip.* aduerſus *Antonium Gomez in leg. Tauri 50. 51. 52. num. 69.* docentem eſſe de iure canonico *ex cap. debitum de Bigamis, & cap. cum ſocietas 27. quæſt. 2. & cap. 3. de ſponſal.* item aduerſus *Couarruuiam 3. var. cap. 19. num.* dicentem eſſe de iure communi cæſareo; item aduerſus nonnullos alios, aſſerentes eſſe de iure naturali, & Diuino ea potiſſimum ratione, quia ex natura contractus matrimonialis oritur inter virum, & vxorem quædam ſocietas, & naturalis communicatio tam in animo, quàm in corpore. 1

Nauarra. Corduba. Trullench. Molina.

Gomez.

Couarr.

I 2 Ratio

Ratio in vniuerſum eſſe poteſt, quià nec natura, nec ius Diuinum, nec ius humanum commune, ſiuè ſit Eccleſiaſticum, ſiuè ciuile alligat contractui matrimoniali vinculum illud ſocietatis, de qua eſt ſermo in aſſertione, ergo ex eo preciſè &c.

Probatur de iure naturæ.

Antecedens quoad primam partem de iure naturæ ſic euincitur, quià natura ſtante contractu matrimoniali ſolum præcipit communicationem, communionemque in affectibus, in corpore, & cohabitationem, educationem prolis, non autem mutuam communionem in rebus, ſeù ſocietatem; neque dicas ex his, quæ dicta ſunt, ſequi etiam ſocietatem in rebus, ex eo etenim, quod natura dictante debent cohabitare, & ſibi adinuicem mutua obſequia præſtare in ordine ad victum, aliaque neceſſaria ad cohabitandum, neceſſariò deducitur, quod debeant etiam bona, & induſtriam conferre, in quo conſiſtit ſocietas; contrà enim impugnaberis, quià ex eo, quod debeant cohabitare, illaque obſequia ad inuicem pręſtare, ſequitur quidem, quod in ordine ad onera matrimonij debeat vxor conferre marito bona dotalia quoad vſumfructum, & maritus reliqua ſuppeditare, non autem, quod illa communicentur titulo veræ ſocietatis in ordine ad lucra æqualitèr acquirenda, & diuidenda, eo modò, quo fratres poſt mortem Patris poſſidentes bona pro indiuiſo, quibus ſe alunt, non dicuntur propriè conferre ad ſocietatem, niſi inter illos actum ſit, per ea, quæ latè dicta ſunt in præcedenti Prænotione. Confirmatur primò, quià ſi de iure naturali contractui matrimoniali eſſet annexum pactum implicitum ſocietatis in bonis vtriuſque contrahentis, & in lucris, damna, & diminutiones in bonis vtriuſq; de iure naturæ eſſent etiam inter ipſos diuidenda, ſecus iniuſta eſſet ſocietas, nec per vllum ius poſitiuum poſſet cohoneſtari, cum iura poſitiua nequeant derogare iuri naturæ, quæ tamen non ſiunt, cum maritus vtpotè adminiſtrator, de damnis in dote teneatur, non vxor de damnis in patrimonio mariti. Confirmatur ſecundò, quia non eſt illicitum matrimonium, quo quis contraheret cum vxore conſentiendo eidem contractui quoad ſubſtantiam, non verò conſentiendo conditioni, quod lucra ſint partibilia cum vxore, ergo non eſt de iure naturæ, quod contractui matrimoniali implicitè inſit ſocietas bonorum.

In ordine ad onera matrimonij conferuntur bona dotis.

Probatur quoad de iure Diuino.

Antecedens quoad ſecundam partem de iure Diuino ſic euincitur, quia nullibi reperitur Sacræ Scripturæ textus connectens de præcepto vinculum illud ſocietatis in bonis, ſeù lucris propriè ſumptæ cum vinculo inſolubili ipſius matrimonij, ergo de iure Diuino ex eo, quod fuerit contractum matrimonium, non benè ſequitur, quod ſit etiam contracta ſocietas in bonis, & in lucris. Ad magis confirmandam hanc ſecundam partem valdè conferunt argumenta à poſteriori deducta, quæ fuerunt in probatione præcedentis partis allata; ſi enim eſſet talis connexio de iure Diuino, quocunque iure poſitiuo poſito damna in bonis vtriuſque coniugis deberent eſſe æqualitèr inter ipſos diuidenda, & non poſſet eſſe pactum, quod lucra non ſint partibilia, quandòquidem, nec iura poſitiua, nec ſpeciales pactiones poſſent aduerſari ijs, quæ ſunt de iure Diuino.

Antecedens quoad tertiam partem de iure canonico potiſſimum euincitur reijciendo ea omnia, quæ adducuntur pro contraria ſententia, & primò ad textum *in cap. debitum de bigamis* dicendum eſt procedere de ſocietate largè ſumpta in ordine ad cohabitationem, & perſonalia obſequia matrimonialia, non verò in ordine ad ſocietatem ſtrictè ſumptam in bonis quoad lucra. Conſonat hæc explicatio cum verbis textus ibi *cum duo ſint in coniugio videlicet conſenſus animorum, & commixtio corporum*, nec aliud ibi dicitur. Secundo ad textum *in cap. cum ſocietas 27. quæſt. 2.* dicendum eſt ipſum etiam procedere dumtaxat de ſocietate animorum, & corporum, vt legenti ſit manifeſtum. Idem dic ad textum *in cap. 2. de ſponſalibus*, vbi ſolummodò indicatur, quod ſicuti ſocij, qui interpoſitione fidei contraxerunt, poſſunt contractum mutuo conſenſu diſſoluere, ita ſponſi, qui ſponſalia contraxerunt, non tamen matrimonium, ex iuſta cauſa per mutuum conſenſum poſſint illa diſſoluere. Tertiò ad textum *in cap. 2. de donationibus inter vir. & vxor.* in quo certè fortior videtur ineſſe vis ad præſens inſtitutum, cum ibi ſit ſermo de participatione in lucris, dicendum, eſt præfatum textum procedere dumtaxat de onere reſtitutionis dotis, quod habet maritus poſt factum matrimonij diuortium, & eorum, quæ non quomodocunque per maritum acquiſita fuerunt, ſed quæ ex bonis proprijs vxoris, & viri empta fuerunt, vt benè notat *Gloſſa in d. cap. 2. de donat. int. vir. & vxorem in verb. diuiſionem* ex generali regula, quod quæ de communibus pecunijs acquiruntur, ſint communia; cætera verò omnia præſumuntur eſſe de bonis mariti *l. Quintus Mut. ff. de donat. inter vir. & vxorem, & l. etiam C. eod. tit.*

2

Nec de iure canonico.

Procedit de ſocietate animorum, & corporum, non aliter.

Gloſs.

Antecedens quoad quartam partem de iure ciuili communi facilè euincitur, quia non eſt aſſignabilis textus hoc probans, quamuis *Couarruuias 3. var. reſol. cap. 19. num. 2.* pleno ore aſſerat ſocietatem inter vxo-

Nec de iure ciuili communi.

rem,

rem, & virum conſtante matrimonio de iure communi cæſareo annexam eſſe eidem matrimonio, qui tamen non probat per approbationem alicuius textus, ſed tantum ſupponit, vt ipſum legenti eſt manifeſtum. Deindè, quamuis textus aliquis
3 eſſet aſſignabilis, procederet tantùm, quandò inter ipſos eſſet actum, & conuentum de contrahenda ſocietate, vt optimè notat ex Perez *Nauarra lib. 3. de reſtitutione cap. 1. num. 90.* Tandem idem *Coarruuias loc. mox cit.* iura adducit, quæ tamen
Coarru. ſunt municipalia Regnorum Hiſpaniæ, Galliæ, & Bituricenſium, quod ſignum eſt non eſſe de iure communi, ex quibus deduces, in aliquibus dumtaxat regionibus, vel ex legibus municipalibus ipſarum, vel ex conſuetudine ibi recepta contractui matrimoniali annexam eſſe talem ſocietatem.

4 Aſſertio II. In ſuppoſitione coniunctionis ſocietatis in lucris inter maritum, & vxorem cum contractu matrimoniali iuxta diſpoſitionem iurium municipalium Regnorum Hiſpaniæ, & Galliæ talis ſocietas eſſet omnium bonorum *Coarruuias* in
Coarru. *Epitome de matrimonio part. 2. cap. 7. §. 1. num. 5. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9.*
Azorius. *cap. 18. verſ. primo quæritur*, adeò vt aſſerat idem *Coarruuias loc. cit.* hoc valere etiam quoad matrimonium putatiuum bona fide initum, quamuis in ſubſtantia propter occultum aliquod impedimentum ſit inualidum. Hæc concluſio in alio vim non habet, præterquam in ipſis iuribus municipalibus, & conſuetudine ibi recepta.

Hinc habes in huiuſmodi Regnis, in quibus vigent talia iura municipalia, vel conſuetudo ibi recepta ſocietatem illam eſſe non ſolum de fructibus induſtrialibus, ſed etiam de fructibus patrimonij vtriuſque tàm naturalibus, quàm mixtis *Antonius Gomez ſuper leg. Tauri 50. 51. 52. num. 70. Didacus Perez in l. 3. in fine. Gregorius Lopez l. 17. tit. 12. part. 4. & id decernitur in l. 4. tit. 9. lib. 5. recop. & l. fin. tit. 3. lib. 3. for. ll.* Ratio horum omnium eſt, quia lex indefinitè loquitur de omni lucro, huiuſmodi autem fructus ſunt lucra, quæ percipiuntur durante matrimonio, quinimmò hæc ſocietas intelligenda eſt de fructibus etiam bonorum caſtrenſium, & quaſi caſtrenſium, quinimmò etiam donationum quarumcumque, vt habetur *in l. 5. tit. 9. lib. 5. recop. & l. 3. lib. 5. ordinationum ad verbum* [illegible]. De fructibus rerum Paraſernalium difficilius eſt apud Doctores, cum nihil de illis expreſſum ſit in iuribus Regnorum Hiſpaniæ, nihilominus recto iuris ordine ſpectato, dicendum eſt quoad ipſos etiam intelligendam eſſe ſocietatem, ſi enim fructus bonorum caſtrenſium, quæ ſpeciali

Eſt talis de fructibus induſtrialibus, quàm naturalibus.

Gomez. Didacus Perez. Lopez.

Etiam bonorum Paraſernalium ſunt conſeruanda.

iure ſunt mariti, veniunt ratione talis ſocietatis in communione, cur fructus paraſernalium, quæ ſunt propria vxoris venire non debeant ratione eiuſdem in tali communione? Non eſſet certè æqualis vtriuſque contrahentis conditio, adeòque potius ſocietas leonina, quàm legitima.

Aduerte tamen primò ea, quæ dicta ſunt de fructibus tàm naturalibus, quàm mixtis intelligenda eſſe dumtaxat de fructibus exiſtentibus, vel natis, ſiuè collecti fuerint, ſiuè non, dummodò tamen fuerint apparentes *Nauarra lib. 3. de reſtitut. cap. 1. num. 100. verſ. ſed limitatur,* ſecus autem de alijs, qui non ſunt pendentes *Didacus Perez l. 2. in fin.* Nauarr.

Aduerte ſecundò lucra, quæ facta fuerunt tempore ſponſalium non debere eſſe 5
communia, quia iura loquuntur dumtaxat poſt contractum matrimonium. *Didacus Perez in l. 4. §. intelligitur tamen, Coarruuias in Epitob. 4. Decretalium part. 2. cap. 7. §. 1. num. 6.* quinimmò *in l. 1. ordinationum tit. 4. lib. 5.* habetur, quod non ſufficiat, quod matrimonium ſit contractum, ſed etiam requiratur, quod ſit conſummatum, & quod coniuges ſimul cohabitent, & hoc propter diſpoſitionem talium iurium, & quidem propter aliquam congruentiam, quia tunc incipiunt mutua obſequia perſonalia.

Didacus Perez. Coarru.

Aſſertio III. In ſuppoſitione talium iurium municipalium, ſi dominium directum mariti conſolidetur, vel ex morte v. g. emphyteutæ, vel ex alia cauſa inducente caducitatem cum dominio vtili conſtante matrimonio, talis vſusfructus ſit communis vtrique coniugi. Ita aliqui ſuppreſſo nomine apud *Coarruuias in Epitome de matrimonio part. 2. cap. 7. §. 1. num. 5.* contra eundem *Coarruuias loc. cit. num. 9.* 6

Coarru.

Probatur primò, ex diſpoſitione eorundem iurium municipalium, ſecundùm quæ omnia lucra, quæ acquiruntur durante matrimonio ſunt communia, ſub talibus lucra ſunt fructus patrimonij vtriuſque naturales, ſiuè mixti, vt decernitur *in l. 4. tit. 9. lib. 5. recop. & l. fin. tit. 3. lib. 3. for. ll.* immò, & donationum quarumcumque, etiam ſi fiant a Rege *l. 5. tit. 9. lib. 5. recop. Decret. l. 3. & 4. lib. 5. ordinat.* ſed talis vſusfructus acquiritur durante matrimonio, quia conſolidatur cum dominio directo, ergo æqualiter eſt conferendus.

Dices primò, quandò dominium vtile conſolidatur cum directo iure proprietatis dominium vtile acquiſitum cenſetur *l. 1. ſuſſe ſoluitur ff. de vſufructu l. ſi proprietati ff. de in. dat.*, ergo cum proprietas ſit propria mariti etiam vſusfructus debet eſſe proprius eiuſdem, non communis coniugi. Sed contra primò, quia bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia iure proprietatis etiam

ſpectant

ſpectant ad maritum, & bona paraferna-lia eodem iure ſpectant ad vxorem, & ta-men ex diſpoſitione eorumdem iurium ſal-tem in interpretatione quoad eadem paraferna-lia, & expreſſe quoad caſtrenſia, ſeu quaſi caſtrenſia fructus eorumdem conſtan-te matrimonio fiunt communes vtrique coniugi, vt ex d. l. 5. tit. 9. lib. 5. recop. aliiſque iuribus prædlegatis, ergo ex eo, quod pro-prietas ſpecialiter pertineat ad maritum, non bene arguitur, quod etiam vſusfructus ad eundem ſpecialiter ſpectet; nec refert, quod talis vſusfructus fuerit ſubſequenter acquiſitus, quandoquidem omnia lucra, quæ ſubſequenter ad contractum matri-monium acquiruntur, durante eodem ma-trimonio fiunt communia, & ſi fructus quarumcumque poſſeſſionum ex quouis ti-tulo obuenientium poſt contractum ma-trimonium, dum coniuges ſimul viuunt, vtrique æqualiter obueniunt, vt docet

Gloſ. Gloſ. in d. cap. 2. de donat. inter vir. & vxor. & ibi Vrbanus, cur vſusfructus poſſeſſionis, quæ quoad dominium directum ad mari-tum ſpectabat, dum ſimul conſolidatur cum eodem dominio directo durante ma-trimonio, & cohabitantibus coniugibus non debet æqualiter eodem iure vtrique obuenire?

Dices ſecundò. Id, quod contingit ex cauſa priori ſine facto nouo ad tempus cauſæ prioris referri debet l. ſi in ratione imperator 2. ff. ad leg. falcid. l. Pomponius 2. ff. de neg. geſt. ergo vſusfructus, qui accedit ratione proprietatis, cum ratione cauſæ prioris procedat, non ex cauſa lucri pro-cedere dicendum eſt, adeoque non fieri communis. Sed contra, quia ſicuti, ſi do-minium directum tempore contractus ma-trimonialis fuiſſet conſolidatum cum do-minio vtili, etiam vſusfructus fuiſſet vtrique communis, ita etiam, ſi conſolidetur poſt contractum matrimonium, non eſt, cur vtrique non debeat fieri communis; ex

Mulier ex ſuperuentu matrimonij acquirit ius ad bona mariti futura. enim ipſo, quod matrimonium contrac-tum eſt, vxor acquirit ius ad participan-dum ea omnia lucra, quæ maritus acqui-ret poſt contractionem talis matrimonij, ſi cohabitauerint; vnde, quod dicitur in allegatis iuribus ita intelligendum eſt, vt ſcilicet acquiratur ratione eiuſdem cau-ſæ præcedentis ſcilicet proprietatis, non tamen quod ita acquiratur, ac ſi fuerit pro illo tempore acquiſitum, ſicque ius acqui-rendi fructus incipit dumtaxat à die con-ſolidationis eiuſdem vſusfructus cum do-minio directo, licet dependenter ab eo-dem, quæ conſolidatio eſt cauſa, cur fruc-tus pro tempore ſubſequenti percipian-tur, qui antea non percipiebantur, ſic-que nouum dominium vtile de nouo acqui-ritur.

Probatur ſecundò: Si maritus antè ma-trimonium vſucapere cœpit rem aliquam, quæ vſucapio perficiatur durante matri-monio fructus eiuſdem rei fiunt commu-nes vtrique coniugi, vt fatetur idem Couarruuias in Epitome de matrimonio part. 2. cap. 7. §. 1. num. 5., ergo etiam ſi maritus antè matrimonialem contractum habeat proprietatem, non vſumfructum rei, & proprietas poſt contractum matrimonium conſolidetur cum vſufructu, idem vſusfruc-tus debet eſſe vtrique coniugi communis. Conſequentia probatur, quia in vtroque caſu cauſa acquiſitionis vſusfructus, ſeu fructuum præcedit contractum matrimo-nialem, & perficitur poſt ipſum; in vtro-que proprietas eſt mariti, ergo ſi in primo caſu fructus eiuſdem rei per vſucapionem perfectè acquiſitæ poſt matrimonium fiunt communes vtrique, etiam erunt commu-nes fructus acquiſiti poſt idem matrimo-nium contractum ex conſolidatione domi-nij vtilis cum directo.

Aſſertio IV. De iure communi bona, quæ conſtante matrimonio ex pecunia communi mariti, & vxoris acquiſita ſunt, communia ſunt vtrique Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtitutione cap. 1. num. 98. Couarruuias in Epitome de matrimonio part. 2. cap. 7. §. 1. num. 5. 7

Probatur primò ex cap. ſignificauit de donat. inter vir. & vxor. ibi: Mandamus quatenus, ſi ita eſt, ipſum ad reſtitutionem dotis, & diuiſionem eorum, quæ alia communiter habuerunt, diſtrictè compellatis, vbi Gloſa in verbo diuiſionem ſubdit: Hoc intelligitur de iis, quæ communiter empta fuerunt de bonis proprijs vxoris, & viri. Secundò ex cap. cum ſocietas 27. quæſt. 2. vbi Gloſa aſſerit, quod quæ lucrantur vir, & vxor communiter obueniunt, quæ cum, teſte Petro, ne-queant intelligi ratione ſocietatis omnium bonorum, quæ ibi non ſupponitur, intel-ligenda ſunt ratione communionis in ali-quibus rebus; quæ propterea æqualiter ſunt diuidendæ. Tertiò, ex communi ra-tione, quia quæ ex bonis communibus ac-quiruntur ſunt communes. Hoc tamen aduertendum eſt, quod, ſi maritus illa bona, quamuis ex communi pecunia, non tamen communi nomine acquiſierit, ſed tantum proprio, illa ſibi acquiſiuiſſe, non alteri præſumendus eſſet, ſicuti dictum eſt ſupra de emptione facta per vnum ex fratribus mortuo Patre ex communi pecunia, quæ ſi facta fuerit nomine proprio ementis, ipſi, non alteri empta præſumenda eſt.

Aſſertio V. In hypotheſi legum muni-cipalium Hiſpanienſium, de quibus ſupra, facto diuortio inter maritum, & coniugem, quantumuis vinculum matrimoniale in-diſſolubile remaneat, nihilominus ille, cuius 8

culpa

culpa diuortium ſequitur priuatur communione lucrorum, quæ alter innocens acquirit, innocens verò quantumuis ſeparetur, non priuatur communione lucrorum, quæ reus comparat. *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 18. verſ. primò quæritur in fin. Coaruuias in Epitome de matrim. part. 2. cap. 7. §. 1. num. 5. Petrus à Nauarra lib. 3. de reſtit. cap. 1. num. 103.*

Azorius Coaruu. Nauarra.

Probatur prima pars, quia illa ſocietas cum iure communionis quoad omnes fructus dumtaxat intelligitur, poſtquam vir, & vxor ſimul habitare cæperunt *l. 1. ordinat. tit. 4. lib. 5.* & quouſque ſimul habitent *Coaruuias, & Azorius loc. cit.*, ergo ſi contingat ſeparatio, & quidem ex culpa vnius ipſe non habebit communionem in lucris, quæ per alterum innocentem acquiruntur. Conſequentia tenet; quia vbi ceſſat cauſa communionis, & quidem ex culpa, ibi ceſſare debet & ipſa communio.

Ex culpa vnius reſpectu deinſidem ceſſat communio in rebus.

Probatur ſecunda pars, quia priuatio illius communionis in lucris eſt quædam pœna pro delicto, ſed innocens nullatenus deliquit, cum ex alterius culpa fuerit ſeparatus, ergo non debet ſubeſſe illi priuationi, quandòquidem pœna non imponitur, niſi vbi eſt delictum; Neque dicas, quod, quamuis reſpectu ipſius nullum fuerit delictum; vrgeat tamen cauſa ceſſationis a lucro communi, non quidem ſub formali ratione priuationis, cum hoc ſapiat pœnam, ſed ſub motiuo puræ ceſſationis ob ceſſationem cauſæ, quæ eſt cohabitatio, ob quam conceditur talis communio; contra enim impugnaberis, quia quod non perſeueret cohabitatio, non eſt ex ipſius cauſa, cum ipſe in eadem perſeueraret, ſi alterius delictum non ſuaderet ſeparationem; quamobrem cum dicitur, quod cohabitatio ſit ratio requiſita ad communicandum in lucris, intelligendum eſt, quotieſcunque alter per ſuum delictum non eſt cauſa talis non cohabitationis; tunc etenim per innocentem non ſtat, quod ipſe non cohabitet, adeòque non eſt, cur gaudere non debeat priuilegio, perindè, ac ſi cohabitaret.

Innocens ſine congruo punitur.

Hic pro complemento remanet diſſoluendum, an, ſi coniuges mutuo conſenſu ſine alicuius ex ipſis culpa ſpontè ſe ſeparent, & amplius non cohabitent, adhuc communicare debeant in lucris. Pro ſolutione attende, an aliqua inter ipſos facta fuerit conuentio, vel nulla. Secundò, an in tali ſeparatione facta fuerit aliqua diuiſio bonorum, in quibus antè ſeparationem communicabant, an verò nulla facta fuerit. Quibus poſitis dic primò, quod, ſi fuerit conuentio, quod adhuc perſeueret communio in lucris, non obſtante ſeparatione, adhuc perſeueret, quia pacta ſunt adamuſſim ſeruanda, cum nullo iuri, nec æquitati obſiſtant; ſi verò nulla facta fuerit conuentio, diſtingue iuxtà mox dicta, vel cum ſeparatione corporum facta fuit etiam ſeparatio in rebus communibus, & tunc dic, tùm ex præſumpta voluntate eorundem coniugum; tùm ex ipſa ratione ſeparationis communionem illam in lucris non perſeuerare, vel cum ſpontanea ſeparatione corporum non facta fuit diuiſio in rebus, & tunc ex præſumptione dic, quod intelligatur perſeuerare. Ratio primæ partis eſt, quia ex quo noluerunt communionem in rebus, præſumuntur etiam noluiſſe communionem in lucris, præcipuè cum ceſſet vna ex præcipuis rationibus, ob quas inducta fuit talis communio, nempè ſocietas. Ratio ſecundæ partis eſt, quià ex quo relinquunt bona in communione, intelliguntur tacitò conuenire in perſeuerantia illius communionis, adeòque &c.

Præſumendũ eſt ex varijs circumſtantijs, & præcipuè ex diuiſione bonorum.

PRÆNOTIO XXIX.

De Societate vulgò dicta *A goder à goder*.

SVMMARIVM.

Refertur praxis huius ſocietatis 1.
Varij modi, quibus poteſt contrahi 2.
Si contractus fuerit initus, quatenus, qui dedit pecuniam, eandem mutuauerit, & receperit rem fructiferam ad ea gaudendam eſt illicitus, & vſurarius 3.
Si contractus fuerit initus, quatenùs dans pecuniam intelligatur rem, quæ illi datur emere cum pacto retrouenditionis, eſt licitus, ſi ſeruentur debita conditiones 4.
Enumerantur conditiones requiſita ad talem validitatem 5.
Si contractus fuerit initus per modum emptionis cenſus de iure poſitiuo eſt illicitus 6.
Vbi non appareat, quo modo initus fuerit contractus, iudicandum eſt iuxtà conſuetudinem loci 7.

PRaxis talis ſocietatis in titulo propoſitæ hæc eſt. Duo ad inuicem ſibi con- 1
ferunt res ſuas, puta vnus alteri domum ſuam, hic alter primo pecuniam ſuam ea adiecta conuentione ab vtroque acceptata, vt vnuſquiſque vtatur re, ſeù pecunia ſibi tradita quoadvſque quilibet velit ea vti, & ſi alter nolit amplius perſeuerare in vſu rei ſibi conceſſæ, poſſit rem ſuam alteri traditam repetere, reſtituendo tamen rem, quam ab eodem accepit ad vſum; atque hic modus contrahendi dicitur ſocietas vtrique libera, quia vterque poteſt ad libitum repetere rem ſuam; dicitur etiam, *A goder à goder*, quia videtur præ-

Praxis huius ſocietatis.

ciſe

eiſt recipere vſum rei, non dominium, & proprietatem. De hac ſocietate modò contingit inquirere, an aliquam iniuſtitiam, ſeu turpitudinem præſeferat. Pro ſolutione

2 Aduerte, huiuſmodi contractum multis modis poſſe concipi, iuxtà quos quandòque licitus videtur, quandòque non. Singulos expendo, vt quid dicendum ſit in ſingulis, innoteſcat. Primò ità poteſt concipi, quatenùs qui dat pecuniam, cum in ſe retineat ius illam repetendi, quotieſcunque voluerit, intelligatur illam recipienti mutuare, & quaſi in ſecuritatem recipere rem illius. Secundò, quatenùs qui dat pecuniam, & recipit domum, intelligatur quodamodò emere illam pro illo pretio, quod ſoluit, puta domum, quæ locari ſolet quotannis centum aureis pro pecunia, quam erogat, quæ eſt mille, & quadringentorum aureorum, qui verò recipit pecuniam illam, & dat domum intelligatur illam vendere pro tali pecunia eo adiecto pacto, quod ipſe vendens poſſit illam redimere pro eodem pretio, quotieſcunque voluerit, & emptor poſſit illam reuendere eodem etiam pretio pro ſuo libito. Tertiò, quatenùs qui ſoluit pecuniam, & recipit domum, intelligatur emere annuum cenſum ſuper eadem domo, & qui eandem recipit pecuniam, intelligatur vendere dictum annuum cenſum, & conſtituere ſuper eadem domo, & loco annui cenſus, quem ſoluere deberet in pecunia, locare eandem domum emptori, vt ex vſu talis domus ſatisfiat pro tali annuo cenſu, qui ſibi per alterum deberetur.

Varij modi, quibus contrahũtur, enumerantur

Major difficultas in hac controuerſia eſt, quandò contrahentes nullum ex his modis in celebratione contractus expreſſerunt, pro quonam ſit præſumendum, & per conſequens, an præſumendum ſit, quod contractus ſit licitus, an verò illicitus.

3 Aſſertio I. Si contractus fuerit initus iuxta primum modum, & res, quæ per alterum datur tribuenti pecuniam fuerit fructifera, vel naturaliter, vel ciuiliter, adeò vt illam recipiens illius vſu fructifero gaudeat, eſt contractus omnino vſurarius, & illicitus; ſecus ſi res illa nullo modo fuerit fructifera, & tradatur præcisè ad ſecuritatem *Silua in Roſa aurea tract. 3. caſu 65.* cui videtur inclinare *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 20.*

Silua. Azorius.

Probatur prima pars. Vſura propriè eſt aliquid tanquam debitum ex mutuo vltra ſortem recipere per ea, quæ latè tradidimus *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris ſparſim per totum, & præcipuè Pranot. 6. num. primo,* vbi nomine lucri diximus venire quodcumque pretio æſtimabile, ſiuè poſitiuè, ſiuè negatiuè, ſed in contractu iuxta hunc modum explicato mutuans aliquid ex mutuo pretio æſtimabile vltra ſortem reciperet, quandòquidem vteretur domo alterius, qui vſus eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, & nihil pro eo vſu computaret in ſortem, ergo re vera vſuram committeret, adeòque ille contractus eſſet vſurarius. Confirmatur. Mutuans accipiens fructus ex pignore, ſeù fundo oppignorato *ex cap. 1. & 2. de vſuris, & c. ſignificante de pignor.* eſt vſurarius per ea, quæ nos latè tradidimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Pranot. 12. nu. 2.* ergo ſi tribuens pecuniam titulo mutui accepta in pignus domo, ea vtatur per ipſius inhabitationem, nihil computando pro vſu, contrahet vſuram, quandòquidem vſus domus computatur inter fructus ciuiles.

Reciperet fructus vltra ſortem [illegible]

Probatur ſecunda pars, quià non eſt illicitum mutuare pecuniam accepta in pignus, & ſecuritatem ſortis mutuatæ re aliqua, ſi ex illa nullus fructus percipiatur, ſeù percipi poſſit, quandoquidem mutuans poteſt nolle mutuare cum periculo ſuæ ſortis, nec beneficium alteri impendere cum detrimento proprio, ergo ſi res illa non fuerit fructifera, & detur ſimpliciter in ſecuritatem, mutuans illam recipiens non committet vſuram, quandòquidem nil ex mutuo nihil recipit vltra ſortem. Confirmatur, quia mutuans, qui ex accepto pignore in ſecuritatem præcisè, nullo alio adiecto onere, quantumuis illud ſit fructiferum, fructus non percipit, non tenetur compenſare intereſſe eorundem mutuatario per ea, quæ latè nos documus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris & Pranot. 12. num. 5.* ergo accepta in pignus re non fructifera non committet vſuram. Conſequentia tenet, quia ſi quandò res oppignorata pro mutuo poteſt reddere fructus, non committit iniuſtitiam mutuans, ſi fructus, quos non collegit, non compenſat, nec vſuram committere à fortiori dicendus eſt, ſi detinuerit rem non facientem fructus, quandoquidem etiam detinuit in primo caſu.

Non eſt vſura accipere pignus in ſecuritatem ſortis mutuatæ.

Aſſertio II. Si contractus fuerit initus iuxta ſecundum ſenſum expoſitum non eſt illicitus, ſi ſeruentur omnes conditiones, quas requiri diximus *tom. primò ſub tit. Contractus II. de emptione, & venditione Pranot. 4. per totum* ad venditionem cum pacto retrouenditionis. *Conradus de contractibus quæſt. 84. Gabriel in 4. diſt. 15. quæſt. 12. art. 3. dub. 4. Coaruuias lib. 3. var. reſol. cap. 9. num. 3. Maior in 4. diſt. 15. quæſt. 43. Medina de rebus per vſuram acquiſitis q. 15.* 4

Cõradus Gabriel Coaruu. Maior. Medina.

Probatur primò, quia venditio cum pacto retrouenditionis ſecundum ſe non eſt

illi-

illicita, ſed potius in iure app obata *cap. ad noſtram de emptione, & vendit. & cap. conqueſtus de vſuris l. ſi fundum, & l. ſi à te C. de pactis inter emptorem, & venditorem*, & ex Sacra Scriptura *Leuit.26.* vbi dicitur, *quod omnis terra Iſraelitici populi ſub redemptionis conditione venderetur*, ergo ſi præfatus contractus initus fuerit cum debitis conditionibus, de quibus loc. cit. & infrà etiam dicetur in hoc caſu particulari, non erit, cur non ſit licitus.

Venditio cum pacto retrouenditionis non eſt illicita ex genere ſuo

Probatur ſecundò, quia ſi contractus ille cum pacto retrouenditionis non eſſet licitus, maximè quia non eſſet venditio, niſi quoad nomen, & apparentiam extrinſecam, cæterum in re, & quoad ſub ſtantiam eſſet mutuum palliatum, ſed hoc dici non poteſt, ergo &c. Maior eſt fundamentum, cui innituntur contrariæ ſententiæ aſſertores *Sotus lib. 6. de iuſtitia queſt. 5. art. 1. Nauarrus in comment. de vſuris num. 27* Minor probatur, quia in tantum ille contractus eſſet mutuum, in quantum pecunia collata eſſet reuocabilis, vt aſſerunt Doctores nobis aduerſantes, ſed hæc ratio præciſè non euincit mutuum, ergo &c. Minor etiam probatur, quià ad mutuum conſtituendum non ſufficit ſola reuocabilitas pecuniæ, ſed vlterius requiritur primò, vt non interueniat pretium, & res venalis, vt euenit in caſu, de quo loquimur, ſecundò requiritur, quod res mutuata ex natura cōtractus ſit reuocabilis, res autem illa, & pecunia, de qua hic loquimur, non eſt reuocabilis, niſi ex conuentione; tertiò requiritur, quod, ſi res mutuata pereat, debeatur ſemper capitale mutuanti, pereunte autem re vendita antequam redimatur, pretium non debetur emptori, ergo &c.

Ex reuocabilitate non benè arguitur mutuum.

5 Dixi, *ſi ſeruentur debitæ conditiones*, quarum prima eſt, vt in tali contractu ſeruetur debita, & proportionata æqualitas inter datum, & acceptum ſecundum conditiones, & qualitates in tali contractu interuenientes. Secunda, vt non apponatur pactum, vt vendita redimantur maiori pretio, ac ſint empta, ſed vel eodem, vel illo pretio, quod tempore redemptionis erit, & reputabitur iuſtum. Tertia, vt ſi caſu fortuito res illa vendita pereat tota emptio, & venditio intelligatur finita, nec poſſit venditor rem illam repetere, nec emptor cogi ad reſtituendum pretium, quandòquidem, cum res illa ex vi illius contractus tranſierit quoad dominium in emptorem, ſi caſu fortuito res illa pereat, perire eidem emptori, vtpotè domino dicenda eſt. Addit *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 20. verſ. poſtremo dubitari nequit* aliam conditionem, nempè venditori quid magis de pretio erogandum eſſe propter grauiorem conditionem, quæ ipſum afficit. Hæc autem grauior conditio in eo conſiſtit, quod exigente emptore retrouenditionem rei venditæ difficilius ſit eidem pecuniam reſtituere, quam ipſi emptori reddere rem emptam. Sed exiſtimo, hoc grauamen ſufficientèr compenſari poſſe per aliud, quod afficere poteſt ipſum emptorem; cum enim æquè tam emptor, quam venditor ſit liber ad redimendum, vel retrouendendum reſpectiuè, ſicuti exigente emptore retrouenditionem imponeretur grauamen venditori in difficultate reſtituendæ pecuniæ, ita exigente venditore redemptionem imponi poteſt grauamen emptori in difficultate acquirendi rem aliam ſimilem, præcipuè, ſi ſit domus, vel alia res proprijs vſibus accomoda. Deindè debebat ipſe emptor hanc difficultatem præuidere in celebratione contractus, & ſibi conſulere.

Conditiones requiſita, vt cōtractus ſit tuſtus.

Azorius.

Aſſertio III. Si contractus fuerit initus iuxtà tertium ſenſum attenta præciſa natura contractus ſecundum ſe non erit illicitus, ſi ſeruentur aliæ omnes conditiones requiſitæ ad naturam contractus cenſualis, ſecus verò attento iure poſitiuo Pontificio. Prima pars eſt magis communis apud Doctores, eamque nos latè probauimus *tom. primo ſub tit. Contractus IV. de Emphyth. & Cenſibus Prænot. 15. num. 7. per tot. & ſeqq.* Secunda pars eſt iuxtà mentem Pij V. ſuper creatione cenſuum, quam nos etiam latè commendauimus *eod. tom. primo ſub eodem tit. Prænot. 21. Sect. 12. num. 114.* & eſt *Lugi diſp. 27. ſect. 8. num. 121.* 6

Lugus.

Probatur prima pars, quia attento præciſè iure naturæ non eſt illicitus cenſus ex vtraque parte redemibilis, ſi debitæ ſeruentur conditiones, ergo eodem iure non erit illicitus contractus, de quo loquimur. Antecedens latè probatum eſt *d. tom. 1. d. Prænot. 15 num. 7. per totum*, vbi etiam confutatæ remanent rationes omnes oppoſitæ, vbi omnia ſunt recolenda, non hic ſuperfluè repetenda. Conſequentia probatur, quia in contractu, de quo loquimur, non eſt alia ratio, quæ vitiare poſſit contractum, niſi redimibilitas etiam ex parte emptoris, nam ille contractus non eſt merè perſonalis, cum ſupponatur fundatus in re apta reddere tot fructus, quot correſponderent pecuniæ per cenſuarium actiuum ſolutæ, & ſi res illa, vel in toto, vel in parte periret, ſupponitur, quod vel in toto, vel in parte ceſſare debeant onera cenſus, dummodò, etiam ſi pereat in parte, tantum non fructificet, quantum adæquet fructus quotannis ſoluendos, tunc enim integrè adhuc eſſent ſoluendi, ergo ſi redemibilitas attento iure naturæ non officit contractui, non erit, cur debeat in aliquo eſſe infectus.

Non eſt illicitus ex natura ſua.

Probatur ſecunda pars ex verbis extrauag. Pij V. ſuper creatione cenſuum relatæ *tom. primo ſub tit. Contractus IV. Pranot. 12.*-Ibi-*Pacta etiam continentia pretium cenſus extrà caſum prædictum ab inuito, aut ob pænam, aut ob aliam cauſam repeti poſſe omninò prohibemus*. Neque obeſſe poteſt, ſi

Rebellus aſſeratur cum *Rebellio ſecunda part. de oblig. iuſt. lib. 2. quaſt. 3. & lib. 10. quaſt. 1. num. 17.* contractum cenſualem eſſe contractum innominatum, in quo de iure cæſareo fas eſt re integra ab eo recedere, & repetere id, quod datum eſt *l. ſi pecuniam §. ſi ſeruum ff. de cond. cauſ. dat. l. ſicut C. de action., & oblig.* Non, inquam, obeſſe poteſt; tùm quia falsò ſupponit contractum cenſualem eſſe contractum innominatum; tùm quia, quamuis vera eſſent, quæ dicuntur de iure cæſareo, falſa tamen ſunt de iure Pontificio, ſecundum quod procedit aſſertio; tùm quia ea procedunt, quandò per venditorem cenſus non adimplentur conuenta, quod non militat in hypotheſi, de qua loquimur.

7 Aſſertio IV. Quandò per contrahentes nullus ex his modis in celebratione contractus eſt expreſſus, ſed præcisè res tradita eſt, & pecunia cum pacto reuocabilitatis ex vtraque parte, ex conditionibus appoſitis dignoſcendum erit, quinam fuerit contractus, & an iuxta eaſdem, & contractum, quem ipſæ indicant, ſit licitus, vel non; ſi verò ex conditionibus non appareat, vel ex conſuetudine loci, in quo celebratur, non dignoſcatur, quinam contractus fuerit, præſumendum eſt pro iniuſtitia, ipſumque contractum eſſe vſurarium. *Con-*

Cõradus. Azorius. *radus de contractibus quaſt. 84. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 20.* dum dicit difficilè eſſe ipſius iudicio prædictum contractum ab vſura liberare.

Ratio primæ partis in vniuerſum eſſe poteſt, quia vbi non apparet de expreſſa mente contrahentium in celebratione contractuum, non fortior ratio eorum mentem quoad ſpecialem modum contrahendi ſuadet, quam conditiones, quas in

Circunſtãtia inducſit mētē contrahentium. celebratione contractus apponunt, ergo iuxta earundem conditionum tenorem iudicandum erit, quinam fuerit contractus, & in eodem, an ſit iuſtitia, vel iniuſtitia; ſic in particulari, ſi appoſita ſit conditio, quod ſi res per vnum collata caſu fortuito pereat, pereat recipienti, ità vt non poſſit repetere pecuniam propter illam rem ſolutam, præſumendum eſt pro contractu emptionis, & venditionis cum pacto retrouenditionis, cum hæc conditio conſonet huic contractui, non mutuo; ſic, ſi è conuerſo appoſita ſit conditio, quod ſi res quocunque caſu perierit, intelligatur periiſſe non eam recipienti, ſed danti, adeò vt qui pretium, ſeù pecuniam ſoluit, poſſit illam repetere, præſumendum eſt pro mutuo, & ſic, ſi iſte receperit fructus eiuſdem pignoris vltra talem ſortem, cenſendus eſt vſurariè eos recepiſſe, & his ſimilia.

Ratio ſecundæ partis eſt, quià in eo contractu, vbi aliud ex conditionibus non apparet, non elucet, niſi ratio mutui, propter quod habet ius tribuens pecunias repetendi ipſas ad ſui beneplacitum, & cum non appoſita ſit conditio, quod pecuniam recipiens non teneatur eam reſtituere, ſi res per ipſum collata caſu fortuito perierit, præſumitur, quod obligetur ad rem reſtituendam in omnem euentum, quod manifeſtè redolet vſurariam prauitatem reſpectu illius, qui gauiſus eſt vſu illius rei antequam periret, cum præſupponatur pecuniam illam dediſse titulo mutui, & ratione illius vltrà ſortem habuiſſe vſum rei ſibi in pignus datæ. *Cãſu fortuito eſt optima regula ratione.*

DISQVISITIONES I.

A prima ad decimam Prænotionem incluſiuè.

§. I.

An ſit propriè ſocietas, ſi per Mercatorem conferatur in ſtipendium miniſtro pars aliquota lucri deducto capitali acquiſita ex negotiatione.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus Diſquiſitionis in ſuis terminis 1.

Molina ſupponit potius pro ſocietate, quam pro locatione 2.

Quandò nihil expreſsè determinatum eſt, præſumendum potius pro locatione, quam pro ſocietate 3.

Duplex regulariter interuenit contractus, & quomodo 4.

Iniuſta eſſet actio miniſtri contendentis gaudere legibus ſocietatis 5.

Diſquiſitio I. Titius Mercator, vt miniſtrum proprium circa negotiationem, ſuarumque mercium adminiſtrationem diligentiorem efficeret, obtulit in ſtipendium eidem partem aliquotam lucri, quod deducto capitali, & expenſis remanſerit finita ſocietate, puta octauam, aut decimam partem. Cum autem ex tali negotiatione maximum aliquod lucrum promanarit orta fuit maxima controuerſia, an talis contractus initus inter mercatorem, 1 *Difficultas in ſuis terminis expoſita.*

& ſo-

& ſocium eſſet contractus ſocietatis, an verò contractus locationis, & conductionis, an tandem contractus aliquis innominatus, & hoc ob eam rationem, quia miniſter contendens eſſe contractum ſocietatis, ſibi ſuadebat communicare debere in maiori lucro, ac ipſi fuerit per Titium oblatum, cum in eo contractu æqualitas, & iuſtitia ſeruanda ſit facta collatione capitalis ad operam, & induſtriam tùm inter ſe, tùm etiam comparatione lucri; iuxtà quam conſiderationem plus lucri eſſet ipſi debitum, ac ſi quoad ſuam operam, & induſtriam ſe ipſum ad eam negotiationem locaſſet. Quæritur modo, quid dicendum ſit, ſeù præſumendum circa talem contractum.

2 *Molina.* Contendit *Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 411. verſ. dubium eſt*, quod quandò in celebratione talis contractus, nec expreſsè, nec actu, nec implicitè, nec virtute ſtatutum eſt, partem illam eſſe in ſtipendium, *Qui ſupponit pro ſocietate.* ſed ſimpliciter dicitur tot partes futuras eſſe mercatoris apponentis capitale, & talem partem aliquotam futuram miniſtri, talis contractus cenſendus ſit ſocietatis, & de eo iuxta leges, & priuilegia eiuſdem ſocietatis iudicandum, ſecùs verò, quandò ſaltem virtute appoſitum eſt, quod illa pars aliquota ſit in ſtipendium, rationemque pro prima parte adducit, quià quandò nihil exprimitur, præſumendum eſt eſſe contractum contribuendi in ordine ad commune lucrum poſtea diuidendum. Nihilominus iuxta dicta *ſub hoc eodem tit. Contractus VII. Prænotione 1. num. 4.*

3 Reſpondeo, quod quantumuis nihil fuerit expreſſum, quod illa pars aliquota aſſignetur in ſtipendium, vel in lucrum contractus ad proportionem, ſit præſumendum pro contractu potiùs locationis, *Coniecturæ vincētis intentum reſponſionis.* quam ſocietatis, quod ex multis congruentijs conijcio; primò ex qualitate perſonæ, quæ præficitur negotiationi, quæ ſupponitur miniſter, & fator eiuſdem mercatoris; miniſtri autem, & fatores ex proprio munere regulariter ſunt ſtipendiati, quià quidquid præſtant, regulariter præſtant nomine ſuorum principalium; Secundò ex determinata quantitate lucri, quod pro ſuis operibus eidem offertur per eundem Mercatorem, quod lucrum, quamuis videatur indeterminatum quoad quantitatem ſecundum ſe, cum dependeat ab euentu futuro maioris, vel minoris lucri ex tali negotiatione, eſt tamen determinatum in ordine ad partes, quæ ſunt diuidendæ inter ipſum, & Mercatorem, & pars, quæ ipſi miniſtro debetur, eſt ſecundum ſe aliquota; quandò autem fructus diuiduntur non pro rata, ſed pro quota laboris ſunt ſtipendium locationis, non lucrum ſocietatis. Tertiò ex comparatione, quæ non ſit capitalis ad operas, & ad lucrum, ſed præcisè operarum ad pretium pro illis, cum poſſet euenire, vt plus debeatur ei, qui operas, & induſtriam contulit, quam ei, qui ſolum capitale, quod non attenditur in contractu, de quo eſt ſermo, cum operario ſit ſtatuta determinata quantitas.

Quamobrem in huiuſmodi contractu, 4 prout etiam innuebam *ſub hoc eodem tit. Prænot. 1. d. num. 4. in fine*, exiſtimo duplicem ſaltem implicitè contractum interuenire, alterum ſcilicet proprium locationis, per quem intelligitur aſſignari operario certum ſtipendium, alterum verò innominatum, quo illud certum ſtipendium commutatur cum certa quadam parte veriſimiliter futura, quæ ſit ſexta, vel ſeptima pars lucri acquirendi ex tali negotiatione; *Duplex cōtractus interuenit, & quo modo.* vndè, vt etiam notat idem *Molina d. diſp. 411. in verſ. dubium eſt*, tota acquiſitio ſit Domini, qui deindè erogat illam partem tanquam ſtipendium locationis, ſeù tanquam rem, quæ fuit cum illo ſtipendio commutata. *Molina.*

5 Ex quibus deduces primò, iniuſtam fuiſſe actionem eiuſdem miniſtri, ſeù operarij contendentis illum contractum eſſe ſocietatis, & iudicandum eſſe ſecundum leges, & priuilegia eiuſdem, adeò vt ſibi ratione quantitatis lucri magni ex illa negotiatione prouenientis plus debeatur, quam conuentum ſit; iniuſtam, inquam, eſſe, quandoquidem, ibi non præſumitur interueniſſe contractus ſocietatis, cui propterea non debentur lucra eiuſdem.

Deduces ſecundò, incongruè à nonnullis damnari Mercatores, qui, ex quo magna lucra reportant ex negotiatione per miniſtros habita eiſdem non erogant tantam quantitatem, quanta eſſet eroganda, ſi contractus ſocietatis cum ipſis eſſet initus; incongruè, inquam, quia ex vno capite Mercatores non tenentur cum ſuis miniſtris, alijſque contrahere ſocietatem, ſed poſſunt ſibi conſulere quocunque alio contractu licito ſibi magis proficuo, & per conſequens ex alio capite non tenentur erogare, niſi ad æqualitatem illius contractus, quem inierunt. *Non tenentur Mercatores cōtrahere ſocietatē cum miniſtris.*

Deduces tertiò, id, quod dictum eſt de Mercatore in ordine ad ſuum miniſtrum, quem præficit negotiationi, proportionaliter intelligendum eſſe de eo, qui tradit animalia alteri cuſtodienda, & educanda ad incrementum, ea adiecta conditione, ad finem eum diligentiorem efficiendi, vt in ſtipendium tribuat partem fructuum aliquotam ex illis, qui indè reſultabunt puta octauam, aut decimam eorundem animalium; in hoc etenim caſu etiam præſumitur potius pro contractu locationis, *Paritas in cuſtodiēte animalia.*

quam ſocietatis, adeòque ſecundum leges illius eſt iudicandum, non iſtius iuxta dicta ſuperiùs in caſu mercatoris.

---

§. II.

An ſocietas indefinitè contracta ſine vlla expreſſione ſit omnium bonorum, vel abſoluta, vel aliquorum ſolummodò.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus difficultatis 1.

Non eſt ſocietas omnium bonorum, ſed abſoluta eorum, quæ acquiruntur titulo oneroſo 2.

Sub hoc contractu non veniunt ea, quæ acquiruntur titulo donationis, legati, & hæreditatis 3.

Nec ea, quæ acquiruntur per huiuſmodi titulos occaſione ſocietatis 4.

Satisfit rationibus in contrarium 5.

Propoſitio indefinita non ſemper æquiualet vniuerſali 6.

1 DIſquiſitio II. Contraxerant Titius, & Caius ad inuicem ſocietatem nulla facta expreſſione in celebratione contractus, an illa eſſet ſocietas omnium bonorum, an verò ſimplicitèr, vel aliquorum dumtaxat. Quid ſit ſocietas omnium bonorum, quid ſimplex, quid determinata aliquorum dumtaxat bonorum latè explicatum eſt *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Prænot.* 1. *num.* 3. *&* 5., & ibi inter ipſas aſſignata diſcrimina. Orta fuit inter ipſos poſtea contentio, an ex vi illius deberent participare in omnibus bonis tàm præſentibus, quàm futuris, & in nominibus debitorum, & in acquiſitis quocunque titulo ſiuè oneroſo, ſiuè ſimplicitèr lucratiuo, vt ſit in ſocietate generali, ſeù omnium bonorum, an verò ſolummodò in bonis præſentibus, & quæ acquiruntur titulo oneroſo, non autem in futuris, nec in nominibus debitorum, vt ſit in ſocietate abſoluta, an verò ſolummodò in aliquibus ſpecialibus bonis in determinata ſpecie, prout ſit in ſocietate ſpeciali. *Status controuerſiæ expoſitus.*

Contendebant aliqui, ſocietatem illam ſine vlla expreſſione intelligendam eſſe de vniuerſali; tùm quia, quod lex, & conuentio non reſtringit, nec nos reſtringere debemus, & proptereà ſumendum eſt in omni ea latitudine, quam habere poteſt; tùm quia res indefinitè ſumpta ſignificat generalitèr, quia indefinitum æquipollet vniuerſali, ſi lege, vel canone non deffiniatur *c. quod ſi dormierit* 31. *q.* 1. Nihilominus *Senſus contendentiū ſocietatē eſſe vniuerſalem.*

2 Reſpondeo illam ſocietatem intelligendam eſſe, non de vniuerſali, ſeù omnium bonorum, ſed de abſoluta, prout reſpicit ea omnia bona, quæ durante ſocietate ipſi contrahentes acquiſierint titulo quocunq; oneroſo. *Molina d. tract.* 2. *de iuſtitia diſp.* 412. *verſ. interdum verò. Antonius Gomez* 2. *var. cap.* 5. *num.* 3. *Reginaldus lib.* 25. *cap.* 27. *num.* 377. Molina. Antonius Gomez.

Probatur prima pars, quià ſocietas omnium bonorum non intelligitur, niſi expreſsè fuerit actum *l. ea verò ff. pro ſocio*. Ibi: *Cum ſpecialitèr omnium bonorum ſocietas coita ſit*, ſed in ſocietate, de qua hic agimus, non eſt expreſsè actum de ſocietate omnium bonorum, ergo contractus non eſt de illa intelligendus. Confirmatur, quià non poteſt eſſe rationabilis præſumptio, quod quis velit conferre ea bona, quæ ſibi ſpeciali iure competunt, quandò de illis nihil exprimit, ergo &c. *Nō eſt ſocietas vniuerſalis, vbi expreſsè non eſt actum.*

Probatur ſecunda pars primò ex textu in *l. coiri ff. pro ſocio*, vbi dicitur, *& ſi non fuerit diſtinctum, videtur eſſe coita vniuerſorum, quæ ex quæſtu veniunt, hoc eſt, ſi quod lucrum ex emptione, venditione, locatione, conductione deſcendit*, & *in l. quæſtus ff. eod.* dicitur, quod nomine quæſtus veniat, quod ex opera cuiuſque deſcendit. Secundo ex *Bartolo in tract. de duobus fratribus num.* 11. vbi hanc veritatem exponit, & latè comprobat. Bartolus

3 Ex ijs, quæ dicta ſunt facilè erit colligere, in tali contractu non venire ea, quæ acquiruntur titulo donationis, legati, vel hæreditatis *l. nec adiecit, & l. & ità & l. & quid plerumque ff. pro ſocio*, nec ea, quæ ex aliqua cauſa præcedenti alicui ex ſocijs erant debita *d. l. nec adiecit, & l. & quid plerumque eod. tit.*, quæ omnia confirmant reſponſionem, ſcilicet in tali contractu non venire, niſi ea, quæ acquiruntur titulo oneroſo. *Non veniunt, quæ acquiruntur titulo gratuito.*

4 Hic oritur difficultas, an ſi alicui ex ſocijs in dicto contractu obuenerit aliqua hæreditas, cui occaſionem dederit eadem ſocietas, quatenus ex negotio ad ſocietatem attinente aliquis ad eum fuerit affectus, vt illum hæredem inſtituerit, aut aliquid ipſi donarit, vel legarit, an, inquam, talis hæreditas ratione illius contractus mox expoſiti fiat communis, illiuſque lucra ſint diuidenda inter ſocios. Bartolus *in l. ſocium qui in eo §. ſocius ff. pro ſocio, & in tractatu de duobus fratribus num.* 11. exiſtimat, nec hæreditatem, nec lucra tali modo acquiſita communicanda eſſe inter ſocios in tali ſocietate, & quidem congruè, nam occaſio, quæ confertur talis hæreditatis, donationis, ſeù legati ex ſocietate non confert aliquod ius ſocietati, ſicuti occaſio, quam confert ſocietas alicui ex Bartolus *Occaſio nō confert ius ſocietati.* 5

ſocijs

ſocijs proficiſcenti ad negotia ſocietati aliquorum damnorum, quæ ipſe patitur ab inimicis ipſi obuiantibus in itinere, ipſumque vulnerantibus ex priuato odio, vel rixa, non confert aliquod onus reliquis ſocijs *Bartolus in l. ſocium §. ſocius ff. pro ſocio. Molina diſp. 418. verſ. obſerua tamen*, quod etiam latè nos commendauimus *ſub hoc eodem titulo Contractus VII. Pranot. 13. nu. 5. verſ. limita quinto*; nam ratio formalis, ob quam eidem ſocio confertur talis hæreditas, legatum, ſeù donatio, eſt aptitudo ipſius in negotijs, gratia in geſtis, indoles in moribus, ob quæ ſibi conciliat affectum inſtituentis, donantis, & legantis, quæ eſt propria conditio ſuæ perſonæ, ſicuti ratio formalis damnorum, quæ patitur in via proficiſcens ad negotia ſocietatis eſt inimicitia, rixa excitata, odium antecedentèr conceptum, quæ pertinent ad conditionem propriæ perſonæ, non ſocietatis, adeòque &c.

Bartolus. Molina.

5 Ad rationes, quæ in contrarium afferebantur, nunc reſpondendum eſt, & quidem ad primam dicendum eſt, falsò ſupponi ſocietatem ſine expreſſione intelligi de vniuerſali, quandòquidem ex diſpoſitione iuris reſtringitur (iuxtà textum *in d. l. coiri ff. pro ſocio* Ibi *& ſi non fuerit diſtinctum*, hoc eſt, vt ibi explicat Gloſa, *expreſsò dictum*) ad ea dumtaxat, quæ titulo oneroſo acquiruntur, vndè ceſſat id etiam, quod ſubditur ex generali regula. *Quod lex non reſtringit, nec nos reſtringere debemus*, cum in allegato iure, alijſque immediatè ſubſequentibus habeatur reſtrictio.

Ex diſpoſitione iuris reſtringitur.

6 Ad ſecundam dicendum etiam eſt, falsò ſupponi propoſitionem indefinitam ſemper æquiualere vniuerſali; nam ſi in rigore Philoſophico loquamur mediat inter vniuerſalem, & particularem, & licet in materia neceſſaria generalitèr ſignificet, in materia tamen contingenti, vt plurimum reducitur ad particularem; hic autem verſamur in materia contingenti, & ſocietas ſic ſumpta æquè poteſt coniungi, vel cum generali, vel cum particulari; ſi verò loquamur in rigore iuris, ſeù ſecundum diſpoſitionem legalem ſignificat quidem generalitèr, ſi lege, vel canone non definiatur iuxtà allegatum textum *in cap. quod ſi dormierit 31. quæſt. 1.* in hac autem hypotheſi eſt reſtrictio, ſeù definitio per legem *in l. coiri ff. pro ſocio*, adeòque &c. Dici etiam poteſt, quod propoſitio indefinita limitetur ſecundum præſumptam intentionem contrahentium, quandò æquè poteſt coniungi, vel cum vniuerſali, vel cum particulari, ex præſumptione autem voluntas, & intentio contrahentium non extenditur ad bona quocunque titulo acquiſibilia.

Propoſitio indefinita non ſemper æquiualet vniuerſali.

§. III.

An ſocietas inita cum pacto, vt ſub eadem cadat quæcunque iuſta hæreditas, quæ ſocijs obuenerit, extendatur etiam ad hæreditatem ex teſtamento.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus Diſquiſitionis 1.
Societati indefinitæ poſſunt adijci pacta 2.
Quid veniat nomine iuſtæ hæreditatis 3.
Non venit hæreditas ex teſtamento 4.
Niſi ſit hæreditas ex teſtamento, quæ hæredi etiam competeret ab inteſtato 5.
Non ſumitur pro eodem legitimum, & iuſtum 6.

Diſquiſitio III. Contraxerant duo ſocietatem indefinitè modo in præcedenti §. explicato, ſed pactum etiam adiecerunt, vt ſi alicui ex ipſis iuſta aliqua hæreditas obuenerit, ea intelligatur cadere ſub tali ſocietate indefinitè contracta cum alijs omnibus bonis, quæ ex natura ſua, & ex diſpoſitione iuris ſecum trahit ipſa ſocietas indefinita iuxtà ſuperius dicta. Rebus ſic ſtantibus alteri ex ſocijs obuenit hæreditas quædam ab inteſtato, alteri altera ex teſtamento. Contendebant poſteà adinuicem, an vtraque illa hæreditas caderet ſub illa diſpoſitione conuentionis, an altera tantum, & quænam. Quæritur modo, quid iuris? Pro ſolutione 1

Facti ſpecies in ſuis terminis.

Aduerte ſocietati indefinitè ſumptæ poſſe nullo iure refragante adijci aliqua pacta, quibus amplietur, vel reſtringatur, vt ſi v.g. alicui ex ſocijs obuenerit perſeuerante ſocietate aliqua donatio, vel legatum fiat commune, vel quamuis ſub ſocietate indefinita veniant omnia bona acquiſita titulo oneroſo, vt tamen non veniant aliqua bona, in aliqua determinata ſpecie, quantumuis acquirantur eodem titulo oneroſo, quià pacta, quæ non aduerſantur, naturæ contractus, cadunt ſub diſpoſitione contrahentium, cum à nullo iure infirmentur, & quamuis iura allegata in præcedenti §. reſtringantur ſolummodò ad ea, quæ ex quæſtu veniunt, non ſtant tamen priuatiuè, & excluſiuè quoad alia, ſi per contrahentes adijciantur, ſed tantum limitant ea, quæ ex vi legalis diſpoſitionis veniunt. Quibus poſitis non eſt, cur ſi fiat conuentio etiam de hæreditate, ipſa quoque venire non debeat ſub tali diſpoſitione. 2

Societati poſſunt adijci pacta.

Aduerte ſecundò, quod ſi fiat expreſſio,

quod

quod ſub tali pacto veniat quæcunque hæreditas, ſiuè ex teſtamento, ſiuè ab inteſtato, certè vtraque debeat ſub tali pacto ca-
3 dere, & ſortiri effectum iuxtà talem diſpoſitionem; ſi verò in tali conuentione dicatur ſolummodò iuſta hæreditas; tunc eſt id, quod ſpecialitèr venit ſub hac controuerſia, quæ conſiſtit in explicando, in quonam conſiſtat iuſta hæreditas. Nonnulli accipientes pro eodem hæreditatem iuſtam, ac hæreditatem legitimam, dicunt æquè conſiſtere in hæreditate ab inteſtato, ac in hæreditate ex teſtamento, quià hæreditas etiam ex teſtamento eſt legitima, quia lege confirmatur *Gloſa in d. l. cu verò §. de illo ff. pro ſocio iuxta l. lege ff. de verborum ſignif.* Alij ſumentes ly *iuſtam hæreditatem* pro hæreditate quodamodò iure naturali, & ſanguinis debita contendunt ex vi illius conuentionis non venire, niſi hæreditatem ab inteſtato *Molina d. tract. 2. de iuſt. diſp. 422. verſ. interdum verò, & alij magis communitèr.*

Quid veniat nomine iuſtæ hæreditatis. — Gloſa. — Molina.

4 Reſpondeo ſub diſpoſitione talis conuentionis non venire, niſi hæreditatem ab inteſtato, non autem hæreditatem ex teſtamento, adeòque illam eſſe communicandam, non iſtam. *Bartolus in l. 3. q. 2. de leg. 1. & in l. 3. §. de illo ff. pro ſocio Molina loco quo ſuprà.* Colligitur expreſsè ex *d. l. 3. §. de illo ff. pro ſocio*, vbi expreſsè ſic legitur, *Quæ ſit iuſta hæreditas? vtrumque iure legitimo obuenit, an etiam ea, quæ ex teſtamento? Et probabilius eſt ad legitimam hæreditatem hanc tantum pertinere.* Ratio autem huius diſpoſitionis legalis non aliundè videtur deduci poſſe, niſi ex eo, quod id, quod iuſtum eſt debet aliquo titulo eſſe debitum, prout explicat *Bartolus loc. cit.*, & licet hæreditas eius, cui quis eſt ſucceſurus ab inteſtato non dicatur ipſi debita. *Bartolus in l. fin. in fin. C. de pactis, & in l. ſi poſt §. 1. de lib. leg.* nihilominus, licet non ſit debita iure iuſtitiæ, niſi intercedente morte eius, qui erat Dominus illius ſine teſtamento, eſt tamen aliquo iure ſanguinis eidem debita, quod ſufficit ad præſens inſtitutum.

Bartolus. — Molina. — *Intelligitur de hæreditate aliquo titulo debita.*

5 Hic ſuboritur difficultas, an ſi hæreditas fuerit per teſtamentum delata alicui ex ſocijs, qui in eadem etiam ſine teſtamento ſuccederet ab inteſtato, ſit communicanda cum ſocio, cum quo contraxit ſocietatem de communicanda hæreditate iuſta, quæ alteri ſociorum obuenerit. Sentio vtique communicandam eſſe *Bartolus in d. l. 3. quæſt. 2. ff. de leg. 1. & l. 3. §. de illo ff. pro ſocio.* Ratio eſt, quia licet fuerit delata per teſtamentum, non tollitur tamen, quin in eadem iure ſanguinis etiam ſuccederet, ſi conditum non fuiſſet teſtamentum, ſed ſi ſuccederet non condito teſtamento in illa hæreditate, eadem hæreditas eſſet communicanda ex vi illius diſpoſitionis conuentionalis, ergo etiam erit communicanda, quantumuis etiam ſuccedat ex teſtamento. Conſequentia probatur, quià ipſum teſtamentum non demit illud ius, qualecunque illud ſit, quod ſucceſſor habet iure ſanguinis, ſed potius illud confirmat, ergo &c.

Limita, niſi etiam competeret ab inteſtato. — Bartolus.

6 Ad id, quod afferebatur ex aduerſa parte, dicendum eſt, non pro eodem ſumi legitimum, & iuſtum, niſi ſumatur ly legitimum, prout importat aliquod aliquo iure, ſeù titulo, ſiuè iuſtitiæ, ſiuè ſanguinis debitum, ex quo ſequitur, quod omne iuſtum propriè ſumptum ſit legitimum, non autem omne legitimum ſit propriè iuſtum. Sic ad rem noſtram hæreditas delata ex teſtamento eſt quidem legitima in eo ſenſu, quo dicitur confirmari per legem approbantem, ſi fiat, non obligantem tamen ad faciendum, ſi non eſt relicta, adeòque non eſt legitima in eo ſenſu, vt poſſit rigorosè dici iuſta.

Explicatur diſcrimen inter legitimum, & iuſtum.

---

§. IV.

An inita ſocietate omnium bonorum, ſi aliquis ex ſocijs contulerit aliquid per ipſum turpitèr acquiſitum poſſit illud repetere.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis 1.
Societas de re turpi non ſubſiſtit 2.
Si ſocius res furtiuas coactus contulerit poteſt eaſdem repetere 3.
Si ſpontè contulit, non poteſt ſpontè repetere 4.
Socius, qui contulit res furtiuas damnatus ad reſtituendum poteſt eas repetere 5.
Socius, qui res furtiuas contulit ſocijs ſcientibus, ſi fuerit damnatus, & ad reſtitutionem, & ad pœnam poteſt repetere collatum, & pœnam ad ratam 6.
Socij ſcientes per alterum rem furtiuam collatam eſſe non tenentur eidem reſtituere, ſi non fuerit damnatus, ſi tamen reſtituant non peccant 7.

Diſquiſitio IV. Coierant ſocietatem omnium bonorum expreſsè inter ſe Caius, & Fabius, vi cuius omnia ſua bona contulerant. Caius furto ſublatis certis rebus eaſdem cæteris ſocijs communicauit. Poſteà, vel motu proprio eaſdem contendebat repetere, vel quià per Iudicem cognito furto damnatus fuerat ad eaſdem 1

verò

vero Domino reſtituendas. Hic excitata fuit controuerſia, an ipſe Caius poſſit eaſdem res proportionalitèr à ſocietate reuocare, ſeù à ſocijs repetere, & an ipſi ſocij teneantur reſtituere.

Status controuerſiæ. Molina.

2 Societatem de re turpi ſecundum ſe non ſubſiſtere latè deduximus *ſub hoc eodem titulo Pranot. 1, num. 5. in fine*, & latè etiam de hoc agunt *Molina 412. verſ. ſocietas alia eſt*, *Reginaldus lib. 25. cap. 27. nu. 379.* hocque in iure cautum eſt, quandòquidem *in l. nec permittendum ff. pro ſocio* dicitur. *Hoc eſt verum, ſi honeſtæ, & licitæ rei ſocietas coita ſit, conſtat nullam eſſe ſocietatem, generalitèr enim traditur rerum inhoneſtarum nullam eſſe ſocietatem*. Rurſus in textu *in l. quod autem ff. eod.* habetur. *Quod autem ex furto, vel ex maleficio quæſitum eſt in ſocietatem non debere conferri palam eſt, quia delictorum turpis, & foeda communio eſt*. Difficultas modò eſt, an poſſit eas repetere ex ſuppoſitione, quod iam contulerit.

Molina. Reginaldus. *Non poteſt eſſe ſocietas de re turpi.*

3 Reſpondeo I. Si Caius res furtiuas coactus per ſocios contulerit in ſocietatem poteſt eaſdem motu proprio repetere. Colligitur *ex l. ſi fratres §. ſocium vniuerſa ff. pro ſocio*, vbi ſic legitur. *Idem ait ſocium omnium bonorum non cogi conferre, quæ ex prohibitis cauſis acquiſierit*, ergo ſi coactus contulerit, poterit eadem repetere, quandòquidem, quæ quis per vim acquiſiuit contra iuris diſpoſitionem, tenetur reſtituere, ergo qui coactus contulit poteſt repetere, quandòquidem onus reſtituendi, & ius repetendi ſibi ſunt immediatè correlatiua, & connexa. Confirmatur, quia in iure tunc tantum non poteſt repetere, quandò ſpontè contulit eaſdem res furtiuas *l. quod autem ff. pro ſocio*, & infra ex ſequenti reſponſione clarius patebit, ergo quandò contulit coactè poterit repetere, quia incluſio iuris in vno caſu expreſſo eſt excluſio iuris in alio non expreſſo, & contrario primo.

Onus reſtituendi, & ius repetendi ſüt correlatiua.

4 Reſpondeo ſecundò. Si ſpontè Caius res furtiuas contulerit non poteſt ſpontè eaſdem à ſocijs repetere. *Molina d. diſp. 412. verſ. ſocietas alia*; Intellige, ſi ſocij conſcij non fuerint de rerum collatarum furtiuitate. Colligitur primò *ex l. quod autem in fine ff. pro ſocio*, vbi dicitur. *Planè, ſi in medium collatum ſit, commune erit lucrum*. Secundò *ex l. quod enim ex maleficio ff. eod.* vbi dicitur. *Quod contulit ſocius ex maleficio non aliter recipere debet, quam ſi damnatus ſit*. Ratio autem, in quo fundantur huiuſmodi iura eâ meo videri eſt, quia, cum contulerit res illas, quas conferre non tenebatur, præſumendus eſt, quod illas contulerit beneficè, liberalitèr, & quodamodò titulo donationis, & licet donatio rei alienæ non ſit propriè donatio quoad dominium *Baldus in l. poſt mortem in fine C. de fideicom.* & proindè non teneat *Abbas in cap. quod autem de iure patronatus*, quià tamen iura facta acquiſitione titulo, vel donationis, vel alterius contractus non præſumunt pro alienitate rei, ideò firmant eundem titulum, nec obligant, niſi in iudicio talis alieneitas probetur, & proindè ſubditur *in l. quod enim ff. pro ſocio, ſi damnatus ſit*; & *in l. ſi igitur ff. eod.* additur, *ſi igitur ex hoc conuentus*, ſeù vt alij legunt *conuictus fuerit*. Quamobrem crederem huiuſmodi iura habere tantum vim in foro externo propter præſumptiones, non ſic in interno, in quo attenditur præciſè veritas, & in quo res ſemper clamat pro Domino.

Molina. Baldus. Abbas. *Iura non præſumũt pro alienitate, niſi probetur.*

5 Reſpondeo tertiò. Si ſocius, qui res per ſe furto ſublatas contulit ſocijs, damnatus fuerit ad res illas Domino, à quo ſublatæ fuerunt, reſtituendas, tunc eas poterit repetere à ſocijs *Molina loco quo ſuprà*, & Colligitur expreſsè *ex d. l. quod enim, & ex l. ſi igitur ff. pro ſocio*, & quidem rectæ rationi conſonat, quia quotieſcunque apparet de alienitate rei, non eſt, cur non ſit reſtituenda, & hoc non ſolum in foro interno, ſed etiam in externo. Aliam congruentiam adderem, ad quam fortè reſpicientia allegata iura ſtatuerunt, quod ſocius fur ſponte non poſſit repetere a ſocijs, poſſit verò repetere damnatus, quia ſcilicet, dum repetit damnatus, repetit vt reſtituat vero Domino, quandò verò repetit ſponte, poteſt eſſe præſumptio, quod repetat ſibi, non Domino.

Molina. *Conſtito de alienitate res eſt reſtituenda.*

6 Reſpondeo quartò, quandò ſocius, qui res alienas furto ſuſtulit, ipſas contulit ſocijs ſcientibus furtum, & non ignorantibus, ſi ipſe fur fuerit damnatus non ſolum ad reſtituendum, ſed etiam ad aliquam pænam pecuniariam, non ſolum poteſt repetere collatum, ſed etiam pænam ad ratam, ſeù quod idem eſt ſocij non ſolum tenentur reſtituerè res collatas, ſed etiam ad ratam ſubire pænam, quandò verò contulit ipſis ignorantibus poteſt repetere collatum, non tamen pænam *Molina d. diſp. 412. verſ. ſocietas alia in fine*. *Ognate tract. 28. de ſocietate diſp. 99. ſect. 3. nu. 33.* Totum colligitur *ex l. ſi igitur ff. pro ſocio*. Ibi. *Solum auferet, ſi mihi proponas inſciente ſocio eum in ſocietatis rationem contuliſſe. Quod ſi ſciente eo; etiam pænam ſocium agnoſcere oportet*. Ibique ratio immediatè ſubditur. *Æquum eſt enim, vt cuius participauit lucrum, participet & damnum*.

Poteſt repetere, & collatum, & pænam. Molina. Ognate.

Dices, hoc ius non fundari in naturali æquitate, quandòquidem hæc poſtulat, vt grauiori pænæ ſubiaceat, qui tenetur non ſolum ratione rei acceptæ, ſed etiam ratione iniuſtæ acceptionis, quam ille, qui tenetur ſolummodò ratione rei acceptæ,

Inſtantia eiuſq; ſolutio.

non

non iniuſtæ acceptionis, cum ad iniuſtam acceptionem ille non concurrerit. Sed contra, quia cum ſocius receperit rem illam furtiuam ſciens eſſe talem, & lucrum ex illa ſcientèr acquiſierit eidem furi æquiparatur, vndè non eſt, cur &c.

7 Hic ſuboritur difficultas, an ſi ſocij receperint ab alio ſocio rem furtiuam ſcientes, & fur non damnatus fuerit ad ipſam reſtituendam, ſed ipſe fur eandem ab ipſis ſpontè exigat, teneantur eandem reſtituere. Hæc difficultas coincidit cum ea, quam latè expendimus *tom. primo ſub tit. Contractus II. de emptione, & venditione Pranot.* 8. *aſſert.* 3. *nu.*6. quamque fusè examinant Theologi in ſecunda ſecundæ D. Thomæ in quæſtionibus de iuſtitia, & iure dum de reſtitutione, an ſcilicet, ſi quis emerit a fure rem furto ſublatam teneatur eandem reſtituere vero Domino, an verò poſſit reſtituere furi ad recuperandum pretium pro ipſa ſolutum. Qua in re exiſtimo reſpondendum, ſocios ſocio furi repetere volenti non teneri res furtiuas reſtituere, nisi nouerint, eum repetere ad finem illas vero Domino reſtituendi, ſi tamen reſtituant, non peccare. Ratio primæ partis eſt, quià nemo habens rem alienam a fure, & cognito vere furto, & alienitate rei tenetur potius furi reſtituere, quam vero Domino, præcipuè cum res ipſa ex eo, quod ſit furtiua, innato quodam pondere feratur in Dominum, pro quo clamat, non in furem, ergo ſi furi repetenti non reſtituant ſocij ex eo, quod velint reſtituere vero Domino, non lædunt aliquod ius, quod aſſiſtat eidem furi, adeòque &c, Ratio ſecundæ partis eſt, quià ſocij non tenentur rem conſtituere in meliori ſtatu ab eo, in quo prius erat, antequam ipſis, conferretur, ſed reſtituendo ſocio furi, à quo ipſis fuerat colata, relinquunt in eo ſtatu, in quo prius erat, antequam conferretur, ergo non peccant. Vidè, quæ latè dicta ſunt *d. tom.* 1. *ſub titulo de emptione, & venditione d. Pranot.*8. *aſſert.*3.*num.*6.*per totum*, & hic applica,

Res potius eſt reſtituendaDomino, quã furi.

§. V.

Ad quod nam tempus poſſit contrahi ſocietas.

SUMMARIUM.

Refertur ratio dubitandi 1.

Poteſt coiri ſocietas ad vitam cõtrahentium 2.

Societas inita adiecto tempore per modum conditionis ſubſiſtit, ſi conditio non ſit turpis 3.

Non eſt licitum pactum regulariter, vt ſocietas duret poſt mortem contrahentium 4.

Si incepta eſt negotiatio ante mortem alicuius ex hæredibus, debet per hæredes ipſius continuari, vſque ad complementum 5.

Item, ſi poſt mortem alicuius ex ſocijs alter ignorans talem mortem inceperit negotiationem 6.

Disquiſitio V. Pactis inter duos, ſeù plures pluribus contractibus ſocietatis 1
in ordine ad tempus diſſolutionis eorundem varias leges per pacta ſibi conſtituerunt. Alij conuenerunt, vt ſocietas duraret toto vitæ tempore alterius ex contrahentibus. Alij, vt duraret ad beneplacitum vtriuſque, & non vlterius. Alij, vt duraret ſub certa conditione, adeòvt incipiat dependentèr ab ipſa, finiatur ipſa ceſſante, vel adueniente aliqua alia determinata conditione. Alij tandem, vt duraret etiam poſt ipſorum contrahentium mortem. Quæritur modo, an huiuſmodi pacta cohæreant, ſeù cohærere poſſint cum contractibus ſocietatis?

Variæ cõtrahentiũ conuentiones quoad tempus.

De ſocietate cum conditione, vt durat 2
per totum contrahentium vitam vix poteſt eſſe ratio dubitandi, ſicuti etiam, vt duret ad certum tempus, cum hoc definitum ſit *in l.* 1 *l. actione* §. *morte ff. pro ſocio, & in l.* 1. *ff. eod.* Difficultas igitur potiſſimum reducitur ad tempus ſub conditione, & ad tempus vltra mortem contrahentium.

Reſpondeo primò, ſi adiectum fuerit 3
tempus per modum conditionis, ſubſiſtit contractus ſocietatis, dummodò ipſa conditio non ſit turpis, & aduerſetur naturæ eiuſdem contractus. *Molina d. diſp.* 412. *verſ. contrahi poteſt*. Colligitur *ex l.* 1. *ff. pro ſocio*, & ratio eſt manifeſta, quia contractus omnes præcipuè illi, qui ſolo conſenſu perficiuntur, totam vim, quam habent, habent ſolummodò depẽdentèr à voluntate contrahentium, & ſecundum normam præſcriptam voluntatis eorundem, adeòvt velint, vt incipiat, & deſinat ad tempus per ipſos præſcriptum, ergo ſi velint, vt incipiat eueniente tali, vel tali conditione, eademque non eueniente non incipiat, & completa per aduentum conditionis præſcriptæ deſinat eueniente tali alia, & non eueniente non deſinat; dicendum erit, quod conuentio ſubſiſtat ſecundum illas conditiones &c.

Molina.

Contractus habet vim ſecũdum normã voluntatis contrahẽtiũ.

Dixi, *dummodò ipſa conditio non ſit turpis, nec aduerſetur natura contractus*, nam ſi appoſita ſit conditio v.g. vt incipiat pro tempore, pro quo ſit inæqualis contrahentium conditio, vel deſinat pro tempore, pro quo certò ſciatur, quod ipſa deſitio cadet in detrimentum alterius, certè tunc appoſitio illius conditionis vitiabit contractum,

Non debet eſſe in detrimẽtum alicuius ex contrahentibus.

vel

vel habebitur pro non appoſita.

4 Reſpondeo ſecundò. Non eſt licitum pactum regulariter loquendò, quo contrahentes ſibi inuicem legem ſtatuunt, vt ſocietas perſeueret etiàm poſt ipſorum mortem. *Molina d. diſp. 412. verſ. ſocietas contrahi poteſt*, hocque ſtatutum eſt *in ordin. Luſit. lib. 4. tit. 60. in princip. iuncto* §. 1. Colligitur ex textu *in l. nulla ſocietatis ff. pro ſocio*, vbi dicitur. *Nulla ſocietatis in æternum coitio eſt*, *& l. actione* §. *morte ff. pro ſocio*. Ratio autem huius diſpoſitionis ea eſt, quia, cum ſocietas ſit ex ijs contractibus, qui ſolo conſenſu perficiuntur, ſine conſenſu eorum, ad quos pertinent bona ſocietatis, non videtur poſſe ſubſiſtere, nec ipſi contrahentes obligare poſſunt ſuos hæredes ad præbendum poſt ipſorum mortem conſenſum.

Molina.

Socij non poſſunt obligare ſuos hæredes.

5 Dixi, *regulariter loquendo*, nam ſtante mortem alicuius ex ſocijs cæpta erat ſocietas, nec tamen perfecta quoad negotiationem, hæres loco defuncti tenetur continuare, & perficere eo modo, quo teneretur ipſe ſocius, cuius eſt hæres, ſi non eſſet defunctus, adeòque ad ea omnia iura, onera, leges, priuilegia, incommoda &c. tenetur, quibus tenebatur defunctus, vſque quo fuerit talis negotiatio perfecta. Hæc omnia vim habent in iure *in l. nam, & Seruius* §. *ſi vino ff. de negot. geſtis l. nemo 1., & ſeq. l. hæres ſocij l. verum* §. *in hæredem, & l. actione* §. *morte ff. pro ſocio*, nec quidem incongrua ratione hæc ſtatuta ſunt, quia ſocij ex vi inceptionis ius habent, vt negotium perficiatur, & graui onere premerentur, ſi inceptum tenerentur diſſoluere; ad quæ incommoda vitanda iura præſcripſerunt continuationem.

Inceptio tribuit ius ad cōplementū.

6 Rurſus, ſi poſt mortem alicuius ex ſocijs, ſi alter ſociorum ignorans eiuſdem mortem, negotiationem cæperit, non poterit hæres defuncti ſocietatem quoad talem negotiationem diſſoluere, niſi quatenùs perfecta ſit, & per conſequens tenebitur ad ea omnia onera, damna, ad quæ teneretur defunctus *ad l. actione* §. *morte ff. pro ſocio*, & rationem a paritate deducit *Molina diſp. 414. in principio*, quia, ſicuti quamuis mandatum expiret morte mandantis, ſi tamen exequatur poſt mortem eiuſdem ignorante mandatario, validum eſt id, quod geſtum eſt, ita quamuis ſocietas ſit cæpta poſt mortem ſocij ignorante altero ſocio erit validè, & licitè cæpta; ſi igitur cæpta negotiatione hæres non poteſt ab illa recedere, nec poterit recedere cæpta eadem poſt mortem ſocij, cuius eſt hæres, ignoratam ab altero ſocio,

Molina.

§. VI.

An inita inter plures ſocietate ad vitam eorundem, ad mortem vnius diſſoluatur ſocietas quoad omnes, an tantum quoad eum, qui periit.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis 1.
Duplex conſideratio circà ipſam 2.
Inita ſocietas ſimpliciter ad vitam contrahentium alio pacto non adiecto vno ex illis pereunte deſinit quoad omnes 3.
Si inita fuerit eo pacto, vt perſeueret inter ſuperſtites vtique durat 4.
Societas inita inter plures eo pacto, vt perſeueret ad vitam vltimi ſuperſtitis cum hæredibus præmortuorum non ſubſiſtit 5.
Excipe tamen in ſocietate vectigalium. Ibid.
Conditiones adhoc, vt ſocietas duret cum vltimo ſuperſtite cum hæredibus ſociorum 6.

Diſquiſitio VI. Fabius, Andræas, Iacobus, & Theodoricus ſocietatem, vel abſolutam, vel particularem aliquorum, ſcilicet bonorum contraxerant adinuicem ea ſibi ſtatuta lege, & conditione, vt duraret ad ipſorum contrahentium vitam. Secuta poſteà morte Theodorici, & per ipſius hæredem diſſoluto contractu, contendebant alij nonnulli ex ſocijs ſuperſtitibus diſſoluendam eſſe ſocietatem quoad omnes, contra quos ſolus Fabius excipiebat quoad ipſos non eſſe diſſoluendam, cum adhuc perſeueret conuentio per ipſos inita, quod contractus duret ad eorum vitam. Quid igitur in hac hypotheſi concludendum? 1

Ratio dubitandi quoad titulum.

Aduerte, ſecundum duplicem conſiderationem examinari poſſe propoſitam difficultatem, vel enim in celebratione contractus ipſi contrahentes conuenerunt ſimpliciter, quod contractus perſeueraret ad eorum vitam nulla alia adiecta conditione, vel ita conuenerunt, vt perſeueraret ad eorum vitam, ita tamen, vt quocunque ex illis pereunte perſeueret in alijs permanentibus ſocietas, vel perſeueret ad vitam ſingulorum comparatiuè ad eos, qui ſuperſunt, & quoadvſque cum ipſis poteſt perſeuerare. 2

Duplex conſideratio circa eandem.

Reſpondeo primò, ſi inita fuerit ſocietas ſimpliciter ad vitam contrahentium nulla alia adiecta conditione, vno ex ijs pereunte deſinit ſocietas quoad omnes *Molina d. diſp. 414. in principio*. Colligitur 3

Molina.

L præ-

præcipuè *ex §. ſoluitur Inſtit. de ſocietate*, vbi ſic legitur. *Sed, & ſi conſenſu plurium ſocietas contracta ſit, morte vnius ſocij ſoluitur, & ſi plures ſuperſint*. Item ex textu in *l. actione §. morte ff. pro ſocio*, vbi ſic legitur. *Morte vnius ſocij ſocietas diſſoluitur, & ſi conſenſu omnium coita ſit, plures verò ſuperſint*, quorum iurium eam eſſe rationem exiſtimo, quia illa ſocietas, vbi aliud non exprimitur, indiuidua ſupponitur, & ex voluntate contrahentium præſumitur ità inita, vt alitèr non iniuiſſent, nam contrahentes certas perſonas ſibi eligunt, quibus non extantibus, non eſt præſumptio, quod contraherent.

Iura, & rationes eum en ſes intentum.

4 Reſpondeo ſecundò, ſi ſocietas inita ſit inter plures modo ſuperius expoſito, ſed adiecta fuerit conditio, vt perſeueret inter ſuperſtites, ſi vnus ex ijs præmoriatur, vtique vno pereunte non diſſoluitur quoad omnes. Colligitur *ex præcitato §. ſoluitur Inſtit. de ſocietate*, vbi poſtquam dictum fuerat, quod morte vnius ſocietas inter plures inita diſſoluatur quoad omnes, ſubditur *Niſi in coeunda ſocietate alitèr conuenerit*, quod idem repetitur *in d. l. actione §. morte ff. pro ſocio*, vbi ſubduntur eadem ferè verba. Quorum iurium eam rationem eſſe exiſtimo, quia ſocietas vim accipit à conditionibus, & pactis, quæ per contrahentes conſtituuntur, niſi huiuſmodi pacta aduerſentur naturæ contractus, adeò vt poſſint conſtituere indiuiduam quoad omnes contrahentes, vel duntaxat diuiduam in ordine ad ſuperſtites; cum igitur conuenerint, quod perſeueret etiam mortuo vno inter ſuperſtites, nec talis conuentio aduerſetur naturæ contractus, non eſt, cur non debeat ſocietas cum illis conditionibus ſubſiſtere.

Societas vim accipit à conditionibus, & pactis.

5 Reſpondeo tertiò, ſi ſocietas fuerit inita inter plures, ita vt durare debeat ad vitam vltimi ſuperſtitis cum hæredibus aliorum præmortuorum non ſubſiſtit, niſi fuerit ſocietas vectigalium adiectis certis conditionibus, de quibus infra. Quoad primam partem facilè liquet ex præcedentibus, non enim ſocij contrahentes obligare poſſunt ſuos hæredes ad perſeuerandum in Societate *d. §. ſoluitur inſtit. de Societate, & d. l. Actione §. morte ff. pro ſocio*, quod etiam clariſſimè euincitur *ex l. adeò ff. pro ſocio* dum dicitur. *Adeò morte ſocij ſoluitur ſocietas, vt nec ab initio paciſci poſſimus, vt hæres etiam ſuccedat ſocietati*. Quoad ſecundam partem etiam clarè liquet *ex eadem l. adeò ff. pro ſocio*, vbi dicitur. *At in ſocietate vectigalium nihilominus manet ſocietas etiam poſt mortem alicuius &c.* Si autem hic inquiras, cur ſuccedente alicuius ex ſocijs morte perſeueret inter hæredem ipſius, & alios ſocios ſuperſtites ſocietas vectigalium, non ſic ſocietas in alijs rebus, ſtatim reſponſionem accipies, hoc ea de cauſa prouenire, quia ad contrahendam talem ſocietatem vectigalium debuerunt vnanimes publica conducere vectigalia, & cum conduxerint ſub ea conditione, vt conductio ad eorum hæredes transferatur, non poſſunt iſti ſuccedere in hæreditate, quin ſubeant onus conductionis, & ſocietatis, quia cæteroqui cæteri ſocij non conduxiſſent; vndè iura in ordine ad hoc ſpecialitèr, tum proptèr conductionem à publico, cum propter maiora onera, quæ ſocij ſubeunt, diſpoſuerunt de hac ſpeciali duratione ſocietatis, & translatione obligationis in hæredes, & præcipuè ob fauorem publicum, vt notauit *Molina d. diſp. 414. verſ. quoad &c.*

Non eſt ſubſiſtens ſocietas, vt duret ad vitam vltimi ſuperſtitis cum hæredibus ſociorum.

Niſi ſit ſocietas vectigalium

Dixi, *adiectis certis conditionibus*, quarum quatuor enumerat *Gloſa in d. l. adeò ff. pro ſocio*. Prima eſt, vt aliqui publica conducant vectigalia. Secunda, vt ſic conduxerint, vt hæredes ſuccedant in conductione, & ſocietate. Tertia, vt perſona ſuccedens ſit idonea. Quarta, vt ipſi ſocij non tantum cum locatore vectigalium, ſed etiam inter ſe paciſcantur, vt hæredes in ſocietate ſuccedant. Hæc ferè ad verbum colligo ex præcitata Gloſa. Dixi in tertia conditione, *vt perſona ſuccedens ſit idonea*; ſi enim ſocius defunctus ob ſuam habilitatem fuerit electus ad regimen talis ſocietatis, ad hanc non tranſiret *arg. d. l. adeò ff. pro ſocio*, quia tali pacto ſupponitur ſemper ineſſe talis conditio, ſi hæres fuerit aptus. 6

Conditiones ad continuationem ſocietatis vectigalium.

---

§. VII.

An ſi ſocietas priuata inita fuerit cum conditione, vt vno ſocio mortuo tranſeat ad ipſius hæredem diſſoluatur ſolummodò poſt illius mortem, an verò ſit irrita à principio.

SVMMARIVM.

Specialis ratio dubitandi proponitur 1.
Rationes improbantes contractum ab origine 2.
Contractus in ſua origine ſubſiſtit, & illa conditio vitiatur, non vitiat 3.
Ex nouatione potius arguitur ſubſiſtentia contractus ab initio 4.
Hæres ſocij præſtare debet culpam ſui Prædeceſſoris 5.
Societas arrogati non tranſit in arrogatorem, & tamen arrogatus ſocius manet 6.

In

In hæredem ſocij conceditur actio pro ſocio, quamuis ſocius non ſit 7.

Soluuntur rationes improbantes contractum ab initio 8.

1 Diſquiſitio VII. Contra iuris diſpoſitionem *in d. l. adeò ff. pro ſocio*, alijſque iuribus allegatis contraxerat ſocietatem priuatam Meuius cum Caio ea appoſita conditione, vt non ſolum ad eorum vitam duraret, ſed etiam poſt mortem alterius vno eorum ſuperſtite cum hærede defuncti, Societatem hanc nihil impediente tali pacto poſt mortem alterius ſocij diſſolui ſtante tali iurium diſpoſitione certiſſimum eſt. Oritur modò ratio dubitandi, an ſolummodò diſſoluatur interueniente morte alicuius ex ſocijs, an verò ab initio ratione talis pacti irrita ſit, ſeù vt alij loquuntur, an talis conditio, vtpotè aduerſa diſpoſitioni iuris ſit habenda pro non appoſita, & per conſequens vitietur, an verò potiùs vitiet contractum.

Id, in quo conſiſtit ratio diſficultatis.

2 Ratio dubitandi, ex eo videtur conſurgere, quod cum ipſi ſocij in celebratione contractus expreſsè voluerint illam conditionem, videntur etiam expreſsè voluiſſe illam ſocietatem non ſolum in ordine ad ipſos, ſed etiam in ordine ad omnes in ipſa nominatos eſſe indiuiduam, adeòque ſi ſit irrita quoad nominatos, eſſe quoque irritam in ordine ad ſe; vnde meritò dicitur *in d. l. adeò ff. pro ſocio. Adeò morte ſocij ſoluitur ſocietas, vt nec ab initio paciſci poſſimus*, & *in l. ſed id, quod quis §. ſi filius familias ff. eod.* dicitur, in ijs contractibus initium inſpiciendum eſſe. Nihilominus abſolutè

Rationes, quæ militant contra validitatem etiam ab initio.

3 Reſpondeo ipſam conditionem vitiari, non vitiare ab initio contractum, adeòque ſubſiſtit contractus vſque ad obitum alterius ex ſocijs, non vlterius. Hanc reſponſionem arguitiuè colligo *ex l. planè ſi u ff. pro ſocio*, vbi dicitur, quod quamuis ſocietas ad hæredes non tranſeat, & pactum appoſitum, vt ad eoſdem tranſeat, ſit nullum, ſi tamen defuncto ſocio hæres illius cum alijs ſocijs conueniat, vt continuetur ſocietas, cenſetur etiam valida quoad ipſum, quinimmò etiam ſi expreſsè non conueniat, ſed ſolummodò continuetur executio illius vtraque parte id ſciente, & non contradicente *l. item quæritur §. qui impleto ff. locat., & l. nam cum contractu verò re ipſa, & ib. Gloſa ff. pro ſocio. Aluarus Valaſcus conſil. 34. & 63.* ex quibus ad rem noſtram ſic argumentor. Si ab initio ratione illius pacti omninò eſſet inualida, & irrita ſocietas, non eſſet, cur eſſet valida in continuatione per illum hæredis conſenſum non ſolum realem, & expreſſum, ſed etiam tacitum, & interpretatiuum, nam quod ab initio, & in ſua origine non valet ex vulgatis iuribus non poteſt conualeſcere tractu temporis, ergo ſi ſuperueniente illo expreſſo, vel tacito hæredis conſenſu contractus in conuentione ſubſiſtit, dicendus erit etiam ſubſiſtere in ſua origine, adeòque illam conditionem appoſitam non vitiare ipſum contractum, ſed potius vitiari.

Subſiſtit contractus ab initio, & ſolum diſſoluitur poſt mortem.

Dices, per illum expreſſum, vel interpretatiuum hæredis conſenſum non continuari contractum antecedentèr initum per ſocios, ſed nouum contractum iniri per ipſum hæredem ſocij defuncti cum alijs ſocijs ſuperſtitibus, adeòque ex hoc non benè argui priorem contractum eſſe ſubſiſtentem. Quod autem ſit nouus contractus plene oſtendit. *Gutier. de iuramento confirm. cap. 48. num. 2.*, vbi citat *Baldum Alexandrum, Gregorius Lopez lib. 10. tit. 10. part. 5. verb. per la muerta Aluarus Valaſcus conſul. 63. num. 9.* nam per talem Hæredis conſenſum intelligitur facta nouatio prioris contractus inter ſocios initi; 4

Non eſt nouus contractus, ſed prior confirmatus.

Nouatio autem ex allegatis *tom. 2. ſub tit. de Cambijs II. dum de nouatione, & delegatione*, eſt cum extinctione prioris obligationis, & inductione nouæ. Sed contra inprimis, quia ex hoc eodem, quo aduerſarij nos impetunt, firmant magis noſtram reſponſionem, nam ſi per hunc nouum conſenſum nouatur primus contractus, ergo ille in ſua origine ſubſiſtebat. Conſequentia probatur, quia ſicuti non poteſt nouari obligatio præcedens, quæ non eſt, per poſteriorem, quia nouatio ſupponit priorem obligationem, ita nec nouari poteſt prior contractus, qui, ſi non eſſet ſubſiſtens, perindè eſſet, ac ſi non eſſet contractus, per hunc poſteriorem. Deindè hæres per talem nouationem conſtituit ſe in locum ſocij defuncti, & communicat in eiſdem conditionibus, in quibus ille communicabat, nec diſpoſitione iuris irritantur actus præcedentes, ſed potius firmantur, ergo quia ſubſiſtebant. Tandem, quia ipſe hæres per talem conſenſum confirmat actum antecedentèr initum; confirmatio autem non poteſt eſſe ejus, quod in ſua origine non ſubſiſtit.

Nouatio ſupponit ſubſiſtentiã prioris actus.

Confirmatur primò reſponſio ex textu *in l. nemo ff. pro ſocio*, vbi dicitur; quod quamuis nemo poſſit in hæredem etiam per pactum cum alijs ſocijs ſocietatem transfundere, datur tamen in hæredem ſocij actio, vt bonam fidem ſeruet, culpam etiam præſtat prædeceſſoris ſui, qui ſocius fuit, quod idem etiam, & clariùs habetur *in l. & facti ff. eod.* Ibi *& facti etiam culpam, quam is præſtaret, in cuius locum ſucceſſit, licet ſocius non ſit*. Quibus poſitis ſic argumentor. Si contractus ſocietatis inter ſocios initus cum conditione, & pacto, vt 5

Datur actio in hæredem ſocij, vt ſeruet fidem.

ad hæredes tranſeat, eſſet in ſua origine irritus, non eſſet, cur hæres præſtare deberet culpam ſui prædeceſſoris, nec teneretur præſtare bonam fidem, quandòquidem ex contractu nullo nulla poteſt eſſe obligatio, ergo &c.

6 Confirmatur ſecundò *ex l. actione §. morte ff. pro ſocio*, vbi mirabilitèr reſponſio noſtra fit euidens. Ibi *ſocietas quemadmodum ad hæredem ſocij non tranſit, ità nec ad arrogatorem, ne alioqui inuitus ſocius quis efficiatur, cui non vult, ipſe autem arrogatus ſocius permanet*. Quibus poſitis ſic argumentor. Ità in textu comparatur arrogatus ad arrogatorem, ſicuti ſocius ad ſuum hæredem, ſed quamuis arrogatus paciſcatur, vt ſocietas tranſeat in arrogatorem, in eundem non tranſit, & tamen ipſe arrogatus ſocius permanet, ergo etiam quamuis ſocius paciſcatur, vt ſocietas tranſeat ad hæredem, ad ipſum tamen non tranſiet, nec propterea ipſe deſinet eſſe ſocius.

Paritas arrogati ad arrogatorem, ac ſocij ad ſuum hæredem.

7 Confirmatur tertiò *ex l. verum eſt §. in hæredem ff. pro ſocio*, vbi in hæredem ſocij conceditur actio pro ſocio, quamuis hæres ſocius non ſit, ſed ſi non ſubſiſteret ſocietas inter prædeceſſorem ſuum cum alijs ſocijs actio pro ſocio in hæredem ipſum non poſſet competere, ergo &c. Probatur minor, quià ex contractu nullo nulla poteſt conſurgere actio, cum ex ſparſim dictis contractus nullus perindè ſit, ac ſi non eſſet contractus, ergo &c.

Actio pro ſocio conceditur in hæredē ſocij.

8 Nunc ſoluendum eſt id, quod in ratione dubitandi afferebatur, & quidem dicendum eſt, quod non debeat præſumi, quod per illam appoſitionem conuentionis, vt ſocietas transferatur ad hæredes, voluerint, vt ſocietas eadem eſſet indiuidua quoad omnes, ſed ſolummodò illam appoſuerint, vt valeret quantum valere poſſet, & non alitèr, & per conſequens ex diſpoſitione iuris, cum illa conditio, ſeu conuentio irritetur, non eſt, cur contractus non debeat ſubſiſtere.

Solutio præcedentium rationum.

---

§. VIII.

An ſocietas cum pacto, vt tranſeat ad hæredes firmata iuramento omnium contrahentium obliget, & quoſnam, & quomodò.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis 1.
Tres opiniones circà propoſitum titulum 2.
Pactum iuramento firmatum obligat ipſos ſocios ad perſeuerandum cum hærede defuncti, ſi hic velit, perſeuerare 3.
Poſſunt etiam ſocij iuramento ſe obligare ad perſeuerandum in ſocietate inter ſe, ſi hæres defuncti nolit perſeuerare 4.
Satisfit rationibus ſecundæ opinionis 5.
Satisfit rationibus tertiæ opinionis 6.
Pactum iuramento firmatum per ſocios non obligat hæredem vnius ex illis ad perſeuerandum 7.
Etiam ſi ſocius defunctus præcepiſſet hæredi, vt perſeueraret 8.

Disquiſitio VIII. Iuxtà terminos præcedentium Diſquiſitionem duo, vel plures inter ſe contraxerant priuatam ſocietatem cum pacto, vt eadem tranſiret ad hæredes, & vt magis ſocietatem ipſam cum illo onere firmarent, iuramentum de illo obſeruando ſinguli addiderunt. Hic iam controuertitur, an illud pactum iuramento firmatum primò obliget ipſos contrahentes ad continuandam ſocietatem vno ex illis mortuo cum hærede ipſius, adeòvt, ſi iſte velit, nequeant ab illa reſilire: Secundò, an illud pactum obliget etiam hæredem ad perſeuerandum in tali contractu. 1

Propoſitio caſus.

Circà ſeriem expoſitæ Diſquiſitionis tres inuenio Doctorum opiniones, duas extremè oppoſitas, alteram quaſi mediam. Prima eſt *Fabri* apud *Gregorium Lopez lib. 10. Gloſ. 1.* aſſerentis huiuſmodi pactum ſacramento firmatum obligare ſocios ſuperſtites ad perſeuerandum in ſocietate cum hærede defuncti, ſi hic velit perſeuerare. Ratio, in qua fundatur hæc opinio ea eſt, quia pactum illud conſiderata præciſè natura rei, & ſecluſo iure poſitiuo non eſt malum, neque nullum, ſecus etiam eſſet malum, & nullum in ſocietate vectigalium, quod eſt contrà ſuperius dicta, ergo ſi firmetur iuramento, non erit, cur non conſurgat obligatio illud ſeruandi. Accedit, quod iura non prohibent, quin illud pactum poſſit apponi, ſed tantum volunt, quod ſi apponatur, ſit irritum, quatenùs volunt, quod ex natura ſua non obliget; cæterum non tollunt, quin integrum ſit ſocijs, & hæredibus etiam continuare, ergo præcipuè, ſi iuramento confirmetur, non erit, cur non ſit obſeruandum. 2

Faber. Gregor. Lopez.

Prima opinio iuſtificans contractū

Secunda opinio eſt *Aluari Valaſci conſul. 63. num. 14.* volentis etiam, ſi illud pactum iuramento firmetur, non obligare ad obſeruantiam. Ratio ipſius ea eſt, quià illa obligatio a iure irritatur, & inualidatur, ergo non poteſt validari per contrahentium iuramentum, quia iuramentum partis non validat actum a iure interdictum. Confirmat idem Aluarus Valaſcus, quia iuramentum non poteſt variare naturam actus, ergo ſi actus ſecundum ſe eſt inualidus, erit etiam talis appoſito iuramẽto.

Aluarus Valaſcus

Secunda opinio nō obligans ad obſeruationē contractus.

Tertia

Media ſententia Gregorij Lopez, & Gutier.

Tertia opinio quaſi media inter duas
præcedentes eſt *Gregorij Lopez lib. 10.
gloſ. 1. Gutier de iuramento confirm. part. 1.
cap. 48. num. 5.* volentium illud pactum ſa-
cramento confirmatum obſeruandum eſ-
ſe, & obligare, quandò reſpicit hæredes
futuros indeterminatè nullum aſſignando
determinatè, ſecùs quandò reſpicit hære-
dem certum, & determinatum, qui deſi-
gnetur in ipſa celebratione contractus.
Ratio autem ipſorum hæc eſt, quià quan-
dò pactum reſpicit certum, & determina-
tum hæredem, qui tunc deſignetur, iura-
mentum, quod cadit ſupra tale pactum,
eſt contra bonos mores, quandòquidem
adimit in iurante libertatem inſtituendi
alium hæredem, ſed iuramentum contra
bonos mores non obligat *reg. non eſt obli-
gatorium in 6. Gloſa, & Doctores in cap. 1.
de iure iur. in 6. Gloſa in l. non videmus §. qui
iuſſu ff. de reg. iu. Bartolus in l. ſi quis ſub con-*
3 *ditione ff. de cond. inſtit. Baldus in auth. habita
2. quaſt. C. ne fil. pro pa.*

Gloſa. Bartolus. Baldus.

Reſpondeo primò, pactum illud iura-
mento firmatum obligare ipſos ſocios ſu-
perſtites ad perſeuerandum cum hærede
defuncti, ſi ipſe velit, perſeuerare. Eſt eiuſ-
dem Fabri, qui ſupra, & conſentit etiam
Molina tract. 2. disp. 414. verſ. vtrum autem.
Ratio pro prima opinione adducta hoc
manifeſtè euincit, & vlteriùs ſic euinci-
tur, quia licèt iura ſuperiùs allegata, &
præcipuè *in d. §. ſoluitur Inſtit. de ſocietate*
interueniente morte vnius irritent con-
tractum etiam quoad ſuperſtites, non tol-
lunt tamen, quin accedente hæredis defun-
cti conſenſu poſſit talis contractus nouari
cum ipſo, & fieri ſubſiſtens, vt ex ſuperiùs
probatis clarè liquet, ergo neque tollunt,
quod per iuramentum præcedens appoſi-
tum in ipſa celebratione contractus poſſit
obligari ex nunc pro tunc, ſi hæres ſecuta
morte ſui prædeceſſoris, velit perſeuerare,
ad peſeuerandum. Conſequentia proba-
tur, quia ſi contractus ſecuta morte alte-
rius ex ſocijs poteſt per hæredem nouari,
quid impedit quominus poſſit anteceden-
tèr fieri conuentio de illa nouatione, ſi ille
præmoriatur, & ipſius hæres velit adhæ-
rere tali conuentioni? Confirmari poteſt,
quià ſocij poſſunt intèr ſe conuenire, vt ſi
alter ipſorum præmoriatur, ſocietas debeat
inter ſuperſtites perſeuerare, quam con-
uentionem, ſi iuramento firmauerint, te-
nentur eandem ſeruare, ergo etiam poſ-
ſunt conuenire ſub iuramento, & ſub eo-
dem ſe obligare ad perſeuerandum in eo-
4 dem contractu cum hærede defuncti ſocij,
ſi hic velit in locum defuncti ſubintrare.

Faber. Molina.

Rationes euincentes reſſo-ſionem.

Ex quibus fas erit deducere, quod ſicuti
ſocij poſſunt in celebratione contractus ſe
obligare per iuramentum ad perſeueran-
dum in ſocietate cum hærede defuncti, ſi
ipſe velit perſeuerare, ità poſſunt ſe obli-
gare ad perſeuerandum in eadem inter ſe
etiam alio ſocio defuncto, ſi hæres ipſius
nolit permanere in contractu, quia iura
hoc non vetant.

Etiam ſe obligare poſſũt ipſo nolente ad perſeuerandũ.

Ad rationes ſecundæ opinionis nunc 5
reſpondendum eſt, & quidem ad illud,
quod primò ex Aluaro Valaſco dicitur,
quod iuramentum partis nõ validat actum
à iure interdictum, dicendum eſt, actum il-
lum a iure non interdici, quandòquidem,
ipſi ſocij, & hæres defuncti velint in ſocie-
tate continuare, eſt communis opinio, à
qua non recedit idem Aluarus Valaſcus,
quod eadem ſocietas intelligitur per eoſ-
dem innouata, ſed ſolummodò per iura
annullari illum actum, niſi interueniat
conſenſus hæredis, cum *ex d. l. actione §.
morte ff. pro ſocio*, nolint, vt quis efficiatur
ſocius eius inuitus, cui non vult, & licet
d. §. ſoluitur inſtit. de ſocietate nolente hæ-
rede ſocij defuncti perſeuerare, diſſoluatur
ſocietas quoad omnes, hoc tamen tantùm
verum eſt, quandò nihil eſt expreſſum, vt
teneat inter ſuperſtites, ſi hæres quoad ſe
nolit tenere, vel, vt teneat, quandò ipſe ve-
lit tenere etiam cum ſe ipſo. Ad illud, quod
ex eodem ſubditur, iuramentum dicendum
eſt non variare naturam actus, quatenus
ex illo de malo conſtituatur bonus, ſed
quatenus ex illo de non obligatorio con-
ſtituatur obligatorius, quod eſt iuxtà con-
ditionem iuramenti.

Quis nequit alterius effici ſocius inuitus.

Iuramentum non variat naturam actus.

Ad rationes tertiæ opinionis dicendum 6
eſt, talem deſignationem certi hæredis non
eſſe contra bonos mores *Couaruuias part. 2.
in rub. de teſt. num. 15. Iulius Clarus 3. lib.
ſentent. §. teſtamentum quaſt. 49. Molina disp.
151. verſ. contrariam ſententiam, vbi teſta-
tur de communi*, quia ſicuti non reuocare
teſtamentum nihil mali continet, ergo ne-
que erit aliquod mali iure iurando ſe obli-
gare ad non reuocandum, ergo etiam ſi
quis ex vi alicuius contractus certam deſi-
gnauit perſonam, quam vult hæredem
inſtituere, quamuis obſeruantiam talis con-
tractus ſacramento firmarit, nil mali per
tale ſacramentum commiſſit, quamuis ex
vi illius teneatur illam inſtituere, nec poſ-
ſit amplius reuocare talem voluntatem,
qua promiſſit. Plura alia argumenta hoc
intentum euincentia vide apud *Molinam
d. disp. 151. verſ. cit., & ſeqq.* vndè incon-
gruè dicitur, quod tale iuramentum, cum
adimat libertatem, ſit contrà bonos mo-
res; neque dicas, talem deſignationem
certæ perſonæ hæredis inſtituendæ ex vi
contractus iuramento firmati aduerſari di-
ſpoſitioni iuris *in l. ſtipulatio hoc modo con-
cepta ff. de verbor. oblig.*, quæ ideò retractat
talem obligationem, quia eſt contrà bonos
mores

Couaruu. Iulius Clarus Molina.

Deſignatio certi hæredis nõ eſt cõtra bonos mores.

Molina.

mores, tùm quià tribuit fundamentum hæredi moliendi mortem teſtatori, ſeù promittenti ſub iuramento, tùm quià conſtituit teſtatorem veluti reum comparatione ſuorum bonorum &c. contrà enim impugnaberis, quia ad ſummum eſſet contrà bonos mores ciuiles propter circũſtantias, de quibus in inſtantia, non autem contrà bonos mores naturales; vndè licet daremus, quod iure ciuili ſit irrita illa obligatio iurata ſtandi tali contractui in ordine ad talem hæredem nominatum, & per conſequens obligatio illum inſtituendi, nihilominùs, cum non ſit ex ſe mala quaſi contrà bonos naturales, ſanè eo ipſo, quod eſt iuramento confirmata, valida eſt. Vidè etiam, quæ latè tradit Molina loc. citato.

Non eſſet cotrà bonos mores naturales

7 Reſpondeo ſecundò, pactum illud iuramento firmatum per ſocios contrahentes non obligat, quantum eſt de ſe hæredem ſocij defuncti ad perſeuerandum poſt mortem ſui prædeceſſoris in illa ſocietate per ipſum cum alijs ſocijs inita. Conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt ſuperiùs, quia hæres non poteſt cogi inuitus ad ſocietatem cum eo, cui non vult, nec aliquam maiorem vim addit confirmatio inducta per ipſos ſocios medio iuramento appoſito, quandòquidem iuramentum obligat dumtaxat iurantès, non alios, qui non concurrerunt ad tale iuramentum.

Hæres nõ poteſt cogi inuitus ad ſocietatem.

8 Hic oritur difficultas, an ſi teſtator præciperet ſuis hæredibus, vt in ſocietate perſeuerarent, illi tenerentur ſtare tali præcepto, illudque obſeruare. Abſolutè affirmant *Gregorius Lopez lib. 10. gloſſa 1. Aluarus Valaſcus conſult. 63. num. vlt. Gutier de iure confirmationis part. 1. cap. 58. num. 3.* Quibus tamen non libentèr annuerem, quandòquidem hoc eſt contrà diſpoſitionem iuris ciuilis nolentis, vt inuiti cogantur ſtare ſocietati, nec hæredes trahi ad illam, vndè etiam ſi teſtator apponeret in teſtamento illud præceptum, & pœnam priuationis in caſu inobedientiæ, adhuc tamen crederem, non obligari ad obſeruantiam, nec proindè priuari iure hæreditatis, nam illa conditio, vtpotè contrà diſpoſitionem iuris, habenda eſſet pro non appoſita, & licet Molina videatur aſſentiri abſolutè præcitatis Doctoribus, incongruè tamen hoc præſtat, nam, cum *Gutier. loc. cit.* aſſerit, quod hæredes teneantur obedire teſtatoris præcepto, modò non ſit in perpetuum; ex quibus verbis ad hominem contrà ipſum ſic inſurgo petens, cur non ſtare teneantur tali teſtatoris præcepto, ſi ſit perpetuum? Certè reſpondebit, quià illa perpetuitas eſt contrà ius ciuile. Quo poſito ſic argumentor. Etiam eſt contrà ius ciuile, quod per ſocios imponatur ſuis hæredibus onus perſeuerandi in ſocietate per ipſos inita, ergo, ſi quià eſt contrà ius ciuile perpetuitas in tali contractu, quamuis illa ſit per teſtatorem imperata, non obligat hæredem ad illam obſeruandam, etiam quia illud onus, quod imponitur hæredi perſeuerandi in ſocietate per ſuum Prædeceſſorem cum alijs ſocijs inita ſit contra tale ius, quamuis ſit per Teſtatoris præceptum impoſitum, non obligabit hæredem ad illud obſeruandum.

Gregor. Lopez. Aluarus Valaſcus Gutier.

Illa conditio, vtpotè contra diſpoſitionem iuris habenda eſſet pro nõ adiecta.

---

§. IX.

Cuinam præiudicet renuntiatio ſocietatis intempeſtiua renuntiatario ignorante.

SVMMARIVM.

Facti ſeries, & rationes hinc indè dubitandi 1.
Æquam vim habet factum, ſiuè in celebratione contractus fuerit, appoſitum pactum de non renuntiando intempeſtiuè, ſiuè non fuerit appoſitum 2.
Socius, qui intempeſtiuè renuntiauit, communicat in damnis alterius ſocij, non in lucris, iſte verò communicat in lucris illius, non in damnis 3.
Excipe, niſi renuntiaret propter abſentiam ex cauſa publica 4.
Lex inducens prohibitam pœnam obligat etiam in foro interno 5.

1 DIſquiſitio IX. Inita ſocietate inter Theodoricum, & Caium, Caius in longinquas regiones abiuit, vel ad effectum negotiationis, vel ob aliquam aliam cauſam quæſtus. Theodoricus poſt aliquod temporis ab inita ſocietate eidem renuntiauit penitùs ignorante Caio abſente. Hoc interim, idem Theodoricus lucra in aliquibus acquiſiuit, in alijs detrimentum paſſus eſt; quod idem contigit eidem Caio abſenti, & ignoranti. Delata tali renuntiatione facta per Theodoricum eidem Caio altercationes non modicæ inſurrexerunt, quandòquidem Theodoricus contendebat a die renuntiationis per ſe factæ ceſſare ſocietatem, adeòque communionem in lucris & damnis, vel ſi non ceſſet, æquè vtrumque debere communicare in lucris, & damnis comparatiuè ad negotiationes per vtrumque habitas; Caius vero excipiebat, quod ratione renuntiationis intempeſtiuæ ipſe deberet communicare in lucris acquiſitis per Theodoricum, non verò in damnis; Theodoricus verò reſpectu negotiationum per ipſum Caium habitarum deberet in damnis dumtaxat communicare, non verò in lucris. Quæritur modò quid iuris?

Altercationes inter vtrũque contrahentẽ.

Aduer-

Iura dictam comprobantia

2 Aduerte, hanc controuerſiam æquè vim habere, ſiuè in celebratione ſocietatis appoſitum fuerit pactum, quod intempeſtiuè nequeat eidem renuntiari, ſiuè nihil de hoc fuerit appoſitum, quandòquidem, vt habetur *in l. ſed & ſocius §. ſi abſenti ff. pro ſocio. In ſocietate coeunda nihil attinet de renuntiatione cauere, quia ipſo iure ſocietatis intempeſtiua renuntiatio in æſtimationem venit*, quod idem expreſsè habetur *in l. ſi conuenerit ff. eodem*, vbi Pomponius elegantèr ſcribit *Nam, & ſi non conuenit, ne habeatur, ſi tamen intempeſtiuè renuntietur ſocietati, eſſe pro ſocio actionem.* Quibus ſuppoſitis

Damna intempeſtiuè renuntiantis.

3 Reſpondeo iura Caij excipientis potiora eſſe in ijs omnibus, in quibus excipiebat, adeò vt ipſe non teneatur lucra, quæ acquiſiuit conferre cum Theodorico, poſſit tamen conferre damna, ipſe vero Theodoricus lucra a ſe acquiſita medio tempore teneatur conferre, non poſſit tamen damna, ſi quæ indè obuenerunt. Hæc eſt diſpoſitio legalis pænalis aduerſus intempeſtiuè renuntiantes, quæ expreſsè habetur *in d. l. ſed, & ſocius §. ſi abſenti ff. pro ſocio*, vbi gloſa vim talis diſpoſitionis dilucidius, & clarius exprimit; nec incongruè iura grauem illam pænam conſtituunt, quæ videtur excedere delictum; non, inquam, incongruè, quandòquidem ad deterrendum ab incurſu delicti, quandòque grauius quis punitur, quam exigat ipſum delictum, atque hoc communi praxi eſt comprobatum; Neque allegata pæna per talem diſpoſitionem legalem inducta eſt alijs iuribus, & rationi difformis, nam ſi loquamur in ordine ad lucrum acquiſitum per eundem Theodoricum ipſa ratio ſuadet eſſe communicandum, quandòquidem ſocius ius habet, vt communicet in bonis ſocietatis pro tempore, quo ipſa ſocietas ex natura ſua debet perſeuerare; & reſolutio eiuſdem ipſi non conſtat, cum enim ipſa ſocietas mutuo contrahentium conſenſu fuerit contracta, non niſi eodem conſenſu, quandò alia iura diſſoluentia non ſunt, debet diſſolui, quo propterea non extante, ius viget in abſente, & ignorante perſeuerandi in ſocietate, atque in ijs, quæ ad ipſam conſequuntur; ſi verò loquamur in ordine ad damnum, quod patitur in ſua negotiatione renuntians, illud certè non eſt communicandum alteri ignoranti, ſiquidem ex eo, quod damnum patiens renuntiarit ſocietati, intelligitur renuntiaſſe omnibus etiam incommodis, quæ ex negotiatione proueniunt; non enim æquum eſt, vt commodum ex eo percipiat, cui renuntiauit, quod idem dicendum eſt in ordine ad lucrum, quod fuit per Caium abſentem, & ignorantem talem renuntiationem; in ordine tandem ad damnum, quod fortè paſſus fuit in negotiatione ſocietatis Caius abſens, vtique congrua ratione communicandum eſt eidem Theodorico per eundem Caium, quandòquidem ex parte eiuſdem Caij pro illo tempore, quo contigit illud damnum, ſocietas nondum erat diſſoluta. Vno verbo. Cum Theodoricus renuntiarit ſocietati, non poteſt gaudere bonis illius, & cum Caius illi non renuntiarit, vtique ius habet gaudendi omnibus illis bonis, quæ ante diſſolutionem indè prouenerunt.

Renuntians ſocietati renuntiat omnibus illius commodis.

Non renuntians habet ius ad omnia commoda ſocietatis

Dices, ſi Theodoricus ex eo, quod renuntiarit ſocietati, non poteſt gaudere de bonis illius, & lucris, ergo nec poteſt ſubeſſe damnis, quæ ex illa proueniunt, ergo ſaltem in ordine ad damna, quæ ex parte negotiationis Caij contigerunt, non tenetur communicare. Conſequentia probatur, quia ordo iuſtitiæ poſtulat, vt ex illo contractu, in quo quis non poteſt lucrum acquirere, nec poſſit damnum pati, & ſi contractus intelligitur diſſolutus quoad lucra, intelligatur etiam diſſolutus quoad damna, cæteroqui ille contractus ſaltem pro illo tempore, pro quo vnus participaret in damnis, & non in lucris, eſſet leoninus. Sed contra primò, quià in hoc potiſſimum conſiſtit pæna renuntiationis, ſecundum quam renuntians alligatur oneri, non iuri, ſeù eximitur à iure. Secundò, quià ſibi debet imputare, quòd intempeſtiuè renuntiarit ſocietati, nam ex eo, quod renuntiarit, ceſſit iuri ſuo gaudendi bonis, & lucris ſocietatis, & habendi communicationem cum reliquis ſocijs in damnis; ex eo, quod renuntiarit intempeſtiuè, tenetur communicare lucra per ſe ipſum facta, & ſubeſſe damnis per participationem, quibus alter ſubeſt.

Ratio, cur renuntians participat in damnis alterius, non in lucris.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an renuntians teneatur etiam ſubire illam pænam, ſeù ſubeſſe diſpoſitioni iuris præallegati, quantumuis renuntiet intempeſtiuè ex aliqua cauſa publica. Videtur dicendum, quod etiam nequeat renuntiare, adeòque, quod renuntians ſubeſſe debeat illi diſpoſitioni, quandòquidem in ea hypotheſi futuræ abſentiæ ob cauſam Reipublicæ potuit per alium ſocietatem adminiſtrare, vel adminiſtrationem alteri ſocio committere. Nihilominus ſentiendum eſt, quod ita renuntians non teneretur ſubeſſe illi diſpoſitioni legali, & pænali. Colligitur expreſsè *ex l. idemque erit dicendum ff. pro ſocio*, vbi excipitur a diſpoſitione *l. ſi conuenerit, & l. ſed, & ſocius §. ſi abſenti ff. pro ſocio* renuntians cauſa abſentiæ futuræ ob eandem communem cauſam Reipublicæ. Ad id, quod in contrarium afferebatur, dicendum eſt ſocium abfuturum non teneri alium ſubſtituere ſuo loco pro 4

Excipiendus eſt caſus, quo quis renuntiaret ex cauſa publica.

admi-

adminiſtratione ſocietatis, nec ſuas vices ſocio committere, vt videtur etiam innuere textus *in d. l. idem que erit dicendum*, niſi ad ſummum facilè poſſet alijs committere, vel ſocius valdè diligens, & idoneus eſſet, vt *Gloſa in d. l. ſi conuenerit ff. pro ſocio*, (Gloſ.) quod tamen ego non libentèr admitterem ex neceſſitate, ſed ad ſummum ex quadam æquitate, quandoquidem publica cauſa Reipublicæ præualere debet priuatæ cauſæ.

5 Secunda difficultas eſt, an ille textus *in l. ſed, & ſocius 6. ſi abſenti ff. pro ſocio*, vim habeat non ſolum in foro externo, ſed etiam in interno animæ. Congruentius aſſererem, obligare ne dum in foro externo, ſed etiam in interno animæ, quia hæc lex eſt publica auctoritate inducta in commune bonum, & iuſta eſt, quælibet autem lex legitima auctoritate inducta, & iuſta obligat non ſolum in foro externo, ſed etiam in interno *Innocentius, Panormitanus in cap. quid plerique de immunit. Eccl. 72. q. 6. Antonius Gomez. tom. 2. var. reſol. c. p. 6. nu. 2. Bartolus in Extrauag. ad reprimendum verb. denunt. num. 12.*, & nos etiam docuimus *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 4. num. 6.* in terminis de Senatus Conſulto Macedoniano, & *tom. 2. ſub tit. Contractus V. de Cambijs II.* in terminis Senatus Conſulti Velleiani.

(Innocent. Panorm. Antonius Gomez. Bartolus.)

---

§. X.

An in æquali periculo præferendæ ſint res ſocietatis rebus proprijs.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus quæſtionis 1.

Notabile circà propoſitum dubium 2.

Si res ſocietatis fuerint pretioſiores, ſocius reſeruans proprias cum amiſſione illarum tenetur ad reparationem 3.

In ſuppoſitione, quod ſocius ad ſeruandas res pretioſiores ſocietatis iacturam feciſſet rerum ſuarum minus pretioſarum, poſſet ad ratam à ſocijs exigere illarum compenſationem 4.

Si res ſocietatis erant minus precioſæ, quam propriæ, non tenetur ſocius, qui proprias praeſeruat, ad aliquam compenſationem 5.

Si res ſocietatis, & propriæ ſint æquè precioſæ, non tenetur ſocius præferre res ſocietatis rebus proprijs 6.

1 DIſquiſitio X. Conſtituta ſocietate ad quæſtum in certis rebus, vnus ex ſocijs per mare traijciebat res communes ſocietatis, & ſimul res aliquas proprias. Suborta ſubita tempeſtate, rebuſq; omnibus periclitantibus, cum omnes ſaluare non poſſet, conſuluit potiùs rebus proprijs, quam communibus ſocietatis, illiſque in tuto collocatis naufragio iſtas reliquit. Poſt reditum orta fuit controuerſia inter ipſum, & alterum ſocium, dum iſte contendebat illum teneri ex culpa leui, quandoquidem illam diligentiam non adhibuit in rebus communibus ſocietatis, quam adhibuit in ſuis proprijs; iſte verò excipiebat, quod cum in illo periculo res omnes ſaluari non poſſent, ordo caritatis, & naturalis æquitas exigebat, vt ſibi potiùs conſuleret, quam ſocietati. Quæritur modo, quid iuris? Pro ſolutione.

(*Facti ſeries in ſuis terminis.*)

2 Aduerte, an res ſocietatis fuerint pretioſiores, & maioris valoris comparatiuè ad res proprias alterius ſocij reſeruatas à naufragio, an dumtaxat æqualis, an verò etiam minoris, quæ acceptio non modicum conferre poteſt ad præſens inſtitutum. Rurſus contractum ſocietatis eſſe ex illis ex genere ſuo, qui non ſunt in vnius ſolummodò vtilitatem, ſed in commodum vtriuſque contrahentis. Quibus poſitis

(*Res ſocietatis, vel ſunt pretioſiores, vel minus pretioſa.*)

3 Reſpondeo primò, ſi res ſocietatis fuerint pretioſiores comparatiuè ad res ſocij reſeruatas, ſocius reſeruans res proprias cum amiſſione rerum ſocietatis tenetur ad reparationem rerum amiſſarum erga ſocium. *Molina tract. 2. de iuſt., & iure diſp. 296. verſ. deinde reſpondeo*, & licet Molinæ aſſertio videatur tantum procedere in terminis de commodato, quia tamen loquitur in ſuppoſitione, quod commodatum ſit dumtaxat in vtilitatem, & commodum ſolius commodantis, in fortioribus terminis extenditur etiam ad caſum ſocietatis, quæ ex genere ſuo eſt in commodum vtriuſque contrahentis. Ratio huius reſponſionis deducitur ex textu *in l. ſocius ſocio ff. pro ſocio*, vbi dicitur, quod ſocius erga ſocium tenetur de leui, hoc eſt tantam adhibere diligentiam ad rerum communium cuſtodiam, quantam quiuis hominum adhiberet, & adhibere ſolet ad rerum propriarum cuſtodiam, ſed quiuis hominum in æquali periculo rerum ſuarum maiorem diligentiam adhibet in rebus ſuis pretioſioribus, quam in minus pretioſis, & iſtas omittit, vt ſaluet illas, ergo etiam hanc diligentiam maiorem tenetur adhibere in rebus pretioſioribus ſocietatis, quam in minus pretioſis proprijs, quam propterea, ſi omittet, tenebitur erga ſocium ad reparationem, cum in huiuſmodi contractibus teneatur etiam de leui.

(Molina.) (*Socius tenetur erga ſocium de leui.*)

Dices, allegatum textum *in l. ſocius ſocio* alioſque ſimiles, ſi afferantur, ſolum intendere, quod tanta ſit adhibenda diligentia in rebus communibus ſocietatis, quanta adhi-

adhibetur in rebus proprijs comparatiue ad alias res, non in concurſu rerum propriarum cum communibus, quia hoc non eſſet adhibere tantam diligentiam, ſed maiorem. Sed contra, quia in probatione reſponſionis non fit comparatio præcisè rerum ſocietatis cum rebus proprijs, ſed rerum communium ſocietatis pretioſiorum cum rebus proprijs minus pretioſis, & poſtea a minori ad maius arguitur, quod ex eo, quod ſocius tenetur tantam diligentiam adhibere in rebus communibus ſocietatis, quantam quiſque adhibet in proprijs, ſicuti quiſque adhibet maiorem diligentiam in rebus proprijs pretioſioribus, quam adhibeat in minus pretioſis, ita ſocius teneatur adhibere maiorem diligentiam in rebus pretioſioribus ſocietatis, quem in minus pretioſis proprijs.

Valet in hoc argumentum à minori ad maius

4 Hic oritur difficultas, an in ſuppoſitione, quod ſociis in æquali periculo rerum propriarum cum rebus pretioſioribus ſocietatis iacturam feciſſet rerum propriarum, vt illæſas ſaluaret illas ſocietatis, poſſet iuſtè exigere compenſationem rei ſuæ minus pretioſæ. Crederem in his terminis ſocietatis, poſſe ad ratam exigere compenſationem talis iacturæ rerum propriarum. Ratio prima, quæ me mouet ad hoc aſſerendum, ea eſt, quia quandò contractus eſt in vtriuſque contrahentis vtilitatem, quantumuis quis teneatur præferre rem alienam, ſeù communem pretioſiorem propriæ minus pretioſæ, non tenetur tamen præferre cum iactura abſoluta propriæ, ſed dumtaxat præferre alienam, ſeù communem, ne maius detrimentum patiatur ſocietas per naufragium rei pretioſioris ſocietatis, & quò minus poſſit, lædatur, ſed minus læditur per compenſationem rei minùs pretioſæ alterius ſocij naufragio expoſitæ, ac læderetur per amiſſionem rei pretioſioris ſocietatis, ergo &c. Confirmatur, quia incommoda, quæ ſocius patitur ex cauſa ſocietatis, ſunt eidem ex bonis ſocietatis compenſanda, vt clarè ex ſuperiùs dictis deducitur, & præcipuè in eo, qui ad loca remota proficiſcitur cum maioribus ſumptibus ad bonum eiuſdem, quos certè maiores ſumptus diximus eſſe ex bonis eiuſdem compenſandos, ſed illam iacturam rerum propriarum pateretur ex cauſa ſocietatis, ſcilicet ad ſaluandas eaſdem, ſine qua non ſaluarentur, ergo &c.

Non tenetur præferre rem cõmunem pretioſiorem cum iactura propria.

Dixi, *ad ratam*, quià cum illa bona ſocietatis ſint communia ſibi, & alteri ſocio, cumque vtriuſque vtilitati conſuluerit illas ſeruando cum iactura rerum propriarum, non adæquatam compenſationem debet exigere ab altero ſocio, ſed ad proportionem cum eodem debet concurrere ad illam, ad differentiam eorum, quæ afferebat *Molina d. diſp. 296. verſ. ſi autem res fuit* in caſu rei commodatæ, quæ cum ſit ſolummodò commodantis, exigit adæquatam compenſationem ab eodem.

Aliás ipſe etiam tenetur concurrere ad cõpenſationem rei propriæ.

Ex dictis facilè erit deducere, quod ſi ſocius in æquali illo periculo naufragij rei propriæ minùs pretioſæ cum rebus pretioſioribus ſocietatis prætulerit rem propriam, & expoſuerit naufragio res pretioſiores ſocietatis, teneatur ad damna verſus alterum ſocium ex culpa leui, cum non adhibuerit illam diligentiam, quam ex vi eiuſdem ſocietatis tenebatur adhibere, & quidem argumento ex dictis deducto; ſi enim tenetur in hac hypotheſi præferre res ſocietatis rebus proprijs, ergo ſi non prætulit, onus ſuum non adimpleuit, adeòque erga alium ſocium tenetur de actione pro ſocio.

Tenetur ad damna verſus alterum ſocium de culpa leui.

Reſpondeo ſecundò, ſi res ſocietatis erant minùs pretioſæ comparatiuè ad res proprias, non peccauit ipſe, nec ad aliquam compenſationem tenetur, ſi prætulit res proprias rebus communibus ſocietatis *Molina d. diſp. 296. verſ. tertio reſpondeo*. Deducitur hæc reſponſio argumento è contrario ſenſu deducto ab eo, quod allatum fuit ad probationem præcedentis reſponſionis hoc pacto. Socius tenetur dumtaxat adhibere tantam diligentiam in rebus communibus ſocietatis, quantam adhibet in rebus proprijs afferente textu *in d. l. ſocius ſocio ff. pro ſocio. Culpa autem non ad exactiſſimam diligentiam redigenda eſt, ſufficit enim talem diligentiam adhibere, qualem ſuis rebus adhibere ſolet*, ſed vnuſquiſque maiorem diligentiam adhibet in rebus ſuis pretioſioribus, ac adhibeat in minus pretioſis; ergo etiam tenebitur, ſeù ſaltem poterit ſine culpa maiorem diligentiam in rebus ſuis pretioſioribus conſeruandis adhibere, quam in communibus ſocietatis, & quidem, ſi quia res ſocietatis ſunt pretioſiores proprijs minus pretioſis ſunt præferendæ, vt ſupra probauimus, cur ſi propriæ ſint pretioſiores communibus non erunt præferendæ? Confirmatur, quia æquum non eſt, vt quis patiatur longè maiorem iacturam in rebus proprijs, vt conſeruet alienas, ſeù communes, cum ipſa naturæ lege debeat quiſque plus ſe, reſque ſuas diligere, quam alterum, reſque communes. 5

Molina.

Maiorem diligentiã quis adhibet in rebus proprijs pretioſioribus, quam in minus pretioſis.

Reſpondeo tertiò, ſi res ſocietatis ſint æquè prætioſæ, & æqualis valoris cum rebus proprijs ſocij, ſocius non tenetur præferre res communes ſocietatis rebus proprijs. Irà in ſimilibus terminis aliorum contractuum, qui ſunt in vtilitatem 6

Panormitanus. Gabriel. Armilla. Molina.

vtriuſque contrahentis *Panormitanus in cap. bona fides de depoſito num. 2. Gabriel in 4. d. ſt. 15. quaſt. 10. dub. vlt. Armilla verbo commodatum. Molina d. diſp. 296. verſ. poſtremo reſpondeo.* Ratio huius reſponſionis ea eſt, quia licet ex ſuperiùs dictis ſocius teneatur tantam diligentiam adhibere in rebus communibus, quantum in proprijs, non tamen tenetur maiorem adhibere, nec illas præferre ſuis, ſed certè maiorem adhibere teneretur, ſi in concurſu rerum ſuarum cum rebus communibus cæteris paribus exiſtentibus teneretur res communes proprijs præferre, ergo &c. Maior liquet ex præcitato textu *in l. ſocius ſocio ff. pro ſocio*, ergo &c. Minor etiam ex terminis patet.

Sed retorquebis argumentum hoc pacto. Socius cæteris paribus tenetur tantam diligentiam adhibere in rebus communibus ſocietatis, quantam adhibet in proprijs, ſed ſi poſſet præferre rem propriam rebus communibus ſocietatis, non tantam adhiberet diligentiam in iſtis, ac in illis, nempè in proprijs, ergo &c. Sed contra facilè me eximo a viribus huius argumenti in me retorti. Fateor in primis tantam debere adhibere diligentiam in rebus communibus, quantam in proprijs, quotieſcunq; æquè poteſt ſine detrimento rerum ſuarum, & fortior ratio legis naturalis alitèr non ſuadet, vt euenit in caſu noſtro, in quo ſupponitur, quod eandem diligentiam adhibere non poſſit in rebus communibus cum conſeruatione rerum ſuarum, & cum ſupponantur eſſe in æquali periculo res communes, & propriæ, nec via ſuppetat conſeruandi vtraſque, ordo caritatis, & legis naturalis poſtulat, vt potius propriæ, quam alienæ conſeruentur, cui iuri naturali non poteſt obeſſe diſpoſitio legalis poſitiua. Deindè ex lege Diuina quiſque tenetur æque diligere proximum, ac ſe ipſum, & tamen in pari neceſſitate, in qua æquè proximus, ac ipſe non poteſt conſeruari, ſine vlla labe iniuriæ, vel injuſtitiæ poteſt ſe ipſum conſeruare, non quidem poſitiuè occidendo proximum, ſed negatiuè permittendo, vt pereat, ita a pari &c.

Fortior ratio naturalis alitèr ſuadet.

§. XI.

An ſi res ſocietatis, ſeù ad ſocietatem deſtinata pereat ex culpa famuli deferentis, pereat ſocio, qui mittit, an ſocio, cui defertur.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus controuerſia 1.
Varia conſiderationes circà dubium 2.
Si famulus non fuerit deſignatus à Proculo res perit Calimero 3.
Si famulus fuerit miſſus à Proculo ad monendum, & non ad recipiendum, adhuc res perit Calimero 4.
Solutio facta Procuratori non habenti mandatum ad recipiendum non releuat debitorem 5.
Si famulus fuerit etiam per Proculum deſtinatus ad recipiendum, & culpa ipſius res perierit, perit Calimero, niſi ille nouerit famulum non fidum 6.
Non valet regula quoad nuntium deſignatum à creditore ad recipiendum debitum, & quare 7.
Nec valet paritas quoad nuntium deſignatum a commodatario 8.
Nonnulla corrolaria ex dictis 9.

DIſquiſitio XI. Conuenerant Calimerus, & Proculus in certa ſocietate ad quæſtum in certo bonorum genere, ratione cuius vterque conferre dedebat ad ratam bona conuenta in certa ſpecie, & quantitate, ſed Proculus ex partium conuentione obire debebat negotiationem in vno loco applicando operam, & induſtriam propriam, & Calimerus etiam in alio cum ſimili opera, & induſtriâ, dumque Calimerus mitteret per certum nuntium, vel famulum bona conuenta exponenda negotiationi ad eundem Proculum eadem bona ex culpa, vel dolo nuntij, vel famuli perierunt. Hic oritur controuerſia, cuinam illa bona intelligantur perijſſe, an Calimero remittenti, an Proculo, cui ſit remiſſio. Pro ſolutione 1

Facti ſeries in ſuis terminis.

Aduerte primò, famulum, vel nuntium, per quem Calimerus remittebat Proculo illa bona negotiationi exponenda, vel fuiſſe ſpecialiter deſignatum per eundem Proculum remiſſarium cum expreſſa commiſſione per eundem facta Calimero, vt per talem famulum illa ad ſe remitteret, vel fuiſſe ſolummodò ad eum miſſum per ipſum Proculum, vt ad ſe remitteret bona conuenta, vel tandem, nec deſignatum 2

Quod monitus ſeruus poſſet eſſe deſignatus, & à quo.

per

per eundem Proculum, nec ab ipſo miſſum, ſed ſolummodo delegatum ab ipſo Calimero ad deferendum. Secundò, vel bona conuenta, quæ per Calimerum Proculo mittebantur, erant bona conuenta in indiuiduo certa in ſingulari, vel in ſingulari incerta, ſed determinata in ſpecie, & quantitate. Hæc omnia attentè perpendenda ſunt, quandoquidem non modicum poſſunt conferre ad diſcuſſionem propoſitæ difficultatis. Quibus poſitis

3 Reſpondeo primò, ſi famulus, per quem illa bona remittebantur à Calimero ad Proculum exponẽda negotiationibus neutro ex allegatis modis erat deſignatus per eundem Proculum, ſiue bona delata eſſent determinata in indiuiduo, ſiue in ſpecie, ſi pereunt ex culpa ipſius famuli, pereunt ipſi Calimero, non Proculo. Eſt communis Doctorum ſenſus, atque ad hoc facit non modicum textus *in l. ſi meā §. commodatum ff. commodati*. Ratio in promptu eſt, quia nulla eſt aſſignabilis ratio, ob quam Proculus ſubiacere debeat periculo, & damno rei, quæ perijt; non ratio dominij; quia præterquamquod bona, quæ conferuntur in ſocietate quoad dominium non abdicantur à conferente, ſed fictione iuris ad ſummum per ſupra allegata ſunt communia, ſi daretur adhuc, quod tale dominium abdicaretur, non tamen propriè intelligeretur translatum in alium ſocium, niſi eidem facta fuiſſet traditio, quia ex vulgatis iuribus *Traditionibus, & vſucapionibus, non nudis pactis dominia rerum transferuntur*; traditio autem eidem in hac hypotheſi non intelligitur legitimè facta, nam traditio propriè non eſt, vbi non eſt receptio; nec receptio propriè eſt, vbi non eſt perſona recipiens, vel legitimè electa ad recipiendum; non conſenſus præſtitus per Proculum ad ſocietatem poteſt eſſe ratio, cur illa debeat ſubeſſe illi periculo; nam ex vi illius conſenſus obligatur dumtaxat ad adhibendam in rebus ſocietatis illam diligentiam, quam adhiberet in ſuis, nec tamen ex vi illius obligatur ad res ſocietatis conſeruandas, antequam ſibi legitimè tradantur; non tandem traditio illa facta per Calimerum famulo, quia ex quo famulus ille non erat ſpecialiter adhoc munus deſignatus à Proculo in ordine ad ipſum obligandum perindè eſt, ac ſi non eſſet facta, cum facta non fuerit legitimæ perſonæ, vndè ipſe Calimerus debet ſibi, ſuæque incuriæ imputare, ſi ex culpa eiuſdem famuli bona illa perierint &c.

Nõ eſt aſſignabilis ratio, ob quam debeat perire Proculo.

Non poteſt eſſe receptio, vbi non eſt legitimus receptor.

Traditio facta perſonæ illegitimæ perindè eſt, ac ſi non fuiſſet facta.

4 Reſpondeo ſecundò, ſi ille famulus, cuius culpa bona eidem delata perierunt fuiſſet quidem miſſus à Proculo ad Calimerum, vt à ſe mitteret rem conuentam, non tamen monitus idem Calimerus, vt per eundem mitteret; tunc re illa pereunte ex culpa famuli periculum illud, & damnum non eſſet imputandum Proculo, ſed etiam eidem Calimero, quantumuis res illa eſſet certa, & determinata in indiuiduo, *Molina d. diſp. 296. verſ. obſerua tamen*, vbi teſtatur de communi Doctorum conſenſu. Colligitur potiſſimum *ex d. l. ſi meā §. commodatum ff. commodati*, & ratio eſſe poteſt, quia illa miſſio nuntij, ſeù famuli facta per Proculum, vbi aliud per eundem Calimero expreſſum non eſt, non importat delegationem eiuſdem famuli, ſeù nuntij ad recipiendum, ſed ad ſummum ad denunciandum, vt mittat, ergo, ſi idem Calimerus per talem nuntium mittat rem conuentam; & ipſius culpa illa depereat, eidem perire, non Proculo dicenda eſt. Conſequentia tenet, nam traditio, ſeù ſolutio rei facta non legitimo nuntio, ſeù non habenti mandatum ad recipiendum non releuat ſoluentem, ſeù tradentem, vt eſt in confeſſo apud omnes, & periculum, ſi quod inde euenit, pertinet ad ipſum, non ad alterum, cui res illa erat deferenda. Confirmatur, quia ſolutio facta Procuratori non habenti mandatum ad recipiendum non releuat debitorem à debito *Bartolus in l. hoc iure in 1. col ff. de ſolut. & not. in l. ſed ſi tantum in principio. ff. de pactis*, ergo etiam traditio facta nuntio non deſtinato ad recipiendum non releuat tradentem, adeò que ſi res tradita pereat, ipſi perit, non alteri, cui eſſet deferenda.

Molina.

Illa miſſio nõ importat delegationem ad recipiendum.

5

Bartolus.

6 Reſpondeo tertiò, ſi ille famulus, cuius culpa res ipſi tradita perit, antequam deferretur ad Proculum, erat non ſolum miſſus à Proculo, ſed etiam expreſsè ab eodem deſtinatus ad recipiendum rem illam conuentam, & ad ſe deferendam, adhuc illa pereunte periſſet Calimero, non Proculo, niſi ipſe Proculus ſciret nuncium à ſe deputatum non eſſe fidum, & idoneum, ſecus ſi ipſum ſemper idoneum, & fidum in alijs ſuis negotiationibus comperiſſet.

Adhuc ſi fuerit famulus ad recipiendum, res perit Calimero.

Ratio primæ partis ex eo deducitur primò, quia illa res, quamuis fuerit tradita per Calimerum nuntio deſignato à Proculo ad recipiendum, adhuc remanet ſub dominio eiuſdem tradentis, ergo ſi pereat eidem perire dicenda eſt, ſiquidem res perit Domino; neque officit, quod tradita fuerit nuntio deſignato per Proculum, & proindè, quod ratione deſignationis culpa imputanda ſit deſignanti, eidemque adſcribendum periculum, & damnum; non, inquam, officit, quia cum illa deſignatio fuerit perſonæ ſecundum prudens, & humanum iudicium idoneæ non poteſt eidem imputari ad culpam; vndè, quod aliquid ſiniſtrum euenerit ex tali deſignatione, hoc eſt adſcribendum caſui fortuito, ad quem non

Res adhuc remanet ſub dominio Calimeri.

tenetur ipſe deſignans, ſicque ipſe deſignans, nec tenetur ad reparationem rei acceptæ, cum res illa apud ipſum non maneat, nec ratione iniuſtæ acceptionis, cum iniuſtè non egerit deſignando, ſed ſecundum prudens iudicium. Secunda ratio ex eo deducitur, quod ipſe Proculus non tenetur maiorem diligentiam, & cautelam adhibere in rebus ſocij, ac in rebus proprijs, vt ex prææallegatis iuribus cautum eſt, ſed in rebus proprijs ipſum adhibebat, vt nuntium cum mandato ad recipiendum, ipſumque adhibuiſſet ad recipiendas res illas, ſi fuiſſet propriæ, ergo &c. Tertia ratio ex eo deduci poteſt, quod, ſi ipſe Proculus immediatè per ſe ipſum recepiſſet res illas ſocietati exponendas à Caſimero, & deinde antequam illas exponeret negotiationi ſine ſua culpa furto ſublatæ fuiſſent per famulum, quem ſemper fidum cognouit, non teneretur verſus eundem Caſimerum ad aliquam compenſationem, vt eſt in confeſſu apud omnes, cum verſus res ſocietatis non teneatur adhibere exactiſſimam diligentiam, ſed tantam ſolummodò, quantam adhibet in ſuis, ergo &c. nec tenetur ad aliquam reparationem ex eo, quod in delatione eorundem ad ſe ipſum res illæ nactæ fuerint periculum penes eundem famulum deſignatum & deferentem, quem ſecundum prudens iudicium exiſtimabat fidum, & idoneum.

In deſignatione nulla fuit culpa deſignantis.

Verſus res ſocietatis non tenebatur adhibere diligentiam exactiſſimam.

7 Dices primo, ſi fuerit per creditorem deſignata perſona ad recipiendam pecuniam ſibi debitam à ſuo debitore, & pecunia illa culpa perſonæ deſtinatæ pereat, perit eidem creditori, & debitor eximitur ab onere illam iterum ſoluendi, vt benè notat *Molina d. diſp. 296. verſ. adhoc in primis* ex textu *in l. ſi mei verſ. ſi Dominus ff. commodati, & ex l. 4. tit. 2. part. 5. & ex l. vlt. in princip. ff. nautæ*, ergo etiam ſi per Proculum in hypotheſi, de qua loquimur, fuerit deſtinata certa perſona ad recipiendas res negotiationi exponendas, & culpa illius perſonæ res illæ pereant, eidem Proculo perire debent. Sed contra abſolutè neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo ſita eſt, quia ipſe creditor eo ipſo, quod deſignauit certam perſonam ad recipiendum debitum ratam habet ſolutionem, adeoque res illa ſoluta immediatè quoad dominium tranſit à debitore in ipſum creditorem, quæ propterea ſi pereat, ipſa perire debet, & non debitori, qui iam ſoluit; & liberatus eſt ab onere; tradens verò res deſignatas negotiationi perſonæ per alterum deſignatæ ad recipiendum non eo ipſo abdicat à ſe dominium illarum rerum, nec illud transfert in alterum ſocium, & propterea, ſi res illa pereat ſine culpa eius, cui defertur ſibi non illi perire debet.

Molina.

Creditor parti habet ſolutionem.

Dices ſecundò, res commodata etiam quoad dominium non tranſit à commodante ad commodatarium, vt ſunt vulgatiſſima iura, & tamen ſi tradita perſonæ per commodatarium deſignatæ ad recipiendum pereat ex culpa ipſius, commodatario perit, non commodanti *d. l. ſi mei §. ſi dominus ff. commodati*, vbi in ſpecie eſt ſermo de re commodatà non ſimpliciter debita, ergo etiam, quamuis dominium rei traditæ famulo deſtinato ad recipiendum remaneat penès tradentem, ſi tamen culpa eiuſdem famuli pereat, non ipſi tradenti perire debet, ſed illi, qui famulum deſignauit, cuique res illa erat deferenda. Sed contrà, quia non valet argumentum à re commodata ad rem traditam in ſocietatem, quia cum regulariter res commodata ſit in vtilitatem præcisè commodatarij ipſum etiam obligat de culpa leuiſſima *not. in l. rebus in princip. ff. commodati l. quod Nerua in repet. in penult. col. in verſ. ſecundo quæro ff. depoſiti*, quinimmò etiam in aliquorum ſententia de caſu fortuito, quod tamen abſolutè verum non eſt, niſi culpa etiam leuiſſima præcedat *Abbas in cap. 1. de commodato Alexander in l. ſi quis ff. ſi cert. petatur, & in d. l. quod Nerua ff. depoſiti*, res autem in ſocietatem tradita non obligat, niſi ad ſummum de culpa leui per ea, quæ ſuperius latè tradidimus. 8

Cōmodatarius tenetur ex vi contractus ad diligentiā exactiſſimam.

Abbas. Alexander.

Ex ijs, quæ etiam hactenus dicta ſunt, facilè erit colligere, cur commodatarius reſtituens rem famulo commodantis deſignati ab eodem commodante ad recipiendum liberetur, licet famulus aufugiat cum re *Baldus in l. ſi is in verbo, ſed pono ego in §. C. de furtis, & l. argentum ff. commodati Bartolus in l. eum qui §. ſed ſi dum ff. commodati*, & tamen ſi ſocius tradens famulo deſignato ad recipiendum ab altero ſocio rem addictam ſocietati non eximatur à periculo talis rei, ſi ipſe famulus cum re illa effugiat. Facilè inquam erit colligere, quia in primo caſu, cum res ſit commodantis quoad dominium, & ipſe deſignet talem famulum ad recipiendum iam ratam habet talem reſtitutionem, tanquam ſibi factam, adeòque ſi res illa pereat, ſibi perit; in ſecundo autem, cum res illa quoad dominium adhuc ſit tradentis, nec per illam deſignationem fiat ſocij, ad quem eſt deferenda, ſed remaneat quoad dominium in eo, qui eam tradit, ſi propterea perit ſine culpa eius, qui deſignauit talem famulum, ipſi tradenti perit. 9

Baldus. Bartolus.

Diſpar ratio de famulo deſtinato à comodante ad recipiendam rem, ac de famulo deſtinato à comodatario ad accipiendā.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſi ipſe Proculus deſignans talem famulum, ſeù nuntium ad recipiendum ſciens ipſum non eſſe fidum, iam in tale deſignatione eſt culpabilis, vt ex ſe eſt manifeſtum, ergo

ratio-

ratione talis culpæ tenebitur ad reparationem. Confirmatur, quia ſtante tali cognitione infidelitatis ſerui non rationabilitèr ipſum deſignaret ad recipiendas res proprias, ergo deſignando ad recipiendas res alienas irrationabilitèr agit, cum teneatur in ordine ad res alienas eas cautelas adhibere, quas rationabilitèr adhiberet in ordine ad res proprias. Confirmatur ſecundò, quia commodatarius reſtituens rem famulo commodantis ad literas Domini mandantis non liberatur ab onere rei commodatæ verſus commodantem, ſi famulus ille non erat bonæ vitæ, & bonorum morum *Bartolus in l. ſuſpectum ff. de ſuſpec. tut. Alexander in l. argentum ff. commodati*, ergo etiam ſocius deſignans famulum ad recipiendum, qui non ſit notæ fidelitatis, non liberabitur ab onere rei in ſocietatem eidem famulo traditæ, ſi ex fuga, vel culpa eiuſdem famuli res illa deperéat.

Sciens nō eſſe fidum eſt culpabilis in deſignatione

Bartolus. Alexander.

---

§. XII.

An, ſi tertia perſona à deſignata perſictionem accipiat res ſocietatis, & effugiat, res illæ pereant tradenti, an alteri ſocio, cui erant deferendæ.

SVMMARIVM.

- *Proponitur ſtatus quæſtionis* 1.
- *Ratio dubitandi deducta à paritate literarum cambij* 2.
- *Nonnullorum ſenſus diſtinguentium inter res determinatas in indiuiduo, & in ſpecie* 3.
- *Res illa ſiuè ſit in indiuiduo, ſiuè in genere perit tradenti* 4.
- *Excipe, niſi alter fuerit in cauſa talis deceptionis* 5.
- *Exponitur, quandonam dicatur in cauſa. Ibid.*

1 DIſquiſitio XII. Inita inter duos conuentione de rebus quibuſdam ſocietati conferendis, & inter illos conſtituto, quod res per vnum conferendæ traderentur ei, qui certum ſignum deferret, ſocius ille, ad quem res illæ conuentæ deferendæ erant, ſignum conuentum contulit ſuo famulo, vt accederet ad alterum res illas recepturus; Hæc res tertiæ cuidam perſonæ innotuit, quæ ſublato illo ſigno a famulo acceſſit ad ſocium, qui contulit res illas promiſſas, ſed hic eiſdem acceptis effugijt. Controuerſum hic eſt, cuinam res illæ perierint, an tradenti, an illi, qui ſignum illud contulit ad recipiendum.

Nonnulla ad hanc materiam ſpectantia 2
licet in diuerſis terminis de cambijs attigimus *tom. 2. ſub tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ. 4. §. 2.* vbi in hypotheſi (quod per debitorem cambij datæ fuerint literæ remiſſæ ad ſuum reſponſalem, vt contentum in eiſdem ſolueret delatori talium literarum, vt potè Procuratori ſui creditoris, & literæ iſtæ fuerint per alium interceptæ, & per ipſum interceptorem præſentatæ reſponſali debitoris, atque ab eodem receptum pretium in eiſdem contentum) dictum fuit, per illam ſolutionem factam factæ illi perſonæ per reſponſalem debitoris ipſum debitorem non liberari a debito. Ex quibus videtur rectè inferri poſſe, etiam in terminis ſocietatis, quod ſi per tertiam quandam perſonam fraudulentèr deferentem ſignum conuentum inter ſocios receptum fuerit id, quod eſt conferendum iuxta conuentionem in ſocietate, non eximatur conferens ad iterum conferendum, adeò vt illud, quod receptum fuit, & perijt eidem conferenti perierit.

Literæ cābij exactæ per perſonam fictā ſtant periculo ſoluentis.

Nonnulli alij, inter quos *Paulus de Ca-* 3
ſtro in l. ſi Procuratori not. 3. num. 3. ff. de cond. ob cauſ. dat. cauſ. non ſec. Rota diu. deciſ. 76. Chriſtophorus num. 2. verſ. & quamuis coram Ouano in Romana pecuniaria Ven. 23. Octobris 1593. diſtinguunt in ordine ad rem, quæ eſt conferenda, vel etenim eſt res determinata in indiuiduo, vel determinata in genere, & in quantitate. Iuxtà primum ſenſum aſſerunt, quod res illa pereat illi, cui ex conuentione eſt deferenda. Iuxta ſecundum verò aſſerunt, quod pereat ipſi tradenti, quia pereunte re in tali genere adhuc remanet genus. His tamen minimè negotium faceſcentibus.

Paul. de Caſtro. Rota.

Res, vel eſt determinata in indiuiduo, vel in genere

Reſpondeo rem illam perire, ſiuè ſit in 4
genere, ſiuè in indiuiduo ipſi tradenti, niſi alter fuerit in cauſa talis deceptionis. Conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti Diſquiſitione. Probatur primò in vniuerſum, quia vbi nulla eſt culpa deſignantis, & mittentis ſignum conuentum illa deceptio, ſeù potius furtum computatur inter caſus fortuitos, quandòquidem humana prudentia vitari non potuit *cap. Ioannes de Homicidio Alexander in l. quod Nerua col.* 1. *ff. Depoſiti, Thomas Grammaticus conſ.* 1. *num. 5. vol. 2.* ſed quoad caſus fortuitos ſocius erga ſocium non tenetur *l. fiſtulas §. fin. ff. de contrah. empt. l. ex conducto §. 1. ff. locati l. Maritus, & ibi Bartolus ff. eod.*

Deceptio computatur inter caſus fortuitos.

Alexander. Thomas Gramat. Bartolus

Probatur ſecundò, ſiuè res certa, & conuenta fuerit determinata in indiuiduo, ſiuè dumtaxat in genere. Ideò, ſi res conuenta fuerit tantum in genere, & in quantitate, ſi ex culpa, & dolo deferentis ſignum conuentum pereat, perit tradenti, quia quandò non eſt determinata in indiuiduo rema-

remaneat a hæc ſub dominio tradentis, quo vſque deuenerit ad manus eius, ad quem dirigitur, ſed in contractu ſocietatis res conuenta ad conferendum non ſolum remanet ſub dominio tradentis, quandò eidem nundum eſt delata, ſed etiam quandò actu delata eſt, ergo ſi pereat ſine culpa eius, ad quem eſt deferenda, vel iam delata non eidem, ſed tradenti ratione dominij, quod in illa habet, perire debet. Confirmatur, quia cum ille caſus præuideri non potuerit, nec per tradentem, nec per eum, cui debebat conferri, ex vi illius non eſt maior ratio, cur infortunium vni potius debeat imputari, quam alteri, ex alio capite eum tradens adhuc remaneat dominus illius rei, ratio iuſtitiæ poſtulat, vt potius ipſi, quam alteri pereat, ergo eidem perire res illa dicenda eſt.

Res ſiuè ſit in indiuiduo ſiuè in genere ſemper eſt ſub dominio tradẽtis.

5 Dixi, *niſi alter fuerit in cauſa talis deceptionis*, quod etiam optimè notauit *Molina d. diſp. 296. in fin. verſ. dubium eſt*, licet in terminis aliorum contractuum, vt contingeret, ſi ipſe, ad quem res illa eſt deferenda, manifeſtaret alteri ſignum illud, quod eſt deferendum ad recipiendam rem, ex quo deſumeret occaſionem illud ſignum arripiendi, & decipiendi, hoc etenim eſſet culpa, adeoque ipſi imputanda, & ratione illius compellendus ad reparationem; nec poſſet excuſari ob inconſiderationem, quandòquidem hoc onus non reuelandi ſecundum ſe adeò notum eſt, vt ſecundum normam prudentiæ a nullo prudenti reuelaretur, & ſic quamuis ex delicto formali non teneretur, teneretur ſaltem ex quaſi delicto.

Molina.

Quandonam ſocius dicatur in cauſa deceptionis.

---

§. XIII.

Quonſque ſocius poſſit aduerſus ſocium creditorem excipere de priuilegio faciendi tantum, quantum commodè facere poteſt.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ 1.
Rationes dubitandi 2.
Poteſt iuſtè ſocius poſt ſententiam, quæ in iudicatum tranſierit, excipere de tali priuilegio quoad effectum ſuſpendendæ executionis, & retractandæ 3.
Quandonam poſſit proponi talis exceptio, an ante ſententiam, an poſt 4.
Reſpondetur rationi dubitandi 5.

1 DIſquiſitio XIII. Poſt contractam ſocietatem inter Fabium, & Andrẹam, vi cuius idem Andræas rebus ſocietatis negotiabatur præcipuè pecunijs ab eodem Fabio receptis, cumque negotiatio in deterius abiret, Fabius contrà ipſum iudicium intentauit ad recipiendas res ſuas, aduerſus quem excipiebat idem Andræas. Rebus ex vtraque parte diſcuſſis definitum fuit per Iudices ipſum Andræam compellendum eſſe ad integrè ſatisfaciendum. A ſententia non appellauit Andræas, ſed tranſiuit in rem iudicatam. Interim dum executioni demandaretur ſententia, ſeù eſſet demandanda, idem Andræas iterum excipiebat de tali priuilegio ſibi a iure conceſſo. Quæritur modo, an iuſtè poſt talem ſententiam, & executionem illius poſſit excipere, & ad quem effectum.

Exponitur caſus, in quo cõſiſtit lis.

Videtur negandum eſſe in primis, quià ex eo, quod a ſententia non appellauerit pro tempore ſibi a iure cõceſſo, videtur illi acquieuiſſe, ac proindè ſaltem implicite ceſſiſſe iuri ſuo, & renuntiaſſe tali priuilegio, quandòquidem ex quo ſententia tranſiuit in rem iudicatam *cap. quod ad conſultationem, & ibi Doctores de re iudicata Alexander conſ. 136. part. 2.* ſortitur ſuum effectum, & obligat ad ſui obſeruantiam. Deindè impetrans reſcriptum contra ſententiam, quæ tranſiuit in rem iudicatam efficitur infamis, & caret impetratis, quandò ſententia lata non eſt ex cauſis priuilegiatis *ſecundum Petrum Gerar. ſingul. 20. incipiente ſicut non valet*, ergo etiam excipiens contra ſententiam, quæ tranſiuit in rem iudicatam efficietur &c. & priuabitur effectibus, exceptionibus. Nihilominus 2

Ratio dubitandi.

Alexander.

Petrus Gerar.

Reſpondeo, iuſtè poſſe Andrẹam etiam poſt ſententiam, quæ in iudicatum tranſierit, excipere de tali priuilegio quoad effectum ſuſpendendæ executionis, & retractandæ, ſi commiſſa fuerit *Gutier de iur. confirm. part. 3. cap. 25. num. 37. Molina diſp. 413. verſ. quandò quis gaudet*, vbi teſtatur de communi. 3

Gutier. Molina.

Probatur hæc reſponſio primò *ex l. Neſenius §. vltim. ff. de re iud.*, vbi ſic legitur. *In ſolidum condemnatus donator actione iudicati, niſi in quantum facere poteſt non tenetur beneficio conſtitutionis.* Secundò *ex textu in l. ex diuerſo §. ſi in iudicio ff. ſoluto matrimonio* - Ibi - *Si in iudicio dotis Iudex ignorantia iuris lapſus condemnauerit maritum in ſolidum Neratius, & Sabinus doli exceptione eum vti oportere aiunt, eaque tutum fore*, vbi mirificè *gloſa verbo ſi in iudicio* textum ſic explicat. *Certè nihilominus habet exceptionem, vt non mandetur contrà eum ſententia executioni, niſi inquantum facere poteſt*, & quidem iure merito, nam exceptio, quæ non impugnat ſententiam, poteſt opponi poſt ſententiam *Bartolus in d. l. ex diuerſo ff. ſoluto matrim.*

Iura euidẽter euincentia intentum.

Pro-

Probatur tertiò ratione in iuribus fundata. Vel ſententia condemnatoria Iudicis ad integrè ſatisfaciendum lata eſt cum expreſſo errore in eadem ſententia, & ſic ipſo iure eſſet nulla *l. 2. C. quandò prouoc. non eſt neceſſe, & l. 1. l. praeſes l. cum prolatis ff. de re iudic.*, vel eſt lata cum ignorantia iuris, & tunc poſt illam datur talis exceptio, vt *d. l. ex diuerſo §. ſi in iudicio ff. ſol. matrim. & l. Neſſenius §. vlt. ff. de re iudicata*, nec quidem incongruè, quandòquidem ignorantia Iudicis nequit officere priuilegio à iure conceſſo.

Ignorantia Iudicis non poteſt obeſſe priuilegio a iure conceſſo.

4 Hic oritur difficultas, an tantùm poſt ſententiam, quæ tranſierit in rem iudicatam poſſit proponi hæc exceptio, quandò non fuit propoſita primo iudicio, an etiam, quandò fuit propoſita. Gloſa *in d. l. Neſenius §. fin. ff. de re iudicata verb. non tenetur* videtur ſentire non poſſe proponi, quandò primò fuit propoſita, quod videtur colligere *ex l. duobus ff. de except. rei iudic. & l. fin. §. fin. C. de fid. inſtrum. & l. ſin autem §. ſi quocunque de neg. geſt.* Nihilominus, vel quandò fuit propoſita, fuit per Iudicem reiecta, quaſi quod non ſuffragetur ei ex aliqua cauſa, qua priuetur tali iure, & in hoc ſenſu præciſè exiſtimo procedere iura per dictam Gloſam allegata, vel reiecta ex peruerſitate Iudicis, & ſic non ſolum poteſt iterum opponi, ſed etiam dici de nullitate talis ſententiæ, vtpotè contrà iura prolata.

Gloſa.

Duplex eiuſ propoſitionis.

5 Ad rationes, quæ in contrarium afferebantur, dicendum eſt, & quidem ad primam iura in hoc caſu ſpecialitèr diſponere, cum hæc exceptio non impugnet ſententiam, ſed inſeruiat ad ipſius moderationem, & remiſſionem, vndè ex non appellatione non videtur renuntiaſſe tali priuilegio, cum ex diſpoſitione iuris poſſit excipere, quandòcunq; talis ſententia non fuerit executioni mandata. Ad ſecundam dicendum eſt procedere, quandò reſcriptum impetratur nullo iure ſuffragante impetrationi, quod non militat in hypotheſi, de qua loquimur.

Exceptio non impugnat ſententiam, ſed exigit moderationem.

---

§. XIV.

An ſocius integrè ſatisfactus per ſocium debitorem poſſit compelli ad contribuendum alijs, quandò debitor eſt impotens ad ſatiſfaciendum alijs integrè.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis 1.

Solutio facta poſteriori creditori in pecunia numerata non reuocatur per anteriorem 2.

Excipe, niſi facta fuerit mala fide, & in fraudem 3.

Socij poſſunt iuſtè repetere ſolutum alteri ſocio, vt ad ratam ſatisfiat 4.

Excipe, niſi ſocij conſcij fuerint ſolutionis integra alteri facta, & intrà debitum tempus non reclamarint 5.

Satisfit rationibus dubitandi 6.

Diſquiſitio XIV. Aderant in eadem ſocietate tres, vel quatuor ſocij, omneſque vni ex ipſis contulerant certam pecuniæ quantitatem ad negotiationem, qua in deterius abeunte alter ex eiſdem ab eodem ſocio negotiatore exegit integram ſui ſatisfactionem. Agentibus alijs ad repetitionem ſui crediti idem ſocius negotiator excipiebat de priuilegio, quod non teneretur facere vltra id, quod commodè facere poterat, quo ipſi agentes non poterant conſequi integrum ſuum creditum, ſed magna in parte nudi remanebant. Contendebant poſteà, quod ille ſocius, qui integram ſui ſatisfactionem exegerat, teneretur alijs ex ea portione contribuere, ità vt omnibus æqualitèr proportione quadam ſatisfieret. Quæritur modo quid iuris in hac facti ſerie? 1

Proponitur ſtatus difficultatis.

Pluribus creditoribus eiuſdem exiſtentibus, quantumuis aliqui ex ipſis fuerint anteriores, alij poſteriores, ſi tamen in pecunia numerata facta fuerit ſolutio poſterioribus, non poſſe per anteriores ſolutionem illam reuocari pluribus definitum eſt *tom. 2. ſub tit. Contractus V. de Cambijs II. Diſquiſ. 3. §. 10. num. 4.* iuxtà mentem *Afflicti deciſ. 190. pulchrum num. 6. & 7.* qui etiam refert ita fuiſſe reſolutum in conſ. Neapolitano re plenè diſcuſſa, & ſequuntur *Genuenſes in ſtatut. lib. 4. cap. 7. §. penult.* 2

Solutio facta in pecunia numerata poſteriori creditori non reuocatur per anteriorem.

Quæ tamen intellige, niſi illa ſolutio facta fuiſſet creditoribus poſterioribus mala fidè, & in fraudem anteriorum, nam tunc talem ſolutionem per Anteriores creditores poſſe reuocari aſſerit *Straccha tract. de decoctoribus part. 3. num. 28. tom. 6. part. 1.* quod explicat *Scaccia tract. de commert. §. 2. Gloſ. 5. nu. 445.* in ſolutione facta a decocto paulò antè decoctionem aliquibus creditoribus poſterioribus; vndè iure merito cautum eſt in ſtatutis Genuenſ. *lib 4. cap. 7. de decoct. §. ſecunda declaratione, & §. ceſſiones*, quod ſolutiones, dationes in ſolutùm factæ per debitorem ad fauorem alicuius creditoris intra quindecim dies immediatè antecedentes diem decoctionis habeantur pro non factis. Cæterum, quod ſolutio facta creditori etiàm poſteriori in pecunia numerata ſuſtineatur, facilè euincitur, tùm ex eo, quod traditio ipſi facta eidem con- 3

Straccha

Scaccia.

fert

Traditio vſfert manus ius, ſert manus ius, tùm ex eo, quod ſi ſolutiones factæ poſterioribus creditoribus in pecunia numerata poſſent reuocari per anteriores, innumeræ litium conſurgerent origines, humana ceſſarent commertia, & de facili mercatores à contrahendo deterrerentur, præcipuè cum agitur de ſolutione per pecuniam, quæ de facili conſumitur. Ex quibus deduci poſſe videtur in re præſenti, quod ſi ſocius debitor verſus plures conſocios vni integrè ſatisfecerit in pecunia numerata, non poſſit ſolutio per ipſum facta per alios ſocios creditores reuocari ad effectum, vt ad ratam inter ipſos diuidatur. Nihilominus ad rem preſentem

4 Reſpondeo reliquos ſocios agere poſſe aduerſus ſocium illum, qui, quod ſibi debebatur, integrè accepit ad effectum, vt illud, quod accepit æqualitèr contribuatur inter omnes proportione ſeruata, niſi reliqui ſocij conſcij fuerint talis integræ ſolutionis, & per longum tempus acquie-
Molina. uerint non reclamantes *Molina dicta diſp. 413. verſ. poſtremò obſerua in fin.* & quoad
Azon. limitationem, ſeù reſtrictionem *Azon* apud eundem *Molinam loc. cit.* Colligitur reſponſio ex textu *in l. verum §. ſi cum tres ff. pro ſocio* - Ibi- *Sed magis eſt, vt pro ſocio actione conſequi poſſit, vt vtrinſque portio exæquetur, quæ ſententia habet æquitatem,* ibique ſubditur ratio. *Quaſi iniquum ſit ex eadem ſocietate alium plus, alium minus conſequi;*
Eſt ſpecialis ratio propter ius fraternitatem. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur in pari caſu meliorem eſſe conditionem occupantis, vt in textu *l. inter eos ff. de re iud. & l. fin. ff. Depoſiti*; non, inquam, obeſſe poteſt, nam præterquam quod in primo textu *in l. inter eos* eſt caſus de creditoribus ex diuerſis contractibus, vt notat *Gloſa in d. l. verum eſt ff. pro ſocio in verbo exæquetur*, hic ex vno quaſi fraterno; eſt ſpecialis ratio in contractu ſocietatis propter ius fraternitatis, quod eſt in eodem, ac ſit in alijs contractibus, vt infra in reſponſione ad ea, quæ pro ratione dubitandi allata ſunt.

Ratio autem limitationis ex Azone adductæ ea eſſe poteſt, quia ex quo ſocij alij creditores erant conſcij illius integræ ſatisfactionis vni ipſorum factæ, & diu
Præſumuntur ceſſiſſe iuri ſuo. quieuerunt non reclamantes ex diſpoſitione iuris præſumuntur ceſſiſſe iuri ſuo, illumque in pacifica poſſeſſione conſtituiſſe, & ſic quod ſemel ex præſumptione iuris ipſis placitum eſt, non poteſt amplius diſplicere *cap. quod ſemel de reg. iu. in 6. cap. horrendus 32. quæſt. 5.* nec in hoc caſu præſumi poteſt, quod illa ſolutio facta fuerit in fraudem aliorum creditorum, quandòquidem diù præceſſit, & cum reliqui creditores conſcij fuerint illius ſolutionis, & potuerint contradicere, & non contradixerint, dici non poteſt, quod erga illos per debitorem fraudulentèr ſic actum; immò cum ipſi non contradixerint, ſupponuntur conſenſiſſe *cap. nonne de præſumptionibus l. 2. §. velunt ff. ſolut. matrim. cap. qui tacet de reg. iur. in 6.*

Ad rationes, quæ in contrarium afferebantur, eas quidem rectè procedere 5
dicendum eſt in ordine ad ſe, non autem in ordine ad inferendum intentum in caſu ſocietatis, & hoc propter ſpecialem rationem, quæ militat in contractu ſocietatis, *Specialis ratio in contractu ſocietatis*
qui cum in ſe habeat ius quoddam fraternitatis, quod conſiſtit in communione non ſolum rerum, ſed etiam affectuum, exigit, vt omnes ſint æquales, nec vnus etiam ex præuentione quid amplius habeat, ac habere debeat, ſed omnes æquè in communicatione, ac in diuiſione ſint pares, nam ſicut fratres hanc æqualitatem ſeruant, ita & ſeruare debent ſocij, quam rationem iura reſpicientia ſtatuerunt &c.

---

§. XV.

Cuinam pereat res, quæ data eſt ad certam negotiationem, ſi pereat ante eandem.

SVMMARIVM.

Exponitur caſus particularis controuerſiæ 1.
Societate inita ad vendendum, ſi res mortua fuerit, diſſoluitur ſocietas 2.
Societas, quantumuis ex genere ſuo conſenſu perficiatur, ex conuentione tamen partium poteſt exigere rei traditionem 3.

Diſquiſitio XV. Habebat Titius tres 1
equos, Fabius vnum. Societatem inuicem coiuerunt, vt Titius accepto equo Fabij quadrigam venderet, & ex pretio quartam partem traderet eidem Fabio. Ante venditionem equus Fabij mortuus eſt, & hinc ſuborta eſt contrauerſia, an adhuc ſocietas maneat, & ex pretio ſuorum equorum teneatur Titius partem Fabio erogare. Proponitur hæc difficultas expreſsè *in l. ſed id, quod quis ff. pro ſocio*;
vbi fit diſtinctio hoc pacto. Vel enim inita 2
eſt ſocietas ad vendendam quadrigam præcisè, vel inita eſt ad ipſam habendam, qua poſita diſtinctione textus concludit, quod ſi ſocietas fuèrit ad vendendum, mortuo equo Fabij non amplius maneat ſocietas, nec debeatur ex equis Titij pars eidem Fabio; ſi verò expreſsè ſit ad habendam, tunc adhuc mortuo illo equo ſocietas remaneat, & debeatur pars Fabio. *Vel inita eſt ſocietas ad res habendas, vel ad vendendas.*

Textui

Societas incipit, quãdò fit venditio.

Textui expreſſo ſtandum eſt, & quidem non incongrua ratione innititur textus, quandòquidem iuxta primum ſenſum ſocietas non eſt inita ad habendam quadrigam, ſed vendendam, ergo tunc tantum incipit, quandò fit venditio, ergo, ſi equus pereat ante venditionem, diſſoluitur eadem ſocietas, ſeù potius non eſt, ergo non eſt, cur Fabius poſſit exigere ſuam portionem ex illo contractu.

3 Dices ex ſuperius dictis *ſub hoc eodem tit. Contractus VII. de ſocietate Pranot. 2. num. 3.* ſocietas eſt ex illis contractibus, qui ſolo conſenſu perficiuntur iuxta textum *in l. qui admittitur 19. ff. pro ſocio, & ex §. vnico Inſtit. de oblig. ex conſenſu*, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, perfectus eſt poſitus conſenſus ex vtraque parte, ergo non eſt, cur non debeat ſubſiſtere, ſuoſque ſortiri effectus, ſi equus ille ex culpa eiuſdem Fabij non perierit. Sed contra, quià quamuis ex natura ſua contractus ſolo conſenſu perficiatur, quantum ad effectum obligandi vtrumque contrahentem ad conferendum, quia tamen ex conuentione partium contractus initus eſt re ſcilicet ad venditionem, ideò ſine tali re, ſeù venditione non poteſt ſubſiſtere, quia non fuiſſet venditio quadrigæ, ſed trigæ, vt benè notat *Gloſa in d. l. ſed id in verbo coita eſſe* iuxta textum *in l. peculium ff. de leg. 2.*

Contractus initus eſt ad venditionem.

Dices vlteriùs ex eodem textu *in l. ſed id, quod quis ff. pro ſocio*, ſi in pecunia coita ſit ſocietas ad emendas merces, & pecunia collata ſit, ſi ante emptionem earundem mercium pecunia vnius perierit, manet ſocietas, cum illa vtrique perierit, & reliquum eſt communicandum, ergo etiam ſi coita ſit ſocietas in quadriga ad venditionem eiuſdem, & equus vnius perierit ante eandem venditionem vtrique perire dicendus eſt, adeò vt remaneat ſocietas in reliquis, quorum pretium ſit communicandum, quandòquidem etiam ſupponitur, quod ille equus fuerit collatus. Sed contra reſpondent aliqui diſparem eſſe rationem, quia pecunia in primo contractu ſupponitur collata alteri ſocio, vt etiam ſupponit textus in corpore. Ibi *ſi poſt collationem euenit, quod pecunia perierit*; in ſecundo autem de ſocietate equorum ſupponitur, quod equus Fabij nondum fuerit collatus, ſed perierit penes eundem Fabium, & ſic in primo caſu pecunia perit ſocietati; in ſecundo verò equus perit eidem Fabio, quod diſcrimen etiam elucet ex eodem textu, quandòquidem hic aſſerit, quod ſi pecunia etiam pereat, antequam ſit collata, pereat eidem, cuius eſt. Verum hæc explicatio non conſonat textui, quandòquidem idem textus ſupponit etiam, quod equus Fabij fuerit colatus. Ibi *ſed & id quod quis in ſocietatem contulit*, rurſus, *eoque accepto* ibique Gloſa, *ſi id, quod alter contulit, interciderit*. Quamobrem aliter reſpondendum cenſeo, nempe diſparem eſſe rationem in collatione pecuniæ, & in traditione equi, quià ipſa collatio pecuniæ ſuppoſito conſenſu eſt effectus formalis ſocietatis, traditio autem equi non eſt effectus eiuſdem, ſed ad ſummum venditio, cum contractus fuerit ad vendendam quadrigam. Si autem inquiras, cur collatio pecuniæ dicatur effectus formalis ſocietatis, non autem traditio equi, cum vtraque tradantur ex conuentione ſocietatis, ſine qua non traderentur, & ſi ſocietas equorum eſt ad venditionem eorundem, & ex tali venditione ad acquirendam partem proportionatam pretij ex illa recipiendi, etiam ſocietas pecuniæ ſit ad emptionem mercium, & ex tali emptione ad acquirendum lucrum, quod ex eiſdem percipietur; ſtatim reſponſionem accipes, ideò collationem pecuniæ eſſe effectum formalem, quia contractus ad emendum, & acquirendum perficitur per poſitionem, contractus verò ad vendendum per diſtractionem, adeòque cum ſocietas equorum ſit ad vendendum, tunc ſolummodò incipit, quandò fit venditio, ſocietas verò pecuniarum, quandò fit collatio. Dici etiam poteſt, collationem pecuniæ ſuppoſito conſenſu eſſe formalem effectum ſocietatis, quia quidquid debet reſultare ex illa, eſt pecunia, vel formalitèr, vel equiualentèr, traditionem vero equi non eſſe effectum formalem, quia quod debet reſultare ex ipſa ſocietate non eſt equus, ſed pecunia.

Pecuniæ collatio eſt effectus formalis ſocietatis, nõ ſic equi & quare.

Contractus ad vendendũ perficitur per diſtractionem.

Dicitur inſuper in allegato textu *in l. ſi id, quod quis ff. pro ſocio*, quod ſi ſocietas ſit ad habendam quadrigam, & poſt traditionem equus Fabij depereat, tunc permaneat ſocietas, & equi permanentes ſint communicandi, cuius ratio eſt ea, quià, cum tunc contractus ſit ad habendum, eo ipſo, quod equus traditus eſt, intelligitur conſumata ſocietas, & propterea quidquid ſine culpa habentis perit, imputandum eſt ſocietati, & quidquid remanet eidem ſocietati communicandum, per quod non modicum roboratur reſponſio ad ſecundam inſtantiam per nos tradita.

Maior expreſſio reſponſonis.

§. XVI.

An ſocius gaudere poſſit priuilegio efficiendi id tantum, quod commodè facere poteſt, quandò iam contulit totum id, quod ſocio debebat.

SVMMARIVM.

Facti ſeries, & rationes pro ſocio debitore 1.

Varij tituli, ſecundum quos res ſocietatis deuenire potuerunt ad creditorem 2.

Si bona ſocietatis arte fuerunt per creditorem excepta non concurrente debitore habet ius hic repetendi quantum requiritur, ne egeat 3.

Si bona delata fuerint ad creditorem cum proteſtatione, & reſeruatione iurium, poteſt debitor repetere 4.

Si fuerint delata ſimpliciter non poteſt amplius repetere 5.

1 DIſquiſitio XVI. Inita ſocietate inter Meuium, & Seium, vi cuius Meuius receperat à Seio magnam pecuniæ quantitatem ad negotiandum, cum ex negotiatione vix aliquid lucri fuiſſet perceptum, & dies adueniſſet diſſolutionis eiuſdem contractus, vniuerſa bona ſocietatis, quæ vix aſcendebant ad capitale collatum per Seium, deuenerunt ad eundem Seium, ſicque Meuius non habebat, quo commodè poſſet ſe ſuſtentare. Ex priuilegio ſibi à iure conceſſo *in §. ſunt præterea Inſtit. de actionibus* contendebat poſteà idem Meuius repetere ab eodem Seio tantum, quantum ſufficeret, ne egeret ad commodè viuendum, eaque ratione hoc ſibi ſuadebat, quod ſicuti, ſi bona ſocietatis apud ſe eſſent, non teneretur reſtituere, niſi quantum commodè poſſet, ne egeret, ità quamuis bona eiuſdem ſocietatis ſint apud alium ſocium creditorem, poſſit tantum ab eodem repetere, quantum ſufficit, vt commodè viuere poſſit, ne egeat. Quæritur modo, quid in hac controuerſia ſit concludendum? Pro ſolutione

Factum, & rationes dubitandi circa ipſum.

2 Aduerte, quomodò bona ſocietatis deuenerint ad Seium creditorem; vel enim ad eundem delata fuerunt per Meuium debitorem animo, & titulo reſtitutionis, vel ab eodem Seio titulo aliquo apparenti fuerunt excepta non concurrente eodem Meuio. Rurſus ſi delata fuerunt per Meium, vel delata fuerunt ſimpliciter ſine vlla reſeruatione iurium, quæ ex diſpoſitione legali ſibi iuſtè competere poſſunt, vel reſeruato ſibi iure, quod ex diſpoſitione eiuſdem iuris ſibi competit. In ordine ad has omnes acceptiones controuerſia dirimenda proponitur, pro qua

Varij tituli, ſecundum quos res ſocietatis deuenire ad creditorem.

3 Reſpondeo primò, ſi bona ſocietatis arte quadam, vel titulo fuerunt excerpta per Seium non concurrente Meuio, habet hic ius tantum repetendi, quantum ſufficiat, ne egeat commodo victu. Probatur; ſi talia bona non eſſent taliter excepta per Seium, ſed adhuc permanerent apud Meuium debitorem, hic poſſet iuſtè gaudere priuilegio non reſtituendi, niſi quantum commode poſſet, vt eſt in confeſſo apud omnes ſcribentes in hac materia, ergo, ſi arte per eundem Seium fuerint eadem bona ad ſe atracta ſine concurſu, & conſenſu ipſius Meuij poterit hic tantum iure ſibi ſuffragante repetere, quantum ſufficiat ad commodè viuendum. Conſequentia probatur, quià artificioſa illa atractio non demit ius, quod habet ſocius negotiator in illis bonis, quandòquidem æquiualet ſpoliationi, ſed ſpoliatus retinet idem ius in rebus, quibus eſt ſpoliatus, quod habebat, antequam ſpoliaretur *l. ſi quis ad ſe fundum C. ad leg. Iul. de vi Alexander in l. naturalitèr §. nihil commune ff. de acq. poſſeſ.* ergo, ſi ante haberet ius non reſtituendi, niſi in quantum poteſt, poſt habebit ius repetendi &c. Confirmatur, quia militat eadem ratio conceſſionis illius Priuilegij, quandò res ſocietatis non adhuc ſunt reſtitutæ, & quandò exceptæ ſunt non concurrente poſſeſſore, cum ratio conceſſionis ſit, ne, qui habuit ius fraternitatis, careat congrua ſui ſuſtentatione, ergo &c.

Artificioſa atractio æquiualet ſpoliationi.

Alexander.

4 Reſpondeo ſecundò, ſi eadem bona delata fuerint per eundem Meuium ad Seium cum proteſtatione, & reſeruatione ſuorum iurium in eiſdem bonis, poteſt idem Meuius repetere, quo commodè viuere poſſit iuxta diſpoſitionem allegati iuris. Probatur, quià illa proteſtatio, ſeù reſeruatio iurium, cum non ſit contra diſpoſitionem iuris, nec contra bonos mores, non eſt irrita, & conſeruat ius proteſtantis *l. 2. §. ſi in venditione ff. quib. mod. pign. vel hypoth. ſoluatur Paulus de Caſtro conſ. 205. quod incipit in cauſa, quæ vertitur*, ergo non eſt, cur ipſe proteſtans non poſſit gaudere iure illo, ſi ſibi competit, adeòque non poſſit repetere id, quod poterat iuſtè retinere; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur illam proteſtationem non valere, quandòquidem eſt contraria actui, qui geritur, per quem propterea irritatur; non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem actus ipſe non abſolutè ponitur, ſed cum illa reſeruatione, & ſemper cum illa tranſit, adeòque illam non irritat; vndè quandò dicitur, quod proteſtatio contra factum non valeat, intelligendum eſt ſolummodò quandò factum

Proteſtatio conſeruat ius proteſtantis.

Paul. de Caſtro.

Actus ponitur cū reſeruatione.

ipſum

ipſum non compatitur cum illa proteſtatione, ſeu reſeruatione.

5 Reſpondeo tertiò, ſi eadem bona fuerint delata ſimplicitèr Seio per Meuium animo, & titulo reſtitutionis, & ſine vlla reſeruatione non poteſt amplius ex rigore iuſtitiæ idem Meuius repetere id, quo commodè viuere poſſit. Probatur primò paritate donatoris, qui etiam priuilegio tali gaudet, vt conueniri non poſſit vltrà id, quod commodè facere poteſt, nam ſi donatio fuerit traditione completa, non conceditur eidem ex eo capite repetitio, & proindè locum non habet hoc priuilegium *Gutiér de iur. confirm. part. 3. cap. 15. nu. 33. Molina d. diſp. 413. verſ. merito autem ſupra*, ergo etiam ipſe ſocius, qui tradidit omnia bona ſocietatis, non habebit ex hoc capite ius repetendi, & propterea &c. Conſequentia probatur, quia tam donatori, quàm ſocio ex diſpoſitione iuris competit hoc priuilegium, quinimmò, cum donator ex ſola ſua liberalitate conſtitutus ſit debitor, videtur habere fortius ius ad tale priuilegium. Probatur ſecundò, quia facta integra reſtitutione debiti ex cauſa ſocietatis, abſoluta, ſeù diſſoluta intelligitur ſimplicitèr ſocietas, nec amplius eſt communio in rebus, & affectibus, ergo non viget amplius tale priuilegium in fauorem ſocij debitoris, quinimmò nec poteſt dici debitor, ſi iam integrè perſoluit. Conſequentia tenet, quia illud priuilegium eſt præcisè intuito ſocietatis, & communionis in rebus, & affectibus, ergo &c. Probatur tertiò, quia ſocius creditor per reſtitutionem ſibi integrè factam acquiſiuit perfectum ius in rebus ſibi reſtitutis, eiſque pleniſſimè gaudet, ſicuti gaudet alijs ſuis bonis proprijs, ergo ſicuti ſocius, qui erat debitor non poteſt repetere ex alijs bonis, ita nec ex iſtis. Probatur quartò, quia ex eo, quod ſocius, qui erat debitor integrè ſatisfecerit nullum ius ſibi reſeruando videtur ceſſiſſe iuri ſuo, & priuilegio, quo legitimè gaudere poterat ante ſatisfactionem, ergo non poteſt illo amplius gaudere.

Gutier. *Molina.*

Paritas ex donatione deſumpta.

Facta reſtitutione diſſoluitur ſocietas.

Reſtituendo videtur ceſſiſſe iuri ſuo.

Dixi, *ex rigore iuſtitiæ*, nam ſecundum quandam æquitatem non negauerim expedire, vt ſocius creditor aliquid, quo commodè viuere poſſet debitor, conferret; ex quo etenim ille ſponte integrè ſatisfecerit, cum ius haberet non ſatisfaciendi inſolidum, ſeù integrè, videtur iura ſua remiſiſſe arbitrio creditoris, qui per conſequens ex quadam æquitate videtur obligari ad eidem aliquid contribuendum &c.

Ex æquitate aliter præſumendum eſt.

§. XVII.

An creditores ex alio titulo aduerſus ſocium debitorem poſſint ex relicto per ſocium creditorem iuſtè exigere ſatisfactionem ſuorum creditorum.

SVMMARIVM.

Proponitur ſenſus difficultatis 1.
Rationes dubitandi 2.
Creditores ex alio titulo non poſſunt iuſtè agere ad bona per ſocium creditorem relicta 3.
Paritas ex bonis relictis ex teſtamento cum certa conditione 4.
Iura aliorum creditorum non extinguuntur, ſed non ducuntur ad actum ex vi impotentia 5.

Diſquiſitio XVII. Dictum fuit in præcedentibus Socium creditorem titulo ſocietatis debere ſocio debitori tantum relinquere, quantum commodè viuere poſſit non deducto ære alieno iuxtà textum *in l. verum §. id, quod ſocius ff. pro ſocio*. Hoc poſito Titio debitori ex ſocietate proportionata bona, queis commodè viuere poſſit, relicta fuerunt per Fabium creditorem, ſed cum idem Titius alijs oneribus debitorum grauaretur, creditores alij ex alio titulo actionem aduerſus ipſum intentarunt ad conſequenda ex illis bonis relictis per Fabium ſua credita. Quæritur iam, an iuſta fuerit illa actio, & an Titius ex illis bonis ſibi relictis teneatur eiſdem creditoribus ſatisfacere. 1

Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod per illam ceſſionem bonorum factam per Fabium eidem Titio non extincta ſunt iura aliorum creditorum ex alio titulo; factum enim vnius nequit alteri non communicanti in tali facto præiudicare ex vulgatis iuribus, & quouſque bona exiſtunt apud debitorem, ex quocunque titulo exiſtant, dummodò ſint propria illius manent obnoxia verſus legitimos creditores, qui propterea aduerſus illa agere poſſunt. Cum igitur in hac hypotheſi ſupponantur eſſe legitimi creditores ex alio titulo, & bona illa exiſtere ſub dominio debitoris, hinc eſt &c. Nihilominus 2

Factum vnius non poteſt alteri obeſſe

Reſpondeo cæteros creditores ex alio titulo non poſſe iuſtè ſolutionem ſuorum creditorum ex illis bonis ſic relictis exigere *Ognate tract. 28. de Societate diſp. 99. ſect. 5. num. 208. in fine.* Probatur primò, quia ſocius creditor talia bona relinquit, nec alio titulo tenetur relinquere, niſi titulo ali- 3

Ognate.

N 2 mento-

mentorum; non enim ipſe tenetur æs alienum ſui debitoris perſoluere per ea, quæ latè ſupra probauimus *in hoc eodem tit. Contractus VII. de Societate Pranot. 6. num. 3.* iuxta textum *in d. l. verum §. id, quod ſocius ff. pro ſocio*, & iura *in d. l. verum 63. in princip. ff. pro ſocio, & duobus §. ſeqq. item §. item ſocius Inſtit. de actionibus, & l. ſunt quià in id ff. de re iud.* beneficium illud ſocio debitori conferunt præciſè, ne deſtituatur congruis alimentis *Gutier de iur. confir. part. 3. cap. 15. num. 1. Antonius Gomez in l. 10. Tauri num. 40. Azorius tertia part. lib. 9. cap. 2. quaſt. 2. Molina diſp. 413. num. 4.* ſed quod ex voluntate conferentis, & ex diſpoſitione iuris aſſignatum eſt titulo præciſè alimentorum, & affectum eſt tali conditione, non poteſt contrà voluntatem aſſignatarij, & poſſidentis trahi ad ſolutionem debitorum eiuſdem aſſignatarij ex alia cauſa *Ognate d. diſp. 99. ſect. 5. nu. 108.* & fruſtra iura conſuluiſſent egeſtati eiuſdem ſocij debitoris per talia bona relinquenda a ſocio creditore, ſi ab alijs creditoribus poſſent immediate diripi, ergo &c.

Relinquũtur talia vna situ alimentorum.

Gutier. Antonius Gomez. Azorius, Molina.

4 Probatur ſecundò, ſi quis condito ſuo vltimo teſtamento bona aliqua cum certo onere, & ad certum effectum alicui reliquiſſet, non poſſent talia bona per ipſius creditores diripi, vt ex natura talis diſpoſitionis teſtamentariæ manifeſtè patet, ex qua habent, vt remaneant quodamodò vinculata pro tali onere, & ad talem effectum, ergo etiam ſi ſocius relinquat iuxtà diſpoſitionem iuris tot bona alteri ſocio, quot ſufficiat ad congrua ipſius alimenta ad hunc præciſum effectum ſuſtentationis eiuſdem, talia bona non poterunt per creditores ipſius ſocij debitoris acquiri. Conſequentia tenet, quia talia bona tùm ex voluntate conferentis, tùm ex diſpoſitione iuris intelliguntur etiam ſubiecta, ſeù vinculata illi oneri, ſeù effectui.

Bona remanent vinculata pro determinato onere.

5 Ad id, quod afferebatur pro ratione dubitandi, dicendum eſt per illam conceſſionem bonorum factam per ſocium creditorem ſocio debitori non extingui quidem iura aliorum creditorum ex alia cauſa, cum adhuc vigeant, & ſi non poſſunt conſequi ſuum effectum, non eſt ex vi illius conceſſionis, ſed ex impotentia debitoris; vndè illa conceſſio efficit ſolummodò, quod ipſi creditores ex alia cauſa non poſſint in illis ſatisfieri, quod vtique ſtante diſpoſitione iuris efficere potuit ipſe ſocius concedens, cum non teneatur ex alia cauſa relinquere illa bona ſocio debitori, niſi vt inſeruiant tanquam alimenta pro debitore; ſecus ſi poſſent per alios creditores diripi, cum ceſſaret ratio illa congrue ſuſtentationis eiuſdem debitoris, poſſet non relinquere, cum ipſe etiam ſit creditor ex potiori cauſa.

Non eſt ex conceſſione, ſed ex impotentia.

§. XVIII.

An ſocietas in bonis eiuſdem ſocietatis tribuat ius prælationis in ordine ad creditores ex alia cauſa,

SVMMARIVM.

Facti ſeries expoſita in particulari 1.
Nonnulla conſiderationes circà caſum 2.
Si illud, quod remanſit, fuerit ex bonis ſocietatis, & creditor contulerit ſolus pecunias, ipſe cæteris præferendus eſt 3.
Si vterque contulerit pecuniam, & alter conſumpſerit omnia lucra in cauſis proprijs, adeò vt ea debeat compenſare in parte capitalis, tunc etiam creditor ex ſocietate excluderet alios creditores 4.
Si fuerint bona ex lucris conſequentibus ad ſocietatem vtique creditor poteſt illa excipere cum excluſione creditorum 5.
Si illa bona fuerint dubia datur locus præuentioni 6.
Dummodò coniectura non inducant pro aliqua parte 7.
Si illa bona fuerint debitoris ex alia cauſa, ſiuè antecedenti, ſiuè ſubſequenti præferendi ſunt creditores anteriores 8.
Excipe in caſu, quo fuerint bona mobilia, & prius excepta à creditore ſocietatis. Ibid.
Secus, ſi fuerint bona immobilia. Ibid.

Diſquitio XVIII. Contracta fuit ſocietas inter Califronium, & Zoilum, vi cuius idem Califronius contulit mille nummos aureos Zoilo exponendos negotiationi. Zoilus ex pluribus cauſis præcedentibus debitor erat verſus alios creditores; ſed cum vrgeret dies diſſolutionis contractus ſocietatis, nec haberet idem Zoilus, niſi id, quod intuitu ſocietatis debebat Califronio, diſſidium ortum eſt, cuinam illud, quod remanſit, deberetur, an ſocio creditori ex cauſa ſocietatis, an verò alijs creditoribus ex præcedentibus cauſis. 1

Conſiderandum eſt primò, an illud, quod remanſit fuerit ex bonis ſocietatis, an bona eiuſdem Zoili ex alia cauſa, an verò dubia, ex qua cauſa prouenerint, an ſcilicet ex cauſa ſocietatis, an ex aliquo alio titulo, vel præcedenti, vel ſubſequenti. Conſiderandum eſt ſecundò, an in hac ſocietate ſolum Califronius contulerit pecuniam, & Zoilus ſolum operam, & induſtriam, an verò vterque pecuniam contulerit ad proportionem. Quibus conſiderationibus ſic poſitis. 2

Bona, vel ſunt ſocietatis, vel ex alia cauſa, vel dubia.

Reſpon-

3 Reſpondeo primò; ſi illud, quod remanſit fuerit ex bonis ſocietatis, & ſolus Califronius contulerit pecuniam, certum eſt eundem Califronium excludere quoſcunque alios creditores etiam ex cauſa præcedenti; nec in hoc poteſt eſſe aliqua difficultas. Ratio eſt, quia ius creditorum quantumuis præcedens, & cum priuilegio hypothecæ non extenditur ad bona, quæ per alium conferuntur, licet ſubſequentèr eidem debitori ex cauſa ſocietatis, ergo ſocius, qui illa contulit, ius habet in ordine ad ipſa excludendi quemcunque creditorem etiam anteriorem cum hypotheca. Antecedens probatur ex dictis *ſub hoc eodem titulo Contractus VII. de Societate Prænot. 3. num. 2.* vbi dictum fuit dominium proprium ex vi ſocietatis non abdicari à conferente

Molina. Ognate.

Molina d. diſp. 411. verſ. illud eſt obſeruandum Ognate tract. 28. diſp. 97. ſect. 2. nu. 24. vndè ſi res illa perit, perit eidem conferenti *Decius conſ. 116. Baldus in l. 1. C. pro ſocio Gloſa in cap. plerique 14. quæſt. 3.* ergo non cadit ſub iure creditoris præcedentis cum hypotheca reſpectu debitoris, quandòquidem ius creditoris quantumuis præcedens cum hypotheca non extenditur, niſi ad bona propria ſui debitoris, non autem ad aliena, licet eidem collata ex titulo ſocietatis.

Decius. Gloſa.

4 Reſpondeo ſecundò, ſi illud, quod remanſit, fuerit ex bonis ſocietatis, & vterque tam Califronius ſcilicet, quàm Zoilus communicarint in capitali, quatenus vterque ad proportionem contulerit pecuniam, ſed Zoilus conſumpſerit omnia lucra diſtribuenda in cauſis proprijs, ità vt ea debeat compenſare in parte capitalis, quæ ad ſe pertineret, tunc etiam Califronius excluderet quoſcunque alios creditores quantumuis anteriores. Probatur primò ex diſpoſitione iuris, bona illa in ſocietatem collata, & communicata fiunt vtrique ſocio communia *Bartolus in l. vnus in principio ff. pro ſocio* cum in ſocietate lucra, & damna debeant eſſe æqualia vtrique ſocio *Gloſa in d. cap. plerique 14. quæſt. 3. Decius in d. conſ. 116.*, ſed ex bonis communibus prius ſatisfaciendum eſt ſocijs ex cauſa ſocietatis, quam alijs, ergo in data hypotheſi in compenſationem lucrorum ſibi debitorum, & per Zoilum conſumptorum integrum capitale acquiret cum excluſione aliorum creditorum anteriorum.

Bartolus. Gloſa. Decius.

Ex bonis communibus prius ſatisfaciendum eſt ſocijs.

Dices primò, quod quamuis fictione iuris illud, quod per vtrumque ſocium collatum eſt ſit commune, dominium tamen non abdicetur ab vtroque conferente, ſed quod eſt ſub dominio Zoili debitoris eſt ſubiectum hypothecæ creditorum anteriorum, ergo non poteſt acquiri per Califronium creditorem dumtaxat ex cauſa poſteriori ſocietatis. Confirmatur, quià illud, quod collatum eſt per Zoilum, vtpotè ſubiectum hypothecæ anteriori ſemper tranſit cum eadem re, ipſamque afficit, eiuſque poſſeſſorem *l. ſi prædium, & ibi Baldus C. de euictionibus*, nec tollitur per alienationem rei poſteà factam per debitorem alteri *l. debitor, & ibi Baldus C. de pignoribus*, ergo non potuit conferri in ſocietatem alteri cum præiudicio præcedentium creditorum cum hypotheca, & proindè, ſi fuerit collatum, poterit per eoſdem creditores anteriores reuocari. Sed contrà, vel illa bona, quæ per vtrumque ſocium fuerunt collata, erant immobilia, & vſu non conſumptibilia, vel mobilia, & vſu conſumptibilia, cuiuſmodi ſunt pecuniæ &c. Si fuerint bona primi generis maximam vim habet inſtantia hic adducta, quandòquidem cum illa bona ſint hypothecæ præcedenti ſubiecta, ſemper tranſeunt cum illa quoadvſque hypotheca ipſa per ſolutionem debiti, ob quod eſt inducta, ſit diſſoluta, adeòque non videtur poſſe conferri cum præiudicio creditoris hypothecarij, ſed in hoc ſenſu non procedit noſtra aſſertio, in qua ſupponitur, quod per ſocios conferantur pecuniæ, ſi verò fuerint bona ſecundi generis, cum ſecundum ſe deſtinentur ad vſum, hypotheca in ipſis ad ſummum remanet, quouſque ipſa perſeuerant ſub dominio debitoris, ſi enim inſumantur, vel in ſolutione debitorum, vel in emptione aliarum rerum, non ſunt reuocabilia per ea, quæ latè diximus *ſub hoc eodem tit. Contractus VII. Diſquiſ. 1. §. 14. verſ. pluribus creditoribus*. Cum igitur illa bona in hypotheſi præſentis reſponſionis tradita fuerint in ſocietatem, & proptereà ſint facta communia ſocietati, iam ſupponuntur irreuocabilia, vt potè ſubiecta vinculis eiuſdem, & perindè quantum ad humanum commertium, ac ſi fuerint conſumpta, donec pleno iure, ac dominio redierint ad conferentem.

Inſtantia contra poſitam reſponſionem.

Videndum eſt, an ſint bona immobilia, an mobilia.

Supponuntur moralitèr conſumpta.

Dices ſecundò, ex vi ſocietatis præcisè in ſuppoſitione, de qua loquimur, ipſa bona non debentur Califronio, cum ſint pars capitalis Zoili, ſed tantum in compenſationem lucrorum dependentèr ab eadem ſocietate acquiſitorum, & per eundem Zoilum conſumptorum, ſed non poteſt fieri compenſatio eorum, quæ debentur ex fructibus ſocietatis, & intelliguntur conſumpta per partem càpitalis pertinentis ad eundem Zoilum, quandòquidem pars illa capitalis, quoadvſque remanet ſub illa ratione, cum pertineat ad eundem Zoilum, ſemper remanet hypothecata verſus creditores anteriores. Sed contra, quià ex eo, quod collata fuerint in ſocie-

tatem

tatem ſpeciali quodam iure facta ſunt communia vtrique ſocio, ac proindè aliqua ratione ſegregata à cæteris bonis ſocij conſerentis, & quodamodò obligata ſocijs adinuicem in vtilitatem talis contractus, & ſecuritatem, vndè ſi ex culpa alicuius ex ſocijs aliquid damni, vel in bonis ſocietatis, vel lucris eiuſdem obuenerit ſpecialiori iure ſocius habet rationem in talibus bonis collatis, vt compenſetur, cum non debeat aliundè inquirere compenſationem, quam in bonis, quæ habet ſibi ex vi contractus quodamodò ſubiecta, ſicque ſocius, qui lucra ſocietatis in propria commoda conſumpſit, non aſſignat ipſe partem capitalis, quæ ad ſe pertinet in compenſationem, ſed aſſignatur ex natura ſua, & ex conditione contractus, iuxtà diſpoſitionem iuris, ſecundum quam contracto hinc indè inter duos debito, & credito fit inter eoſdem immediatè compenſatio ſine hominis miniſterio *l. verum l. ambo ff. de compenſationibus l. ſi conſtat, & l. fin. C. eod. tit. & §. in bona fidei Inſtit. de actionibus*; compenſatio autem excellit quamcunque obligationem præcedentem etiam cum hypotheca *Tynd. tract. de compenſat. part. 1. art. 6. num. 47. & 51. & ſeqq. tom. 6. part. 2. fol. 253. Scaccia de commert. §. 2. gloſ. 5. num. 424.*

Ex eo, quod ſine tradita in ſocietatem ſunt ſegregata à cæteris bonis.

Compenſatio excellit, quamcumque obligationem præcedentem.

Probatur ſecundò, ſi creditor ex cambio conſequatur aliqua bona ſui debitoris poteſt in illis compenſari etiam cum excluſione aliorum creditorum anteriorum, & hypothecariorum per ea, quæ latè diximus, & probauimus *tom. 2. ſub tit. Contractus V. de Cambijs 2. Diſquiſ. 3. §. 13. num. 2. & ſeqq.* quandòquidem illa actualis compenſatio perindè eſt, ac ſi eſſet formalis, & actualis ſolutio *Pariſienſis conſ. 69. ſi iuris num. 7. Flaminius Cartar. deciſ. 19. pulchrum num. 7.* ergo etiam ſi ſocius ex vi ſocietatis ſit creditor, & in bonis eiuſdem ſocietatis aliquid poſſit conſequi, poterit etiam in illis compenſari etiam cum excluſione aliorum creditorum, anteriorum, & hypothecariorum.

Paritas à contractu cambij deſumpta.

Pariſienſ. Flamin. Cartar.

5 Reſpondeo tertiò, ſi illa bona fuerint ex lucris conſequentibus ad eandem ſocietatem, & Califronius fuerit creditor ex eadem ſocietate poteſt vtique illa acquirere etiam cum excluſione cæterorum creditorum anteriorum, & hypothecariorum. Eſt communis. Probatur, quià lucra, quæ acquiruntur ex ſocietate ſunt quaſi fructus induſtriales, & ciuiles eiuſdem ſocietatis *§. 2. Inſtit. ſi ſeru. vend. Baldus in addit. ſpecul. de eo qui mit. in poſ. cauſ. rei ſeru. verb. item nota, Florianus in d. §. 2.* ſed fructus induſtriales rei intelliguntur obligati, ſicut res ipſa *l. quamuis ff. quib. mod. pig. tac. contra. l. 2. §. penult. ff. de his, quæ in fraud. cred. Bartolus, & Doctores in l. ſi conuenerit §. ſi nuda ff. de pign. act.* Confirmatur, quia lucra ſocietatis ex ſua natura, & ex diſpoſitione iuris acquiruntur immediatè ipſi ſocietati, ergo ex eiſdem debet prius ſatisfieri ſocietati, iuſque habentibus in ipſa, ac alijs, qui ſunt extrà illam. 6

Baldus. Speculat. Florianus

Fructus induſtriales obligātur ſicut res ipſa.

Bartolus

Reſpondeo quartò, ſi illa bona fuerint dubia ex quonam ſcilicet titulo, ſeù cauſa prouenerint, congruentiùs darem locum præuentioni, adeò vt ſi prius acceperit ſocius creditor excludat creditores alios ex alia cauſa, quantumuis anteriores, ſi verò prius alij creditores acceperint excludant ipſum creditorem ex ſocietate. Conſonat hæc concluſio iuri, & rationi; iuri quidem, quià in pari cauſa, & dubio melior eſt conditio occupantis *l. inter eos ff. de re ind. & l. fin. ff. depoſiti*; rationi autem, quià poſſeſſio confert maius ius reſpectu poſſidentis, & poſſeſſio ex quocunque iuſto titulo legitimè acquiritur, ergo ſi quis per præuentionem poſſeſſionem rei acquiſierit in illa re eſt alijs omnibus præferendus. 7

Poſſeſſio cōfert maius ius.

Aduerte hic tamen, quod ſi ex coniecturis, & præſumptionibus fortior aliqua ratio poſſet deduci, vel pro creditore ex ſocietate, vel pro creditoribus ex alia cauſa, ille vtique, ſi cætera ſint paria, eſſet in illis bonis præferendus, ſiquidem cui fortior ratio competit, competit etiam fortius ius. Dixi, *ſi cætera ſint paria*, nam ſi alter poſſeſsionem iam acquiſierit, non debet ex vi præcisè maioris coniecturæ illa priuari, ſiquidem in dubio melior eſt conditio poſsidentis, & ob aliquam congruentiam præcisè non debet priuari iure, quod iam acquiſiuit, niſi illa coniectura ità eſſet adminiculata, vt induceret prudens iudiciū ad ſuadendum ius alterius &c.

Si tamen cætera ſint paria.

Reſpondeo quintò, ſi bona illa fuerint 8
Zoili ex alia cauſa à ſocietate, ſiuè antecedentèr ad eandem, ſiuè ſubſequentèr, ſi per neutrum fuerint talia bona acquiſita præferendi ſunt creditores ipſi Califronio creditori ex cauſa ſocietatis, ſi verò iam fuerint acquiſita per Califronium, & fuerint bona mobilia vſu conſumptibilia ipſe præferendus eſt cum excluſione aliorum, ſecus ſi fuerint bona immobilia. Eſt conformis quoad omnia iuribus, & alijs a nobis alibi ſparſim dictis.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià qui potior eſt tempore cęteris paribus potior eſt iure *cap. qui prior de reg. iuris in 6. l. quoties ff. de rei vendicat.* per ea, quæ latè à nobis dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. Prænot. 11. num. 1. & ſeqq.* ergo ſi plures ſint creditores eiuſdem debitoris, & res ipſius debitoris debeant diſtrahi, creditores anteriores ex illis bonis iure ſic diſponente, & ratione

Prioritas temporis tribuit potius ius.

ſatisfieri prius debent, quam cæteri, qui ſunt creditores tempore poſteriores, ergo etiam in hypotheſi noſtræ reſponſionis.

Ratio ſecundæ partis deducitur ex ſuperius dictis, quia quotieſcunque bona mobilia, quæ vſu conſumuntur, intelliguntur diſtracta, vel titulo emptionis, vel ſolutionis, vel alicuius alterius contractus, per quem transferatur dominium eximuntur ab onere hypothecæ, nec per creditorem anteriorem ſunt reuocabilia; quis enim diceret, quod ſi quis mihi debitor ſatisfaceret in pecunia numerata pro iure, quod aduerſus ipſum habebam, poſſit alius creditor anterior id, quod mihi in ſolutum datum eſt reuocare? Certe corruerent humana commertia, & mercatores in ſuis negotiationibus facile deciperentur, ſi ſolutiones ipſis factæ à ſuis debitoribus poſſent per creditores anteriores reuocari.

Per conſumptionem moralem deſinunt eſſe ſub hypotheca

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quod ſupra ſparſim dictum eſt, quia rebus immobilibus, vſuque non conſumptibilibus, quæ eiſdem annexa ſupponitur hypotheca, ſemper ineſt, nec vnquam diſſoluitur, niſi per ſolutionem debiti, vel per mutuum contrahentium conſenſum, ergo quocunque res illæ tranſeunt, ſemper tranſeunt cum illo onere hypothecæ, adeòque ratione illius poterunt à quibuſcunque manibus per habentem hypothecam in illis vindicari.

Hypotheca rebus immobilibus ſemper ineſt.

Quod ſi ſupponas creditores alios eſſe quidem anteriores, non tamen habere in bonis debitoris aliquam hypothecam; tunc etiam diſtinguendum eſt; vel enim res illæ ſunt alicui ex creditoribus traditæ, vel nulli ſunt traditæ; ſi nulli; certum eſt, quod debeantur anterioribus propter regulam generalem. Qui prior eſt tempore, potior eſt iure, ſi traditæ alicui puta creditori poſteriori ex titulo ſocietatis, tunc abſolutè crederem per creditorem anteriorem ab eo non poſſe reuocari per ea, quæ fusè tradidimus *tom. primo ſub tit. Contractus II. de emptione, & venditione Prænot. 11. num. 3. verſ. probatur ſecunda pars*; nam dominia rerum per traditionem transferuntur, Recole, quæ ibi dicta ſunt.

---

§. XIX.

An ſocietas coita cum filio familias duret poſt emancipationem eiuſdem, & quænam actiones ex ipſa proueniant.

SVMMARIVM.

Exponitur titulus in caſu particulari 1.

Si poſt emancipationem duratum ſit in ſocietate durat 2.

Ex eadem duæ competunt actiones, altera contra Patrem ante emancipationem, altera contra filium ſine Patre poſt eandem. Ibid.

Nec eſt noua ſocietas, ſed eadem. Ibid.

Si poſt emancipationem tempus diſſolutionis non aduenerit, vterque perſeuerare cogitur, ſecus ſi aduenerit 3.

Non datur actio contrà Patrem ante emancipationem, quandò ſocietas contracta eſt in bonis caſtrenſibus, vel quaſi 4.

Diſquiſitio XIX. Contracta ſocietate inter Caium, & Liuium filium familias cum omnibus conditionibus, quæ ad ipſius validitatem requiruntur, Liuius emancipatus eſt a Patre, antequam dies aduenerit diſſolutionis contractus. Controuerſum fuit, an per ipſam emancipationem diſſoluta fuerit eadem ſocietas, & quamuis idem Liuius perſeuerauerit in eadem communione bonorum cum Caio, intelligatur eadem ſocietas continuata, an noua contracta per conſenſum ſaltem implicitum, qui arguatur ex perſeuerantia in eadem communione bonorum, & lucrorum. Rurſus quænam actiones intelligantur competere Caio poſt talem emancipationem. 1

Senſus tituli propoſiti.

Hæc controuerſia diſſoluta remanet *in l. ſed id, quod quis §. ſi filius familias ff. pro ſocio*, vbi concluſum remanet, ſi poſt emancipationem duratum ſit, eandem ſocietatem durare, prout ſcribit *Iulianus lib. 14. ff.* atque ex ea duas actiones pro ſocio competere Caio, alteram aduerſus Patrem cum filio pro tempore ante emancipationem, alteram aduerſus filium ſine Patre poſt diem talis emancipationis. Ab hoc iure minimè recedendum eſt, vt potè quod naturali rationi, & iuri innititur, & quidem, quod ſit eadem ſocietas non noua facile ex eo euincitur, quod nulla intelligitur in eo contractu interuenire actio, per quam fiat nouatio prioris; non, noua perſona, quandòquidem contractus fuit initus inter dictum Liuium, & Caium, atque inter eoſdem etiam perſeuerat, & licet in celebratione interuenerit conſenſus Patris, qui ceſſat poſt emancipationem, non propterea ceſſat eadem ſocietas, quandòquidem conſenſus Patris interceſſit ſolummodò ad validandum conſenſum filij ex diſpoſitione iuris; cæterum ipſe contractus fuit in perſona filij; non noua obligatio, quandòquidem perſeuerant eadem onera, eędemque conditiones, ergo ex nullo capite eſt, cur dici debeat facta nouatio. Quod autem duæ dentur actiones Caio; altera aduerſus Patrem cum filio, altera aduer-

Iulianus 2

Duret ſocietas, & duæ competunt actiones.

Nulla eſt nouatio, & euincitur.

aduerſus filium ſine Patre, facile ex eo euincitur, quod cum ante emancipationem filius fuerit ſub poteſtate Patris, bonorumque omnium adminiſtratio pro eo tempore ad ipſum Patrem pertinuerit, actiones filij eidem quodamodò imputantur, & ſicuti quidquid in eo ſtatu acquirit filius, acquirit Patri, ita a contrario ſenſu quidquid deperdit in negotiationibus, quas obit ex conſenſu Patris, eidem deperdere dicendus eſt. Ex quibus ex contrario ſenſu fas erit deducere, quod, cum poſt emancipationem filius non ſit amplius ſub poteſtate Patris, & adminiſtratio ad ipſum filium plenè pertineat, actiones eiuſdem ſibi ipſi imputantur, non Patri, adeòque, ſicuti in eo ſtatu omnia ſibi acquirit, ità quidquid deperdit, ſibi deperdit, ſicque in primo caſu actio Caio competit contrà vtrumque, in ſecundo verò ſolum contrà Filium.

Ratio, cur ante emãcipationē detur actio aduerſus Patrē.

Ratio, cur non detur cōtrà Patrem poſt emancipacipationē.

Neque aduerſari poteſt exceptio, quam poſſet allegare Caius etiam aduerſus Patrem poſt emancipationem Liuij, quod ſcilicet inita fuerit ſocietas concurrente etiam Patre, adeòque quod perſeueret etiam cum onere eiuſdem, & ſic quod etiam ſibi competat actio aduerſus eundem Patrem; non, inquam, aduerſari poteſt, quia ſocietas eſt quidem inita concurrente, & conſentiente Patre, ſed in terminis habilibus ſecundum diſpoſitionem iuris, vbi aliud expreſſum non eſt; Iuxta terminos habiles autem ſecundum diſpoſitionem iuris contrahitur ſocietas cum filio familias hoc pacto, vt exiſtente eodem ſub poteſtate Patris obligetur cum ipſo & idem Pater, ſi conſenſum præſtiterit, exempto verò eodem a poteſtate Patris, eximatur & Pater ab obligatione, & ſolus filius eidem obligationi ſubijciatur.

Excluditur exceptio aduerſantis.

Hic duplex ſuboritur difficultas. Altera, an contracta tali ſocietate modo, quo ſupra, obligetur poſt emancipationem vterque contrahens ad perſeuerandum in eadem, ſi tempus diſſolutionis nondum aduenerit. Altera, an ſi contracta fuerit ſocietas in ordine ad bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia filij, intelligatur & Pater obligatus cum filio ante emancipationem eiuſdem.

Duplex difficultas hinc conſurgens.

3 Ad primam reſpondendum eſt cum diſtinctione, vel enim immediatè ante emancipationem incæpta eſt negotiatio, ad quam ordinetur ipſa ſocietas, & nondum præfecta, vel iam perfecta eſt, & conſummata, ita tamen, vt poſſet alia incipi, & deberet incipi, ſi non poſita eſſet emancipatio, cum nondum aduenerit dies diſſolutionis contractus. Iuxta primum ſenſum dicendum eſt vtrumque teneri ad perſeuerandum in eadem iuxtà ſuperius dicta *ſub hoc eodem titulo Contractus VII. Diſq. I. §. V. verſ. dixi regularitèr loquendo* iuxtà textum *in l. nam, & Seruius §. ſi vino ff. de negot. geſt. l. nemo* t. *& ſeqq. l. hæres ſocij l. verum §. in hæredem, & l. actione §. morte ff. pro ſocio*, & quidem non incongrua ratione, nam ſi ante mortem alicuius ex ſocijs, incæpta erat ſocietas, nec tamen perfecta quoad negotiationem, hæres loco defuncti tenetur continuare, & perficere eo modo, quo teneretur ipſe ſocius per ea, quæ loco citato fuerunt probata, a fortiori videtur teneri ad continuandam ſocius cum filio familias ſocietatem poſt emancipationem, quæ incæpta fuit, & non perfecta ante emancipationem; ex vi etenim incæptionis ius habent, vt perficiatur. Iuxtà ſecundum ſenſum arbitror non teneri filium familias ad continuandum, ſi velit alter continuare, nec viceverſa. Rationem huius aſſerti colligo *ex d. l. ſed id, quod quis §. ſi filius familias ff. pro ſocio*, vbi dicitur, *ſi forte poſt emancipationem duratum eſt*, ergo textus ſupponit, quod non teneatur continuare, quandòquidem fruſtrà dictum eſſet, *ſi forte duratum eſt*, ſi non potuiſſent non durare. Vlterius ibi dicitur, quod ſit eadem ſocietas, ſi poſt emancipationem fuerit in eadem duratum, ergo, ſi non fuerit in eadem duratum, non erit amplius eadem ſocietas, ergo cum non teneantur nouam ſocietatem inire, nec ex natura contractus, nec ex vi alicuius conuentionis, poterunt contrahentes abſolutè deſiſtere non ſolum per mutuum conſenſum vtriuſque, ſed duntaxat vno volente, quantumvis alter reſiſtat.

Capta debet perſeuerare.

Poſt tempus nõ tenetur perſeuerare.

Ad ſecundam dicendum eſt, quod, ſi inita fuerit ſocietas cum filio familias quoad bona ipſius caſtrenſia, ſeù quaſi caſtrenſia, & ex alio capite idem filius familias fuerit capax ad contrahendum, tunc Pater etiam ante emancipationem non intelligatur ſimul obligatus cum eodem filio pro tali ſocietate, & proindè, quod alius ſocius non habeat aliquam actionem aduerſus eundem Patrem, ſed tantum aduerſus filium eo modo, quo habet poſt emancipationem in ſocietate aliorum bonorum à caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus. Facile deducitur hoc aſſertum ex eo, quod in ordine ad bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia Pater nec habet dominium, nec adminiſtrationem, ergo non eſt, cur ex illis obligetur. Confirmatur, quià filius in ordine ad bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia eſt omninò ſui iuris, ac perindè, ac ſi eſſet emancipatus a Patre, ſed quandò eſt emancipatus a Patre ex ſuperius dictis nulla datur actio aduerſus eundem Patrem, ergo neque quoad ſocietatem initam in bonis 4

Non datur actio cōtrà Patrē, quando ſocietas eſt quoad caſtrenſia bona.

bonis caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus eiuſdem filij.

---

§. XX.

An ſocius omnium bonorum damnatus ob iniuriarum actionem communicet damna ſocietati.

SVMMARIVM.

Refertur, in quo conſiſtat difficultas 1.
Si ſocius paſſus fuerit iniuriam in iudicio, cum adeſſet, communicat damna ſocietati 2.
Secus, ſi cum abeſſet ex ſua culpa. Ibid.
Ratio, cur præſens conferat, non abſens 3.
Excipe tamen, niſi fuerit abſens ex cauſa ſocietatis 4.
Si æquè in iudicio paſſus fuiſſet iniuriarum actionem abſens, ac præſens, adhuc non poſſet communicare in foro externo, bene tamen in interno 5.

1 DIſquiſitio XX. Cum contraxiſſent inter ſe ſocietatem omnium bonorum Sempronius, & Theodoricus, vi cuius ex ſuperius dictis conferre tenentur omnia ſua bona, quinimmò etiam ea, quæ quiſque ex illis, vel ob iniuriam ſibi factam, vel ex l. Aquilia ſiuè ipſius, ſiuè filij corpori nocitum ſit, acquiſierit; vt definitum legitur *in l. ſi fratres §. ſocium vniuerſa ff. pro ſocio*, cumque Sempronius ob iniuriarum actionem in iudicio damnum aliquod paſſus fuerit, controuerſum fuit, an illud damnum eſſet in ſocietate conferendum, an verò de proprio ipſius Sempronij ſoluendum?

Facti ſpecies in particulari.

Textus *in d. l. ſi fratres §. ſocium vniuerſa ff. pro ſocio*, in ea hypotheſi diſtinguit; vel enim Sempronius paſſus eſt illud damnum, cum in iudicio non adeſſet, vel præſens illud paſſus eſt. In primo ſenſu concludit, non debere eum de communi id conſequi; in ſecundo verò ſtatuit id de communi farciendum eſſe.

2 Accepto textus deciſionem, ſed quià Theologo non ſat eſt in ſuperficie verborum ſiſtere, & acquieſcere verbis, vt moris eſt modernorum iuriſtarum, niſi etiam medullitus rationem inueſtiget ſciens reddere cauſam ſui ſciti, ideò ſiſto in inquirenda ratione, cur abſens ſocius ex vi talis textus damnum patiens ex iniuriarum actione in iudicio non conferat damnum illud in ſocietatem, conferat autem, ſi ſit præſens. Gloſa *in d. l. ſi fratres in fin.* ex abſentia infert culpam in ipſo ſocio damnato, & cum in *eadem l. ſi fratres §. ſocium vniuerſa*
3 ſocius quantumuis omnium bonorum non conferat damna ex maleficio proprio, ſed tantum, quæ ex Iudicis iniuria ipſi proueniunt, ideò deducit ex tali culpa abſentiæ, tanquam ex maleficio proprio onus in eodem damnato ſoluendi ex ſuo, non autem conſequendi ex communi, vt præſtet, nec certè incongruè hoc ſtatuit, quia talis abſentia, cum ipſe adeſſe deberet, computatur pro culpa, quæ propterea cum perſonalis ſit, non eſt, niſi eidem abſenti imputabilis, adeòque &c.

Gloſa.

Abſentia computatur pro culpa.

Hic tamen nonnullæ ſuboriuntur difficultates, ſeù potius exceptiones, quæ non modicum conferre poſſunt ad huius textus elucidationem. Prima eſt, an ſi ſocius, qui damnatus fuit in iudicio iniuriarum actione per Iudicem, fuerit abſens ex cauſa ſocietatis excipiatur à diſpoſitione talis iuris, quatenus non teneatur de ſuo, ſed de communi ſocietatis conferre. Crediderim ab- 4
ſolutè in tali hypotheſi damnum illud farciendum eſſe ex communi ſocietatis, quod comprobari poteſt paritate omnium damnorum, quæ proueniunt cauſa ſocietatis, vt videre eſt in ſumptibus maioribus, qui ſiunt ex profectione alicuius ex ſocijs ad negotia eiuſdem per dicta *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. de ſocietate Pranot.* 13. *nu.* 4. iuxta textum *in d. l. ſi fratres §. ſi quis profectus ff. pro ſocio*, & vlterius ex generali regula, quod alicuius cauſa natum eſt, ipſi eſt imputandum, ergo cum illa damna ex abſentia proueniant ex cauſa ſocietatis, eidem ſocietati ſunt imputanda, adeòque ex bonis illius farcienda. Aduerte tamen, quod ſi ipſe ſocius abſens potuiſſet commodè per alium ſibi ſubſtitutum adeſſe, illaque damna reparare, & non reparaſſet, tunc non eximeretur ab onere ſolutionis illorum ex ſuo, & ratio deducitur ex ſuperius dictis, nam ſocius tenetur ſocio de culpa etiam leui per ea, quæ dicta fuetunt *ſub hoc eodem tit. Pranot.* 4. *num.* 3. iuxtà textum *in l. ſi vt certo ſcilicet ff. pro ſocio*, ſed ſi non reparaſſet, cum commodè reparare potuiſſet per ſubſtitutum culpam ſaltem leuem commiſiſſet, quandòquidem id non præſtitiſſet, quod in rebus ſuis alius quantumuis non diligentiſſimus peregiſſet, ergo &c.

Excipiendus eſt ocius abſentia ob cauſam ſocietatis.

Dummodò non potuerit per alium adeſſe.

Secunda difficultas eſt, an ſi abſens ex iniuriarum actione æquè paſſus fuiſſet illa damna ſiuè abſens fuiſſet, ſiuè præſens, adhuc teneatur ex ſuo perſoluere. Crediderim in foro externo adhuc teneri de ſuo ſoluere, non ſic in interno. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod textus abſolutè loquitur, nec aliquo modo reſtringit, quinimmò ex abſentia ſemper ſupponit culpam, niſi talis abſentia legitima, & rationabili cauſa excuſetur etiam in foro externo, ergo cum ſocius teneretur ex ſuo ſoluere pro damnis ex culpa propria prouenientibus

Ex abſentia ſemper ſupponitur culpa.

5 tibus, ex præſumptione iuris in hac hypotheſi etiam ſoluere tenetur, quandoquidem in eodem foro externo cauſa poſita eſt, ex qua arguitur talis culpa. Ratio ſecundæ partis eſt, quia forum internum non innititur præſumptionibus, cum forum conſcientiæ, & iudicium internum idem ſit, quod iudicium diuinum, quod innititur veritati ſimplicitèr, & ſecundum ſe *D. Thomas prima ſecunda quaſt. 96. art. 4. in 1. arg. Barboſa in axiomat. iuris verb. conſcientia*, ergo cum ſecundum ſe illud damnum æquè proueniſſet, ſiuè ille ſocius fuiſſet præſens, ſiuè abſens, non poteſt dici, quod prouenerit ex abſentia, adeòque in foro interno non eſt imputanda eidem abſenti, cum forum internum reſpiciat cauſas ſecundum ſe, non ſecundum quod apparent.

[D. Thomas. Barboſa.]

Dices ſocium illum abſentem non obligari ad ſoluendum ex ſuo ex eo, quod fuerit damnatus per Iudicem, nam vt rectè dicitur in probatione, æquè damnatus fuiſſet etiam, ſi fuiſſet præſens, ſed in pœnam abſentiæ, quam non reſpicit forum internum conſcientiæ, nec eximit ab illa, quandò re vera talis abſentia interceſſit. Sed contrà, quia per externum illa abſentia punitur, & intuitu ipſius obligantur abſentes ad ſoluendum ex ſuo, quatenus illa ſupponitur quodamodò cauſa talis damnationis, quod facile ex eo euincitur, quod ſi fuerit præſens, & nihilominus ſequatur damnatio, ipſe præſens non punitur, ergo, cum re vera illa abſentia ſecundum ſe non fuerit cauſa, in foro conſcientiæ, quod reſpicit rem ſecundum ſe, non ſecundum præſumptiones, non remanebit obligatus &c.

[*Inſtantia, eiuſque ſolutio.*]

---

§. XXI.

Cur ſocius conferat acquiſita per iniuriarum actionem in perſona propria, & non conferat deperdita ex proprio maleficio.

SVMMARIVM.

Series in caſu particulari 1.
Iura euincentia id, quod proponitur. Ibid.
Ratio dubitandi 2.
Iuſtum eſt, vt ſocius conferat bona, quæ ex paſſiua iniuria conſequitur, non damna, quorum eſt cauſa actiua 3.
Aſſignatur prima ratio talis diſpoſitionis 4.
Secunda ratio formalis talis diſpoſitionis 5.

1 Diſquiſitio XXI. Paſſus fuerat Caius, qui erat ſocius omnium bonorum cum Theodorico, iniuriam aliquam à tertia quadam perſona, vel damnum aliquod proprio, vel filij corpori ex leg. Aquilia, & ex tali iniuria, ſeù læſione conſecutus eſt aliqua bona, vel Iudicis miniſterio, vel alio modo. Dicitur *in l. ſi fratres §. ſocium vniuerſa ff. pro ſocio*, quod talia bona teneatur in ſocietatem conferre. Rurſus ob iniuriarum actionem idem Caius ex proprio maleficio damnum paſſus eſt in bonis, *& in eadem l. ſi fratres §. ſocium vniuerſa* dicitur, quod damnum illud non poteſt ſocietati conferre. Quæritur modo quænam ſit ratio formalis talis diſpoſitionis?

Secundum æquitatis ordinem, ſecundum quem lucra, & damna debent æqualitèr in ſocietatem omnium bonorum communicari, videtur abſolutè dicendum, textum illum nullo æquitatis fundamento inniti, quandòquidem ſi bona, quæ ex læſione paſſiua, conſequuntur, ſunt ex iuris diſpoſitione communicanda, cur damna, quę ex lęſione actiua procedunt non erunt conferenda? Certè vtraque non ſupponuntur eſſe ex cauſa ſocietatis, & ſic debere vtraque æquali paſſu procedere, vel vtraque ſcilicet communicanda, vel neutra. Nihilominus 2

[*Ratio dubitandi ex recto iuris ordine.*]

Reſpondeo, & textum illum rationabili inniti fundamento, & legitimam ſubeſſe in tali iuris diſpoſitione cauſam diſparitatis. 3

Probatur primò, rationabile non eſt, vt quis damnum ſubeat ex alterius culpa, & maleficio, quantumvis ratione alicuius contractus cum illo habeat communionem in rebus, quandò talis contractus cauſam non dedit maleficio, cum culpa vnius nequeat alteri innocenti obeſſe, & qui damnum dat, teneatur illud reparare, ergo textus ille eſt conformis naturali æquitati, & rationis præſidio. Rurſus in ſocietate omnium bonorum omnia bona ex iuſta cauſa acquiſita ſunt conferenda, ſed quæ acquiruntur ex iniuria, & læſione in proprio corpore, ſeù corpore filij ex iuſta cauſa acquiruntur, ergo ſunt in ſocietate conferenda. Quod ſi dixeris etiam compenſationem, quæ fit ex cauſa maleficij prouenire ex iuſta cauſa, quandòquidem iuſtum eſt, vt pro delicto luantur congruæ pœnæ, ſtatim impugnaberis, quià iuſtum quidem eſt, vt pro culpa luantur pœnæ, non tamen ex bonis alterius, qui non communicat in tali culpa, ſed dumtaxat delinquentis. Quod ſi vlterius repetas, quod etiam vnus ſocius non communicat in læſione, quæ fit alteri ſocio, & tamen bona, quæ ex tali læſione acquiruntur ex vi ſocietatis generalis participat; ergo etiam quamuis non communicet in culpa alterius, damna tamen, quæ ex tali culpa proueniunt, debet etiam participare; adhuc repulſam recipies, quia ex vi generalis ſocietatis habet 4

[*Primaria ratio talis diſpoſitionis.*]

qui-

Digitized by Google

quidem ius ad omnia bona prouenientia ex iuſta cauſa ab alio quocunque, non tamen habet onus ad quæcunque damna procedentia ex iniuſta cauſa ex parte alterius ſocij delinquentis, nec culpa aliorum, qui ſunt extra ſocietatem poteſt obeſſe iuribus ſociorum, culpa autem vnius ex ſocijs poteſt eidem obeſſe, non alteri; cæteroqui eſſet in poteſtate cuilibet ſociorum alterum damnificandi.

Culpa ſociorum nõ poteſt innocenti obeſſe.

5 Probatur ſecundò, aſſignando ſpecialem diſparitatem inter vtrumque caſum ſic; damnum, quod prouenit ex maleficio ſocij delinquentis procedit omninò ex voluntate eiuſdem, quod propterea omittendo delictum potuerat euitare, lucrum quod prouenit ex læſione per alterum ipſi facta non prouenit ex voluntate propria, ſed ex delicto alterius ipſum lædentis, quod propterea ipſo non concurrente æquè ipſi, ac alteri ſocio poterat contingere, ergo non incongrua ratione illud non eſt conferendum, illud verò ſic. Conſequentia probatur, quia damna prouenientia ex vnius voluntate non debent alteri non conſentienti imputari, bona verò quantumuis procedentia ex quocunque titulo, ſiuè propria voluntate concurrente, ſiuè ex alia cauſa extrinſeca ex vi conuentionis inter ſocios generalitèr factæ non eſt, cur non debeant conferri, cum in ordine ad hæc non ſolum præſumatur inter ſocios implicitus conſenſus, ſed etiam extet expreſſa conuentio, in ordine verò ad illa, nec ſit conuentio, nec præſumatur implicitus contrahentium conſenſus. Confirmatur, quia ſocius ex vi conuentionis, & ex natura contractus ſocietatis tenetur ad reparationem damnorum, quantumuis hæc proueniant ex culpa duntaxat leui per ea, quæ dicta ſunt ſuperiùs, ergo a fortiori tenebitur ad reparationem damnorum prouenientium ex maleficio proprio. Quamobrem, vno verbo, diſcrimen inter vtrumque caſum propoſitum ſtat in hoc, quod omnia bona ex quacunque cauſa iuſta prouenientia ſunt conferenda ex vi conuentionis, & ex vi eiuſdem ſocietatis omnium bonorum, damna autem ex vnius culpa non ſint communicanda, quia nec eſt conſenſus, nec præſumptio conſenſus, ſed potius excluſio eiuſdem, & maleficium vnius nequit alteri nocere.

Læſio accidens proueniat ex voluntate lædentis, non ſic paſſiua.

Non eſt præſũptio cõſenſus, ſed potius excluſio.

§. XXII.

An poſſit fieri compenſatio negligentiæ in quibuſdam per maiorem diligentiam in alijs.

SVMMARIVM.

Fit comparatio in caſu particulari negligentia cum maiori diligentia 1.
Ratio probans fieri talem compenſationem 2.
Non ſit propriè talis compenſatio 3.
Reſpondetur rationi in principio propoſita 4.

DIſquiſitio XXII. Titius ſocius cum Fabio, & negotiator ex vi ſocietatis cum eodem contractæ defectu diligentiæ, quam ex vi proprij muneris adhibere tenebatur in aliquibus damnum intulit circà bona ſocietatis, in alijs tamen maiorem diligentiam adhibuit, ac adhibere tenebatur, vi cuius lucra maiora conſecutus eſt. Adueniente tempore diſſolutionis contractus Fabius contendebat damna illata ex negligentia, ſeù culpa leui Titij imputanda eſſe eidem Titio, & non conferenda in ſocietatem iuxtà dicta ſuperius *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Prænot.* 4. ſecundum quæ probatum remanet ſocium teneri de culpa etiam leui; ex aduerſo excipiebat Titius, quod quantumuis ex propria negligentia præiudicium aliquod intulerit ſocietati, non propterea teneatur ex proprio compenſare, quia in alijs maiorem vtilitatem intulit per maiorem diligentiam, quam adhibere non tenebatur, vndè ſit compenſatio illius modicæ diligentiæ, ſeù aliqualis negligentiæ cum exceſſu illo maioris diligentiæ. Quæritur iam hic, cuiuſnam iura ſint potiora, & an ſubſiſtere poſſit illa compenſatio. 1

Comparatio negligentiæ cum maiori diligentia.

Videtur in hac hypotheſi de iure fieri compenſatio, quia ſi in vno per negligentiam deliquit Titius, in altero per ſuperexcedentem diligentiam exceſſit, & ſic negligentiæ diligentia ſuppleuit, vtraque enim eſt liquida, & ſi Titius eſt debitor ex negligentia, eſt ſimul creditor ex exuberantia diligentiæ, quam præſtare non tenebatur; concurrente autem debito, & credito in eadem perſona ipſo iure ſit compenſatio ſine vllo hominis miniſterio *l. verum, & l. ſi ambo ff. de compenſationibus* per ea, quæ latè nos diximus *tom. 2. ſub tit. Contractus V. de Cambijs 2. Diſquiſ. 3. §. 13. nu. 2. verſ. probatur ſecundò*. Nihilominus 2

Ratio pro tali compenſatione.

Reſpondeo in hypotheſi, de qua hic loquimur, non fieri talem compenſationem *Baldus in l. non ob eam rem, & ibi Gloſa ff. pro* 3

Baldus. Gloſa.

Gregor. Lopez. Molina. Reginaldus. Ognate.

ſocio, *Gregorius Lopez l. 7. tit. 10. part. 5. Molina diſp. 413. Reginaldus lib. 25. cap. 27. num. 374. Ognate tract. 28. de ſocietate diſp. 99. ſect. 4. num. 84.* Colligitur potiſſimum *ex l. non ob eam rem ff. pro ſocio*, vbi ſic legitur. *Minus ad periculum ſocij pertinet, quod negligentia eius periſſet, quod in plerisque alijs induſtria eius ſocietas aucta fuiſſet*, quod idem, & clarius repetitur *in l. & ideò ſi ſocius*, quæ eſt immediatè ſequens. Ibi *& ideò ſi ſocius, quadam negligentèr egiſſet, in plerisque autem ſocietatem auxiſſet, non compenſatur compendium cum negligentia*; Neque aduerſari poteſt huiuſmodi textibus textus *in l. ſi negotia ff. de negot. geſtis*, vbi ſic legitur. *Quod ſi in quibuſdam lucrum factum fuerit, & in quibuſdam damnum abſens compenſare lucrum cum damno debet* non, inquam aduerſari poteſt, quia, vt benè notat *Gloſa in d. l. ſi negotia verbo lucrum*, hæc diſpoſitio non habet locum in ſocietate, ibi enim lucro ſtudere neceſſe eſt, ſicque non valet argumentum à negotijs geſtis ad ſocietatem; ſed adhuc remanet inquirendam, cur in negotijs geſtis damnum cum lucro compenſetur, non ſic in ſocietate? Reſpondebit eadem Gloſa hoc ideò prouenire, quia finis ſpecialis ſocietatis eſt lucrum. Ibi *Lucro ſtudere neceſſe eſt*, adeòque quidquid lucri acquiritur eſt ex fine eiuſdem ſocietatis, ſicque ratione ipſius debitum, quod propterea non poteſt venire in compenſationem, finis autem negotiorum geſtorum non ſolum eſt lucrum, ſed negatio etiam damni, adeòque &c. Reſponderi etiam poteſt cum *Gloſa in d. l. ſi negotia ff. de neg. geſt.* dictum textum *in l. ſi negotia ff. de negotijs geſtis* nobis non aduerſari, quandòquidem ibi eſt ſermo in ordine ad diuerſos contractus, & res diuerſas, in quibus propterea fit compenſatio; in textu verò *in l. non ob eam rem ff. pro ſocio* eſt ſermo de eadem negotiatione, & re eiuſdem ſpeciei, in quibus propterea non fit compenſatio, vt confirmat ibi gloſa exemplo inſulæ, cuius vna pars perijt, alia benè vendita eſt, vbi dicitur non compenſari lucrum vnius rei cum damno eiuſdem. Dici tandem poteſt cum Bartolo, prout refert *gloſa in addit. ad d. l. ſi negotia*, quod bene dicatur in caſu negotiorum geſtorum fieri compenſationem lucri cum damno, quandò damnum eſt ex caſu emergente, ſecus verò quandò eſt ex culpa emergente geſtorum, in caſu autem noſtro ſocietatis damnum ſupponitur ex culpa ſocij, non ex caſu emergente, ideò &c.

Non valet argumentum à negotijs geſtis ad ſocietatem

Bartolus.

Probatur iam ratione reſponſio, Maior illa diligentia adhibita in quibuſdam pertinentibus ad eandem ſocietatem, licet non ſit debita ante factum, poſt factum tamen eſt applicata, & debita eidem ſocietati quoad effectum, qui ex illa ſequitur, ergo per illam non poteſt fieri compenſatio negligentiæ præcedentis. Conſequentia probatur, quia non poteſt fieri compenſatio alicuius debiti per id, quod iam ex alio capite eſt deuictum, & obligatum creditori. Antecedens probatur, quia quantumuis ſeruus non ſit obligatus ad diligentiam exactiſſimam in negotijs Domini ſui, non tamen, ſi eam adhibuit, poteſt exigere à Domino compenſationem illius exceſſus diligentiæ, quem adhibere non tenebatur; vndè merito *Sanctiſſimus D. N. Innocentius XI. Pontifex nunc regnans in generali Congregatione Sancta Romana, & vniuerſalis Inquiſitionis habita feria 5. die 2. Martij 1679.* damnauit propoſitionem illam, quæ eſt in ordine trigeſima ſeptima, qua dicitur *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandum operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt.* Addè, quod cum ipſa ſocietas ex genere ſuo ſit ordinata ad lucrum, quidquid lucri ex illa acquiritur, videtur procedere ex natura ſocietatis, adeòque in ſocietate conferendum, ad quod facit textus *in l. de illo ff. pro ſocio*,

Maior illa diligentia poſt factum eſt debita.

Innocentius XI.

Ad id, quod afferebatur ex aduerſa parte, dicendum eſt, quotieſcunque in eadem 4
perſona cohæret creditum, & debitum fieri ipſo iure compenſationem ſine hominis miniſterio, prout ex allegatis iuribus conſtat, in ſuppoſitione autem, in qua verſamur, ex parte ſocij delinquentis interuenit quidem debitum ratione damni prouenientis ex ipſius culpa, non autem creditum, quandòquidem omne id, quod acquiritur, acquiritur ſocietati; eo enim ipſo, quod inita eſt ſocietas, ea ratione ſaltem implicitè intelligitur inita, vt omne lucrum dependentèr ab illa in ſocietatem conferatur.

Satisfit rationi in contrarium.

---

§. XXIII.

An æs alienum in ſocietate contractum debeat ſolui de communi.

SVMMARIVM.

Expoſitio caſus propoſiti 1.

Nonnulla conſiderabilia circa titulum 2.

Si ſocietas fuerit ſingularis, & æs alienum fuerit contractum ex cauſa ſocietatis de communi ſoluendum eſt 3.

Si ſocietas fuerit ſimplex, & æs alienum fuerit contractum ad quæſtum, ſoluendum eſt de communi, ſi fuerit ex cauſa communi, ſecus, ſi fuerit ex cauſa particulari 4.

Si

Si ſocietas fuerit generalis regulariter ſoluendum eſt ex communi 5.

1 DIſquiſitio XXIII. Inita, & durante ſocietate inter Seuium, & Meuium, iſte, qui erat ex eadem ſocietate negotiator contraxit debitum centum aureorum cum tertia quadam perſona. Quæritur iam ex quibus bonis debitum illud ſit perſoluendum? Pro ſolutione

2 Multa ſunt conſideranda circà propoſitam facti ſeriem. Primò, an illa ſocietas fuerit generalis, an ſimplex, an particularis. Secundò, an ante diſſolutionem contractus illud debitum fuerit perſolutum, & quibus bonis, an ſcilicet ex bonis communibus eiuſdem ſocietatis, an verò ex bonis proprijs alicuius ex ſocijs, an verò ante diſſolutionem nundum ſit ſolutum, ſed adhuc in diſſolutione eiuſdem adhuc remaneat. Tertiò, an poſt diſſolutionem eiuſdem adhuc perſeueret debitum, & an ſit præſtita aliqua cautio creditori, & a quonam. Quibus ſuppoſitis

Nonnulla circà propoſitū conſideranda.

3 Reſpondeo primò, ſi ſocietas fuerit ſingularis, & æs alienum fuerit contractum ex cauſa ſocietatis de communi ſoluendum eſt, ſecus ſi fuerit contractum ex cauſa propria eiuſdem Meuij contrahentis. Conſonat hæc reſponſio cum ijs, quæ dicta ſunt ſuperius *ſub hoc eodem tit. Contractus VII. Praenot. 14. nu. 4. & 5. Molina diſp. 418. verſ. quandò aliquis.*

Molina.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod quæ fiunt ex cauſa, & nomine ſocietatis ipſi ſocietati ſunt imputanda *l. qui ex alieno C. ſi quis alteri, vel ſibi Baldus in l. 1. C. eod. Alexander conſ. 36., & ſeqq. part. 4.*, quæ licet primariò intelligantur de lucris acquiſitis ex bonis communibus, prout latè nos deduximus *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. de ſociet. Praenot. 27. aſſert. 6.* nihilominus intelligenda etiam ſunt quoad onera, quæ intuitu, & cauſa eiuſdem ſocietatis conſumata ſunt, vt æqualia ſint commoda, & onera eiuſdem ſocietatis quoad contrahentes, ergo cum illud æs alienum fuerit contractum ex cauſa, & nomine eiuſdem ſocietatis ex bonis eiuſdem ſocietatis eſt diſſoluendum.

Baldus. Alexander.

Vt ſint æqualia commoda, & lucra ſocietatis.

Dices, quamuis illud æs alienum fuerit contractum ex cauſa, & nomine ſocietatis, non fuit tamen contractum conſentiente, & approbante altero ſocio, ergo non eſt eidem imputandum. Sed contra, nam vel illud contractum fuit ex neceſſitate eiuſdem ſocietatis, vel ad melius eſſe eiuſdem, & ex rationabili cauſa, vel dumtaxat ex arbitrio recipientis, & nulla rationabili cauſa ſuadente, ſi primum aſſeratur; iam incongruè non eſſet conſentiens, & irrationabiliter inuitus, quinimmò cum ex dictis *ſub hoc eod. tit. Praenot. 14. num. 5.* ipſe ſocius negotiator, quandò non poteſt ex ſuo, teneatur, ſi commodè poteſt, mutuos accipere ab alio nummos ad neceſſitates eiuſdem ſocietatis, adeò vt, ſi hoc non præſtat, teneatur de leui, ſi indè damna aliqua ſocietati obueniant, quidquid alter non conſentiat, ſi contrahat æs alienum ad hunc finem, iuſtè & licitè contrahit, nec officere poteſt alterius non conſenſus, qui tamen, licet expreſsè non ſi poſitus, debet ſupponi, adeòque &c. Si ſecundum aſſeratur; etiam irrationabilitèr alter ſocius eſſet inuitus; ex quo enim conſenſit in ſocietatem ad commune commodum, & quæſtum, ſupponitur ſaltem implicitè, & virtualiter conſenſiſſe in ea omnia, quæ rationabilia ſunt tali ſocietati, & quæ conferre poſſunt ad maius lucrum, & vberiorem quæſtum; vndè ſicuti ex dictis *dicta Praenot. 14. aſſert. 1. num. 2.* ſi ipſe ſocius negotiator fecerit ex ſuo rationabiles expenſas in commodum, & vtile ſocietatis poteſt eaſdem repetere per ea, quę docent *Nauarrus tit. pro ſocio conſ. 99. Ognate tract. 28. de ſocietate diſp. 99. ſect. 4. num. 61.* ita ſi tales rationabiles expenſas fecerit ex bonis mutuo acceptis in bonum eiuſdem, iuſtè ex bonis eiuſdem poterit ſoluere. Si tertium aſſeratur; tunc diſtinguendum eſt; vel enim contracto ære alieno, alter ſocius, qui non contraxit, expreſsè conſenſit, vel, ſi non expreſsè conſenſit, communicauit in lucro inde acquiſito, vel nec aſſenſum præbuit, nec diſſenſum; ſi præſtitit aſſenſum expreſsè, non eſt, cur poſſit recedere à contributione talis debiti, ex quo enim conſenſit ratam habuit talem contractionem debiti, vt factam nomine communi ſocietatis, rati habitio autem æquiparatur mandato *cap. ratihabitionem de reg. iur. in 6. l. hoc iure §. deiecit ff. de reg. iur. cap. ſi quis de ſent. excommunicationis in 6.*, quod præcipuè verificatur quandò quod geſtum eſt, eſt etiam geſtum nomine ratihabentis *d. c. cum quis de ſent. excommunicationis in 6.* ſi expreſsè conſenſum non præbuit, communicauit tamen in lucro indè acquiſito, etiam clarè liquet, conſenſum implicitè præbuiſſe, quandòquidem qui vult commoda ex aliqua actione ſubire etiam debet incommoda, quæ ex illa proficiſcuntur hoc poſtulante æquitatis ratione, ſecundum quam ex vulgatis iuribus. *Qui ſentit commoda, ſentire debet & incommoda*, & qui vult conſequens, vult & neceſſarium antecedens *l. ad rem ff. de Procurat. l. legatis ff. de aliment. leg.* præcipuè quandò conſequens eſt connexum cum antecedenti; Si verò nec conſenſum præbuit, nec diſſenſum, nec aliquid præſtitit, quod neceſſario connectatur, vel cum aſſenſu, vel cum diſſenſu,

Quoad neceſſaria, & vtilia præſumitur eſſe conſenſus.

Nauarru. Ognate

Ratihabitio æquiparatur mandato.

Qui vult commoda, debet ſubire incommoda.

tunc

Digitized by Google

nunc videtur non teneri alterum ſocium ad conferendum pro ſolutione æris alieni, quandòquidem, nec natura contractus hoc exigit, nec conſenſus ſupponitur ad contrahendum illud, adeòque &c.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia vinculum ſocietatis non obligat ſocios, niſi ad ea, quæ ſunt propria ſocietatis, non autem ad ea, quæ ſunt propria ſingulorum ſociorum ſecundum ſe, vt tales perſonæ ſunt, non formalitèr vt ſocij, ſed quandò vnus ex ſocijs contrahit æs alienum ex cauſa propria, & in ordine ad commodum proprium, non autem ex cauſa ſocietatis contrahit, vt talis perſona eſt, non formalitèr vt ſocius, ergo vinculum ſocietatis non obligat ad illud æs alienum diſſoluendum ex bonis ipſius ſocietatis, neque alios ab ipſo contrahente. Maior patet, quià vinculum ſocietatis particularis extenditur ſolummodò ad ea, quæ veniunt ſub conuentione, nec obligat contrahentes ad non contrahendum alijs contractibus non impoſſibilibus cum tali determinato contractu; tùm quià vinculum ſocietatis non obligat, niſi ad ea, quæ fiunt nomine communi, non autem ad ea, quæ fiunt nomine proprio. Minor etiam euincitur, quià nemo operatur formalitèr, vt ſocius, qui non operatur nomine ſocietatis.

Societas non obligat ſocios, niſi ad ea, quæ ſunt ſocietatis.

4 Reſpondeo ſecundò, ſi ſocietas fuerit ſimplex, & æs alienum fuerit contractum in ordine ad quæſtum ex rationabili cauſa, probabilius ſoluendum eſt ex communi ſocietatis, ſecus autem, ſi non fuerit contractum ad quæſtum, ſed ad commoda peculiaria ipſum contrahentis. Conformis eſt ijs, quæ ſupra dicta ſunt, dum de ſocietate ſimplici. Probatur quoad primam partem, quia ſocietas ſimplex ex genere ſuo extenditur ad ea omnia, quæ durante ſocietate ipſi contrahentes acquirunt ex titulo quocunque oneroſo, & ordinantur ad quæſtum *Molina tract. 2. de iuſt. diſp. 412. verſ. interdum verò Antonius Gomez 2. var. cap. 5. num. 3. Reginaldus lib. 25. cap. 27. num. 377.* ſed illud æs alienum contrahitur titulo oneroſo, & ſupponitur contrahi ad lucrum, ergo ſocietati communicatur, adeòque ex bonis eiuſdem eſt diſſoluendum.

Molina. Antonius Gomez. Reginaldus.

Dices, ea, quæ acquiruntur per ſocios titulo oneroſo, & ordinantur ad quæſtum conferri in ſocietatem, quandò acquiruntur cum pleno iure, ſecus verò quandò contrahuntur ex libertate contrahentis cum onere futuræ reſtitutionis, quandòquidem, cum hæc non ſint abſolutè eiuſdem ſocij acquirentis, non intelliguntur venire ſub communi diſpoſitione ſocietatis ſimplicis. Sed contrà, quia eo ipſo, quod acquiruntur in ordine ad quæſtum, & cum rationabili cauſa, vt ſupponitur in reſponſione, ſupponuntur non irrationabilitèr acquiri, vt conferantur, prout ſuperius etiam in præcedenti reſponſione dicebamus, nec in hoc ſupponendus eſt inuitus alter ſocius, cum ordinetur etiam ad bonum cum ipſo commune, & ad ea, quæ rationabiliter fiunt, præſumitur implicitè præſtare conſenſum.

Supponũtur acquiri, vt conferantur.

Probatur quoad ſecundam partem, quià in ſocietate ſimplici veniunt ea dumtaxat, quæ ordinantur ad quæſtum, non autem ad cauſam propriam alicuius ex ſocijs iuxta textum *in l. cum ff. pro ſocio*, ergo ſi illud æs alienum fuerit contractum ad cauſam propriam ipſius contrahentis, non erit conferendum in ſocietate, nec ex bonis eiuſdem perſoluendum.

Ex paritate ſit deductio

Reſpondeo tertiò, ſi ſocietas fuerit generalis, ſeù bonorum omnium æs alienum regularitèr ſoluendum eſt ex bonis communibus ſocietatis. Colligitur hæc reſponſio ex textu *in l. omne æs alienum ff. pro ſocio* -Ibi- *Omne æs alienum, quod manente ſocietate contractum eſt de communi ſoluendum eſt*, vbi ly *omne* comprehendit quodcunque ex quacunque cauſa, nullumque excludit. Hoc idem colligitur ex ijs, quæ dicta ſunt *ſub hoc eodem tit. Prænot. 25. aſſert. 2. num. 2. & 3.* quæ ibi recole; & quidem congruum eſt, vt ſicuti conferuntur omnia credita, conferantur etiam & omnia debita. 5

Iura omnino contra inteniunm.

Ex his, quæ dicta ſunt in hac reſponſione inferes primò, hoc æs alienum ſoluendum eſſe de communi quantumuis iam diſtracta fuerit ſocietas. Inferes ſecundò, quod ſi æs alienum contractum fuerit ſub conditione, & ſoluta ſocietate extiterit conditio, etiam de communi ſit ſoluendum. Tertiò, quod ſi ab vno ſociorum fuerit ſolutum hoc repeti poſſit a communi pro ſocio. Quartò, ſi contractum fuerit æs alienum ſub conditione, & tempore diſſolutionis contractus nondum conditio extiterit, debeant præſtari cautiones, quod ab ipſis ſocijs ſoluetur adueniente poſteà tali conditione. Hæc omnia colligo ex d. *l. omne æs alienum ff. pro ſocio, & ex gloſ. ibi.*

Nonnulla corrolarea ex dictis inferũtur

DIS-

Digitized by Google

DISQVISITIONES II.

Ab vndecima vſque ad decimam nonam Prænotionem excluſiuè.

§. I.

An coiri poſſit ſocietas inter Patrem, & filium, & ex quibus bonis.

SVMMARIVM.

Secundum duplicem modum coiri poteſt ſocietas inter Patrem, & filium, & quomodo 1.
Societas inita inter Patrem, & filium iuxtà primum modum valida eſt 2.
Societas etiam inita iuxtà ſecundum ſenſum ſubſiſtit, ſi filius negotietur nomine proprio 3.

1 DIſquiſitio. Multis modis contraxerat Sergius Pater cum Euſtachio ſuo filio ſocietatem, ſeù potius varias ſocietates. Primò, per contributionem bonorum æqualibus, vel inæqualibus portionibus cum iure ad proportionatum lucrum, vi cuius Sergius v. g. contulit centum nummos aureos ex bonis proprijs; Euſtachius verò ducentum ex bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, quorum habebat plenum ius non ſolum quoad proprietatem, ſed etiam quoad vſumfructum. Secundò, per contributionem pecuniæ reſpectu Patris ſcilicet Sergij, & per collationem operarum, & induſtriæ reſpectu Euſtachij filij. Tertiò, per æqualem contributionem tùm pecuniarum, tùm operarum, & induſtriæ, Quæritur iam, an huiuſmodi ſocietates ſic initæ in iure ſubſiſtant, & quos pariant effectus.

Exponitur duplex modus ſocietatis.

2 Reſpondeo primò, ſocietas contracta iuxtà primum ſenſum inter Sergium Patrem, & Euſtachium filium in iure ſubſiſtit, & parit effectum, vt lucra, & damna proportionalitèr inter eoſdem communicentur. *Bonacina de contractibus diſput. 3. quæſt. 6. punct. 2. num. 2. Trullench. in expoſitione Decal. lib. 7. cap. 14. dub. 1. num. 7.*, & conſonat etiam cum ijs, quæ nos docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt. & vendit. Prænot. 1. num. 5.* iuxtà mentem *D. Thomæ ſecunda ſecundæ quæſt. 57. art. 4. ad ſecundum, Lugo de iuſt. & iur. diſp. 1. ſect. 1. num. 31.* Ratio ex eo deducitur, quia filius in ordine ad bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia nullo modo communicat cum Patre, ſed in ordine ad ipſa eſt ſui iuris, & comparatur ad Patrem non formalitèr, vt filius, ſed vt alius Reipublicæ Ciuis, ſed inter eos, qui ſuis iuris ſunt poteſt eſſe iuſta, & legitima ſocietas, niſi aliundè eiſdem a iure prohibeatur, ergo inter Patrem, & filium, ſi contrahatur ſocietas in ordine ad ea bona, erit iuſtè, & legitimè contracta. Confirmatur, quia inter Patrem, & Filium in ordine ad huiuſmodi bona poteſt eſſe verus, & legitimus contractus emptionis, & venditionis per ea, quæ nos latè tradidimus *eod. tom. 1. ſub eod. tit. dict. Prænot. 1. num. 5.* nec vllo modo officit tali contractui relatio paternitatis, & filiationis, ergo inter eoſdem poterit etiam eſſe iuſtè, & legitimè contractus ſocietatis.

Bonacina Trullěch. D. Thom. Lugus.

Filius quoad bona caſtrenſia eſt ſui iuris.

Poteſt eſſe inter Patrem, & filium emptio, & venditio.

Ratio autem ſecundæ partis, quod ſcilicet pariat illum effectum communicationis lucrorum ex eo facilè deducitur, quia ex ipſa natura ſocietatis lucra ipſa, quæ ex illa acquiruntur, ſunt communicabilia, vbi ratio aliqua non prohibet communicationem, ergo cum ſocietas ſubſiſtat, nec aliqua in hac hypotheſi ſit ratio prohibens communicationem, non erit, cur huiuſmodi lucra non ſint communicanda: Accedit, quod, ſi ipſa ſocietas in deterius abiret, & bona collata ſine culpa alterius contrahentis abſumerentur, damna eſſent communia tàm Patri, quam filio, ergo & lucra debent eſſe talia; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, obſtare tali lucrorum communicationi ius paternum, ratione cuius quidquid acquirit filius, acquirit Patri *l. placet ff. de acquir. hæred. §. 1. inſtit. per quas perſon. nob. acq.* a quo iure non eximuntur ex eo, quod ſint bona caſtrenſia, quandoquidem lucra ipſa non ſunt caſtrenſia, quamuis ex caſtrenſibus procedant; non, inquam, obeſſe poteſt, quia ius paternum non obſiſtit iuri quoad ea bona, quæ ſunt omninò independentia ab ipſo, cuiuſmodi ſunt bona ipſa caſtrenſia, ſeù quaſi caſtrenſia; ex eo enim, quod filius habeat plenum dominium, & adminiſtrationem quoad ipſa nec quoad ſe, nec quoad eorum fructus ea communicat cum Patre. Deindè id, quod ad aliud conſequitur, imitatur naturam illius; ad quod conſequitur. Cum igitur illa lucra conſequantur ad bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, eadem, ac illa priuilegia, & iura ſortiuntur.

Damna eſſet communia.

Non communicat cum patre quoad bona caſtrēſia.

Reſpondeo ſecundò, ſocietas contracta inter Sergium Patrem, & Euſtachium filium iuxtà ſecundum ſenſum expoſitum in iure poteſt ſubſiſtere, dummodò filius proprio nomine negotietur. Hanc expreſſè ſuſtinet *Bonacina d. diſp. 3. quæſt. 6. punct. 2. num. 3.* à quo expreſſe extraxit *Trullench. d. lib. 7. cap. 14. dub. 1. num. 7.* Ratio eſt, quia huiuſmodi ſocietas hoc pacto inita cum alijs in iure ſubſiſtit per ea, quæ ſupe- 3

Bonacina Trullěch.

rius

riùs dicta ſunt iuxtà textum *in l. cum duobus §. ſi in coeunda ff. pro ſocio*, ergo etiam ſubſiſtere poteſt ſocietas tali pacto inita inter Patrem, & filium. Conſequentia probatur, quia ſi quæ ratio obſtares, cur ſocietas non ſubſiſteret inter Patrem, & filium in eodem genere; in quo cum alijs ſubſiſtit iuxtà ſenſum expoſitum ea eſſet, quia opera, & induſtria filij eſt Patri obligata, nam quidquid per ipſa acquirit, acquirit Patri, ſed hæc ratio non obſtat, ergo &c. Minor probatur, quià quantumuis opera, & induſtria filij ſint ſecundum ſe Patri addicta, ſi tamen fiant proprio nomine filij Patre ità conſentiente, non eſt, cur eidem non debeant computari, qui propterea, ſi ipſa conferat, poteſt ſimul cum Patre in ordine ad lucra negotiationis concurrere; nec incōgruè Pater poteſt ius, quod habet ad operas, & induſtrias filij quodamodò à ſe abdicare ad excitandos ſcilicet alios filios, ne ſegnes ſint, & deſides, vnde merito *in l. cum oportet C. de bonis* ſtatuitur, vt lucrum, quod in tali negotiatione acquiritur per vnum ex filijs in partitione hæreditatis inter ipſos, non conferatur, & hoc ad eum finem ne filij fiant deſides, quod contingeret, ſi plus lucri non poſſent acquirere.

Poteſt Pater ius, quod habet ad operas filij a ſe abdicare.

Bonacina

Monet tamen hic *Bonacina loc. cit. nu. 4. verſ. verumtamen eſt*, quod vſusfructus talis lucri pertinentis quoad ſubſtantiam ad ipſum filium negotiantem ſpectaret ad Patrem quoadvſque ipſe vixerit, nec incongrua ſane ratione, quandòquidem bona, quæ non ſunt caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia filij pertinent ad Patrem ſaltem quoad vſumfructum, vt eſt in confeſſo apud omnes, cum per hoc contradiſtinguantur bona profectitia, & aduentitia a caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus per alibi adnotata.

---

§. II.

An datur exceptio quoad aliquas perſonas à iure ineundæ ſocietatis.

SVMMARIVM.

An Aduocatus pendente lite poſſit ſocietatem contrahere cum cliente, Medicus durante infirmitate cum infirmo; Tutor, & Curator cum pupillo, & minore 1.

Ex præſumptione iuris horum contractus infirmantur 2.

Satisfit rationi afferentium iura extendi ad contractus ſolum, per quos transfertur dominium 3.

Valent, quæ dicta ſunt in foro externo, non in interno 4.

DIſquiſitio II. Pendente lite Aduocatus ſocietatem cum Cliente contraxerat, 1
durante infirmitate Medicus cum infirmo. Perſeuerante tutela, & curatione Tutor, & Curator cum Pupillo, & minore. Quæritur iam, an quoad iſtos omnes ſubſiſtant in iure huiuſmodi contractus ſocietatis, an verò infirmentur.

Reſpondeo ex præſumptione iuris hos 2
omnes contractus infirmari. *Bonacina d. diſp. 3. quæſt. 6. punct. 2. nu. 9.* cui aſſentitur *idem Trullench qui ſupra.* Singulos iam textus enumero, in quibus huiuſmodi diſpoſitiones ex præſumptione innituntur.

Bonacina. Trullench.

Primus quoad Aduocatum in ordine ad clientem excipitur *ex l. quiſquis C. de poſtulando*. Ibi. *Præterea nullum cum eo litigatore contractum, quem in propriam receperit fidem, ineat Aduocatus, nullum conferat pactionem*, vbi Gloſa in verbo contractum rationem talis diſpoſitionis adducit, quia *Cliens omnia daret propter timorem litis, ſicuti infirmus propter timorem mortis daret Medico*. Dixi *pendente lite*, nam non negauerim ante litis conteſtationem inter ipſos iniri poſſe ſocietatem, & etiam poſt litem conſumatam iuxtà textum *in l. 1. §. ſi cui ff. de var., & extr. cog.* nam tunc ceſſarent rationes diſpoſitionis, & præſumptiones iuris.

Aduocatus nequit durante lite cum cliente cōtrahere.

Secundus quoad Medicum in ordine ad infirmum habetur *in l. Medicus de varijs, & extraord. criminibus*. Ibi. *in ciuile factum Præſes Prouinciæ coerceat, remque reſtitui iubeat*, quod etiam notat *Gloſa in d. l. quiſquis verb. contractum C. de poſtulando* cuius diſpoſitionis eadem etiam eſt ratio, quià infirmus non præſumitur omninò liberè, & voluntariè contrahere, ſed inuoluntariè mixtè propter periculum ſcilicet, ne canonicè non curetur in ſua infirmitate.

Nec medicus cum infirmo durante infirmitate.

Tertius in ordine ad pupillum, & minorem cum Tutore, & Curatore habetur *in l. ſi emptione §. fin. ff. de contrah. empt.* vbi ſic legitur *Tutor rem pupilli emere non poteſt idemque porrigendum eſt ad ſimilia ideſt ad Curatores, Procuratores, & qui aliena negotia gerunt*, cuius eadem ratio videtur, quæ militat de prædictis.

Nec tutor, nec curator cū pupillo, & minore.

His omnibus obeſſe poteſt, ſi afferatur 3
ea procedere dumtaxat in ordine ad contractum emptionis, & venditionis, alioſque, quibus transfertur dominium, non autem in ordine ad contractus ſocietatis, in quibus dominium rerum non transfertur, nec poteſt eſſe præſumptio deceptionis. Nihilominus, quamuis allegati textus expreſsè loquantur ſolum de contractibus emptionis & venditionis, tamen ſi finis prohibitionis attentè perpendatur, extenditur etiam ad alios contractus, quandòquidem non ſolum prohibetur contractus emptionis, & venditionis propter periculum

Ex fine etiam iura extenduntur ad ſocietatem.

læſio-

læſionis, ſed etiam, quia non præſumitur conſenſus omninò liber, & voluntarius, ſed inuoluntarius mixtè propter timorem litis, ſi fuerit Cliens in ordine ad Aduocatum, vel propter timorem mortis, ſi fuerit infirmus in ordine ad Medicum, vel propter reuerentialem metum, ſi fuerit pupillus, vel minor in ordine ad Tutorem, ſeù Curatorem, ſed hic conſenſus inuoluntarius mixtè æquè poteſt præſumi in ordine ad alios contractus, & etiam ſocietatis, ergo &c. Deindè etiam in contractu ſocietatis poteſt inter huiuſmodi perſonas eſſe aliqua præſumptio periculi, & læſionis quoad conditiones in ordine ad talem contractum propter poteſtatem, & ſubiectionem, quæ eſt inter ipſos &c.

Poteſt eſſe præſumptio periculi.

4 Hic oritur difficultas an ea, quæ dicta ſunt, habeant locum dumtaxat in foro externo, an etiam in interiori animæ, adeò vt non ſolum intelligatur irritus contractus in primo, ſed etiam in ſecundo. Crederem abſolutè, ſi ſimpliciter Cliens, infirmus, pupillus, & minor conſentirent, & nulla in conditionibus appoſitis eſſet læſio, nec vitium aliquod, contractum ſubſiſtere. Ratio eſt, quia in foro animæ attenditur rei veritas ſecundum ſe, non ſecundum quod innoteſcit ex præſumptionibus, ergo cum ſecundum rei veritatem adſint debitus conſenſus, & omnes conditiones requiſitæ ad validitatem contractus non erit, cur non debeat ſubſiſtere. Accedit, quod diſpoſitiones iuris præallegatæ inductæ fuerunt in fauorem pupillorum, minorum, infirmorum, & clientum, ne ſcilicet auctoritate Aduocati, Medici, Tutoris, vel Curatoris ex metu decipiantur, ergo ſi nullus fuerit metus, nullaque deceptio, non erit, cur contractus non debeat ſubſiſtere, maximè, ſi illi liberè conſentiant, vt ſupponitur.

Ceſſante cauſa prohibitionis ceſſare debet, et prohibitio.

---

§. III.

An ſeruus poſſit ſocietatem inire, & an hæc poſſit per Dominum diſſolui.

SVMMARIVM.

Proponitur id, in quo conſiſtit difficultas 1.
Rationes dubitandi circà ipſam 2.
Tria ſeruorum genera enumerantur 3.
Serui adſcriptitij poſſunt contrahere, non ſic ſerui pœnæ 4.
Serui propriè, ſi non habent peculium, non poſſunt contrahere. Ibid.
Peculium quid ſit, & vndè dictum 5.
Seruus quoad peculium ſibi limitatè conceſſum à Domino non poteſt ciuiliter obligari, nec contrahere 6.
Poteſt tamen obligari naturaliter 7.
Si contrahat ex voluntate Domini, obligatur etiam ciuiliter 8.
Poteſt contrahere, & obligari ciuiliter quoad peculium irreuocabile etiam inuito Domino 9.
Serui habentes ex conceſſione dominorum liberam diſpoſitionem quoad aliquam induſtriam poſſunt per illam contrahere ſocietatem 10.
Societas inita per ſeruum in peculio dependenti poteſt ciuiliter per Dominum diſſolui 11.
Intellige, ſi fuerit inita ſine ipſius conſenſu. Ibid.

Diſquiſitio III. Societatem ſeruus meus inierat cum Sergio. Ego iuſſi, vt ipſe ſeruus a ſocietate recederet. Quæritur modo primò, an potuerit ſeruus meus talem ſocietatem inire, & an teneat. Secundo ex ſuppoſitione, quod teneat, an iuſſu meo ſimpliciter diſſoluatur. 1

Ratio dubitandi quoad primam partem ex eo conſurgit, quod vel ſeruus in tali ſocietate communicaret res aliquas puta pecuniam, vel aliud pretio æſtimabile, vel præciſè operam, & induſtriam ad aliquam negotiationem conuentam per pecuniam collatam per ipſum Sergium; neutrum autem videtur poſſe conferre, quandòquidem omnia præſuponuntur eſſe mihi deuicta, & obligata iuxta illud, quidquid acquirit ſeruus acquirit Domino. E contrario poteſtas taliter contrahendi videtur eidem conceſſa per textum *in l. ſi ſeruus ff. pro ſocio*, vbi *Gloſa in verbo renuntiandum* aſſerit ſeruum etiam inuito Domino poſſe contrahere iuxta textum *in l. ſi quis ſeruum §. finali ff. de peculio*. Pro ſolutione 2

Rationes dubitandi proponuntur.

Aduerte tria eſſe ſeruorum genera, alij dicuntur adſcriptitij, qui ſcilicet glebæ adſcripti ſunt; De ijs nulli dubium, quin poſſint contractus celebrare, cum omninò ſint liberi; alij dicuntur ſerui pœnæ, qui ſcilicet ad mortem damnati ſunt, quorum propterea bona poſt condemnationem ipſo iurè cedebant Fiſco, ita vt nec teſtari poſſent, nec contractus celebrare; alij ſunt ſerui propriè, qui etiam communiter appellantur mancipia, quæ vel ſeruata ſunt a morte, vel alio titulo ad ſeruitutem legitimè 4 redacta, atque de his potiſſimum procedit hæc difficultas. Porrò iſti ſerui, ſeù mancipia aliquandò habent peculium, aliquandò non; Si peculium non habeant, certum eſt ipſos non poſſe contrahere ex defectu materiæ, circa quam verſari poteſt, & debet contractus. Si peculium habent, tunc eſt controuerſia, de qua agitur in præſenti, an per illud poſſit contrahere. Pro quo 3

Serui alij adſcriptitij, alij pœnæ, alij ſerui propriè.

Aduerte ſecundò, Peculium ita dici, quià eſt pecunia puſilla, ſeù puſillum patrimo- 5

nium *Vulpianus in l. depoſiti ff. de peculio*. Hoc autem quoad rei ſubſtantiam poteſt optime definiri, quod ſit illud, quod ſeruus Domini permiſſu ſeperatum à Dominirationibus habet, quam certè definitionem commendat idem *Vulpianus tot. tit. de peculio*. Acquiritur hoc peculium per ſeruum, ſeù ipſi cedit ex eo, quod patrimonia ſua ſibi parauit, vel officio meruit ſibi donari, idque, vel vt proprium patrimonium habere voluerit *l. 39. & l. 49. de peculio*. Ad hoc autem, vt illud peculium ſeruo acquiratur, tria requiruntur; primò, vt illud contrahatur per Domini voluntatem, vt colligitur ex illa particula poſita in definitione, *Domini permiſſu*, & clare habetur *in l. licet 4. ff. de pecul. §. ex his apparet*; vt tamen liberam habeat illius adminiſtrationem nō ſolum requiritur permiſſio quomodocunque, ſed etiam expreſſa conceſſio ad talem effectū, vt bene notauit *Vulpianus in l. quam Tuberonis 7. ff. de peculio*. Secundò requiritur, vt non ſola voluntate Domini interna, & externa conſtituatur, ſed etiam traditione, vt colligitur *ex l. non ſtatim 8. ff. de peculio, & l. traditionibus ff. de pactis*. Tertiò requiritur, vt tale peculium ſemper pendeat a voluntate Domini ſaltem quantum attinet ad obligationem ciuilem *l. peculium 4. ff. eod.*

Quid ſit peculium, & vnde dictum ſit

Vt peculiū acquiratur ſeruo quid requiratur.

Vulpianus.

Aduerte tertiò in ordine ad laborem, & induſtriam, quod quamuis hæc etiam ex vi ſeruitutis in ſeruo, & iure dominij in domino ſit obligata eidem domino, ex ſpeciali tamen indulgentia eiuſdem domini poſſit in aliquibus in fauorem eiuſdem famuli applicari; ſicuti enim iuxtà mox dicta ex conceſſione eiuſdem Domini aliqua temporalia pretio æſtimabilia poſſunt fieri ipſius ſerui, ità applicatio, & opera quoad aliqua ex permiſſu Domini non eſt, cur non poſſint fieri ſerui, & in ipſius fauorem cedere; præcipuè cum nomine peculij non veniat ſola pecunia, ſed quiquid eſt pretio æſtibile inxta textum *in l. quam Tuberonis §. in peculio autem ff. de peculio*.

Quandoque opera, & induſtria ſerui poteſt ex Domini cōſenſu ipſi cedere.

Aduerte quartò, quod quamuis ratione ſeruitutis, & ex dictis in præcedentibus verificetur regula illa generalis. *Quidquid acquirit ſeruus, acquirit domino*, nonnullas tamen patiatur limitationes, ratione quarum non conſideratur amplius, vt ſeruus, ſed vt homo *Ariſtotiles 8. Ethic. cap. 11*. Prima eſt, quandò intercedit pactum inter Dominum, & ſeruum, vt hic ſingulis hebdomadibus, vel menſibus, vel annis tribuat domino determinatam ſummam, reliquum verò ſibi acquirat; de hac limitatione loquitur *Molina tract. 2. de inſt. diſp. 38. nu. 5*. Secunda eſt, quandò Dominus ſeruo aliquid abſolutè donat, vel eidem ab alijs aliquid teſtamento relinquitur, vel ipſe ſeruus ſibi acquirit abſolutè donante domino; hæc etenim pleno iure fiunt ipſius ſerui, quibus propterea poteſt ſe ipſum a domino redimere *l. 1. §. ſeruis ff. de offic. Præt. vrb.* & alia huiuſmodi; vndè habes duo genera peculij, aliud abſolutum, & irreuocabile, aliud limitatum, & reuocabile ad nutum Domini. Quibus pro claritate ſuppoſitis

Exceptiones circà regulam quidquid acquirit ſeruus &c

Molina.

Reſpondeo primò. Seruus quoad peculium limitatè ſibi conceſſum à Domino, & reuocabile ad nutum ipſius, non poteſt ciuilitèr ſe obligare, & proinde nec contractum ſocietatis validum, & vtilem quoad actiones ciuiles, & effectus vtiles celebrare. Conſentit *Molina diſp. 261. tract. 2. de inſt. verſ. ex contractu ſeruorum*. *Ognate tract. 2. de cauſis contractibus diſp. 4. de cauſa efficienti ſect. 7. num. 112.* Colligitur hæc reſponſio *ex l. in perſonam l. quod attinet ff. de reg. iur. l. ſerui de act. & oblig. l. ſi quod domino ff. de condict. indeb. l. 1. C. an ſeruus proprio facto*, vbi dicitur, quod in perſonam ſeruilem nulla cadit obligatio. Ratio autem harum diſpoſitionum legalium ea eſt, quia cum ſerui in ordine ad hæc bona non habeant abſolutum dominium, ſed omninò dependens, & reuocabile ad nutum, quinimmò nec adminiſtrationem abſolutam, non habent materiam, circa quam poſſit verſari contractus, vndè merito docent Doctores, & præcipuè etiam in terminis contractus ſocietatis neminem poſſe ſocietatem inire, qui vel ſolum dominium habet ſine adminiſtratione, vel ſolam adminiſtrationem ſine dominio *Bonacina diſp. 3. de contractibus quæſt. 6. punct. 2. num. 2. Trullench. in expoſ. Decal. lib. 7. cap. 24. num. 6.*, *& alij magis communitèr*, ergo ſecundum ſe non poſſunt validè contrahere.

Quoad effectus vtiles non poteſt ciuilitèr obligari.

Molina. Ognate.

In perſonā ſeruilē nō cadit obligatio.

Bonacina Trullēch.

Dices primò, in iure approbari contractus ſocietatis per ſeruos initos *in l. ſi ſeruus ff. pro ſocio*, vbi dicitur. *Si ſeruus ſocietatem inierit, non ſufficit, ſi iubeatur à domino ſeruus abire à ſocietate*, ergo ſocietas tenet, nec eſt reuocabilis per Dominum. Sed contrà, quia vel hic eſt ſermo de ſocietate inita quoad peculium omninò irreuocabile à Domino, & ab illo independens, ſecundum quod, ſicuti poteſt ſeruus ab eodem Domino ſe redimere, ità poteſt cum alijs ſocietatem abſolutè contrahere, vel eſt ſermo dumtaxat quoad obligationem naturalem contractam per eundem ſeruum, non quoad ciuilem, vel tandem quoad ſocietatem contractam in perſona propria eiuſdem ſerui cum facultate eiuſdem Domini; de quibus omnibus erit ſermo in ſequentibus.

Eſt ſermo de ſocietate inita in peculio irreuocabili.

Dices ſecundò ex textu *in l. ſi quis ſeruum §. fin. ff. de peculio* ſeruus poteſt contrahere etiam inuito Domino, ergo contractus ſocietatis per ipſum initus validus erit. Sed

con-

contrà; textus etiam hic loquitur quoad ea, circà quæ ex voluntate Domini ſeruus ſui iuris abſolutè eſt, vel quoad obligationem naturalem, non autem ciuilem, vt infrà.

7 Reſpondeo ſecundò. Seruus quoad tale peculium contrahendo ſocietatem quamuis ciuilitèr non ſe obliget aduerſus alium ſocium, obligat tamen ſe naturalitèr *Molina d. tract. 2. de iuſt. diſp. 261. verſ. licet autem. Antonius Gomez 2. var. cap. 1. in principio. Nauarrus cap. non dicatis num. 74. Suarez in opuſc. de iuſt. Dei ſect. 6. in ſolutione ſecundæ difficultatis. Silueſter verb. reſtitutio 2. num. 14. Fillintius tract. 33. cap. 3. nu. 51.* Colligitur hæc reſponſio ex *l. quod attinet ff. de reg. iur. l. ſerui ff. de action. & oblig. & l. naturalitèr, & l. ſi quod Dominus ff. de condict. indeb.* Ratio autem horum omnium eſt, quia licet ius poſitiuum eiſdem non aſſiſtat concedendo actionem ciuilem, non tamen reſiſtit impediendo obligationem naturalem, & negando actionem naturalem, quæ oritur ex legitimo, & libero conſenſu præſtito. Confirmatur paritate pupillorum, & minorum, aliorumque, qui ſi & ciuilitèr non obligantur, obligantur tamen naturalitèr. Ex hac obligatione naturali oritur primò, vt & ipſe in conſcientiæ foro ſtare teneatur contractui illum quoad poterit, vel interim dum ſeruus extiterit, vel poſtquam liber fuerit effectus, adimplendo, & quicunque alius, qui cum eo contractum celebrauit, ſtare contractui, illumque adimplere teneatur, dum mancipium ex ſua parte adimplere vult, & poteſt. Oritur ſecundò, quod ſi dependentèr ab illa illis aliquid fuerit perſolutum, non detur amplius repetitio.

Molina. Antonius Gomez. Nauarrus Suarez. Silueſter. Fillintius

Quamuis iura non aſſiſtant, non tamen reſiſtunt.

Dices, pupillos, & minores validè quidem poſſe ſe obligare naturalitèr, licet non ciuilitèr, quia habent materiam, circà quam verſari poteſt obligatio, res ſcilicet propria, non autem ſeruos, quià non habent talem materiam, cum bona ipſorum ſint reuocabilia ad nutum dominorum per ea, quæ ſuprà dicta ſunt. Sed contrà, quià etiam pupilli, & minores licet habeant bona, non tamen habent pleno iure, cum illorum non habeant adminiſtrationem, vndè defectu talis adminiſtrationis, ſi contrahant, poſſunt ciuilitèr per Tutores ipſorum, vel Curatores reuocari contractus, & licet illi habeant dominium abſolutum, & irreuocabile, quod tamen non habent ſerui quoad peculium, de quo loquimur, nihilominus dici non poteſt, quod habeant materiam ſufficientem ad validè contrahendum, cum hæc non in ſolo dominio, ſed in dominio ſimul, & adminiſtratione, qua carent, conſiſtat. Deindè obligatio naturalis extenditur ſolum in quantum poſſunt, & non vlterius.

Non ſubſiſtit diſcrimen inter minores, & ſeruos quod hunc effectum.

8 Reſpondeo tertiò. Seruus etiam quoad tale peculium, ſi contrahat ex voluntate, & permiſſu Domini tàm naturalitèr, quàm ciuilitèr ſe obligat, & validè contrahit. *Ognate d. tract. 2. diſp. 4. ſect. 7. num. 114.* Ratio huius reſponſionis ea eſt, quia filij familias, pupilli, & minores poſſunt validè, & licitè contrahere, ergo etiam ſerui cum conſenſu, & facultate ſuorum dominorum. Confirmatur primò, quia ſeruus habita facultate à Domino habet, quidquid requiritur ad validitatem contractus in vtroque foro; habet ſcilicet peculium, quod quamuis ſit reuocabile ad nutum Domini, ex eo tamen, quod facultas eiuſdem Domini acceſſerit, non poteſt eſſe reuocabile, niſi poſt diſſolutum contractum; habet conſenſum legitimum, & ſupplementum requiſitum ex diſpoſitione iuris, ergo &c. Confirmatur ſecundò, quià in tantum ſe obligare nequeunt ciuilitèr, in quantum ſunt ſub poteſtate dominorum, ergo ſi eximantur à tali poteſtate poterunt, & ciuilitèr ſe obligare, & validè contrahere, ſed accedente voluntate dominorum in ordine ad aliquos contractus in ordine ad illos quodammodo eximuntur ab illorum poteſtate, ergo &c.

Ognate.

In ordine ad hos contractus quodammodo eximuntur à poteſtate Dominorum.

9 Reſpondeo quartò. Seruus quoad peculium abſolutum, & irreuocabile poteſt etiam ſine Domini facultate contractum ſocietatis inire, & ſe tàm ciuilitèr, quam naturalitèr obligare. Eſt conformis ijs, quæ dicta ſunt de filiofamilias. Probatur, quià quoad huiuſmodi peculium ſerui plenum habent dominium, & adminiſtrationem, ergo poſſunt illud conferre in contractum ſocietatis cum quocunque voluerint, & hoc non ſolum validè, ſed etiam licitè. Confirmatur primò, quià filij familias habent plenum ius in bonis caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus tam quoad dominium, quàm quoad adminiſtrationem, poſſunt per illa contractum ſocietatis inire per ea, quæ dicta ſunt in præcedentibus Diſquiſitionibus, ergo, quia ſerui habent idem ius plenum quoad huiuſmodi peculium poterunt per illud contractum ſimilem inire. Confirmatur ſecundò, per huiuſmodi peculium poſſunt ſerui nedum naturalitèr, ſed etiam ciuilitèr ſe deobligare à dominis, quinimmò eoſdem Dominos obligare, vt patet *tot. tit. ff. de peculio, & Inſtit. de pecul. ſeruorum. Ognate d. tract. 2. diſp. 4. num. 114. l. 1. §. ſeruis ff. de offic. Praet. vrb. & l. vxe ff. de offic.* ergo etiam poterunt nedum naturalitèr, ſed etiam ciuilitèr alios obligare, ſeque cum illis. Confirmatur tertiò, quia licet inter ſeruum, & Dominum, qua tales formalitèr ſunt, non poſſit iuſtitia intercedere *l. in perſonam l. quod attinet ff. de reg. iuris* poteſt tamen intercedere inter

Poſſunt ſerui per hoc peculium ſe deobligare à Dominis.

Ognate.

 Domi-

Dominum, & ſeruum non quia ſeruus formalitèr eſt, ſed qua homo eſt *Ariſtotiles loc. cit.* ſed quoad tale peculium omninò irreuocabile, & independens ſeruus non eſt formalitèr ſeruus, cum æquum in illo habeat ius, ac liber in rebus ſuis, ergo &c.

Ariſtotiles.

Dices hæc, quæ dicta ſunt probare quidem validè, & efficacitèr in ordine ad materiam, quam habent ſerui, non tamen quoad conſenſum, cum ſerui non habeant voluntatem, quantum ad effectum ſe obligandi ciuilitèr, vt notat *Ognate d. tract. 2 diſp. 4. ſect. 7. num. 112. verſ. prima concl. in fine*. Sed contrà, quia cum ſerui in hac hypotheſi contrahant nomine proprio, & illa bona, circa quæ contrahunt, ſint abſolutè ipſorum, & quoad dominium, & quoad adminiſtrationem ſint irreuocabilia, vt ſupponitur, habent in ordine ad illa, & ſufficientèr velle, & poſſe, & per conſequens non ſolum voluntatem naturalitèr, ſed etiam ciuilitèr aptam ad illorum diſpoſitionem; cur etenim ſerui dicuntur non habere voluntatem, niſi quia non habent quo velint? Si igitur habent bona, quo poſſint velle, non eſt, cur &c.

Habent ſufficientèr velle, & poſſe.

10 Reſpondeo quintò. Si ſerui ex abſoluta, & libera conceſſione dominorũ poſſint de aliqua induſtria, & operibus in aliquo genere ad ſuum libitum diſponere, poſſunt illam, ſeù illa conferendo, cum alio res conferente validè ſocietatem contrahere. Eſt conformis ijs, quæ dicta ſunt ſuperius. Ratio eſt, quià ſocietas ex genere ſuo non ſolum contrahitur, dum conferuntur res, & labores ex vtraque parte, ſed etiam dum conferuntur res ex vna, & labor, & induſtria ex altera parte, ergo ſi ſeruus ex libera, & abſoluta conceſſione Domini habeat plenum ius in ordine ad propria opera, & induſtriam in aliquo genere poterit per illorum collationem ſimul cum alio res conferente ſocietatem inire, & quidem validè, cum aliquid non deficiat, ob quod contractus ille non poſſit ſubſiſtere. Confirmatur ex ſuperius dictis, quia ſi Dominus conuenerit cum ſuo ſeruo, vt tantum quid ſingulis hebdomadibus, vel menſibus conferat Domino de ſuis operibus, & induſtria, & reliquum ipſi ſeruo cedat poteſt ſeruus de illo, quod ſupereſt liberè, & perfectè diſponere contrahendo &c. ergo applicatis operibus, & induſtria ad acquirendum quantum ſufficit ad ſatisfaciendum Domino, poterit reliquum induſtriæ, & operarum applicare pro ſuo libito, adeòque etiam ad contrahendam ſocietatem per collationem eorundem. Confirmatur ſecundò, quià ſi poteſt ſeruus per ea, quæ ſibi liberè, & abſolutè relinquuntur per Dominum contrahere ſocietatem ea conferendo per ea, quæ dicta ſunt ſuperius, cur non poterit, ſi per eundem Dominum eidem relinquatur libera abſolutè diſpoſitio operarum, & induſtriæ in aliquo genere, per eadem etiam eandem ſocietatem inire?

De ſuis opera, & induſtria poteſt liberè diſponere.

Reſpondeo ſextò, Societas per ſeruum inita in peculio dependenti, & reuocabili ad nutum eiuſdem Domini poteſt ciuilitèr per eundem Dominum reuocari, & quoad effectum diſſolui, ſi fuerit inita ſine ipſius permiſſione, & conſenſu, ſecus ſi fuerit contracta ipſo conſentiente, & approbante, vel fuerit contracta in peculio omninò independenti, & irreuocabili. 11

Ratio primæ partis deducitur ex ſuperius dictis, quia quoad tale peculium ſine permiſſione Domini ſeruus non poteſt obligari ciuilitèr per ea, quæ dicta ſunt iuxta textum *in d. l. in perſonam l. quod attinet ff. de reg. iuris, & l. ſeruo ff. de act. & oblig.* ergo ſi ſeruus ſe obligauerit, poterit per Dominum talis obligatio ciuilitèr reuocari. Conſequentia probatur, quia obligatio in eo ordine, in quo non ſubſiſtit, poteſt ab habente ius tolli, ergo ſi ſeruus non poteſt ſe ciuilitèr obligare, ſi ſe obligauerit quantum pertinet ad actiones ciuiles deobligari à Domino poterit; neqne in hoc ſenſu locum habet textus *in l. ſi ſeruus ff. pro ſocio*.

In eo genere, in quo non ſubſiſtit, poteſt tolli.

Ratio ſecundæ partis item deducitur ex ſuperius dictis, quià ſcilicet contractus per ſeruum initus ex voluntate, & conſenſu Domini tàm ciuilitèr, quàm naturalitèr obligat, & validus eſt, & eo ipſo, quod Dominus conſenſit, non poteſt amplius diſſentiri, ergo per ipſum Dominum non poteſt amplius reuocari, & diſſolui; atque ad hoc maximè facit textus *in d. l. ſi ſeruus ff. pro ſocio, & in d. l. ſi quis ſeruum §. fin. ff. de peculio*.

Poſito conſenſu non poteſt reuocari.

Ratio tertiæ partis etiam ex dictis facilè liquet, quandòquidem in ijs ſeruus non conſideratur formalitèr vt talis, ſed vt homo, & habet plenum ius non ſolum quoad dominium, ſed etiam quoad adminiſtrationem, & omninò irreuocabile, & independens, ergo quoad ipſa inita ſocietate per ſeruum non erit, cur per eundem Dominum poſſit reuocari.

---

§. IV.

Cuinam ſeruus contrahens ſocietatem ſtipuletur, & quinam obligetur.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſia ſecundum omnia ſua membra 1.

Seruus contrahens in peculio dependenti ſemper Domino ſtipulatur 2.

Veri-

Verificatur ſiuè contraxerit cum conſenſu Domini, ſiuè ſine illo 3.
Contrahens in irreuocabili ſibi, non Domino ſtipulatur 4.
Contrahens iuſſu Domini obligat Dominum actione ex iuſſu 5.
Ex contractu in peculio irreuocabili obligatur ſeruus inſolidum 6.
Contrahens non iuſſu Domini ſeruus obligatur in ſolidum, Dominus ſolum ex peculio, & de in rem verſo 7.

1 DIſquiſitio IV. Suppoſitis ijs omnibus modis, & in ijs rebus, quibus, ſeù in quibus in pręcedenti diſquiſitione diximus, ſeruum poſſe contrahere ſocietatem, ſuppono modò, quod ſeruus meus contraxerit ſocietatem cum Sergio, prout ſuprà, vel in peculio reuocabili, vel irreuocabili, vel fortè etiam in proprijs operibus, & induſtria, vel cum facultate, & conſenſu Domini, vel ſine illa, & poſteà quæro primò, cuinam ſeruus ſtipulatus fuerit; mihi ne? an ſibi? Secundo quinam ex illa obligatus remaneat, ego ne? an ille?

2 Reſpondeo primò, ſi contractus fuerit initus in peculio dependenti, & reuocabili, ſiuè ſeruus nomine proprio egerit, ſiuè nomine Domini ſtipulatio facta fuit Domino. Colligitur primo *ex l. 1. ff. de ſtipulatione ſeruorum*, vbi dicitur. *Cum ſeruus ſtipulatur nihil intereſt ſibi, an domino, an verò ſine alterutra eorùm adiectione dari ſtipuletur*, & ibi Gloſa varijs exemplis hoc commendat. Secundo ex textu *in l. quodcunque ff. de verb. oblig.* - Ibi - *Quodcunque ſtipulatur is, qui in alterius poteſtate eſt, pro eo habere, ac ſi ipſe eſſet ſtipulatus.* Tertiò *ex §. quod ſi quis Inſtit. de inutil. ſtipulat.* Horum omnium rationem adducit *Gloſa in l. ſtipulatio iſta §. alteri ſtipulari ff. de verb. oblig.* quia ſcilicet ſeruus æſtimatur eadem perſona cum Domino *l. ſi Pamphilo ff. de apt. leg.* ſicuti filius cum Patre *l. in ſuis ff. de Poſtum. & lib. §. quod ſi quis Inſtit. de inutilib. ſtip. l. fin. C. de impub. & alijs ſubſtit.* ergo dum ſtipulatur, non ſibi, ſed domino ſtipulatur, ſicuti filius non ſibi, ſed Patri.

Seruus ſemper æſtimatur eadē perſona cum Domino.

Gloſa.

3 Hæc, quæ dicta ſunt, quandò ſeruus ſocietatem contrahit in peculio reuocabili æquè intelliguntur, ſiuè ſeruus contraxerit habito conſenſu, ſeù facultate à Domino, ſiuè illa non habita expreſsè, in quo ſenſu iuxta ſuperius dicta obligatur tantùm naturalitèr. Ratio autem eſt manifeſta, quià in ordine ad bona, quæ pendent à nutu, & arbitrio Domini, ipſe ſeruus non eſt abſolutè Dominus, ergo quidquid agit in ordine ad Dominum agit, ad quem ſpectat dominium independens, & abſolutum, ſicuti quidquid agit filius non emancipatus à Patre per bona eidem à Patre conceſſa, agit in ordine ad Patrem.

Statim ſi contraxerit ſine conſenſu Domini.

4 Reſpondeo ſecundò, ſi contractus fuerit per ſeruum initus in peculio omninò indepēdenti, & irreuocabili, & proprio nomine eiuſdem ſerui, ſeruus ipſe non Domino, ſed ſibi fuit ſtipulatus. Intellige hanc reſponſionem, dummodò ſeruus habuerit etiam in tali peculio adminiſtrationem. Ratio ex ijs deducitur, quæ dicta fuerunt ſuperiùs, nam ſerui per huiuſmodi bona, ſeù peculium poſſunt ſe ipſos redimere iuxta textum *in d. l. 1. §. ſeruis ff. de offic. Præt. vrb. & l. vix ff. de inditijs*, & cum eis ipſis negotiari licet, & ea negotiatione acquiſita ſibi ſeruare, vt ingenuè fatetur *Ognate d. tract. 2. diſp. 4. §. 7. nn. 111.*, quamuis poſtea *d. §. 7. n. ſeq. verſ. extendenda eſt* ſibi parum conſtans dixerit ſeruum etiam quoad huiuſmodi bona non poſſe ſe obligare, niſi naturalitèr, non autem ciuilitèr, ergo in ijs bonis, ſi contrahant, poſſunt ſibi ſtipulari, non Dominis. Confirmatur, quià filij familias contrahentes per bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia non Patribus, ſed ſibi ſtipulantur, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo etiam ſerui contrahentes in huiuſmodi bonis, ſeù peculio, ſibi, non Dominis ſtipulantur. Conſequentia probatur, quia ideò filij familias contrahendo quoad bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia ſibi ſtipulantur, non Patri, quia habent plenum eorum dominium, & adminiſtrationem, ergo etiam in ijs, in quibus ſerui, vel ex diſpoſitione iuris, vel ex conceſſione abſoluta Dominorum habent, & dominium independens, & adminiſtrationem liberam poterunt contrahendo ſibi adſtipulari.

Ex peculio irreuocabili poteſt ſeruus ſibi acquirere.

Ognate.

5 Reſpondeo tertiò, ſi contractus per ſeruum fuerit initus iuſſu Domini, non ipſe ſeruus obligatus intelligitur, ſed Dominus, & quidem actione ex iuſſu in ſolidum. Hoc expreſsè docet *Ognate tract. 2. diſp. 4. ſect. 7. num. 115. & 116.*, & colligitur *ex textu in l. 1. ff. quod iuſſu* - Ibi - *Merito ex iuſſu Domini, vel Patris in ſolidum aduerſus eum iudicium datur*; & ratio ex ipſo textu deducitur, *nam quodamodo cum eo contrahitur, qui iubet*, & quidem, vt aſſerit *Ognate loc. cit. nu. 116.*, concludentèr etiam conformitèr ad naturalem æquitatem, quandòquidem in moralibus qui mandat magis cauſa eſt, quam qui exequitur, quod præcipuè verificatur in ſeruis, qui tenentur parere mandatis Dominorum. In hac ſuppoſitione rectè deducitur, quod ſeruus ad nihil teneatur, quantumuis habeat peculium proprium, quia non agit rem ſuam, ſed Domini *l. 1. §. quod iuſſu*. Quandonam autem ſpecialitèr intelligatur ſeruus contrahere iuſſu Domino ad hunc effectũ,

Obligatur Dominus actione ex iuſſu.

Ognate.

vt

Digitized by Google

vt contractus totalitèr imputetur ipſi Domino, non ſeruo, habetur in ead. *l. 1. ff. quod iuſſu*.

6 Reſpondeo quartò, ſi contractus fuerit initus per ſeruum in peculio irreuocabili, cuius ipſe haberet adminiſtrationem, non Domino, ſed ſibi ſeruus adſtipulatur, & ipſe obligatur inſolidum, non ipſe Dominus. Eſt conformis ijs, quæ dicta ſunt ſuperius; nam quoad iſta Dominus nullum habet dominium, nullamque adminiſtrationem, nec ipſe concurrit ad talem contractum, ergo nec ratione bonorum, nec conſenſus ipſe obligatur, ſed dumtaxat ipſe ſeruus in ſolidum, ſeù quoad totum. Confirmatur paritate filij familias quoad bona, quorum gaudet pleno iure, tàm quoad dominium, quàm quoad adminiſtrationem. Confirmatur ſecundò, quià in tantum Dominus intelligitur obligatus de peculio, quandò ſeruus non cōtraxit ex iuſſu ipſius, in quantum ipſe habet adminiſtrationem eiuſdem peculij; vnde benè dicitur *in l. 44. de peculio*, quod Dominus non teneatur niſi de peculio, ergo ſi Dominus nullum habet peculium, nec adminiſtrationem ipſius ex contractu ſerui ad nihil tenebitur, ſed ipſe ſeruus dumtaxat erit obligatus in ſolidum, quod idem habetur *in l. nec ſeruus, & in l. ſi ſtiphe & l. filiofamilias ff. de peculio*.

Seruus ipſe habet illud p' ſolid. non Dominus.

7 Reſpondeo quintò, ſi ſeruus contraxerit ſocietatem non ex iuſſu Domini, tunc ipſe ſeruus obligatur in ſolidum, Dominus verò ſolum de peculio, & de in rem verſo *Azotus tit. quod cum eo nu. 4. & 5. Bartolus in l. ei, qui nu. 17. C. quod cum eo, Ognate d. tract. 2. diſp. 4. ſect. 7. nu. 117.* Quoad primam partem facilè ex eo liquet, quod ipſe ſeruus obligatur ex ſuo contractu naturalitèr, & ſi acceſſerit voluntas Domini etiam ciuilitèr, ergo ipſe quantum eſt de ſe, obligatur in ſolidum; quoad ſecundam partem ex eo etiam deducitur, quod vt habetur in *textu in l. 44. de peculio, ſi quis cum filiofamilias contraxit duos habet debitores, filium in ſolidum, & Patrem familias dumtaxat de peculio*, quod à paritate etiam extenditur ad ſeruum, cum ſit eadem omninò ratio, quinimmò hoc expreſsè in terminis de ſeruo habetur *in l. nec ſeruus ff. eodem*; & ratio efficax ex eo deducitur, quod cum ſeruus per contractum ſe obligauerit naturalitèr, nec Dominus contractui obſtiterit, ſequitur, quod, cum ipſe Dominus illud apud ſe habeat, teneatur illud conſocijs eiuſdem ſerui erogare, ne creditores ſua fide fraudentur. Quoad tertiam partem etiam euincitur *ex tot. tit. ff. de in rem verſo*; ſicuti enim ſi Dominus peculium teneat, tenetur de peculio, ità ſi illud in rem ſuam conuertit, tenetur de in rem verſo, prout communitèr iuris canonici interpretes, & Gloſa in omnibus legibus ſub titulo in rem verſo. Quandonam autem aliquid dicatur in rem verſum, videndus eſt totus præfatus titulus cum ſuis legibus, quem latè interpretatur, & explicat Azotus. Reliqua quoad præſentem controuerſiam tu ipſe vide apud ſcribentes in dicto titulo; nobis enim hæc attigiſſe ſufficiet.

Azotus. Bartolus. Ognate.

Quod ſit actio de peculio & de in rem verſo.

---

§. V.

An alienatione ſerui ſocietas diſſoluatur?

SVMMARIVM.

Quid propriè veniat ſub hoc quæſito exponitur 1.

Alienatione ſerui prior ſocietas diſſoluitur, & noua incohatur 2.

Duplex actio conſurgit & quanam, & aduerſus quem. Ibid.

Ratio, cur nouetur ſocietas per alienationem ſerui, non per emancipationem filij 3.

Diſquiſitio V. Inierat ſeruus meus me non diſſentiente ſocietatem cum Titio. Temporis proceſſu eundem ſeruum per venditionem ego alienaui, ipſiuſque Dominium transtuli in Caium Emptorem. Ipſe ſic alienatus cum Titio in ſocietate permanſit. Orta fuit hic controuerſia, an prior ſocietas contracta, dum ſeruus ſub mea erat poteſtate, adhuc perſeuerat poſt alienationem, an verò per eandem diſſoluatur, an ex integro noua incohetur cum eodem Titio, dum ſeruus translatus eſt ſub poteſtate Caij. Item, an ex tali ſocietate concedatur aliqua actio, & cuinam, & aduerſus quem. 1

Hæc controuerſia latè proponitur *in l. ſed id, quod quis §. ſi ſeruus meus ff. pro ſocio*, vbi concluditur *alienatione ſerui dici poſſe priorem ſocietatem finitam, & ex integro alteram incohatam*. Rurſus aſſeritur, *& mihi & emptori competere actionem pro ſocio*, & quidem, vt benè notat *Gloſa hic verbo competere* aduerſus ſocium eiuſdem ſerui; mihi quidem pro his, quæ contigerunt ante alienationem, emptori verò pro tempore ſubſequenti ad eandem. Tandem ibi dicitur *actionem competere eidem ſocio tàm aduerſus me, quàm aduerſus emptorem; Aduerſus me ex ijs cauſis, quæ ante alienationem acciderint; ex reliquis aduerſus emptorem ſolum*. 2

Prior diſſoluitur, & noua incipit.

Gloſa.

Duplex actio conſurgit, & quanam.

Textui acquieſco, ſed vt medullitùs rem attingam, nec ſiſtam in verborum cortice, ſingula expendo. Dicitur primò *alienatione ſerui dici poſſe priorem ſocietatem finitam;*

tam; cuius ratio ea eſt meo videri, quià ſocietas per ſeruum inita non poteſt ſubſiſtere ſine obligatione Domini, cui ex prædictis fit ſtipulatio; loquimur enim in ordine ad peculium dependens, & reuocabile ad nutum Domini, & licet dictum fuerit ſeruum obligari naturalitèr, non obligatur tamen ciuiliter, quin ciuilis actio transfundatur in Dominum nomine ipſius ſerui, vnde benè dicit Gloſa *in d. l. ſed id, quod quis verbo finitam prope finem, quod nec dominus quondam poſt alienationem ſerui poſſit eius nomine obligari*, ergo poſita alienatione ceſſat obligatio ciuilis, adeòque etiam ciuilitèr ipſa ſocietas.

Præcedit quoad peculiũ dependens.

Gloſa.

Dicitur ſecundò, *& ex integro alteram ſocietatem incohatam*, cuius ratio ea eſt, quià, cum ex præactis prima ſocietas per extinctionem obligationis in domino venditore intelligatur extincta, & cum ipſe ſeruus perſeueret in eiſdem conditionibus, in quibus anteà cum ſocio conuenerat emptore ſciente, & non contradicente perinde eſt, ac ſi eodem ſuadente de nouo contraheret, & ſic per transfuſionem obligationis prioris, quæ erat in venditore facta in emptorem fit quodamodò nouatio, per quam eadem prior obligatio extinguitur.

Perinde eſt, ac ſi de nouo fieret contractus.

9 Hic inſurgit difficultas ex ijs, quæ habentur *in ead. l. ſed id, quod quis §. ſi filius familias ff. pro ſocio*, nempè ſi filiusfamilias ſocietatem coierit, deindè emancipatus à Patre fuerit, & adhuc poſt emancipationẽ in eadem permanſerit, adhuc eandem durare; inſurgit, inquam, & in eo conſiſtit, cur innouetur ſocietas per alienationem ſerui quoad eundem ſeruum, & non innouetur quoad filiumfamilias per emancipationem eiuſdem à Patre? Certè equidem tàm filius contrahendo, quam ſeruus non ſibi, ſed ille Patri, hic Domino ſtipulatur, ergo ſi per ceſſationem obligationis in Domino extinguitur prior ſocietas, & noua inducitur, etiam per ceſſationem obligationis in Patre, quæ fit per emancipationem, debet prior ſocietas abſolui, & noua induei. Gloſa *in d. l. ſed id, quod quis verb. finitam*, aſſignat diſparitatem dicens filium ante emancipationem poſſe obligari, & obligatur; ſeruum vero nec ante, nec poſt alienationem obligari, ſed adhuc remanet reſpondendum, cur poſſit filius obligari ante emancipationem, & de facto obligetur, non verò poſſit ſeruus, vel ante, vel poſt alienationem? cum de vtroque dicatur poſſe obligari naturalitèr, de neutro ciuilitèr; Huius diſpoſitionis eam eſſe rationem abſolutè exiſtimo, quia quamuis regularitèr dicatur filium ante emancipationem non obligari ciuilitèr, ſed ad ſummum naturalitèr, quod etiam dicitur de ſeruo; fallit tam in filiofamilias, quandò ſe alijs obligat à Patre, vt expreſsè habetur *in §. item inutilis inſtit. de inutili ſtipul.*, vbi ſic legitur, *ſed ſeruus quidem non ſolum Domino ſuo obligari non poteſt, ſed ne quidem vlli alij; filij verò familiarum alijs obligari poſſunt*, & quidem ex omni cauſa, vt habetur *in l. tam ex contractibus ff. de iudicijs*, & conueniri in ſolidum durante patria poteſtate, autoritate tamen Patris interueniente, ad quod Pater compellitur officio Iudicis *l. cum non ſolum §. 1. C. de bon. quæ liber.*, atque hæc ratio diuerſitatis fundatur in diſpoſitione iuris, ſecundum quam ex iure ſanguinis plura tribuuntur filiofamilias, quam ſeruo.

Diſparitas deſumitur ex diſpoſitione iuris.

Dicitur tertiò, *& mihi & emptori competere actionem pro ſocio aduerſus ſocium*; cum etenim ſeruus iuxta dicta in præcedentibus non ſibi, ſed Domino ſtipuletur, ſequitur manifeſtè, quod pro tempore, pro quo quis eſt Dominus, acquirat actiones omnes aduerſus ſocium, quæ competerent eidem ſeruo, ſi ipſe eſſet illarum capax. Cum igitur pro tempore ante alienationem eſſet abſolutè Dominus illius ſerui, & poſt alienationem dominium eiuſdem tranſierit in emptorem ſequitur, quod pro illo actio mihi competat, pro iſto vero competat emptori.

Pro diuerſo tẽpore contra diuerſos parit actionem.

Dicitur tandem *actionem competere eidem ſocio tàm aduerſus me, quàm aduerſus emptorem* habita ratione ad tempus proportionatum vtſupra, cuius quidem diſpoſitionis ratio efficax eſt; Si enim, quia ſeruus Domino, non ſibi adſtipulatur, acquirit Dominus actiones aduerſus ſocium per ea, quæ mox dicta ſunt, ex directo ſequitur, quod etiam ipſe ſubijciatur obligationibus in fauorem eiuſdem ſocij, vt actiones tam actiuæ, quam paſſiuæ inuicem in eodem ſubiecto ſibi correſpondeant, & ſicuti actiones actiuæ pro tempore meæ poteſtatis aduerſus ſeruum mihi conſonant, & poſt tempus alienationis emptori, ita & pro tempore meæ poteſtatis paſſiuæ mihi, & poſt illud emptori debent correſpondere, vt ſeruetur debita æqualitas.

Idem alio de obligationibus.

---

§. VI.

An Frater emancipatus teneatur in commune ſocietatis ſua ſtipendia conferre.

SVMMARIVM.

Factum, & articuli circa ipſum diſputandi 1.

Gloſa ſupponit inter fratres initam ſocietatem generalem 2.

Quid veniat nomine ſtipendij, & ſalarij 3.

Frater emancipatus non tenetur conferre pro-

pria

pria ſtipendia in commune iudicium ſocietatis 4.

Ratio, cur non teneatur conferre, eſt, quià illa ſocietas non eſt generalis, ſed ſimplex 5.

Emancipatio non confert ius non conferendi bona caſtrenſia 6.

Frater emancipatus venit in communione cum alijs fratribus in eorum lucris non caſtrenſibus 7.

1 DIſquiſitio VI. Inita fuit inter Fratres voluntaria ſocietas, vt ſtipendia, & cęteræ communia eſſent. Alter ex fratribus emancipatus ſtipendia, & ſalaria acquiſiuit. Hic nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi, & primò, an frater emancipatus teneatur illa conferre in commune iudiciũ ſocietatis; Secundò ex ſuppoſitione, quod non teneatur conferre, quænam ſit ratio ipſum eximens ab onere talis collationis. Tertiò, an ipſe emancipatus poſſit venire in diuiſionem cum reliquis fratribus in bonis ad inuicem collatis.

2 Gloſa *in l. ſi fratres verb. initum fuerit ff. pro ſocio* explicans illum textum, à quo deſumpta eſt hæc diſquiſitio, & rationes circa ipſam dubitandi, ſupponit illam voluntariam ſocietatem initam inter fratres eſſe generalem, ſeù bonorum omnium, &

Gloſa,

3 præcipuè nomine ſtipendiorum ea intelligit, quæ militibus dantur iuxta textum *in l. qui ſtipendia C. de Procuratoribus*, & nomine ſalariorum, quæ vexillarijs, & ſimilibus dantur, quæ propterea in caſtrenſi peculio computantur. Tandem ſupponit, quod emancipatus ſit iure Prætorio ad ſuccedendum admiſsus. Quibus ſuppoſitis difficilior euadit expoſitio, & definitio textus; Si etenim eſt ſocietas generalis, ſeu omnium bonorum, vt ſupponit eadem Gloſa, ergo etiam quantumuis ſtipendia emancipati fuerint bona caſtrenſia erunt conferenda *l. 3. ¶. cum ſpecialitèr ff. pro ſocio l. ſi ſocietatem vniuerſarum ff. eod.* Deinde ſi nomine ſtipendiorum, ſeu ſalariorum veniunt bona caſtrenſia, ſeu quaſi caſtrenſia, cur illa, quæ ſunt fratrum ſub poteſtate exiſtentium ſunt conferenda, & nõ illa fratris emancipati? Certè vtràque exprimuntur per nomina ſtipendiorum, & ſalariorum; Quod ſi dicas, ſtipendia, ſeù ſalaria exiſtentium ſub patria poteſtate fieri communia, & conferenda eſſe, non ſic illa emancipati, quia emancipatio tribuit ius emancipato, quod non eſt in alijs fratribus exiſtentibus ſub patria poteſtate; ſi, inquam, hæc dicas, ſtatim ex ipſis verbis textus confutaberis, vbi de emancipato, ſic dicitur, *quia & ſi in poteſtate maneret, præcipua ea haberet*, ergo ſi haberet, & præcipua etiam exiſtens ſub poteſtate, non habet illa ex vi emancipationis.

Quid proprie ſit ſalariũ, & quid ſtipendiũ.

Difficilis Gloſa expoſitio, & quare.

Alij etiam loquentes in terminis *d. l. ſi fratres* dicunt fratrem emancipatum non teneri conferre in commune ſocietatis ſua ſtipendia, & ſalaria, quia per emancipationem diſſoluitur ipſa ſocietas. Sed præterquam, quod illa non teneretur conferre, quamuis ſub patria poteſtate permaneret, vt ex allegato textu manifeſtè elucet, adhuc ſic euincitur contra ipſos; nam ex vi emancipationis ſimplicitèr non diſſoluitur ſocietas filij inita cum alijs perſonis *ex l. ſed id, quod quis §. ſi filiusfamilias ff. pro ſocio*, ergo ex vi eiuſdem, nec diſſoluitur cum cæteris fratribus. Quid igitur hac in re concludendum?

Per emãcipationẽ non diſſoluitur ſocietas.

Reſpondeo primò. Fratrem emancipatum non teneri conferre in data hypotheſi 4
propria ſtipendia in commune iudicium ſocietatis *Baldus, & Gloſa in d. l. ſi fratres §. item Papinianus ff. pro ſocio*. Colligitur clarè ex verbis eiuſdem textus. Ibi. *Quamuis filius emancipatus hæc non cogatur conferre fratri in poteſtate manenti*; atque ita ſentiunt omnes in hac materia ſcribentes.

Baldus. Gloſa.

Reſpondeo ſecundò. Ratio, cur non teneatur conferre, ea non eſt, quia per emancipationem diſſoluatur ſocietas, nec quia illa bona comparata per fratrem emancitum ſunt præcisè bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia ex ſuppoſitione, quod ſocietas ſit omnium bonorum, ſed quia illa non ſupponitur ſocietas omnium bonorum, & ſalaria, & ſtipendia ſocij emancipati computantur inter bona caſtrenſia, ſeù quaſi, in hanc reſponſionem propendet *Azorius inſtit. moralium part. 3. lib. 9. cap. 19. verſ. quinto quæritur. Bartolus in l. ſi patruus C. communia vtriuſque Iud. Silueſter verb. peculium 2. quæſt. 20. ad finem.* 5

Azorius. Bartolus. Silueſter.

Ratio primæ partis ea eſt, quæ fuit ſupra adducta, quia ſcilicet *ex d. l. ſi fratres §. item Papinianus ff. pro ſocio* illa ſalaria, ſeù ſtipendia fratris emancipati adhuc non eſſent conferenda, quamuis idem non eſſet emancipatus. Ibi. *quià, & ſi in poteſtate maneret, præcipua ea haberet*, ergo non ideò non ſunt conferenda, quia per emancipationem intelligatur cum ipſo diſſoluta ſocietas. Confirmatur, quia ſi per emancipationem præcisè diſſolueretur ſocietas, fruſtatoria eſſet præſens controuerſia excitata *in d. l. ſi fratres §. papinianus* quandòquidem quis ignorat acquiſita per filium emãcipatum eidem acquiri, non alijs? ex eo etenim, quod ſit emancipatus factus eſt ſui iuris, ergo &c.

Non eſt propter diſſolutionem contractus, & quare.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia in ſocietate omnium bonorum per ſuperius allegata ſunt conferenda omnia bona ex quacunque cauſa ſiuè ex titulo oneroſo, ſiuè ex titulo lucratiuo prouenientia, quantumuis fuerint bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9.*

Azorius.

cap.

Bartolus. *cap. 19. Bartolus in d. l. ſi patruus C. communia vtriuſq. Iud.*, & colligitur expreſsè *ex d. l. 3. §. cum ſpecialiter, & l. ſi ſocietatem vniuerſarum ff. pro ſocio*, ergo ſi illa fuerit ſocietas omnium bonorum, quantumuis ſtipendia, ſeù ſalaria filij emancipati fuerint bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia erunt computanda, ſeù conferenda, ergo non ideò non ſunt conferenda, quia ſint bona caſtrenſia &c.

Ratio tertiæ partis eſt, quià ex vna parte etiam inter fratres non eſt, nec intelligitur contracta ſocietas omnium bonorum, niſi expreſsè de illa fuerit actum *l. 3. §. cum ſpecialitèr ff. pro ſocio, & gloſ. in l. cum duobus §. idem Papinianus ff. eod.* adeò vt, ſi fiat ſimplicitèr, non cenſeatur vniuerſalis *l. eo in l. quæſtus, & l. nec adiecit ff. eod.*, ex alia cum ex diſpoſitione iuris non extendatur ad bona caſtrenſia, vt ex textu præallegato, ex manifeſto ſequitur ſocietatem inter ipſos initam non eſſe vniuerſalem; in ſocietate autem non vniuerſali non ſunt conferenda bona caſtrenſia, nec quaſi caſtrenſia per ſuperius allegata, ergo non incongruè dicendum eſt, ideò illa bona non eſſe conferenda, quia illa ſocietas non eſt omnium bonorum, ſeù non vniuerſalis.

In ſocietate non vniuerſali non eſſe conferenda bona caſtrenſia.

6 Neque hic audiendi ſunt aliqui, qui quantumuis admittant illam ſocietatem eſſe generalem, ſeù bonorum omnium, & illa ſalaria, ſeù ſtipendia fratris emancipati computari inter bona caſtrenſia, ſeù quaſi caſtrenſia, exiſtimant adhuc durante illa ſocietate non eſſe conferenda, quià emancipatio confert ius non conferendi; Non, inquam, audiendi ſunt, quia emancipatio ex ſupra dictis non demit aliquod ius reſpectu ſociorum, ſi in eadem perſeuerent per ea, quæ habentur in textu *in l. ſed id, quod quis §. ſi filius familias ff. pro ſocio*, nam ſicuti non demitur aliquod ius reſpectu ſociorum extraneorum, ita non eſt, cur dematur reſpectu propriorum fratrum, cum in hoc nullum ſit ius poſitiuum aliter diſponens.

Ex emancipatione non tollitur onus conferendi caſtrenſia

7 Reſpondeo tertiò. Fratrem emancipatũ venire in communionem cum alijs fratribus quoad alia bona ſocietati expoſita, & etiam pariformitèr difformitèr quoad illorum ſalaria, & ſtipendia, niſi hæc fuerint etiam bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia. Colligitur expreſsè *ex d. l. ſi fratres §. item Papianus ff. pro ſocio*. Ibi. *Et ſtipendia, cateraque ſalaria in commune redigi iudicio ſocietatis*, vbi etiam Baldus aſſerit. *Quando inter fratres contracta eſt voluntaria ſocietas quilibet alteri debet conferre in illud, quod emancipatus fratribus exiſtentibus in poteſtate conferre tenetur*, & vlterius ratione ſic euincitur, quia per emancipationem ex præactis non eſt diſſoluta ſocietas, ergo omnia lucra, & damna, quæ à iure non eximuntur debent in eadem conferri inter ſocios, adeòque pariformitèr etiam, & difformiter etiam inter ipſos diuidenda; neque obeſſe poteſt, quod Frater emancipatus non conferat ſua ſtipendia caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia; non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem cæteri fratres rationabilitèr præſumere poterant, quod ſiuè alter fuiſſet emancipatus, ſiuè non, non contuliſſet bona, quæ ad ipſum pleno iure tam quoad proprietatem, quam quoad vſumfructum perueniſſent, ſicuti & ipſi hoc non præſtitiſſent. Adde, quod ex alibi dictis Frater habens indiuiſam cum cæteris fratribus hæreditatem non teneatur conferre lucrum ſibi obueniens ex publici muneris, & officij adminiſtratione *Azorius inſtit. mor. d. cap. 19. verſ. quartò quæritur Silueſter verb. peculium 2. quæſt. 20.* nec tamen in alijs deſinit venire in communione cum cæteris fratribus, ergo &c.

Lucra nõ priuilegiata omnia ſunt conferẽda.

Azorius.

---

§. VII.

An Monaci, ſeù Religioſi poſſint validè contrahere ſocietatem.

SVMMARIVM.

In quo conſiſtat ratio difficultatis 1.
Conſiderationes nonnullæ ad factum præſens 2.
Religioſus contrahens ſocietatem ſiuè ex bonis Religionis, ſiuè ex bonis propria induſtria acquiſitis ex facultate non ſibi, ſed Religioni ſtipulando validè, & licitè contrahit 3.
Religioſus contrahens ſocietatem ſine facultate, & nomine proprio inualidè contrahit 4.
Inualiditas eſt quoad actiones ciuiles, quandò contractus non ſint vtiles Religioni, ſecus quoad naturales, quandò ſunt vtiles 5.
Religioſus nec naturalitèr obligatur, & quomodo 6.
Satisfit rationibus in contrarium 7.

Diſquiſitio VII. Dictum fuit *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Prænot. 11. num. 3.* 1
Clericos conferentes pecuniam titulo ſocietatis non ſubire pœnas iuris latas contrà Clericos negotiatores, cum per huiuſmodi contractum non ità ſe implicent in ſæcularibus, vt animum diſtrahant à Diuinis; vndè ibi diximus validè, & licitè, quantum eſt ex natura contractus, & ex vi huiuſmodi iurium, poſſe contrahere. Quibus poſitis ſuppono in præſenti, quod Religioſus Profeſſus in aliquo ordine legitimè approbato plures contractus ſocietatis cum pluribus

Status difficultatis.

inierit ex pecunia, cuius vſus a Prælato proprio ſibi fuerat permiſſus; & ſucceſſiuè quæro, an huiuſmodi contractus in iure ſubſiſtant, & an pariant actiones tam actiuas, quam paſſiuas, tam naturales, quàm ciuiles; Pro clariori notitiâ

2 Aduerte primò, ex quibus bonis Religioſus ille contraxerit, an ex bonis Religionis, quorum nec habebat dominium, nec vſum, an ex bonis propria induſtria acquiſitis, quorum vſus ipſi cederet ex permiſſione Superiorum. Secundò, an contractus illos inierit ex facultate contrahendi ſibi tradita per eoſdem Superiores, an verò abſolutè ſine illa. Tertio, Religioſum quantum eſt de ſe ex vi ſolemnis profeſſionis in Religione emiſſæ nec habere actu, nec virtute dominium aliquod in rebus temporalibus pretio æſtimabilibus, nec vſum, aut adminiſtrationem iuris, ſed ad ſummum facti, vndè verificatur illud commune effatum, quod quidquid acquirit Monachus, acquirat Monaſterio. Quibus ſuppoſitis

Varia conſideratio nes circa factum.

3 Reſpondeo primò. Religioſum illum, ſiuè contraxerit ex bonis Religionis, ſiuè ex bonis propria induſtria acquiſitis, in quibus ex permiſſu Superiorum habet vſum facti reuocabilem, contraxerit, inquam, ſocietatem ex facultate Superiorum non ſibi, ſed Religioni ſtipulando, validè, & licitè contraxiſſe *Suarez tom. 3. de Religione l. 8. cap. 15. num. 2. Miranda in direct. prælatorum quæſt. 28. art. 13. concl. 1. Sanchez lib. 7. ſum. mor. cap. 31. num. 29.*

Suarez. Mirãda. Sanchez.

Probatur primò. Monaſterium ipſum contrahens per ſuos Procuratores ſocietatem validè, & licitè contrahit, ergo etiam Monachus contrahens ſocietatem ex facultate ſui Superioris non ſibi, ſed Monaſterio ſtipulando validè, & licitè contrahit. Antecedens probatur, quia Monaſterium ipſum eſt capax proprietatis, & liberam habet adminiſtrationem ſuorum bonorum per ſuos Officiales, & Miniſtros, nec vllo iure poſitiuo prohibetur contrahere, nam iura prohibent ſolummodò negotiationem propriè ſumptam, per quam animus diſtrahatur a diuinis, & trahatur ad ſæcularia per ea, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. d. Præn. 11. num. 3.* quod etiam confirmari poteſt ex eo, quod in tantum Religioſus non poteſt contrahere per ſe, in quantum non eſt capax dominij, & vſus iuris, ſed Monaſterium eſt capax dominij, & iuris, nec ex iure poſitiuo prohibetur contrahere, ergo &c. Conſequentia primi argumenti probatur, quia Monachus contrahens ex facultate ſui Superioris non ſibi, ſed Monaſterio ſtipulando ſe habet, vt miniſter contrahens nomine, & in fauorem Monaſterij, ergo ſi Monaſterium ipſum contrahens per ſuos Miniſtros validè contrahit, validè etiam contrahit Monacus contrahens ex facultate ſui Superioris ſtipulando Monaſterio.

Nõ eſt in iure contractus, nec defectu proprietatis, nec ratione diſtractionis animi.

Probatur ſecundò, quià æquiparatur ſeruo, & iura de vno loquentia habent locum in altero *l. cui fundus §. ſeruum, & ibi Alexander poſt Bart. ff. ſi cert. pet. Gloſa in l. cum heredes §. fin. ff. de acquir. poſſeſ. Innocentius in cap. cum olim 2. col. de priuil. Bartolus in l. 1. in princip. & §. pen. ff. de ſtip. ſeru. Alexander in l. 1. §. item acquirimus ff. de acq. poſ., & in l. ſtipulatio §. hi qui de verb. oblig.*, ſed ſeruus contrahendo ex facultate Domini, eidemque adſtipulando validè contrahit per ea, quæ ſuprà diximus *ſub hoc eod. tit. Diſquiſ. 2. §. 3. & 4.* ex iuribus, & rationibus ibi allegatis, ergo etiam Monacus contrahendo ex facultate ſui Superioris, & Monaſterio ſtipulando validè contrahit.

Monachus æquiparatur ſeruo. Alexander. Bartolus. Gloſa. Innocentius. Bartolu

Reſpondeo ſecundò. Religioſus contrahens ſocietatem ſine facultate ſui ſuperioris, & nomine proprio inualidè contrahit, & peccat peccato ex genere ſuo graui. Reſponſio quoad primam partem eſt *Innocentij c. cum olim in princip. nu. 2. de priuilegijs Abbatis c. ex reſcripto de iur. iur. nu. 1. Tapia auth. ingreſſi verb. ſua c. 18. nu. 17. C. de Sacroſ. Eccl. Panormitani cap. quanto de offic. ord. Nauarri c. non dicatis 12. quæſt. 2. Miranda in direct. Prel. q. 28. artic. 13. concl. 1.* Quoad ſecundam partem eſt *D. Thoma 2. 2. q. 32. art. 8. ad primum, D. Antonini 4. pars. tit. 16. §. 1. Soti lib. 4. de iuſt. quæſt. 1. art. 1. concl. 2. Sanctij lib. 7. ſumma mor. c. 31. num. 29. Bonacina diſp. 2. quæſt. 1. punct. 5. num. 16. Nauarrò c. non dicatis 12. quæſt. 2.* 4

Innocentius. Abbas. Tapia. Panormitanus. Nauarrus. Miranda. D. Tho. D. Anto. Sotus. Sanctius. Bonacina. Nauarrus.

Prima pars primò liquet ex varijs diſpoſitionibus iuris canonici *c. cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum, & c. non dicatis 12. quæſt. 2., & c. 5. Religioſus de elect. in 6.* Secundò ex paritate ſeruorum, & mancipiorum, quorum contractus facti ſine conceſſione Dominorum inualidos iudicauimus *ſub hoc eod. tit. Diſq. 2. §. 3. & 4.*, per iura, & rationes ibi allegatas. Tertiò rationibus, quia per ſuperius latè allegata non poteſt contrahere ſocietatem, qui quãuis habeat dominium, non habet adminiſtrationem, vel quamuis habeat adminiſtrationem, non habet dominium, cum ad validè contrahendum requiratur vtrumq; Sed religioſus legitimè profeſſus, nec habet dominium aliquarum rerum, nec adminiſtrationem iuris, ſed tantum vſum facti reuocabilem, ergo abſolutè ſine ſuperioris auctoritate nẽ poteſt contrahere. Confirmatur primò, quia ſinguli Religioſi ſecundum ſe ſumpti computantur in iure pro minoribus, ſeu pupillis exiſtentibus

Variæ rationes inuincentes intentum.

ſub

Religioſi iure comparantur pro minoribus.

ſub poteſtate ſui ſuperioris, ſicuti illi exiſtunt ſub poteſtate tutorum, & curatorum; ſed contractus per minores initi in iure irritantur, ergo &c. Confirmatur ſecundò, quià Religioſi, nec habent velle, nec nolle, ſed reputantur pro mortuis, ergo nec validè poſſunt contrahere, cum ſubſtantia contractus conſiſtat in libero conſenſu per contrahentes præſtito.

Aduerſus hanc partem reſponſionis militare poteſt primò, quod ſi Religioſus eſſet incapax dominij, & ob hanc rationem non poſſet contrahere, nec contrahere poſſet accedente ſui ſuperioris facultate, quandòquidem hęc non poteſt eidem conferre capacitatem, cum ſit contrà ſubſtantiam voti paupertatis ſolemniter in Religione emiſſi, quod tamen eſt contrà ſuperiùs dicta. Secundò, quod Religioſus eſt capax donationis paſſiuæ, legati, & hæreditatis, ergo capax dominij, adeòque alios ſibi obligandi. Sed non multum negotij nobis faceſſunt huiuſmodi vrgentia; nam ad primum dicendum eſt, facultatem ſuperioris non conferre capacitatem dominij in ſuo ſubdito incapaci, ſed ſolummodò conſtituere eundem Religioſum contrahentem tanquam Miniſtrum ad contrahendum nomine Religionis, eidemque ſtipulandum, in quo nulla reſultat ratio turpitudinis. Ad ſecundum dicendum eſt, Religioſum non dici capacem hæreditatis ſecundum ſe, quatenùs ſibi ipſi poſſit illam acquirere, ſed quatenùs eſt medium, vi cuius eadem hæreditas deuoluitur Monaſterio, ſeù Religioni, cuius nomine ad ſummùm acceptatur per eundem Religioſum.

Facultas non reddit capacem dominij, ſed facit, contractum eſſe nomine Religionis capacis.

Secunda pars facile euincitur primò, ex varijs iuris canonici diſpoſitionibus, & primò *ex cit. cap. ad Monaſterium de ſtatu Monac. & cap. non dicatis 12. quaſt. 2. & ex clem.* 2. §. *ſed & ſi tales de vita, & honeſt. Cleric. & ex clem. exiuit de Paradiſo*. Secundò ex illo facto D. Gregorij; qui damnauit Monachum, apud quem poſt mortem inuenta eſt pecunia, iuſſitque extrà cæmeterium humandum cum tali pecunia, vt ipſa eſſet ſecum in perditione, ex quo meritò arguitur grauitas delicti, cum contrectauerit pecuniam illam ſine ſuperiorum ſuorum facultate, ergo contrahere ſine ſuperioris permiſſu in Religioſo graue eſt delictum. Tertiò ratione, quià contrahere ſine licentia ſuperioris eſt proprietatis actus, ergo contra votum paupertatis, ergo ex genere ſuo peccatum graue. Dixi, *ex genere ſuo*, non enim negauerim, quandòque, vel ex leuitate materiæ, vel ex inconſideratione operantis, vel ex inuincibili ignorantia peccatum illud poſſe eſſe leue, vt videre etiam eſt in furto, quod quamuis ex genere ſuo læthale, poteſt quandòque ex ſimilibus cauſis eſſe nonniſi veniale.

Grauitas delicti arguitur ex facto D. Gregorij

5 Reſpondeo tertiò, hæc, quę dicta ſunt in hac ſecunda reſponſione verificari potiſſimùm quoad inualiditatem quoad actiones ciuiles in foro externo, quandò contractus non ſunt vtiles, nec proficui Religioni, ſecus ſi ſint eidem proficui, & Religio ipſa ſtare velit contractui *Sarmient. de redit. lib.* 1. *cap.* 2. *nu.* 19. *Immola cap. Raynutius nu.* 31. *de teſtam. Altiatus l. ſeruus nu.* 3. *C. de pactis. Silueſter verb. Religio* 8. *quaſt.* 4. *Tabiena verb. Monachus quaſt.* 11. *num.* 12. *Sanctius lib.* 7. *cap.* 31. *num.* 28. *Nauarrus tom.* 2. *de Regularibus nu.* 32. *& num.* 65. *verſ. addo ergo, Panormitanus cap.* 4. *de offic. ordin. n.* 64.

Sarmiēt. Immola. Altiatus. Silueſter. Tabiena. Sanchus. Nauarrus. Panormitanus.

Colligitur primò *arg. l. Iulianus* §. *ſi quis à pupillo ff. de act. empt. & Inſtit. de auctoritate tut. in princip.*; vbi dicuntur filij familias, & ſerui non ſe, nec Dominum, nec Patrem alijs contrahendo obligare, alios verò in ijs, quæ ſunt proficua, & Domino, & Patri obligare; vnde in iure ratione talis obligationis non mutuæ huiuſmodi contractus per ipſos initi dicuntur claudicare, ergo etiam hoc idem dicendum eſt de contractibus per Religioſos initis in eorum fauorem, & Religionis. Conſequentia tenet ex ſupradictis, quia iura, quæ loquuntur de ſeruis, & filijs familias extenduntur etiam ad Religioſos iuxtà iura ſupra allegata *in probatione ſecunda prima reſponſionis in hoc eod.* §. Secundò *ex Gloſa in cap.* 1. *ne Sede vacante*, vbi prædicta de contractibus ſeruorum, & filiorum familias extenduntur ad contractus in fauorem Eccleſiæ, ſeù Monaſterij. Ex quibus omnibus habes dari optionem Monaſterio, aut improbandi, aut approbandi illos contractus initos per Religioſum, adeò vt alios obligare poſſint ad ſtandum eiſdem contractibus, non tamen ipſi obligari.

Contractus per Religioſos initi dicuntur claudicare, & quomodo.

Gloſa.

Dixi, *quoad actiones ciuiles in foro externo*; nam quoad actiones naturales diſſidium eſt inter Doctores, an ſit validus contractus per Religioſum initus, adeò vt non ſolùm obliget alium contrahentem, ſed etiam ipſe Religioſus naturalitèr obligetur. Præcipua ratio dubitandi ex ijs conſurgit, quas ſuprà diximus, nempè Monacum, ſeù Religioſum æquiparari ſeruis, & filijsfamilias, ſed iſti ex ſuperius etiam dictis contrahendo obligantur naturalitèr, ſi non ciuilitèr, ergo & illi. Cui etiam rationi dubitandi hanc adde, quia Religioſus per vota naturalitèr Deo obligatur, ergo etiam per promiſſiones factas hominibus in contractibus poſſunt eiſdem obligari; propter quas rationes *Nauarrus comment.* 2. *num.* 42. *fin. de reg. Silueſter verb. Religio num.* 8. *quaſt.* 3. *Roſella verb. Monachus num.* 7. *Azorius tom. primo inſtit. mor. lib.* 12. *cap.* 11. *quaſt.* 5.

Nauarr. Silueſter. Roſella. Azorius.

Rebellus *Rebellus de iuſt. part. 2. lib. 1. quaſt. 8. ſect. 1. num. 4.* ſuſtinent etiam Monachos, & Re-
6 ligioſos obligari naturalitèr. Nihilominus in caſu ſpeciali de Religioſo probabiliùs
Hoſtienſis. crederem, nec naturalitèr obligari *Hoſtienſis in ſumma tit. de fideiuſ. §. & ſi quis num. 3. verſ. item excipitur Monachus.* Fortunatus. *Fortunatus l. Gall. §. & quid ſi tantum num. 70. ff. de liber. & poſth.* Cagnolus. *Cagnolus l. in perſona num. 3. ff. de reg. iuris*, cui opinioni, vt probabi-
Molina. liori adhæret *Molina diſp. 140. verſ. potius diſtinguerem.* Ratio autem, cur naturalitèr obligentur ſerui, & filij familias, & non Religioſi ex eo deſumitur, quod filij
Diſparitas inter Religioſū, & ſeruū, & filium familias. familias, & ſerui, vel habent peculium, vel ſaltem poſsunt habere quoad dominium, & adminiſtrationem iuris; hoc autem nec habent, nec habere poſsunt Religioſi, cum ita ſint incapaces dominij, vt quamuis per ſuas operas, & induſtriam aliquid acquirant, nec per inſtans acquiſitionis illud ipſis acquiratur, ſed immediatè tranſeat in Monaſterium, vt eſt in confeſſo apud omnes Theologos &c. Accedit, quod nequit eſse naturalis obligatio ad impoſſibilia; impoſſibile autem eſt, quod Religioſus habere poſſit, quo adimpleat obli-
Zabar. Anton. Cur. gationem *Zab. in commun. opin. quaſt. 446. num. 13. Anton. Cuc. lib. 3. inſtit. mor. tit. 3. num. 37.* Neque obeſse poteſt, ſi aſſeratur contractibus per Religioſos initis aſſignari poſse fideiuſsorem, quod ſignum eſt naturalis obligationis, nam fideiuſſio ſupponit antecedentem obligationem, cui accedit, ſine qua propterea eadem fideiuſſio non
Non poteſt fideiuſſor accedere, niſi in fauorē Religionis. poteſt ſubſiſtere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia fideiuſſio quoad contractus Religioſorum non tenet, niſi quatenus accedit contractui inito nomine Religionis, & cum facultate Superioris, qua ratione obligatur eadem Religio, quæ eſt capax dominij; cæterum ſi accedat priuato Religioſi contractui ſine facultate Superioris non ſubſiſtit formalitèr, vt fideiuſſio, & in ſubſidium, ſed ad ſummum, vt principalis obligatio, quatenus ipſe ſe primò obligat, quamuis res, intuitu cuius obligatur, Religioſo conferatur.

7 Ad rationes dubitandi iam patet quid ſit reſpondendum; quamuis enim in pluribus quoad obligationes ciuiles æquiparetur Monachus ſeruis, & filijs familias; ex ſpeciali tamen iure, & ratione ſpecialis ſtatus quoad obligationes naturales multa poſſunt competere ſeruis, & filijs familias,
Reſpondetur rationibus dubitādi. quæ non poſſunt competere Monacis, tùm ob ſpecialem ſubiectionem, quam habent iſti ad ſuos, tùm ob incapacitatem dominij, quæ eſt in iſtis, non ſic in illis. Ad illud, quod ſubditur de votis Deo factis, & de contractibus cum hominibus initis, in quibus interueniunt promiſſiones &c. patet etiam diſparitas, quià Religioſus in ijs, quæ pertinent ad maiorem perfectionem a ſe nō abdicauit per profeſſionem dominium, quinimmò ſe magis ad illam acquirendam ex vi ſtatus obligauit, quapropter, & debet ſecundum promiſſionem impendere Deo, in reliquis verò à ſe abdicauit dominium, ſeque ad illud conſtituit incapacem, adeòque &c.

---

§. VIII.

An ſufficiat licentia tacita Superioris, adhoc vt Monachus validè contrahat.

SVMMARIVM.

Exponitur in quo ſenſu accipienda ſit difficultas 1.

Sufficit licentia tacita Superioris, vt poſſit validè, & vtilitèr contrahere 2.

Non requiritur auctorizatio Prælati, ſed ſufficit conſenſus 3.

Non præſumitur conſenſus Prælati, ſi contractus prauideatur noxius Religioni, benè tamen, ſi vtilis 4.

Diſquiſitio VIII. Titius Sacerdos Pro- 1
feſſus in aliqua Religione per Eccleſiam approbata ex permiſſione, & conceſſu ſui Superioris habebat aliquod peculium non quidem quoad dominium, nec quoad vſum iuris, ſed tantum quoad vſum facti ad nutum eiuſdem Superioris reuocabilem.
Ex notitia præhabita facilitatis in Superiore concedendi facultatem ad contrahendum in aliquo genere, & præcipuè contractibus ſocietatis, & ex ratihabitione in alijs ſimilibus per ipſum præſtita, & ipſe Titius præſumit tacitum conſenſum eiuſdem Superioris, & ſic contrahit ſocietatem ipſo Superiore vidente, & non contradicente, per quod magis firmat tacitam licentiam. *Quomodo poſſit præſumi licētia tacita ſuperioris* Quæritur iam, an contractus per hanc tacitam facultatem initus ſit validus, & in iure ſubſiſtens, perindè, ac ſi eſſet initus per expreſſum conſenſum. De hac controuerſia latè diſputat *Suarez tom. 3. de Religione lib. 8. cap. 15.* Suarez., vbi etiam explicat, in quo conſiſtat, ſeù per quid haberi poſſit illius tacitæ facultatis præſumptio. Omiſſis Doctorum placitis, & explicatione talis conſenſus taciti, ne diutius, quam par ſit controuerſiam protrahamus, cum hæc omnia videri poſſint apud eundem *Suarez loc. cit.*

Reſpondeo ſufficere licentiam tacitam 2
ſuperioris adhoc, vt validè, & vtilitèr Religioſus de peculio, cuius habet vſum reuocabi-

Miranda. Nauarrus. cabilem poſſit contrahere ſocietatem. *Miranda part. 1. q. 28. art. 14. concl. 1. Nauarrus cap. non dicatis cap. 2. quæſt. 2. nu. 20. Sanctius lib. 7. ſum. mor. cap. 31. quæſt. 2.* Expreſſe colligo hanc reſponſionem ex *D. Thoma ſecunda ſecundæ quæſt. 32. art. 8. in ſecunda concl.*, vbi aſſerit, Monachum non poſſe contrahere ſine licentia Abbatis, vel expreſſè habita, vel probabilitèr præſumpta, ergo argumento a contrario ſenſu, ſi voluntas probabilitèr Abbatis, ſeù Superioris præſumpta acceſſerit, poterit contrahere, ſeù validus erit contractus, & vlterius ratione ſic euinco; Regulariter loquendo eadem eſt ratio taciti, ac expreſſi *l. cum quid ff. de reb. cred. & cap. 2. de reſcriptis*; id, quod etiam maximè commendat *Gloſa in l. expreſſè ff. de reg. iur.* Confirmari etiam poteſt, quia voluntas quantumuis tacita eſt propria, & ſecundum ſe voluntas, ſed contractus initus cum voluntate Superioris per Religioſum eidem ſubditum eſt ſecundum ſe, & iure validus, & ſubſiſtens, ergo etiam contractus initus per eundem cum voluntate ſolùm tacita eiuſdem.

D. Thom. — *Eadem eſt ratio taciti, & expreſſi.* — Gloſa.

Dices, taciturnitatem ſecundum ſe non inducere propriè conſenſum *l. filius familias §. initus ff. de Procur. l. ſicut §. non videtur ff. quib. mod. pign. vel hypot. ſolu. Hypol. Marſ. in practica §. aggredior num. 62.* nec tacens videtur auctorare, quia vox requiritur *l. 1. §. fin. & ibi Bartolus ff. de auct. tut. & in l. quod dicimus §. ſi duo eod. tit. Baldus in l. ſi ſine in ſecunda quæſt. C. ad Velleianum, & in l. potuit 11. quæſt. C. de iur. deli.* Sed contra, quia quamuis taciturnitas, ſi nudè ſumatur, non inducat propriè conſenſum, inducit tamen, ſi ſit adminiculata pro conſenſu, quia adminicula faciunt vehementem præſumptionem, præcipuè cum tacitum, quod ex mente colligitur, habeatur pro expreſſo *Felin. in cap. translata de conſulati. Franciſcus Curtius Minor conſ. 159. col. fin. Laurentius Silua conſ. 95. num. 16. vol. 2.* Deindè taciturnitas eius, cuius eſt neceſſarius conſenſus ad perficiendum actum, quia de ipſius intereſſe agitur, ſi contradicendo actum impedire potuit, pro conſenſu habetur *l. ſi deiuſſor §. Pater Seij ff. de pig. l. caius ff. de pign. act. l. ſæpè ff. de re iud. & c. quamuis eod. tit. Ludouicus Romanus in l. quæ dotis ff. ſol. matrim.*, & taciturnitas regularitèr interpretatur contrà tacentem *l. de ætate §. qui tacuit, & ibi Bartolus in princip. ff. de interog. act.* Ad id, quod ſubditur de auctorizatione, præterquamquod non ita verum eſt, quod dicitur, vt per Doctores Claſſicos non aſſeratur contrarium; *Bartolus poſt Gloſam in l. etiam ff. de auctorit. tut. Dinus in reg. qui tacet in 6.* dicendum eſt ad validitatem contractuum per Religioſos initorum non requiri autorizationem Prælati, ſed ſolùm ipſius commentum, & ſic quamuis tacens non authoret, poteſt tamen conſentire, & pro conſentiente habetur ex alijs adminiculis.

Hypol. Marſ. — *Taciturnitas ad miniculata pro conſenſu inducit conſenſū.* — Bartolus. Baldus. Felinus. Franciſcus Curtius. Laurent. Silua. — Lodouic. Roman. — Bartolus. — 3 — Bartolus. Gloſa. Dinus.

4 Hic oritur difficultas, an quandò Prælati non eſt poſitus expreſſus conſenſus æquè ille præſumatur, ſiuè contractus initus per Religioſum fuerit vtilis Monaſterio, ſiuè eidem præuideatur noxius. Probabilius exiſtimo, non præſumi, ſi præuideatur noxius, benè tamen, ſi ſit vtilis *Bartolus poſt Gloſam in l. quo enim in princip. ff. rem rat. hab. not. in l. ſi filius ff. ad Macedonianum l. Procurator §. fin. ad exhib. & d. l. quo enim ff. eod.* quinimmò etiam aliqui dicunt, quod ſi contractus ſit indeferens, taciturnitas nihil operetur *l. Iulianus §. ſi quis colludente ff. de act. empt. l. cum qui §. duobus ff. de hared. inſtit. Baldus in l. ſi abſentis in 2. col. in princip. verſ. 2. quæritur C. ſi cert. pet.*

Bartolus. Gloſa. — Baldus.

---

§. IX.

An vſurarius validè poſſit contractum ſocietatis inire.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries cum ratione dubitandi 1.

Nonnulla conſiderationes circa dubium 2.

Societas inita per vſurarium conferendo capitale antea mutuatum quantumuis vſurariè valida eſt &c.

Societas inita per lucrum vſurariè acquiſitum valida eſt, ſi res eadem lucrata non remaneat in indiuiduo 4.

Societas inita per rem vſurariam in indiuiduo extantem non eſt valida 5.

Satisfit rationibus in contrarium 6.

1 Diſquiſitio IX. Caius per plures contractus mutui cum varijs perſonis initos multa vſurariè aſſecutus eſt: Quibus ſic acquiſitis contractus etiam ſocietatis cum alijs nonnullis ſeruatis omnibus legibus, & conditionibus eiuſdem ſocietatis per eadem bona, quæ conſecutus fuit ex mutuis vſurarijs, celebrauit. Hic orta fuit controuerſia, an contractus ſic initi ſocietatis per ipſum Caium vſurarium ſint validi, & in iure ſubſiſtant, Pro ſolutione

2 Aduerte, an illa bona, quibus Caius vſurarius contrahit ſocietates, fuerint bona, quibus ipſe tanquam per principale antecedentèr varios cum alijs contractus mutui iniuit, medijs quibus poſteà acquiſiuit lucrum, vel vſuras, an verò fuerint bona ipſa acquiſita per vſurarias prauitates per ipſum

Conſiderandum quanam ſint bona, quibus ſit cotractus.

ipſum commiſſas. Secundò ex ſuppoſitione, quod fuerint bona per vſurariam prauitatem acquiſita, an fuerint illa eadem in ſpecie extantia, quæ ſic fuerunt acquiſita, an verò alia medio illorum ex alijs varijs contractibus comparata, quæque modo conferuntur in ſocietatem. Quibus conſideratis

3 Reſpondeo primò. Si Caius ſocietatem inierit per collationem capitalis, quo antecedenter contractus mutui cum alijs celebrabat, quantumuis vſurariè, ſocietas in iure valida eſt, & ſubſiſtit. Eſt contra Altiſiodorenſem, & alios nonnullos, qui adeò aduerſus vſurarios fremebant, vt quoſcunque eorum contractus irritos iudicarent; eſt tamen reſponſio quoad alios omnes tùm Theologos, tùm iuris interpretes communis.

Altiſio-dorenſis

Probatur, ille contractus initus eſt per capitale, quod eſt proprium eiuſdem vſurarij, nec vllo iure poſitiuo damnatur, vt irritus, ergo non eſt, cur non debeat in iure ſubſiſtere. Antecedens probatur, quià per hoc, quod quis capitale ſuum applicauerit ad vſuras, non propterea illud capitale amiſit, ſed duntaxat impiè vſuras acquiſiuit, quas propterea tenetur reſtituere, ergo contrahendo per illud capitale iuſtè, & validè contrahit; nec alicubi reperitur aliquis textus prohibens, vel irritans contractum per vſurarium initum, quandò initur per ſubſtantialia propria ipſius vſurarij contrahentis; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, ipſum capitale remanere hypothecæ ſubiectum propter vſuras, ſeù in ſatisfactionem vſurarum indè acquiſitarum, & proindè, vt rem alteri vinculatam non poſſe venire in contractum ſocietatis; non, inquam, obeſſe poteſt, quià nullibi reperitur ipſum capitale ſubijci hypothecæ pro rebus vſurariè acquiſitis, quinimmò nec ipſa bona vſurariè acquiſita, ſi eadem non perſeuerent, ſed ſimilia, quantumuis fuerint ex pecunia vſuraria acquiſita, remanent hypothecata pro vſuris, vt benè docent *Caietanus 2. tom. opuſc. tract. 8. cap. 4. Sotus lib. 6. de iuſt. quæſt. 1. art. 4. ad tertium. Coaruuias lib. 3. var. reſol. cap. 3. nu. 6. Silueſter verb. vſura 6. num. 5.* non enim hypotheca in bonis vſurarij oritur ex ipſa rei natura, neque ex aliquo pacto implicito, neque ex aliqua iuris diſpoſitione per ea, quæ latè diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus 3. de mutuo, & vſuris Pranot. 14. num. 8. verſ. probatur ſecunda pars.*

Initur eſt per bona propria eiuſdem vſurarij.

Capitale non ſubijcitur hypotheca pro rebus vſurariè acquiſitis

Caietanus. Sotus. Coaruu. Silueſter.

4 Reſpondeo ſecundò. Si Caius ſocietatem inierit per lucrum, quod vſurariè ex mutuo acquiſiuit, valida eſt ſocietas, ſi res illa lucrata non amplius extet in ſpecie, vt loquuntur iuris interpretes, vel in indiuiduo, vt loquuntur Theologi, nec apud ipſum vſurarium, nec apud tertiam perſonam, cum qua contractum iniuit, ſed ex ipſa fuerit facta emptio aliarum rerum, & per iſtas eadem ſocietas contrahatur, vel res illa vſuraria acquiſita, vtpotè recipiens functionem fuerit cum alijs rebus confuſa, & ſic per ipſas inita ſocietas. Conſentit in hanc reſponſionem *Ognate d. tract. 2. de cauſis contractuum diſp. 6. de cauſa efficiente ſoct. 10. num. 151. verſ. hoc, ergo lucrum*, & eſt conformis ijs, quæ nos etiam docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Pranot. 14. num. 8.* conformitèr ad mentem *Caietani 2. tom. opuſ. tract. 8. cap. 4. Soti lib. 6. de iuſt. quæſt. 1. art. 4. ad tertium*, aliorumque, quos allegauimus ſuprà in probatione præcedentis reſponſionis.

Ognate.

Caietan. Sotus.

Probatur primò in ſuppoſitione, quod ex pecunia, ſeù alia re vſurariè acquiſita facta fuerit emptio alterius, & per iſtam contracta ſocietas per vſurarium. Probatur, inquam, quia illa res per pecuniam vſurariam acquiſita facta eſt propriè quoad dominium eiuſdem vſurarij, ergo per illam, tanquam per rem propriam ipſe vſurarius contrahere potuit ipſam ſocietatem. Antecedens probatur primò *ex cap. cum tu de vſuris*, vbi ſic legitur, *vbi bona vſurariorū peruenerunt ad aliquem ex titulo oneroſo non poſſint vindicari per potentem recipere vſuras* quem textum nos explicantes *d. tom. 3. ſub tit. Contractus III. Pranot. 14. num. 9.* diximus, intelligendum eſſe non de bonis ipſis vſurariè acquiſitis in ſpecie, ſeù in indiuiduo perſeuerantibus, ſed de alijs medijs ipſis acquiſiuis, ergo, quià illa bona ſic acquiſita propriè tranſierunt in dominium vſurarij. Secundo ex *l. 8. C. ſi quis alteri, vel ſibi*, vbi ſic legitur. *Qui aliena pecunia comparat, non ei, cuius nummi fuerunt, ſed ſibi tàm actionem empti, quàm dominium, ſi ei tradita fuerit poſſeſſio, comparet.* Tertiò ex textu *in l. qui vas in fin. ff. de furtis*, vbi ſic legitur. *Nummus, qui redactus eſt ex pretio rei furtiua, non eſt furtiuus.* Conſequentia primi argumenti probatur, quia ſocietas conſtituta in re propria ſubſiſtit.

Res per pecuniam vſurariā acquiſita, ſit vſurarij.

Pretium rei furtiua non eſt furtiuum.

Dices primò. Vſurarius computatur, vt fur, ſeù latro *cap. ſi quis vſuram 14. quæſt. 4.* ſed fur tenetur non ſolum reſtituere rem furtiuam, ſed etiam id, quod ex ipſa acquirit, ergo &c. Sed contra, quia præterquam quod vſurarius non eſt in rigore fur, & latro, adhuc non benè euincitur, quod pretium rei furtiuæ eodem iure ſit deuictum, ſicuti res ipſa furtiua iuxta allegata iura; vndè ſi ipſe vſurarius tenetur vſuras reſtituere, non tenetur potiùs in hoc pretio, quam in alio reſtituere, adeòque &c. & iuxta hunc ſenſum non incongruè docet *Ognate loc. ſuprà cit. num. 151.*, quod licet vſurarius, quod idem eſt de fure lucrum

Ognate.

vſura-

Obligatio nõ eſt realis, ſed perſonalis.

vſurarum teneatur reſtituere, illa tamen obligatio non ſit realis, ideſt, quæ ſit in re aliqua vſurarij, vel ſucceſſoris eius in illa, ſed perſooalis, quatenùs perſona vſurarij, & conſequenter omnes res eius obligantur generalitèr ad reſtitutionem lucri. Sunt verba formalia eiuſdem Ognate; vndè ſi res aliquæ alienentur, vel conferantur in conſortium, cum non ſint ſpecialitèr obligatę, non veniunt amplius ſub obligatione reſpectu mutuatarij, ſed ab illa eximuntur.

Dices ſecundò, id, quod emitur pecunia vſuraria ſuccedit loco pecuniæ, & pretij *l. ſi rem, & pretium ff. de pet. hæred.* ergo id, quod acquiritur ex re vſuraria non fit vſurarij, ſed remanet mutuatarij. Sed contra; res empta ſuccedit tantum loco pecuniæ in hæreditatibus, dotibus, non vniuerſalitèr in omnibus *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 5. cap. 12. verſ. ad tertium. Molina diſp. 327. verſ. ad tertium. Bartolus in l. qui vas l. qui, & rem, & pretium ff. de furtis.*

Azorius. Molina. Bartolus.

Probatur ſecundò in ſuppoſitione, quod res illa vſurariè acquiſita, vtpotè recipiens functionem fuerit cum alijs rebus confuſa, & per ipſam ſimul cum alijs inita ſocietas. Probatur, inquam, quia res illæ confuſæ cum alijs titulo ſpecificatioois acquiſitæ fuerunt quoad dominium ipſi ſpecificanti per ea, quæ latè tradidimus *tom. 1. ſub tit. Contractus I. de contractibus vt ſic Prænot. 2. num. 8.* & intelliguntur quaſi conſumptæ, adeòque ſufficit, ſi reſtituantur in ſpecie in eodem numero, pondere, & menſura per ea, quæ tradit *Ognate loc. ſuprà cit.* ergo, ſi per illas fuerit inita ſocietas, vtpotè per res proprias quoad dominium iure ſpecificationis erit valida, & ſubſiſtens.

Titulo ſpecificationis ſit eõ fundentis

Ognate.

Reſpondeo tertiò. Si Caius ſocietatem inierit per rem vſurariè acquiſitam, quæ eadem extat in ſpecie, vt loquuntur Iuriſtæ, vel in indiuiduo, vt loquuntur Theologi, ſocietas valida non eſt, nec in iure ſubſiſtit. Conſonat cum ijs, quæ diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 14. num. 12.*, & eſt contra *Ognate d. tract. 2. diſp. 4. ſect. 10. num. 152.* qui pro ſe innumeros citat, licet incongruè.

Ognate.

Probatur primò ex ijs, quæ ſuperiùs dicta ſunt. Nam contrahere validè non poteſt ſocietatem, qui vel non habet dominium, vel ſi habet dominium, non habet adminiſtrationem per ea, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Prænot. 11. in princip.*, ſed vſurarius non habet domioium quoad rem vſurariè acquiſitam exiſtentem in ſpecie, vel indiuiduo, ergo quoad illam non poteſt contrahere ſocietatem. Minor probatur *ex D. Thoma ſecunda ſecundæ quæſt. 78. art. 3.* vbi ait. *Idcirco vſurarium teneri reſtituere fructus rei per vſuram acquiſita, cuius ſunt fructus res, cuius dominium apud eum perſeuerat, à quo per vſuram illam accepit*, ergo dominium rei extantis per vſuram acquiſitæ, ſi remanet, penes eum remanet, a quo vſurarius accepit, oon tranſit in ipſum vſurarium; Neque dicas, hæc verificari dumtaxat, quandò res, quæ remanet, & in ſpecie exiſtit, eſt non vſu coosumptibilis, & proinde D. Thomas loc. cit. addidit, *quæ res vſu non conſumitur*, quod idem adnotauit Medina, ergo ſi res illa fuerit vſu conſumptibilis, erit ſub dominio vſurarij acquirentis; contrà enim impugnaberis, quia quotieſcunque res ipſa extat in ſua ſpecie, ſeù in indiuiduo Dominus ius habet in re ipſa præſciodendo a quacunque re alia ſimili, & poteſt iuſtè velle ipſam, & oon aliam; tùm quia nec Vſurarius ipſe, ac acquiſitor poteſt æſtimationem dare contrà voluntatem ipſius *l. 2. in princip. ff. ſi cert. pet.* & clarus eſt textus *in cap. ſi res 14. quæſt. 6. & cap. cum tu de vſuris*; tùm quia quamuis poſſit rem eiuſdem rationis diſtinctam à recepta reſtituere, non tollitur tamen, quin res ipſa recepta quoad dominium pertineat ad conferentem, cum res, quæ reſtituitur, ſubrogetur loco rei receptæ. Ad illud, quod dicitur ex D. Thoma, qui addidit illam particulam. *Quæ res vſu non conſumitur*, dico primò id addidiſſe, quia ibi erat ſermo de re fructifera, vt textum legenti eſt manifeſtum, quæ regularitèr non ſupponitur vſu conſumi; Secùndo dico, hoc addidiſſe; quia res, quæ recipiunt functionem regularitèr confunduntur cum alijs, & propterea &c. ſi tamen ità non confundantur, & per conſequens moralitèr non conſumantur, non eſt, cur &c.

Non poteſt contrahi ſocietas ab eo, qui dominium non habet.

D. Thom. Medina.

Vſurarius non poteſt dare æſtimationem contra voluntatem domini.

Probatur ſecundò *ex reg. nemo ff. de reg. iuris*, vbi ſic habetur. *Nemo in alium transferre plus iuris poteſt, quam ipſe habeat*, ſeù ex illo commuoi adagio. *Nemo dat, quod non habet*; ſed vſurarius noo habet dominium in rebus per vſuram acquiſitis, ſi eædem in ſpecie extent, ergo illud non poteſt alijs communicare, ergo per illas, nec ſocietatem inire.

Nõ poteſt quis transferre maius ius, quã in ſe habeat.

Nunc ad rationes, quæ in contrarium 6
afferuntur, reſpondendum eſt, & quidem primò ad iura, quæ per ipſum allegantur, dicendum eſt, ea non eſſe ad rem præſentem, quandòquidem ipſa loquuntur dumtaxat de rebus per venditionem rerum vſurariarum acquiſitis, vt legenti eſt manifeſtum. Subdit ſecundò hanc rationem, quia in his contractibus, ſeù negotiationibus miſcetur induſtria, quæ ſolet eſſe principale in contractu, & maioris valoris, quam res ipſa naturalis, & propterea illa ſecum trahit rem ipſam naturalem. Sed hæc ratio nihil probat, quandòquidèm, quod vſurarius impendat illam induſtriam, ex ſuo arbitrio impendit, & contra ratio-

Oppoſita per Ognate, eorumque confutatio.

rationem, adeòque eius conditioni non eſt imputanda in fauorem; Debét enim ſibi imputare, quod malè impenderit, Deindè quot ſunt contractus, & negotiationes in quibus induſtria non præualet valori rei naturalis? Addit tertiò aliam rationem, quæ tamen modici roboris eſt; aſſerit enim contractum eſſe validum, potius cedere in præiudicium vſurarij, quia in primis tenetur reſtituere valorem rei, quam in conſortium contulit, compenſare damna, quæ emerſerunt Domino, & vlterius habet ipſe Dominus actionem euictionis aduerſus illum, cum quo contraxit, quam non haberet, ſi contractus non eſſet validus; Modici, inquam, roboris eſt hæc ratio, quia per hæc, quæ dicuntur, non tollitur, quin dominium rei, quam vſurarius confert in conſortium non ſit ipſius, adeòque quod illud nequeat alteri communicare, quod ſatis eſt ad inferendum per illam rem non poſſe contrahi ſocietatem; quod deinde contractum eſſe validum cedat in præiuditium vſurarij, & potius in vtilitatem læſi per vſuram, vt dicitur in argumento Ognatis, hoc non facit validum id, quod defectu materiæ, quæ neceſſariò requiritur ad validitatem, eſt inualidum.

Reliqua, quæ ſpectare poſſunt ad hanc controuerſiam, & ad alia, quæ ex ipſa conſequi poſſent recolenda ſunt ex dictis *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Pranot. 14. per totum.*

---

§. X.

An prodigus in rebus ſuis poſſit contrahere ſocietatem.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries, & rationes dubitandi 1.

Prodigus validè iniuit ſocietatem ante interdictam adminiſtrationem, & aſſignatum Curatorem 2.

Extende etiam, ſi prodigus fuerit notoriè talis 3.

Prodigus iniens ſocietatem poſt interdictam adminiſtrationem inualidè contrahit quoad actiones ciuiles, non tamen quoad obligationes naturales 4.

Satisfit obiectionibus Ognate 5.

1 DIſquiſitio X. Fabius re vera prodigus, cum neque tempus, neque finem expenſarum habeat, ſed bona ſua dilacerando, & diſſipando profundat, contractum ſocietatis cum Theodorico iniuit, vi cuius eidem contulit mille nummos aureos exponendos negotiationi. Orta fuit controuerſia, an talis contractus ſubſiſteret. Pro ſolutione recole, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de emphyth., & cenſibus Pranot. 17. num. 6. & ſeqq* an ſcilicet tali prodigo intuitu prodigalitatis interdicta fuerit adminiſtratio propriorum bonorum, & eidem aſſignatus curator, vel nec interdicta adminiſtratio, nec aſſignatus curator. Quibus ſuppoſitis *Nonnulla præponderanda ad quæſitum.*

2 Reſpondeo primò. Si Fabius inierit ſocietatem ante ſibi interdictam adminiſtrationem, & aſſignatum Curatorem validè iniuiſſe *Felicianus de ſolis in comment. de Cenſibus tom. 1. lib. 2. cap. 2. num. 18. Cencius de cenſibus part. 1. cap. 2. quæſt. 1. art. 3. num. 8. Ripa in l. is cui bonis num. 37. ff. de verb. obligationibus. Leſſius lib. 2. cap. 17. de contract. in gen. dub. 8. nu. 62. verſ. 3. quod dictum eſt*, & eſt conformis ijs, quæ nos tradidimus *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de Emphyth. & cenſibus Pranot. 17. num. 7.* Felician. de Solis. Cencius. Ripa. Leſſius.

Ratio huius noſtræ reſponſionis ex eo deducitur, quia nihil eſt, quod obſtare poſſit validitati talis contractus, ergo non eſt, cur non debeat ſubſiſtere. Antecedens probatur; non poteſt obſiſtere primò defectus dominij in re, quam exponit ſocietati, quandòquidem ſupponitur gaudere pleno iure in rebus illis, quas exponit, alijſque, quas poſſidet, non enim per vitium prodigalitatis priuatur quis iuribus ſuis quoad proprietatem, vt eſt in confeſſo apud omnes; non defectus adminiſtrationis, quià ex quo eidem interdicta non eſt adminiſtratio, nec aſſignatus Curator ex directo ſequitur gaudere plenè tali adminiſtratione, quinimmò, vt aſſerit *Ognate tract. 2. de cauſis contractuum diſp. 4. de cauſa efficiente ſect. 6. num. 87.* videtur implicare in terminis, quod prodigus non habeat Curatorem, & non gaudeat adminiſtratione rerum ſuarum; per aſſignationem etenim curatoris præcisè priuatur quis adminiſtratione, & non habere curatorem, & non eſſe priuatum adminiſtratione rerum ſuarum paria ſunt; Non defectus vſus rationis; quia ſupponitur habere perfectam cognitionem, & liberum velle, & capacem eſſe meriti, & demeriti, Sacramentorum, Matrimonij, & Religionis; Non lex aliqua obſiſtens, quia, ſi quæ adeſt, obſiſtit dumtaxat facta aſſignatione Curatoris *l. is cui bonis 6. ff. de verb. oblig.*, & in hoc conſentiunt *Leſſius loc. cit. Ripa in l. is cui bonis ff. de verb. oblig. num. 37. Gomez var. reſol. tom. 2. cap. 14. num. 31. Vincentius de Franchis deciſ. 672. num. 2.* *Gaudet adminiſtratione, quouſq; ei non eſt interdicta.* Ognate. Leſſius. Ripa. Gomez. Vicentius de Franchis.

3 Reſpondeo hæc, quæ dicta ſunt etiam procedere, quantumuis prodigus eſſet notoriè talis. *Ognate loc. ſuprà cit. num. 88.* Ratio eſt, quia notorietas prodigalitatis

nec

nec demit ius in re reſpectu prodigi, nec vſum rationis, nec adminiſtrationem, niſi eidem ſit interdicta per Iudicis decretum, & aſſignatus Curator, ergo non eſt, cur ratione notorietatis debeat contractus declarari inualidus; præcipuè, cum nullum ius vetet adminiſtrationem propter notorietatem; ſed dumtaxat propter interdictum iuridicum, & aſſignationem curatoris.

Notorietas nō demit ius adminiſtrationis.

4 Reſpondeo tertiò. Si Fabius inierit ſocietatem poſt interdictam ſibi adminiſtrationem, & aſſignatum Curatorem inualidè contraxiſſe quoad actiones ciuiles, non autem quoad naturales obligationes. *Vaſquez. de ſucceſ. creat. §. 30. num. 18. Fagundez de inſt. lib. 1. cap. 11. nu. 11. Boſſius var. mor. tom. 3. tit. 3. num. 218.* & conſonat cum iis, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de Emphyt., & Cenſib. Pranot. 17. num. 9.* aduerſus *Bartolum in l. cum lex num. 15. ff. de fideiuſ. Caldam in l. curatorem verb. cum non abſimilis num. 22. C. de in integ. reſtit. Sanchez lib. 6. de matrimonio diſp. 38. nu. 20. Ognate d. tract. 2. diſp. 4. ſect. 6. num. 90.*

Vaſquez. Fagūdez. Boſſius. Bartolus. Caldas. Sanchez. Ognate.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod habetur ex *l. is cui bonis, & ibi Doctores communiter, & ſignanter Iaſon, & Baldus ff. de verb. oblig.* vbi Baldus aſſerit, nec contractum ſubſiſtere, quantumuis iuramento firmetur. Rurſus ex eo, quod habetur *in l. Iulianus 10. ff. de curat. fur.*, vbi ſic legitur *Iulianus ſcribit eos, quibus per Prætorem bonis interdictum eſt, nihil transferre poſſe ad aliquem, quid in bonis non habeat, cum eis diminutio ſit interdicta*, & in hoc omnes Doctores conſentiunt.

Iaſon. Baldus.

Etiam ſi iuramento firmetur.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod obligatio naturalis conſurgit ex mutuo, & libero conſenſu contrahentium, ſed in prodigo ſupponitur liber, & perfectus conſenſus contrahendi; non enim prohibitio adminiſtrationis oriri præſumitur propter dementiam, & carentiam rationis, ſed in pœnam vitij, & dilapidationis bonorum *Boſſius tom. 2. var. mor. tit. 12. num. 140.*, ergo &c. Accedit primò, quod ſi Prodigo non ſit interdicta adminiſtratio bonorum, & aſſignatus Curator, ipſe non ſolum licitè ciuilitèr, ſed etiam naturalitèr obligatur, vt eſt in confeſſo etiam apud Doctores contrariæ ſententiæ, ergo ſi accedat talis prohibitio obligabitur naturalitèr. Conſequentia probatur, quià lex poſitiua prohibens non irritat ea, quæ ex natura ſua obligant. Accedit ſecundò, quod filij familias, ſerui habentes peculium per conſenſum liberè præſtitum naturalitèr obligantur per ea, quæ ſuperius fuerunt prohibita, ergo etiam Prodigus, cum in hoc non ſit aſſignabilis diſpar ratio. Alia nonnulla, quæ maximè faciunt ad rem præſentem recole ex iis, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus IV. d. Pranot. 17. num. 9.*

Boſſius.

Obligatio naturalis conſurgit ex mutuo conſenſu.

Nunc reſpondendum eſt obiectis, quæ per Ognate opponuntur, & quidem primò obiicit, quod contractibus per Prodigos initis non poteſt accedere fideiuſſor *l. is cui bonis ff. de verb. oblig.* & in hoc conſentiunt *Bartolus l. 1. num. 8. ff. de nouat. & l. Marcellus ff. de fideiuſ. Caldas in l. ſi curatorem verb. non abſimilis num. 22. C. de integ. reſtit.* ergo ipſi per tales contractus non contrahunt obligationem naturalem. Conſequentia probatur, quiá ex communi conſenſu fideiuſſio ſupponit obligationem, cui accedit, & cum ſit acceſſorium ad illam non poteſt ſine illa exiſtere, ergo ſi nulla fideiuſſio contractibus prodigi poteſt accedere, ideò eſt, quia nulla obligatio per ipſum contrahitur. Sed facile huic obiectioni occurro per ea, quæ dixi *tom. 1. dicta Pranot. 17. num. 9. verſ. ad rationem*, (nam licet fideiuſſio non poſſit accedere contractui inito per Prodigum quoad obligationem vtilem, & efficacem quoad effectus ciuiles, nam in foro externo ciuili poſita nullitate contractus fideiuſſio non parit aliquem effectum) non tamen per hoc tollitur, quin poſſit eſſe obligatio naturalis, cum præcipuè fideiuſſio reſpiciat actiones in foro externo. *Boſſius tom. 3. var. mor. tit. 3. num. 218.*, & vbi non poſſunt eſſe actiones in foro externo, fruſtatoria ex eodem fideiuſſio, quæ proinde dicitur in allegatis iuribus non poſſe accedere. 5

Bartolus. Caldas.

Fideiuſſio accedit quoad obgationes naturales

Boſſius.

Obijcit ſecundò. Contractibus pupillorum, & filiorum familias ineſſe obligationem naturalem, quiá ius eiſdem nec aſſiſtit, nec reſiſtit, quod propterea licet obligationem ciuilem non addat, non deſtruit tamen naturalem; cōtractibus verò Prodigorum ſine auctoritate ſuorum curatorum non ſolum non aſſiſtit; ſed poſitiuè reſiſtit, adeòque deſtruit etiam obligationem naturalem, quæ ex illis eſſet oritura. Sed huic etiam rationi facile occurro; quia in primis peto, cur dicatur reſiſtere contractibus Prodigorum, non filiorum familias? Si dicas, quia illos inualidat, & irritat. Etiam irritat contractus iſtorum. Si igitur, quià irritat, vel prohibet illos, dicis eis reſiſtere, cum etiam irritet, vel prohibeat contractus filiorum familias, & ego dico ipſis reſiſtere. Deindè, vt ſupra innuebam, ſi ius non prohiberet prodigis adminiſtrationem contractus per ipſos initi eſſent validi tàm ciuilitèr, quam naturalitèr, ergo attenta rei natura ſecundum ſe erunt validi, cum ius ciuile reſpiciat eoſdem contractus ſecundum actiones ciuiles, non ſecundum id, quod ipſis eſt naturale. Ad quod confirmandum adduci poſſunt ea, quæ docebamus *tom. primo ſub tit. Contractus IV. de*

Efficax cōfutatio argumenti Ognate.

Emphyteuſi, & Cenſibus Pranot. 21. *ſect.* 4 *num.* 31. vbi prohibetur conſtitui cenſus, in quo res alia tradatur ad æqualitatem loco pecuniæ per conſtitutionem Pij V., qui tamen in iure naturæ ſubſiſteret, & obligaret in foro interno animæ, ergo etiam quamuis ius poſitiuum prohibeat contractum initum, ſeu ineundum per Prodigum, quia tamen hic contractus, ſi non eſſet talis prohibitio, eſſet validus in vtroque iure naturali ſcilicet, & ciuili, non eſt, cur etiam poſita tali prohibitione in iure naturali non ſubſiſtat, & obliget, cum nulla ſit conditio, quæ ſit contrà naturam talis contractus ſecundum ſe.

---

§. XI.

An Prodigo, ſi ex contractu ſocietatis fuerit læſus, concedatur priuilegium reſtitutionis in integrum ad inſtar minoris.

SVMMARIVM.

Caſus propoſitio 1.
Rationes dubitandi 2.
Prodigo non competit priuilegium reſtitutionis in integrum 3.
Satisfit rationi dubitandi 4.
Prodigus non poteſt petere talem reſtitutionem, quantumuis alter ſciret ipſum eſſe prodigum 5.

1 DIſquiſitio XI. Idem Fabius prodigus ante interdictam ſibi adminiſtrationem ſuorum bonorum, & aſſignationem Curatoris iniuit ſocietatem cum Caio, ex qua, cum ſeruatæ non fuerint debitæ conditiones iuxtà leges talis contractus, fuit læſus. Hinc orta fuit controuerſia, an eidem competat priuilegium reſtitutionis in integrum, ſicuti competit minori, & pupillo?

2 Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod ipſe prodigus in iure reputatur pro pupillo, ſeù minori *Felinus in cap. cum non liceat de præſcrip. in* 3. *col. circa principium in verb. Abbas poſteà*, & æquiparatur pupillo in contrahendo *Bartolus in l. ſi Procuratorem in prima col. verſ. ad ſecundam C. de reſtit. in integrum, & in l. ſi quis in tantam in quarto col. verſ. quare quid de prodigo C. vnde vi Alexander in l. is cui bonis ff. de verb. oblig. & in l. certi conditio §. idem erit ff. ſi cert. pet.* vndè dicitur, quod reſtituatur in integrum, ſicut minor *Baldus in l.* 3. *C. de in integ. reſtit. verſ. an dic. Paulus, & Alexander in l. Marcellus ff. de fideiuſ.* Nihilominus.

(Margin: Felinus. Bartolus. Alexander. Baldus. Paulus. Alexander.)

3 Reſpondeo, in data hypotheſi ipſi non competere priuilegium reſtitutionis in integrum *Oddus in ſuo tract. de reſtit. in integ. part.* 1. *quæſt.* 11. *art.* 4. *nu.* 9. *Paulus de Caſtro conſ.* 248. *n.* 5. *verſ. vlterius dico lib.* 2. *Cencius de Cenſibus part.* 1. *cap.* 2. *quæſt.* 1. *art.* 3. *nu.* 8. *verſ. an vero*, & eſt conformis ijs, quæ nos tradidimus *tom.* 1. *ſub tit. Contractus IV. de Emphyth. & Cenſibus Pranot.* 17. *num.* 8.

(Margin: Oddus. Paul. de Caſtro. Cencius.)

4 Ratio prima huius reſponſionis eſt, & per hoc etiam ſatisfit rationi dubitandi, quia prodigus non reputatur pro pupillo, niſi poſt interdictum, vel declaratoriam ſententiam *l. certi conditio §. quoniam in fine ff. ſi cert. pet. Gloſ. ſing. in l.* 2. *C. de curat. fur. Baldus in l.* 1. *ff. de beneſ. frat. & in l. infantes ad fin. C. qui admin. Immola in l. Imperator ff. de re iud. Angelus in l. is cui bonis ff. de verb. oblig. Baldus in l. iubemus in princip. in* 2. *col. verſ. ſed ego quæro C. de Sacroſ. Eccl.*, ergo ante tale interdictum non gaudet priuilegio minorum, ſeù pupillorum, adeòque neque beneficio reſtitutionis in integrum.

(Margin: *Prodigus non reputatur pro pupillo, niſi poſt interdictum.* Gloſſa. Baldus. Immola. Angelus. Baldus.)

Ratio ſecunda ea eſt, quam etiam adhibuimus *dict. tom.* 1. *d. Pranot.* 17. *n.* 8. quià non currit paritas de tutore reſpectu pupilli, & de curatore reſpectu prodigi *Bartolus in l. is cui bonis ff. de verb. oblig. Silueſter verb. donatio.* 1. *quæſt.* 1. nam quod pupillus non poſſit contrahere ſine conſenſu Tutoris dependet a natura, quod verò nequeat prodigus ſine curatore dependet à Iudicis declaratione *Bartolus loc. ſuprà cit.* cum in communiori ſententia ad inualidandos, ſeù infirmandos Prodigi contractus non ſufficiat præconizatio, quod nemo cum ipſo contrahat, ſed requiratur interdictum cum aſſignatione curatoris, vel ſententia Iudicis declaratoria *§. item prodigus Inſtit. quibus non eſt permiſ.*, ergo non interueniente interdicto cum curatoris aſſignatione, vel declaratoria ſententia non erit, cur contractus talis non teneat, ſicuti, ſi eſſet initus per alium quemcumque habentem plenum ius, & nullo modo prohibitum contrahere, ſiquidem reſpectu ipſius tota prohibitio eſt a iure, quod non prohibet, niſi in caſu interdicti &c.

(Margin: Bartolus. Silueſter. *Non currit paritas de tutore reſpectu pupilli.*)

5 Hic ſuboritur difficultas, an ſi Prodigus ante interdictam adminiſtrationem contraxerit cum alio ſciente ipſum eſſe prodigum, ità verſus ipſum obligetur, vt non poſſit, etiam ſi fuerit læſus petere reſtitutionem in integrum? Nonnulli *ex l. ſi quis, cum ſciret in fine ff. pro empto* diſtinguunt; vel enim ille, cum quo contraxit ſciens ipſum eſſe prodigum ſciebat etiam ipſum in malum vſum pecuniam conuerſurum, vel ſciebat quidem eſſe prodigum, ignorabat tamen, an eſſet tali pecunia abuſurus in malos vſus. Iuxtà primum ſenſum ſuſtinent prodigum non obligari verſus contrahentem; obligari verò iuxta ſecundum

Ale-

Digitized by Google

Alexander.

Alexander ſing. in d. l. is cui bonis in quarta col. ff. de verb. oblig. Quamuis hæc, quæ dicuntur, ſpeciem aliquam habeant veritatis propter *d. l. ſi quis eum ſciret*, & propter Doctores in ea ſcribentes, non tamen videtur habere locum in contractu ſocietatis interminis, de quibus nos loquimur, quandòquidem in contractu ſocietatis præciſè nullus poteſt malus vſus apparere, cum omnia ſint in ſocietatem conferendá, nec diuidenda, niſi ſoluta eadem ſocietate; quod ſi deinde lucris ex illa acquiſitis abuti vellet, hoc non reddit infirmum ipſum contractum ſocietatis, ſicuti non infirmantur cæteri contractus, quibus quis negotiatur ad finem lucrandi cum intentione poſteà lucri in peruerſos vſus dilapidandi, ſeù diſſipandi.

Non poteſt eſſe malus vſus in contractu ſocietatis

---

§. XII.

An contrà alienantes res ſocietatis contrà pactum detur aliqua actio, & quænam.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus difficultatis 1.

Datur actio ad eadem bona alienata, & ad omne intereſſe 2.

Non datur actio ad maius lucrum ex illa negotiatione acquiſitum, ſed tantum ad rem alienatam, & ad quantum intereſt, quod non fuerit alienata 3.

Probabilius etiam eſt non dari actionem furtiuam, niſi fecerit animo celandi 4.

1 DIſquiſitio XII. Contracta ſocietate inter Titium, & Caium legem ſibi ad inuicem conſtituerunt, ne bona ſocietatis in aliam negotiationem à negotiatione, ad quam deſtinata erat ſocietas, alienarentur. Caius huiuſmodi lege neglecta bona aliqua eiuſdem ſocietatis contractu aliquo oneroſo, & ſocietati non inutili diſtraxit, ſeù alienauit. Hic orta fuit controuerſia, an contrà diſtrahentem, ſeù alienantem detur aliqua actio, & quænam, an ſcilicet ad eadem bona alienata, & lucra, quæ dependentèr ab illa fuiſſent acquiſita, an verò ad illa, & ad lucrum, quod dependentèr ab illo contractu oneroſo, & negotiatione non inutili, vt præmittitur, fuit acquiſitum, ex ſuppoſitione, quod iſtud fuerit maius illo, quod fuiſſet acquiſitum ex ſocietate, ſi bona illa non fuiſſent diſtracta, ſeù alienata.

2 Dari actionem ad ipſa bona alienata, & ad damna ex tali negotiatione ſequuta, quinimmò etiam ad omne intereſſe expreſsè habetur *in l. cum ſocietas 69. ff. pro ſocio, & in l. ſocium ff. eod.* Ibi *Socium, qui in eo, quod ex ſocietate lucri fecerit reddendo moram adhibuit, cum ea pecunia ipſe vſus ſit, vſuras quoque præſtare debere Labeo ait, non quaſi vſuras, ſed quod ſocij interſit moram eum non adhibuiſſe*; ſi enim, quod ex dilatione non præſtitit, compenſandum eſt non ſolum quoad ſe, ſed etiam quoad intereſſe, ſcilicet quoad id, quod ſocijs intereſt, quod non fuerit dilatum, à fortiori compenſandum videtur id, quod ex ſocietate diſtractum, ſeù alienatum eſt contra voluntatem aliorum in alias negotiationes, & quidem tàm quoad ſe, quam quoad intereſſe. Quamobrem tota difficultas videtur reduci ad id, an ſcilicet, ſi ex illo contractu oneroſo Caius diſtrahens, & alienans contrà voluntatem Titij quid longè maius acquiſierit, quam acquiſiuiſſet in ſocietate, poſſit Titius agere ad illud lucrum, an verò teneatur ſtare lucro proportionato ſocietatis.

Datur actio ad res alienatas, & ad lucrũ.

In quo præcipuè conſiſtat difficultas.

Reſpondeo, probabilius non habere actionem ad illud, ſed dumtaxat ad bona alienata, & ad quantum eidem intereſt, quod non fuiſſent alienata. Ratio ex eo deducitur, quia contractus ille initus contrà propriam voluntatem Titij non poteſt dici, quod ſit initus nomine illius, quamuis ex rebus ipſi quodamodò communibus, ergo quidquid ex illo acquiritur, non acquiritur eidem Titio, ſeù ſocietati, ſed dumtaxat Caio contrahenti. Conſequentia probatur, quia lucrum, quod acquiritur nomine proprio licet ex pecunia communi, fit proprium *l. qui ex aliena, & ibi Baldus C. ſi quis alteri, vel ſibi, Baldus in l. 1. C. eod. Bartholomaus Socinus conſ. 93. incip. circà primum verbo aliquando in prima parte*, ergo non acquiritur ſocietati. 3

Contractus illius non fuit initus eius nomine.

Ratio vlterius ex eo deduci poteſt, quod ſi contractus ille oneroſus initus per Caium inuito Titio in deterius abiret, non teneretur idem Titius communicare in damnis eiuſdem, ſed ius haberet ad illa bona, & ad intereſſe illorum, ergo neque poteſt in lucris eiuſdem communicare, ſi vtilis fuerit, & fructuoſior, ſed dumtaxat in illis bonis, ſeù intereſſe ſocietatis. Conſequentia probatur, quia omninò iniquum videtur, quinimmò leoninum velle in lucris alicuius contractus communicare, & non in damnis eiuſdem, ergo ſi negotiatione in deterius abeunte non tenetur in damnis illius conferre, illa proſperè procedente non poterit in lucris eiuſdem communicare.

Socius inuitus non tenetur communicare in dãnis illius contractus.

Ratio tandèm eſſe poteſt, quia contrahens non habet ius, niſi ad ea, quæ proueniunt ex contractu, quem contrahit, & ad compenſationem defectuum, qui ex dolo,

Digitized by Google

culpa, ſeù ex incuria alterius prouenjunt, ſeù damnorum ex illis prouenientium, ergo ipſius actio non poteſt ad quid aliud extendi, nam ſi quid aliud alter comparauerit, erit ipſius induſtriæ, & conditioni imputandum, neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ſi ſocius negotiator maiorem diligentiam, quam adhibere teneatur, adhibuerit in ſocietate, & indè maius lucrum acquiſierit, teneatur illud in ſocietatem conferre, pro quo propterea datur actio alteri ſocio aduerſus ipſum ſocium negotiatorem, ergo etiam ſi ipſe ſocius negotiator ex negotiatione, quam proprio arbitrio iniuit, aliquod maius lucrum acquiſierit, quam acquiſiuiſſet ex negotiatione ſocietatis, illud tenebitur conferre, adeòque dabitur actio ad illud; non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem diſpar omninò eſt ratio, nam quotieſcunque diligentiam adhibet in ſocietate eandem adhibet nomine communi ſocietatis, nam licet ipſam adhibere in tali gradu non teneatur, ſi tamen adhibet pro eadem adhibet per ea, quæ ſuperius dicta ſunt; quotieſcunque verò adhibet in alia negotiatione, cum adhibeat contrà conuentionem præſtitam cum alio ſocio, non nomine communi, ſed proprio adhibet, adeòque ipſi ſoli æquè damna, & lucra cedunt, ſeù cedere debent.

Inſtantia contra aſſertum, eiuſque ſolutio.

Hic oritur difficultas, an contra ſocium ſic alienantem, ſeù diſtrahentem contra pactum initum cum alio ſocio detur ſolummodò actio pro ſocio, an etiam actio furtiua. Ex dictis *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. de ſocietate Pranot. 12. aſſert. 3. num. 3.* conformiter ad textum *in l. rei communis ff. pro ſocio* clarè liquet, quod contra ſocium ſibi quocunque actu, vel dolo res ſocietatis vſurpantem agi poſſit vtraque illa actione - Ibi - *Rei communis nomine cum ſocio agi poteſt furti, ſi dolo, fallacia amouit, vel rem communem cælandi animo contractat, ſed & pro ſocio actione obſtrictus eſt, nec altera actio alteram tollet.* An verò detur vtraque hæc actio, quandò ſocius rem communem alienat contractu aliquo oneroſo non ad finem cælandi, ſed ad finem magis lucrum ſibi, non ſocietati acquirendi, id eſt, quod in præſenti eſt ſub diſſidio. Probabiliùs crederem, dari dumtaxat actionem pro ſocio, non actionem furtiuam, quia ex quo non præſtat animo cælandi, & per conſequens non furandi, videtur hoc præſtare ex iure ſuo, & ratione ſuæ partis, quam habet iure ſocietatis, vnde ad ſummum quoad illam partem contrà conuenta videtur recedere ab illa ſocietate, adeòque ad ſummum datur actio pro ſocio ad continuationem, & ad id, quod intereſt ſocio ratione non poſitæ continuationis, ad quod maximè facere videtur textus *in l. ſi quis ſocietatem ff. pro ſocio, & l. ſi patruus C. communia vtriuſque Iudicis*, vt latè retuli *d. Pranot. 12. nu. 3. verſ. hic tamen aduerte.*

Præſumitur nõ feciſſe animo cælandi, ſed vendi in pẽ ſuo.

---

§. XIII.

An actio perſecutoria rei tollat pœnalem.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus difficultatis 1.

Ratio dubitandi 2.

Per actionem pro ſocio non tollitur actio furtiua 3.

Reſpondetur rationibus oppoſitis 4.

DIſquiſitio XIII. Titius contracta ſocietate cum Caio rem communem cælandi animo contractauit. Dictum eſt *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. d. Pranot. 12. nu. 3.* contra Titium duplicem dari actionem, alteram pro ſocio, alteram furtiuam Caius ex iure ſibi competente proſecutus eſt actionem pro ſocio contra eundem Titium. Oritur hic iam difficultas, an per talem actionem pro ſocio intentatam dempta fuerit actio furtiua. 1

Ratio dubitandi ex vna parte ex eo conſurgit, quod habetur *in l. ſi quis à ſocio ff. pro ſocio*, vbi Gloſa ſic habet, *ſi ſocius à ſocio ſtipulatus fuerit de dolo in ſocietate non committendo, & promittat pœnam, ſi dolus committatur, non pro ſocio, ſed ſtipulatu agetur ad pœnam.* Ex alia parte habetur *in d. l. rei communis ff. pro ſocio* - Ibi - *ſed & pro ſocio actione obſtrictus eſt, nec altera actio alteram tollet.* Accedit, quod pro hac ſecunda parte videtur hæc ratio militare, quod ſcilicet actio pro ſocio eſt ad rem, actio furtiua ad pœnam; pro prima verò militat hæc alia, quod vnam proſequendo videtur alteri cedere. Nihilominus 2 Gloſa.

Reſpondeo, cum verſemur in terminis actionis furtiuæ per actionem pro ſocio illam non tolli *Gregorius Lopez l. 17. tit. 10. part. 5. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 17. quæſt. 6.* Colligitur expreſsè *ex d. l. rei communis ff. pro ſocio*, & ratio in eo potiſſimum fundatur, quod vtraque hæc actio non tendit ad idem, ſed ad diuerſa, actio ſcilicet pro ſocio ad rei reſtitutionem, actio verò furtiua ad pœnam, illa reſpicit indemnitatem ſocij, iſta compenſationem contemptus arbitri, ergo per illam iſta non tollitur, cum illa ſecundum ſe ponat quidem æqualitatem cum ſocio læſo, non cum iuſtitia læſa per contemptum. Recole, quæ dicta ſunt ſuprà dicta *Pranot. 12. num. 3.* non enim vacat illa hic repetere 3

Actio pro ſocio non tollit actionem furtiuam.

Solum

4 Solum remanet reſpondendum allegatis iuribus in ratione dubitandi pro prima parte, alijſque ſimilibus allegandis, & quidem ad illud, quod legitur *in l. ſi quis à ſocio ff. pro ſocio* dicendum, non pariformiter hunc textum procedere cum textu *in l. rei communis ff. eod.* quandòquidem in illo ſtipulatio pænæ ſuccedit loco rei, vt benè notat *Gloſa ibi in verb. in pæna*, vndè meritò dicitur in ipſo textu, *ſi tantundem in pæna ſit, quanti eius interfuit*; in iſto verò pæna non ſuccedit loco rei, ſed loco contemptus arbitri; Rurſus in illo eſt pæna conuentionalis ibi *ſi quis à ſocio pænam ſtipulatus ſit*; in iſto verò pæna eſt legalis; legalis autem pæna non ſuccedit loco rei *Gloſa in l. quod ſi ex ſtipulatu ff. pro ſocio*; conuentionalis verò ſuccedit loco rei *l. prædia ff. de act. empt.* Ad illud, quod ſubditur, quod ſocius vnam proſequendo videatur alteri cedere, dicendum eſt gratis omninò hoc aſſeri, cum tendant ad diuerſa.

Diſcrimẽ inter textum in l. ſi quis à ſocio, & textũ in l. rei communis.

Aduerſus reſponſionem noſtram obſtare etiam poteſt textus *in l. is eni ff. de furtis*, vbi dicitur, tolli actionem commodati ipſo iure, ſi furti ſit actum, item ſi actum fuerit commodati, dicitur ibi, quod furti actio tollitur per exceptionem. Sed facilè reſpondere poſſumus ad hunc textum, optimè procedere, non tamen ex paritate rationis extendi ad ſocietatem, Ratio diſparitatis ex eo deducitur, quod commodatarius ſpecialiori iure obligatur, quandòquidem tenetur etiam de culpa leuiſſima, adeòque non mirum, ſi in hoc releuetur, quatenus, ſi contra ipſum procedatur actione furtiua, non poſſit vlteriùs procedi actione commodati, vel ſi actione commodati, non actione furtiua; ſocius verò non tenetur, niſi ad ſummum de culpa leui, adeòque non eſt, cur taliter releuetur, vt ſi vna actione contra ipſum agatur, non poſſit etiam alia agi, neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, Procuratorem æquè obligari, ac commodatarium, cum teneatur etiam de culpa leuiſſima *l. à Procuratore C. mandati*, ſed tamen in procuratore vna actio per alteram non tollitur, vt aſſerit *Gloſa in d. l. rei communis ff. pro ſocio*, ergo &c.; non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem in primis nonnulli aſſerunt, Procuratorem non teneri de leuiſſima culpa *Baldus in l. quæ fortuitis* 8. *col. ff. de pignor. act. Bartolus in l. quod Nerua quæſt. 9. ff. depoſiti verb. iuxtà hoc renodo*; Deindè, quandò etiam obligaretur, ſpecialis ratio eſt pro ipſo, quæ non eſt pro commodatario, ſiquidem Procurator ex voluntate ſui principalis quaſi induit perſonam eiuſdem, adeòque ſpeciali quodam iure erga ipſum obligatur, qui propterea, ſi dolosè deficiat vſurpando Domini ſui rem vtrique actioni congruè ſubijcitur, quod non militat in commodatario, qui non agit in perſona commodantis, ſed in propria, adeòque &c.

Commodatarius ſpecialiori iure obligatur, ac ſocius.

Bartolus

Obſtare etiam poteſt textus *in l. 1. C. de furtis*, vbi mandans aduerſus mandatarium non videtur habere duplicem illam actionem mandati ſcilicet, & furti; Nihilominus facilè etiam huic textui occurri poteſt, ſi aſſeratur, rectè procedere, non tamen extendi ad caſum ſocij, quandòquidem, vt benè notat *Gloſa in l. rei communis in verbo dicendum eſt propè finem ff. pro ſocio* in mandato vna actio alteri obſiſtit, nam ſi agit mandati rectam, habet contractationem, ſi furti, non agit mandati, nec ratam habet contractationem, quæ non militant in ſocietate quoad actionem pro ſocio, & actionem mandati, vt per ſe patet; atque hæc corroborantur *ex l. ſi teſtamentum in fin. ff. de pet. hæred. & l. 2. §. ſic licet ſi aliàs ff. quand. ap. ſit.*

Gloſa.

Non valet paritas inter mandatum, & quare.

Hæc, quæ dicta ſunt in contractatione rei communis in ſocietate animo cælandi extenduntur etiam in colono, & in eo, qui negotia gerit iuxta textum *in l. idem eſt ff. pro ſocio*.

---

§. XIV.

An ſocius contractans rem communem in emptione rei ad commodum proprium rem emptam ſibi acquirat quoad dominium.

SVMMARIVM.

Factum in ſuis terminis, & articuli diſcutiendi 1.
Res empta ex communi inſcijs ſocijs in commodum emptoris fit eiuſdem 2.
Non cedit ſocietati 3.
Socij, qui non conſenſerunt, non habent actionem ad illam rem determinatam 4.
Sed actionem perſonalem aduerſus emptorem, eiuſque omnia bona. Ibid.

Diſquiſitio XIV. Iuxta terminos præcedentium Diſquiſitionum Caius rem communem ſocietatis contractauit in proprios vſus, eaque emit rem aliquam. Hic multiplex oritur difficultas, & primò, an illa emptio facta per Caium ex rebus ſocietatis communibus ſubſiſtat, & valida ſit. Secundò, an res illa empta ex ſuppoſitione, quod contractus validus fuerit, fiat propria eiuſdem Caij ementis, an verò communis vtrique ſocio. Tertiò, an in alijs ſocijs detur actio pro ſocio determinatè ad illam rem emptam, an tantùm ad perſonam ementis, & conſequenter per ipſam 1

Varij articuli circa quæſtionem.

ad

ad omnes alias res eiuſdem, quod eſt idem, ac quærere, an obligatio Caij emẽtis verſus alios ſocios ſit realis, an merè perſonalis. Titulus quoad aliquas partes difficultatum ex eo emanantium, & propoſitarum iam diſſolutus remanet ex dictis in præcedentibus, Nihilominus maioris claritatis gratia

2 Reſpondeo primò. Emptio facta per Caium inſcijs alijs ſocijs per res communes ſocietatis, quas in proprium vſum contrectauit, valida eſt, & in iure ſubſiſtens *Bartolus in l. ſi Patruus C. communia vtriuſque Iud. Silueſter verb. peculium 2. quæſt. 17. & 18. Azorius tertia parte inſtit. mor. lib. 9. cap. 17. quæſt. 7. Ognate tract. 28. diſp. 99. ſect. 3. num. 45.* Colligitur aſſertio ex varijs textibus iuris, & primò *ex l. ſi quis ſocietatem ff. pro ſocio* Ibi *Si quis ſocietatem contraxerit, quod emit, ipſius eſt, non commune, ſed ſocietatis iudicio cogitur rem communicare;* Secundo hoc idem habetur *in l. ſi vnus §. ſi vnus ff. eod.* vbi expreſsè etiam id decernitur, & vlterius ratione ſic euincitur, quià iuxta ſuperius dicta, quod emitur ex pecunia communi non tamen communi nomine, ſed proprio alterius contrahentis, non fit commune, ſed proprium ementis, ſed hoc eueniret in hypotheſi præſentis reſponſionis, ergo &c. Confirmari poteſt ex eo, quod ipſe ſocius contrectans rem communem habet in eadem ſuam portionem, ergo ratione illius poteſt dici, quod rem illam ſibi acquirat, non ſocietati.

Bartolus. Silueſter. Azorius. Ognate.

Emeretur nō nomine cōmuni, ſed proprio ementis.

Quod ſi dicas ex ſuperius dictis, quod contrà ipſum datur actio furtiua, quaſi quod ex re aliena contractum illum inierit; ex re autem furtiua non validè contrahitur, ſiquidem contraheretur ex re aliena; ſtatim reſponſionem recipies ex præcedentibus; non enim abſolutè poteſt dici res aliena reſpectu alicuius, quæ eſt cõmunis ipſi, & alteri; Deindè etiam ex re, quæ acquiſita eſt per rem furtiuam validè poteſt contrahi per ea, quæ in ſuperioribus dicta ſunt, & res ex illa acquiſita validè eſt acquiſita ipſi ementi, quantumuis poſteà hic obligetur actione perſonali aduerſùs eum, à quo rem furto accepit ad reſtitutionem eiuſdem rei, & omnium damnorum, quæ ex illa vero Domino rei furtiuæ orta ſunt.

Oppoſitio ad reſponſionē, eiuſque reiectio.

3 Reſpondeo ſecundò. Res illa ſic empta eſt propria eiuſdem Caij ementis, non communis ſocietati. Conſequitur ad ea, quæ dicta ſunt in præcedenti reſponſione; ſiquidem contractus ille initus eſt nomine dumtaxat eiuſdem Caij, non communi ſocietatis, cum alij ſocij non conſenſerint, ſed per præuium pactum potiùs diſſenſum præbuerint, hocque confirmant præallegata iura, & rationes.

Corelaria ad dicta præcedentia.

Reſpondeo tertiò, ſocij alij, qui non præbuerunt conſenſum ad emptionem talis rei, non habent actionem determinatè ad talem rem emptam, quaſi quod illa hypothecata remaneat determinatè, ſed habent actionem perſonalem aduerſus Caium, & omnia eius bona. Conſonat hæc reſponſio cum ijs, quæ dicta ſunt ſupra §. 9. Diſq. 2. de contractibus per vſurarium initis, qui obligatur quidem verſus mutuatarium obligatione perſonali quoad omnia ſua bona, non autem ſpecialitèr quoad res per illos contractus acquiſitas; cum nec ex natura contractus, neque ex aliqua conuentione ſiuè explicita, ſiuè implicita, nec ex aliquo iure poſitiuo res illæ ſic acquiſitæ acquirantur ex præactis iuribus ſocietati, nec hypothecæ ſubijciantur.

Dices, ex diſpoſitione iuris res illas ſic acquiſitas ſubijci ſocietati, vt habetur *in d. l. ſi quis ſocietatem ff. pro ſocio*, vbi dicitur *Societatis officio cogitur rem communicare*, ergo reliqui ſocij ex vi ſocietatis habent ius determinatè in illam rem, vt ſcilicet in commune conferatur. Sed contrà, quià allegatus textus ſolum innuit, & intendit, quod ſocius ex vi emptionis ſibi acquirat id, quod emit, & poſteà illud teneatur iudicio ſocietatis conferre, etiam quandò emit, vt ſocius; non autem extenditur, quandò init cõtractus nomine proprio per res ſocietatis, & non vt ſocius, ſed vt talis perſona eſt; tunc etenim non tenetur conferre rem illam, quam emit, ſed dumtaxat tenetur actione pro ſocio tantum conſerre, quantum detulit à ſocietate, & vlterius quantum intereſt alijs ſocijs, quod res illa non fuerit ablata, & contrectata in vſum proprium illius, qui contrectauit, Vnico verbo. Finis illius diſpoſitionis legalis eſt ſolummodò, quod ſocius negotiator in ſocietate ex vi contractus, quem exercet prius fictione iuris ſibi acquirat, deindè iudicio ſocietatis teneatur conferre; neque hæc reſponſio aduerſari poteſt ſenſui, in quo textus acceptus eſt in probatione primæ reſponſionis, quandòquidem ibi aſſumptus eſt ad probandam validitatem contractus, quod hic non negatur. Quod ſi repetas, quod etiam non euinceret validitatem contractus ſuppoſita explicatione, quæ hic datur, ſiquidem hic ſupponitur, quod emat formalitèr, vt ſocius, & nomine ſocietatis, ibi autem ſupponebatur, quod emeret non vt ſocius, ſed vt vſurpator, & nomine proprio; adhuc impugnaberis, quia ſi agens nomine ſocietatis prius ſibi fictione iuris acquirit, quam conferat ſocietati, ergo ſi agit nomine proprio debet ſibi abſolutè acquirere ſine reſpectu ad eandem ſocietatem.

Procedit textus, quandò emit, vt ſocius, non aliter.

Expoſitio textus nō repugnat præcedentibus.

Non negauerim tamen, quod ſi ſocius, qui contrectauit res communes ſocietatis

in

in proprium commodum, quid aliud non haberet, quo poſſet ſocietati ſatisfacere ob illam vſurpationem rei communis, haberent alij ſocij etiam actionem in talem rem emptam ex re communi contractata; Neque meo videri in hac hypotheſi eidem prodeſſe poſſet priuilegium conceſſum ſocijs, quod non teneantur in ſolidum, ſed in id tantum, quod commodè agere poſſunt, adeòque cum quid aliud non habeat ſocius, de quo hic agitur, non teneatur illam erogare, quandòquidem ſine illa commodè non poſſet viuere; Non, inquam, prodeſſe poteſt primò, quia cum ſe noxium præbuerit ſocietati, non videtur congruè poſſe vti priuilegijs illius. Secundò, quia cum re illa vſus fuerit non vt ſocius, ſed vt talis perſona, & quidem in commodum proprium in ordine ad illam ſaltem implicitè videtur ſe negare vt ſocium *l. ſi vnus* 67. §. *ſi vnus ff. pro ſocio*; vndè ſi in hoc caſu excuſaretur a ſolutione talis rei, non eſſet ex priuilegio ipſi conceſſo ex vi ſocietatis, ſed ad ſummum ratione impotentiæ, quæ excuſat quoſcunque etiam non ſocios.

Si quid aliud non haberent poſſent ſocij agere in talem rem.

---

§. XV.

An ſtipulatio pænalis nouet præcedentem obligationem ex cauſa oneroſa contractam.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries, & ſenſus difficultatis 1.
In contractu emphytheutico, ſi apponatur pœna conuentionalis ſine expreſſione, quod ſit vltrà legales, regulariter tollitur legalis 2.
Si tria interceſſerint pacta in tali conuentione per ſtipulationem pœnalem tollitur antecedens obligatio 3.
Secus, ſi duo tantum pacta interceſſerint. Ibid.
Ratio, propter quam, ſi tria interueniant pacta intelligatur nouatio, non ſic, ſi duo tantum 4.
Magis confirmantur prædicta 5.
Quandò duo intercedunt pacta ſocius poteſt agere pro ſocio ad ea, quæ ſunt contractus, & ad pœnam ex ſtipulatu 6.

1 Diſquiſitio XV. Contraxerant ad inuicem ſocietatem Phylippus, & Sempronius, vt artem aliquam exercerent, ſimulque conuenerunt de lucro, quod ex illa arte acquiſierint, communicando, & ſtipulati ſunt de ſeruando, quod pacto ſocietatis conuenit, & ſi contra pactum ſocietatis factum fuerit, in tali ſtipulatione pœnam adiecerunt. Nunc controuertitur, an contrà pactum facientem agi poſſit pro ſocio, an verò tantum ex ſtipulatu, ſeù quod idem eſt, an ſtipulatio pœnalis nouet obligationem, quæ ex ſocietate conſurgit.

2 Agentes in cauſa de Emphyth., & Cenſibus *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. Pranot. 7. num. 7.* diximus, quod ſi in contractu Emphytheutico per Dominum directum fuerit appoſita pœna aliqua, in quam conſentiat Emphytheuta, vt, ſi hic faciat contrà leges Emphytheuſis, teneatur ſoluere pœnam aliquam non facta expreſſione, quod ad illam teneatur vltra conſuetas pœnas Emphytheuſis violatæ, non poſſit Dominus directus vtramque pœnam ab Emphytheuta exigere, ſed alteram tantum *Gloſa l. 2. in verb. repellere prope medium C. de iur. Emphyth. Molina diſp. 353.* cum pęna ſuper excedens iuſtam moderationem ex conuentis non incurratur, niſi illius fiat expreſſio, & quandò datur locus dubitationi begnignius eſt in fauorem rei ex diſpoſitione iuris interpretandum, ne ſupra quam iuſtum eſt, grauetur, niſi in vtrumque grauamen ipſe expreſsè in conuentione conſenſerit; quinimmò ex eo, quod Dominus directus appoſuerit aliam pœnam à iure in conuentione, videtur ceſſiſſe eidem pœnæ iuris *arg. l. fin. ff. de pactis conuent.*

Per conuentionalē in Emphytheuſi tollitur legalis. Gloſa. Molina.

3 Gloſa in textu *in l. duo ſocietatem* 72. *ff. pro ſocio* diſtinguit, vel enim tria pacta in illa conuentione interceſſerunt; alterum, quo conuenerunt de ſocietate, alterum, quo vnus alteri ità ſtipulatus ſit; hæcne dari fieri ſpondes? Tertium, quo ità ſtipulantur, ſi ea ita facta data non erunt, tunc decem dari ſpondes? & in hoc ſenſu dicit actionem non dari pro ſocio, ſed tantum ex ſtipulatu, ſicque ſtipulatio pœnalis nouat præcedentem obligationem ex cauſa oneroſa contractam, vel duo tantum pacta interuenerunt; alterum ſcilicet pactum ſocietatis, alterum, quo ità dicatur, ſi ea ita data facta non eſſent decem dari, & tunc dicit agi poſſe pro ſocio. Pro clariori intelligentia quæſiti, & etiam textus allegati

Modi, quibus fiunt in hoc caſu ſtipulationes.

4 Aduerte rationem, propter quam allegatus textus *in d. l. duo ſocietatem ff. pro ſocio, & ibi Gloſa* aſſerant, quod ſi tria interceſſerint pacta, intelligatur facta nouatio, qua per pœnalem ſtipulationem tollatur prior obligatio, quæ ex ſocietate conſurgit, non ſic, ſi duo tantùm interuenerint pacta, eam eſſe, quia in primo caſu res ipſa videtur in ſtipulationem cadere, adeòque prima obligatio in eandem ſtipulationem nouatione traslata, vt colligitur ex eodem textu. Ibi *pro ſocio agi non poſſet, ſed tota res in ſtipulationem translata traderetur*; in ſecundo verò non videtur res ipſa in ſtipulationem translata, ſed duntaxat pœna, adeò-

Quandoque res ipſa cadit in ſtipulationem, quandoque ſolum pœna.

Digitized by Google

adeòque in primo non videtur agi pro ſocio, quià illa actio fuit ſublata, in ſecundo autem vtique poteſt agi, cum res ipſa in ſtipulationem non transierit, adeòque non ſit ſublata. Quibus poſitis

5 Reſpondeo, allegatum textum, & Gloſam rationabili inniti fundamento, & iuxtà primum ſenſum procedi non poſſe actione pro ſocio, ſed tantum ex ſtipulatu, iuxta ſecundum verò agi quidem poſſe pro ſocio. Ratio eſt manifeſta, quia iuxtà primum ſenſum interueniunt omnes conditiones requiſitæ ad veram, & realem nouationem prioris obligationis ex contractu in obligationem, quæ prouenit ex ſtipulatu, ergo non amplius actione proueniente ex contractu agi poteſt, quandòquidem per nouationem prior obligatio extinguitur; obligatio autem, quæ amplius non eſt, ſed penitus eſt extincta non parit aliquam actionem. Ratio ſecundæ partis eſt, quia iuxta ſecundum ſenſum ipſe contractus non venit in ſtipulationem, ſed dumtaxat pæna, ergo ipſe, & obligatio ex ipſo proueniens remanent in ſuo robore, nec per nouationem extinguuntur, ergo non erit, cur ſocius ex eodem agere non poſſit.

Extenſio, & probatio ſenſus expoſiti.

6 Ex ijs, quæ dicta ſunt, remanet in præſenti inquirendum, an iuxtà ſecundum ſenſum, ſecundum quem ipſe contractus, & obligatio ex ipſo proueniens non cadunt ſub ſtipulatu per mox dicta, poſſit ſocius contra alterum deficientem non ſolum agere pro ſocio ad ea, quæ ſunt debita ratione contractus, ſed etiam ad pænam ſtipulatam. Abſolutè crederem poſſe pro ſocio agere ad ea, quæ ſunt ex natura contractus ſocietatis, & vlteriùs ad pænam ex ſtipulatu. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià ex contractu ſocietatis inito, & perfecto per legitimum conſenſum oritur actio, & obligatio ciuilis ex vtraque parte, quæ obligatio per ſuperiùs dicta per ſtipulationem non nouatur, nec per nouationem extinguitur, ergo integrum erit ſocio ex vi illius agere ad ea, quæ ex pacto ſocietatis conueniunt. Ratio ſecundæ partis eſt, quia partes ſe obligarunt ſponté ad illam pænam eueniente caſu non implementi conuentorum, ergo poſito illo non implemento poterunt ad talem pænam conuentam agere. Eſſet tamen æquius ſecundum iuris ordinem, vt prius pro ſocio ageretur ad complementum conuentorum, & ad ea, quorum intereſt alteri ſocio, quod contractus, & conuentiones non fuerit adimpletæ, quod ſi ex aliqua circumſtantia non poſſit adimpleri; tunc procedatur ad pænam ex ſtipulatu, in quo ſenſu accipiendus eſt allegatus textus *in d. l. duo ſocietatem pro ſocio*,

Cum nouatio non ſit, poteſt agere pro ſocio ad ea, quæ ſunt contractus, & ad pænam ex ſtipulatu.

Nunc ad ea, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus IV. de Emphyth. & Cenſibus d. Pranot. 7. num. 7.* reſpondendum eſt, & quidem ea procedere, quia ibi agitur de duplici pæna altera iuris, altera conuentionali, quæ ſecundum ſe, cum excedant iuſtam moderationem comparatiuè ad delictum, non eſt præſumendum, quod ambæ debeant incurri, niſi in conuentione exprimantur; hic autem non agitur de duplici pæna, ſed de vna tantum, nam quod datur actio pro ſocio ad complementum, non eſt pæna, ſed obligatio ex conuentione; quare non vrget argumentum in hoc à paritate.

Non currit paritas, cum nõ ſit duplex pæna.

---

§. XVI.

An veniens contrà mandatum vni factum conueniri poſſit.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus difficultatis 1.

Nonnulla conſiderationes circà quæſitum 2.

Quomodo cognoſci poſſit in illo mandato interueniſſe ſocietatem 3.

Si in illo mandato veniat ſocietas, ſocius mandans, & veniens contrà mandatum conueniri poteſt: Ibid.

Si ſocius praciſè dixerit alteri, vt emeret fundum, & partem ſibi contiguam cederet, non præſumitur pro ſocietate 4.

Si ſocius dixerit, vt emeret communi nomine, & commune negotium gereret, & poſteà diuideret, præſumitur pro ſocietate 5.

Et ſic contraueniens tenebitur erga alterum ſocietatis officio: Ibid.

Excipe niſi alter ſocius ex dolo noluerit emere 6.

Præueniens emptionem, quando præſumitur pro ſocietate, poteſt compellere præuentum ad emendam partem ſibi contiguam 7.

Disquiſitio XVI. Mihi, & Caio vicinus erat fundus venalis: Tractatum habui cum Caio, vt emeret talem fundum, & partem eiuſdem mihi contiguam cederet: Mox ego ipſo Caio ignorante titulo emptionis talem fundum acquiſiui: Quæſitum fuit, an Caius aduerſus me habeat actionem aliquam, ob quam partem fundi per me empti ipſi contiguam ipſi cedere teneatur. Pro ſolutione 1

Attendendum eſt, an illo tractatu, quem ego habui cum Caio, vt emeret illum fundum venalem, & partem contiguam mihi cederet, propriè interuenerit contractus ſocietatis, an verò non interuenerit, prout rectè notauit textus *in l. cum duobus vicinis* 2

ff. pro

Conſiderationes nonnullæ circa factum.

ff. pro ſocio, ſi enim propriè interuenerit ſocietas, ego ſocietatis officio tenebor verſus Caium, vt ipſi deducta parte, quam mandaueram, reliquas partes præſtem; ſi verò non interuenerit, non vtique tenebor, nec aduerſum me, qui emi, vlla actio competit eidem Caio; Hoc vtrumque expreſsè habetur *in d. l. cum duobus ff. eod.*, & vtique iuxtà illam ſentiendum eſt, ſiquidem ex lege ſocietatis conuenit, vt res diuidantur ſecundum conuenta inter ſocios, nec officit, quod alter ex ſocijs adimpleuerit ea, quæ per alterum erant adimplenda, quandòquidem hoc fuit ex præuentione illius, qui adimpleuit ſine culpa eius, qui præuentus non adimpleuit; atque per hoc ſatisfactum remanet propoſito quæſito.

Quomodo ſit præſumenda ſocietas.

Solum igitur in præſenti remanet inquirendum quandonam præſumendum ſit, quod in illo tractatu interceſſerit ſocietas; & quandò quod non interceſſit, quod eſt ſcopus præſentis difficultatis; ex ſuppoſitione etenim, quod interceſſerit ſocietas non eſt locus dubitandi, cum dubium ſit ſolutum ex allegato textu.

4 Et quidem primò, ſi ſimplicitèr ego dixerim Caio, quod emeret fundum illum venalem, & poſtea mihi cederet partem meis bonis contiguam; non eſt fundamentum aliquod rationabile præſumendi pro ſocietate, & ratio eſt manifeſta, quia mandatum de emendo, & de communicando in parte non importat ſecundum ſe ſocietatem, quia non eſt ad finem collationis ad commune commodum, lucrum, & quæſtum, & emptio illa, ſi fieret per Caium, fieret nomine proprio, quantumuis ex mandato ego tenerer partem illam mihi contiguam acquirere; vndè ſi per Caium ille fundus fuiſſet emptus, & antequam pars mihi contigua mihi cederetur, ex aliqua cauſâ in deterius abiret, vel ab altero vſurparetur, damnum totalitèr ad eundem Caium pertineret.

Mandatū de emendo, & cōmunicando nō importat ſecundum ſe ſocietatē.

5 Secundò, ſi ego dixerim Caio, vt communi nomine emeretur per ipſum fundus ille, & quodamodò in tali emptione commune negotium gereretur, & poſtea fieret diuiſio ſecundum partes conuentas, & tunc re vera ego præueniens emptionem faciendam per eundem Caium tenebor erga ipſum ſocietatis officio, ſi ille tractatui per me cum ipſo habito conſenſum præbuerit. Ratio ea eſt, quia ſi in ea hypotheſi Caius iuxta conuenta emiſſet fundum illum teneretur ſocietatis officio erga me ad cedendam partem mihi contiguam, quandòquidem contractus ſocietatis per ſolum conſenſum perficitur iuxta ſuperius dicta, qui vtique acceſſiſſe ſupponitur ad commune negotium, ergo ſi ego ipſum præueniens emerim talem fundum, tenebor erga ipſum ſocietatis officio ad præſtandum partem eidem contiguam. Conſequentia probatur, quia ex vi illius mutui conſenſus vterque æquè primò ad inuicem obligatur, ergo ſicuti, ſi ille emerit tenetur erga me ad illam partem, ità ſi ego emero tenebor verſus illum ad partem eidem contiguam; neque dicas ex vi illius conuentionis onus emendi ad me non ſpectare, ſed dumtaxat ad Caium, adeòque ex emptione per me facta obligari non potero actione pro ſocio ad eidem cedendum partem ipſi contiguam; contra enim impugnaberis, quia ex quo vterque ſe obligauit communi nomine ad commune illud negotium parùm referre videtur, quod vel per vnum, vel per alterum exequatur; quid enim damni, vel vni, vel alteri poterit obuenire ex eo, quod vel per vnum, vel per alterum conuentio fuerit executioni demandata? Deindè, vt benè notat *Gloſa in d. l. cum duobus vicinis verb. vicino ff. eod.* quamuis ego poteſtatem vicino dederim emendi, retinui tamen iuxtà textum *in l. 1. ff. de damn. infect.*

Initâ ſocietate, ſi alter ſocius præuenerit, tenebitur ſocietatis officio.

Nonnullæ inſtantiæ, & earum ſolutio.

6 Hic tamen aduerte, quod, ſi Caius, cui per me mandata fuerat emptio illius fundi venalis, dolo vel culpa emere noluerit, tunc ego emens ſocietatis officio erga ipſum non tenear, ſed compenſatione obiecta, cum ipſe emere teneretur, potero nihil præſtare, vt notat eadem *Gloſa in verb. tenebor*.

Excipe ſi alter ſocius dolo noluerit emere.

7 Oritur iam hic difficultas, an ſi ego poſt mandatum datum Caio emero dictum fundum venalem meis ſumptibus poſſim cogere eundem Caium ad acquirendam partem talis fundi eidem contiguam. Reſpondendum eſt affirmatiuè, quandòquidem ipſe Caius, vel non emit ex dolo, vel culpa ſua, vel quia præcisè fuit à me præuentus; ſi primum afferatur iam patet teneri ad conuenta, cum dolus, & fraus eiuſdem nequeat eidem ſuffragari, nec per illa poſſit eximi ab oneribus, ad quæ ſe obligauit ex vi conuentionis, & conſenſus præſtiti, vt per ſe patet; Si ſecundum dicatur, iam patet, quod ſicuti ego teneor ipſi cedere talem partem ſuis fundis contiguam ex vi conuentionis, ità ipſe tenetur me volente eandem accipere, cum contractus ſit vltrò, citròque obligatorius; neque præuentio per me facta poteſt mihi obeſſe, ne poſſim compellere, quandòquidem eadem nullum damnum infert Caio, & ex eo, quod in commune negotium conſenſerit, parum eidem referre poſſe videtur, quod illud, vel per ſe, vel per alterum ſocium fuerit adimpletum.

Præuentus poteſt cogi ad emendam partē ſibi contiguā.

§. XVII.

An miſſus per vnum ex ſocijs in remotas regiones ad negotia ſocietatis ſit in profectione alendus ex communibus bonis ſocietatis.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus difficultatis, & diſputabilia circà ipſum 1.

Nonnulla conſiderationes circà quæſitum 2.

Si ſocius, qui alterum miſſit ad negotia ſocietatis, tenebatur ex vi conuentorum illam profectionem habere, tenetur ex proprio miſſum alere, non ex bonis ſocietatis 3.

Nec poteſt, quid amplius pro miſſo exigere, ac exigeret pro ſe ipſo, ſi ipſe profectus fuiſſet 4.

Si mittat non ex neceſſitate, ſed ad melius eſſe eiuſdem ſocietatis poteſt exigere expenſas à ſocietate factas in illa miſſione 5.

1 DIſquiſitio XVII. Coierant inter ſe ſocietatem Titius, & Caius, cumq; Caius negotiator ex illa ad vberiores quæſtus cognoſceret profectionem ad certas regiones futuram valdè proficuam eidem ſocietati Sempronium, tanquam miniſtrum ſibi adſciuit, eumque ad talia loca ad communia negotia ſocietatis deſtinauit. Excitata tunc fuit controuerſia, an Sempronius alendus eſſet ex communibus bonis ſocietatis, an verò dumtaxat ex ſumptibus Caij ipſum ad talia loca deſtinantis, & dirigentis; Sub hoc *eod. tit. Contract. VII. Prænot.* 12. dictum fuit, quod ſi vnus ex ſocijs in longinquas regiones proficiſcatur ad negotia ſocietatis non ſit alendus ex bonis communibus ſocietatis, ſed ad ſummum compenſandus in exceſſu, ſi fortè in illa profectione maiores ſumptus feciſſet in ſuis alimentis, & victu, quas non feciſſet, ſi domi ſe continuiſſet; ex quibus etiam rectè deduci poſſe videtur, quod cum ſuo nomine Sempronium dirigat ad illa loca in ordine ad ordinarium victum ipſius teneatur ex ſuo alere, non ex communi ſocietatis, quandòquidem id dumtaxat præſtat Sempronius, quod præſtaret ipſe Caius, ſi illuc proficiſceretur; ſicuti igitur, ſi ipſe proficiſceretur non deberet quoad ordinaria ali ex bonis ſocietatis, ſed ex proprijs, ità etiam deſtinando alterum ad talem profectionem ipſum ex proprio tenetur alere, non ex fructibus ſocietatis. Nihilominus pro ſolutione

2 Aduerte, an ipſe Caius ex vi conuentorum in ſocietate teneatur, & ex vi proprij muneris ex neceſſitate præſtare illam profectionem in ordine ad commune bonum ſocietatis, ad verò ſolummodò ex proprio arbitrio illam meditetur, quatenus cognoſcat ex illa profectione maius lucrum eidem ſocietati obueniendum, non tamen ex aliquo iure ad illam capeſcendam, vel per ſe, vel per alium teneatur; qua poſita conſideratione,

Nonnulla notabilia circa quæſitum.

Reſpondeo primò; ſi ex vi proprijs muneris, vel conuentorum Caius tenebatur illam profectionem habere tenetur ex proprio Sempronium, quem ad eam negotiationem diriget, alere non ex bonis ſocietatis. Eſt conformis iuribus, & naturali æquitati. Ratio eſt, quia munera, opera, labor, & induſtria, quæ alter ex ſocijs ex conuentione præſtare tenetur in ſocietate computantur inter capitale eiuſdem ſocietatis, nec reſarcienda ſunt, niſi in diuiſione eiuſdem, cum diuiſione lucrorum ex illa prouenientium *l. cum ff. pro ſocio*, & quidquid ad illa obeunda neceſſarium eſt præſtandam eſt per ſocium obligatum, ergo ſicuti, ſi ipſe talia munera, operam, & induſtriam exerceret nec quoad alimenta, nec quoad aliud poſſet aliquam compenſationem exigere, ſed dumtaxat lucrum inde prouenien in diuiſione contractus cum alio ſocio diuidere, ita ratione alterius, quem ſufficit proprio nomine ad exercenda illa munera non debet ex ſocietatis bonis àliquid contribuere, ſed dumtaxàt ex ſuo, quandòquidem ad illa munera contribuenda ipſe tenetur; ſiuè igitur contribuat, vel per ſe, vel per alium non debet vltra conſuetam, & debitam partitionem lucrorum aliquid extrahere ex ſocietate, ſed ex ſuo conferre. 3

Labor, & induſtria, quæ ſocius præſtare tenetur computantur inter capitale.

Reſpondeo ſecundò, in ſuppoſitione, quod Caius, ſi proficeſceretur ex obligatione non eſſet alendus ex bonis ſocietatis, ſed dumtaxat compenſandus quoad exceſſum in maioribus ſumptibus, quos non feceret, ſi domi ſe contineret iuxta dicta *ſub hoc eod. tit. in d. Prænot.* 12. non poteſt, ſi Sempronium ad talem miſſionem deſtinaret, niſi etiam talem exceſſum, ſi fieret in alimentis eiuſdem, exigere, ſi ipſe quoque illos maiores ſumptus feciſſet in hypotheſi, qua profectus ipſe fuiſſet. Conſonat cum ſuperius dictis. Ratio autem euidens eſt, quia ipſe Caius habet eadem iura, & onera ſiuè adimpleat, quæ ſui muneris ſunt, per ſe ipſum immediatè, vel per alterum ſubſtitutum ad adimplendum nomine proprio, ergo ſicuti, ſi per ſe ipſum adimpleret adimplenda teneretur proprijs expenſis ſe alere, & ſolum poſſet exigere compenſationem quoad exceſſum, ita ſi per alium adimplet, tenetur ex proprio illum alere. 4

Habet eadem iura, & onera, quæ adimpleat per ſe ipſum, ſiuè per alterum.

alere, & ſolum exigere compenſationem exceſſus, ſi fortè factus fuerit in maioribus ſumptibus quoad profectionem.

5 Reſpondeo tertiò, ſi non ex neceſſitate conuentorum Caius Sempronium deſtinet ad loca illa remota negotiationis cauſa, ſed tantum ad melius eſſe, & ad vberiorem quæſtum ſocietatis poteſt iuſtè expenſas, & ſumptus in alimentis, alijſque neceſſarijs ex bonis eiuſdem ſocietatis conferre. *Ognate d. tract. 28. de ſocietate diſp. 99. ſect. 3. num. 56. in fin.* Ratio eſt, quià per talem miſſionem Caius benè conſulit rebus ſocietatis, & benè gerit vtriuſque negotium, ad quod, ſi prudenter faciat, non habet prohibitionem, ergo expenſas pro eadem iuſtè poteſt conferre ex communibus bonis ſocietatis. Antecedens ſecundum ſe patet, quià ſecundum communem hominum æſtimationem vberiores ſunt quæſtus in tali loco, & maiora lucra percipiuntur. Conſequentia probatur, quià quæ impenduntur in commune bonum ſocietatis ſunt ex communibus bonis præſtanda iuxtà textum *in l. cum duobus 52. §. ſi quis ex ſocijs ff. pro ſocio l. 27 ff. eod. -Ibi- Seruorum, & operariorum alimenta, & ſalaria &c.*

Ognat.

Gerere vtiliter negotium ſocietatis.

---

§. XVIII.

An, & quomodò ſocietas diſſoluatur ex perſonis inter fratres.

SVMMARIVM.

Status præſentis difficultatis 1.

Quot modis diſſoluatur ſocietas 2.

Etiam per mortem vnius ex fratribus diſſoluitur ſocietas quoad omnes 3.

Et ſi fratres perſeuerent non eſt ampliùs eadem ſocietas, ſed nouatà per implicitum conſenſum ſuperſtitum 4.

1 Diſquiſitio XVIII. Contracta inter quatuor, vel quinque ſocietate aliquorum bonorum, qui omnes erant Fratres ex eodem Patre. Defunctus eſt vnus ex illis reliquis ſuperſtitibus. Quæritur, an etiam quoad ipſos ſuperſtites diſſoluatur ſocietas.

2 Societatem diſſolui quatuor modis, nempè ex perſonis, ex rebus, ex voluntate, & ex actione clarè liquet *ex l. verum 63. ff. pro ſocio*, quod etiam euincitur, *& l. ſocietatem 4. ff. eod. -Ibi- Diſſociamur renuntiatione, morte, capitis minutione, & egeſtate*, idemque repetitur *in §. manet, & §. ſoluitur inſtit. de ſocietate*; & quidem in particulari ſocietatem officiorum diſſolui per mortem officialis, vel ſocij adiecti in ſocietatem fusè diſcuſſum eſt *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Pranot. 20. num. 6. & ſeqq.* Quinimmò etiam diſſolui ſocietatem in lucris, & ad quæſtum per mortem vnius ex ſocijs, adeò vt nec perſeueret inter alios ſuperſtites latè probatum eſt *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Diſquiſ. 1. §. 6. verſ. reſpondeo primo, & ſeqq.* iuxtà textum *in l. actione §. morte ff. pro ſocio*, aliaque iura ibi allegata. Id, quod ſpecialitèr controuertitur in præſenti Diſquiſitione, eſt, an hæc etiam ſpecialitèr extendantur ad ſocietatem initam inter fratres, inter quos videtur ſpecialis ratio dubitandi.

Quatuor modis quibus diſſoluitur ſocietas.

Reſpondeo tamèn, etiam per mortem vnius ex Fratribus diſſolui ſocietatem quoad omnes inter ipſos initam. *Tuſcus verb. ſocius concl. 306. num. 4. & 5. Ognate tract. 28. diſp. 100. ſect. 1. num. 9.* Ratio eſt, quia inter fratres ex ipſa natura ſocietatis ex eo præcisè, quod habeant bona patrimonialia indiuiſa non intelligitur ſocietas, niſi inter ipſos de eadem actum ſit, vel ex adminiculis, & adiunctis eorum mens ſocialis quoad lucra coniectetur per ea, quæ latè probata ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Pranot. 27 num. 1. & 2.* iuxtà Bartolum *in l. ſi patruus. C. communia vtriuſq. Iud.* ergo inter ipſos æquè, ac inter alios ſolo conſenſu, vel expreſſo, vel implicito intelligitur contracta ſocietas, ergo eodem modo diſſolui debet inter ipſos, quo diſſoluitur inter alios, ſed inter alios diſſoluitur morte vniùs, quantumuis ſint ſuperſtites alij, inter quos poteſt perſeuerare *§. ſoluitur inſtit. de ſocietate, & l. actione §. morte ff. pro ſocio*, ergo etiam inter fratres. Prima conſequentia, in qua ſolummodò ſita eſt difficultas ſic euincitur, quia vbi nulla eſt ratio eximens a communi iure, ibi debet eſſe eadem iuris diſpoſitio, ſed ex eo, quod ſint fratres, nulla eſt ſpecialis ratio quoad ipſos eximens &c. ergo &c. Minor probatur, quià ratio fraternitatis non conſtituit ſecundum ſe ſocietatem quoad lucra ex ſupradictis, nec vlla alia ſpecialis ratio poteſt aſſignari, ergo &c. Confirmatur, quià inter fratres formalitèr, vt ſocios ſeruari debent ſpeciales, & generales leges ſocietatis, ergo æquè quoad contractionem eiuſdem, ac quoad diſſolutionem. 3

Tuſcus. *Ognate.*

Per mortem vnius diſſoluitur etiam ſocietas inter fratres.

Non eſt aſſignabilis ratio eximens a communi iure.

Ratio eſſe poteſt ſecundò, quia ſocij non tenentur perſeuerare in ſocietate, quinimmò, nec ſocietas ipſa perſeuerat non perſeuerantibus eiuſdem conditionibus, quibus contracta fuit, ſed mortuo vno ſocio quantumuis fratre eædem conditiones non perſeuerant, ergo &c. Minor probatur, quia tam quoad lucra, quam quoad pericula diuerſimodè ſe habet ſocietas inita inter duos, ac inita inter tres, ergo ſunt diuerſæ conditiones.

Non remanent amplius eadem conditiones.

Neque ex eo, quod reliqui fratres ſuperſtites vno defuncto, ſeruauerint illas eaſdem con- 4

conditiones, quas antecedentèr ad mortem illius ſeruabant, arguendum eſt, quòd eadem ſocietas perſeueret, ſed vel quod dumtaxat habeant ſua bona indiuiſa, vel quod ſaltem implicitè nouam ſocietatem inter ſe cum eiſdem, vel ſimilibus conditionibus contraxerint; & ratio eſt, quia ſemel diſſoluta, vel ex partium conuentione, vel ex diſpoſitione iuris ſocietate ſine nouo conſenſu non poteſt reſurgere, & inſtaurari; per nouum autem conſenſum per diſſolutionem prioris non poteſt, niſi noua ſocietas pullulare; nec ad hoc requiritur nouus conſenſus expreſſus, ſed ſufficit implicitus, & virtualis; ſicuti enim inter Fratres, quamuis non præſumatur pro ſocietate ex eo præcisè, quod habeant bona indiuiſa, præſumitur tamen, ſi vterque negotietur, & conferat lucra per ea, quæ latè dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. d. Prænot. 27. num. 2.* vel alia interueniant adminicula, prout ibi latè explicatum eſt, ita etiam inter eoſdem poſt eandem ſemel diſſolutam poteſt per ſimilia adminicula, ſimileſque negotiationes, & lucrorum collationes iuſtè præſumi, & validè argui noua ſocietas, prout etiam rectè adnotauit *Ognate d. tract. 28. diſp. 100. ſect. prima nu. 9.* qui etiam dicit, quod hæc ſocietas non niſi impropriè, & lato modo poſſit dici eadem, quæ primò erat; vnde ſi dicitur eadem, erit ſolummodò per quandam analogiam, & ſimilitudinem ratione qualitatum, & conditionum ſimilium.

Eſt ſocietas noua tacitè per nouum, & implicitum conſenſum.

§. XIX.

An maxima, & media capitis diminutione ſoluatur ſocietas.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus difficultatis 1.
Quid, & quotuplex ſit capitis diminutio 2.
Explicatur quoad ſuos effectus 3.
Ad minimam ſtatus diminutionem non ſufficit quæcunque ſtatus mutatio, ſed requiritur, vt fiat facto hominis, & quomodo 4.
Per maximam, & mediam capitis diminutionem diſſoluitur ſocietas, non per minimam 5.
Diſſoluitur etiam publicatione bonorum 6.

1 DIſquiſitio XIX. Inita ſocietate inter Meuium, & Seium Meuius paſſus eſt capitis diminutionem. Hinc ſtatim orta eſt controuerſia, an per ipſam ſoluta ſit ſocietas inter ipſos inita. Pro intelligentia, & ſolutione

2 Aduerte, integrum eſſe titulum in inſtit. de capitis diminutione, vbi §. 1. ſic definitur *Eſt capitis diminutio prioris ſtatus mutatio.* Hæc ibi triplex dicitur, altera maxima, altera minor, quæ etiam ab aliquibus media dicitur; altera minima. Maximam capitis diminutionem dicit ibi Imperator habere locum, quandò quis ob enorme aliquod delictum ciuitatem ſimul, & libertatem amiſit, quod contingit in ijs, qui atrocitate ſententiæ ſerui pœnæ efficiuntur, vel etiam in libertis, qui propter ingratitudinem contra patronos commiſſam, in ſeruitutem rediguntur, & etiam in ijs, qui ad pretium participandum venundari paſſi ſunt §. *maxima inſt it. de capitis diminutione,* vbi tamen *Gloſa* hoc verum ſupponit, ſi illi, qui paſſi ſunt venundari, fuerint maiores viginti quinque annis. Mediam dicit habere locum, quandò quis ob delictum ſuum Ciuitatem quidem amittit, ſed adhuc retinet libertatem, quod in eo accidit, cui ignis, & aqua interdicitur, & qui in inſulam deportatur §. *minor Inſt it. eod. tit.* Minimam 3
verò dicit habere locum in eo, qui Ciuitatem ſimul, & libertatem retinet, ſed tantum ſtatum ſuum commutat; hocque contingit in eis, qui ſui iuris fuerunt, & poſteà in arrogationem ſe alteri dederunt, vel etiam in eis, qui cum alieno iuri ſubiecti eſſent per emancipationem ſui iuris effecti ſunt §. *Minima Inſtit. eod. tit.* ex quibus etiam deducere poteris triplicem quodamodò eſſe ſtatum, alterum libertatis, alterum Ciuitatis, alterum familiæ ideſt iuris agnationis. Per capitis diminutionem, qui perdit libertatem, perdit & Ciuitatem, & familiam, & tunc maximam capitis diminutionem patitur; qui perdit Ciuitatem, perdit & familiam, non tamen libertatem, & tunc mediam capitis diminutionem patitur; qui tandem perdit familiam non perdit libertatem, nec Ciuitatem, & tunc dicitur pati minimam capitis diminutionem. 4
Aduerte hic tamen quoad hanc minimam capitis diminutionem non ſufficere, quod quis mutet ſtatum quomodòcunque, nam morte Patris filius mutat ſtatum, quia fit ſui iuris, non tamen dicitur capite minui *l. ſi filius famil. §. fin. ff. ad maced.* ſed requiri, quod talis ſtatus mutatio fiat facto hominis interueniente ſcilicet, vel per emancipationem, vel per deportationem Patris, vel etiam quaſi facto, vt euenit in filijs arrogati, quia vna cum Patre mutant ſtatum.

Quid ſit capitis diminutio, & quotuplex.

Hic oritur difficultas, an filius dicatur pati minimam capitis diminutionem, & mutare ſtatum ex eo, quod fiat ſui iuris per mortem ab homine ſuo Patri illatam, cum hoc fiat hominis facto interueniente. Reſpondet *Gloſa in d. §. 1. Inſtit. de capitis diminutione verb. mortuo prope finem* non propriè dici pati minimam capitis diminutio-

Per mortem ab homine Patri illatam filius non patitur minimam cap. diminut. Gloſa.

nutionem, quia mors ſemper Dei diſpoſitione aduenit, & licet interueniat factum hominis in occiſionem, tamen illud factum non eſt ordinatum ad illud, & ideò conſideratur, vt mors, non vt occiſio *Textus, & ibi Gloſa in l. preminero ff. ad leg. Aquil.* His pro intelligentia ſuppoſitis, quæ ferè ad verbum *ex d. §. 1. Inſtit. de capitis diminutione, & ex Gloſa* colligo.

Tuſcus. Molina. Fillhut. Azotus. Ognate.

Reſpondeo per maximam, & mediam capitis diminutionem diſſolui ſocietatem, non ſic per minimam *Tuſcus verb. ſocietas concl. 306. num. 35. Molina diſp. 414. Filliutius tract. 38. cap. 3. quaſt. 7. num. 25. Azot. in ſumma hoc tit. num. 16. Ognate d. diſp. 100. ſect. 1. num. 17.* Colligitur potiſſimum hæc reſp. *ex l. verum eſt 63. §. ſocietas ff. pro ſocio.*

Ratio primæ partis eſt, quia per maximam capitis diminutionem quis deſinit eſſe ſui iuris, & efficitur ſeruus pœnæ, & amittit omnia ſua bona ſine aliqua publicatione *l. tutelae §. item cum Ciuitas ff. de cap. dim.*, ergo deſinit & ſocietas cum ipſo contracta. Conſequentia probatur, quia ſocietas per ſuperiùs dicta non ſolum ſoluitur ex perſonis, ſed etiam ex rebus *l. verum 62. ff. pro ſocio, & l. ſocietatem 4. ff. eod. §. manet Inſtit. de ſociet.* ſcilicet ex rerum interitu, quod intellige non ſolum de interitu naturali, ſed etiam de ciuili, vt cum conditionem mutauerint *d. l. verum §. vlt. ff. eod. Azotus in ſummis num. 16. verſ. item morte Reginaldus lib. 25. cap. 27. num. 375. §. certio finitur ſocietas*, ergo ſi ſocius per talem maximam capitis diminutionem amittit res, & bona ſua, ſi non naturalitèr, ſaltem ciuilitèr dicendum eſt rerum interitu ſocietatem diſſolui per ipſum contractam.

Interitu verò ſoluitur ſocietas.

Azotus. Reginaldus.

Confirmatur primò ex infra dicendis, quia ſocietas deſinit per ceſſionem omnium bonorum *§. ſoluitur verſ. item ſi quis Inſtit. de ſocietat. l. ſocietatem 4. & ibi Gloſa ff. pro ſocio. Azotus in ſumma n. 16. Filliutius tract. 38. cap. 3. quaſt. 7. num. 25. Molina diſp. 414.* ergo etiam deſinit per maximam capitis diminutionem. Conſequentia probatur, quia per talem capitis diminutionem ex ſupra dictis priuatur omnibus bonis, ergo ſi per talium bonorum ceſſionem ſocietas diſſoluitur, diſſolui etiam debet per eandem priuationem.

Gloſa. Azotus. Filhut. Molina.

Confirmatur ſecundò, quia per mutationem perſonæ diſſoluitur ſocietas *l. nemo poteſt ff. pro ſocio, & l. plane ſi hi ff. eod.* ergò etiam per maximam capitis diminutionem in altero ex ſocijs. Conſequentia probatur primò, quia per talem maximam capitis diminutionem ipſe ſocius, ſi non naturalitèr, ſaltem ciuilitèr mutatur, quandòquidem antecedentèr ſui iuris erat, modò non eſt, prius liber, modò ſeruus, & ſi per mutationem ciuilem rerum diſſoluitur ſocietas, cur non per mutationem ciuilem perſonarum? cum tam ex perſonis, quam ex rebus eadem diſſoluitur. Secundò, quia ideò ſocietas contracta cum teſtatore non tranſit ad hæredem; quia ſocij elegerunt perſonam teſtatoris, non hæredis, quam neſciunt quis futurus ſit *§. morte Inſtit. de ſocietate. Ognate tract. 28. diſp. 100. ſect. 1. num. 13.* eiuſque norunt qualitates aptas ad tale munus, non hæredis, cum hic potuerit eſſe ineptus ad tale munus, ſed ſocius per maximam capitis diminutionem efficitur omninò ineptus ad munera, & onera ſocietatis, ergo &c.

Per maximā capitis diminutionē perſona ciuiliter mutatur.

Ognate.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia per mediam capitis diminutionem quis priuatur Ciuitate, & de iure antiquo interdicebatur aqua, & igne *l. amiſſione ff. de cap. dimin. & §. minor inſtit. eod. tit.* de iure vero nouo loco talis interdicti deportatur *l. 2. ff. de pœnis, & l. 3. ff. ad leg. Iul.* hoc eſt, vel perpetuo exilio damnatur, vel relegatur ad tempus *l. legatorum §. differentia ff. de interd. & re. Gloſ. in §. relegari Inſtit. quib. mod. ius pat. poſ. ſol.* & deſinit eſſe ciuis *l. poſtliminium §. filius ff. de capt. & poſtlim. reuer.*, ſed per talem deportationem redditur ineptus ad munera ſocietatis, ergo per illam ſocietas diſſoluitur.

Pœna mediæ capitis diminutionis.

Gloſa.

Confirmatur primò, quia interitu hominum ſiuè naturali, ſiuè ciuili diſſoluitur ſocietas *§. ſoluitur verſ. publicatione Inſtit. de ſocietate l. actione §. morte verſ. publicatione ff. pro ſocio. Molina diſp. 414. verſ. 2. diſſoluitur. Ognate d. tract. 28. diſp. 100. ſect. 1. nu. 17.* ſed perſonæ ciuilitèr non ſolum pereunt maxima capitis diminutione, ſed etiam media *l. verum eſt §. ſocietas ff. pro ſocio idemque Ognate loc. cit. Tuſcus verb. ſocietas concl. 306. num. 35. Filliutius tract. 38. cap. 3. quaſt. 7. num. 25.* ergo per talem capitis diminutionem &c.

Molina. Ognate. Tuſchus Filhut.

Confirmatur ſecundò, quià cum ſocio talem capitis diminutionem paſſo alter non iniuiſſet ſocietatem, quià non eſt ità habilis, ſicuti, ſi illam non eſſet paſſus, ergo accedente poſt contractam ſocietatem tali capitis diminutione ſocietas ipſa diſſoluenda erit, ſiquidem cum ſocij elegerint induſtriam, & qualitatem perſonæ idoneæ ipſa reddita, ſeù affecta deterioris conditionis, ſeù inhabili non præſumuntur cum illa continuare ſocietatem, quinimò ab initio implicitè conditionatè conſenſum præſtitiſſe præſumendi ſunt, ſi ſcilicet per talem capitis diminutionem non factus fuerit deterioris conditionis.

Non eſt æqualis conditio ſocij cum alio paſſo mediam capitis diminutione.

Ratio tertiæ partis eſt, quià per minimam capitis diminutionem ſocius non efficitur ineptus ad munera ſocietatis, nec habetur pro ciuilitèr mortuo, ergo per ipſam non diſſoluitur ſocietas antecedentèr inita. Antecedens probatur, quia per talem

capi-

capitis diminutionem, nec libertate priuatur, nec bonis, ergo nec redditur ineptus ad munera ſocietatis, nec habetur pro ciuilitèr mortuo. Antecedens etiam patet ex qualitate diminutionis capitis minimæ, prout contradiſtinguitur à maxima, & media. Confirmari poteſt primò *ex l. pertinet t. ff. de capitis diminutione*, vbi dicitur, quod edictum de reſtitutione facienda ob mutationem ſtatus pertinet tantum ad eas capitis diminutiones, quæ ſalua Ciuitate contingunt, cæterum ſiuè amiſſione Ciuitatis, ſiuè libertatis contingat capitis diminutio, ceſſabit hoc edictum, neque poſſunt hi poſteà conueniri, vbi Gloſa ſubdit, *Illi enim, qui patiuntur capitis diminutionem maximam, vel mediam, non poſſunt conueniri*. Quibus poſitis ſic argumentor. Qui patiuntur minimam capitis diminutionem, poſſunt iuſtè conueniri, non ſic illi, qui maximam, vel mediam, ergo, quia illi, non iſti remanent obligati, ergo per talem minimam capitis diminutionem non diſſoluitur talis obligatio, ergo neque ſocietas. Confirmari poteſt ſecundò, quià in præcedenti *tit. ff. de minor 25. annis* dicitur, quod contractus per eoſdem minores vigintiquinque annis non ſint irriti, nec irritentur ſecundum ſe, ſed quod iure actionis per officium Iudicis ratione ætatis ijdem minores reſtituantur in integrum, & propterea quoad illos locum habet edictum, ergo etiam cum hic dicatur, quod in ordine ad dictam minimam capitis diminutionem locum habeat præſens edictum, dicendum eſt, quod præcedentes actus per ipſam non irritentur.

Per minimam capitis diminutionem non fit quis ineptus ad munera ſocietatis.

Ex iſtis, quæ hactenus dicta ſunt facilè erit colligere ſocietatem etiam, quinimmò à fortiori, diſſolui bonorum publicatione *l. verum §. vlt. ff. pro ſocio l. actione §. publicatione ff. eod. §. publicatione Inſtit. de ſocietate. Azot. in ſumma hoc tit. num. 16. Molina diſp.* 414. Ratio eſt, quià reſpectu eius, cuius bona publicantur, ſuccedit Fiſcus, vnde ipſe habetur pro mortuo, adeòque &c.

Azotus. Molina.

---

§. XX.

An ceſſione omnium bonorum diſſoluatur ſocietas.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis 1.
Ratio dubitandi 2.
Per ceſſionem talium bonorum diſſoluitur ſocietas 3.
Limita, niſi ceſſio non eſſet adequata 4.
Item, niſi facta eſſet in fraudem ſocietatis 5.
Satisfit rationi dubitandi 6.

DIſquiſitio XX. Duo adinuicem contraxerant ſocietatem ad certum tempus; alter eorum, cum plurima etiam contraxiſſet debita, & per conſequens eſſet obſtrictus ære alieno, ad vitandas creditorum vexationes, ceſſit omnibus ſuis bonis ante tempus conuentum diſſolutionis contractus ſocietatis. Quæritur iam, an per talem bonorum ceſſionem intelligatur diſſoluta ſocietas

Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod ſi conueniat inter ſocios conſentientes, & acceptantes conditionem, vt ſocietas intra certum tempus non diſſoluatur ante aduentum illius inuitis ſocijs diſſolui non poſſit *l. in hoc iudicium §. ſi conueniat ff. communi diuidundo*; diſſolueretur autem ante aduentum illius temporis alijs inuitis, ſi per ceſſionem bonorum per vnum factam deſineret. Rurſus præfinito certo tempore, quo perſeuerare deberet ſocietas nefas eſt ſocijs alijs inuitis renunciare *l. ſi coiverir l. ſed & ſocius §. 1. & 2. l. actione §. diximus ff. pro ſocio*; illa autem bonorum ceſſio eſt quædam ſpecies renunciationis, quandòquidem per illam implicitè, & ex neceſſitate renuntiat ſocietati. Nihilominus

Ratio dubitandi circa præſtitum.

Reſpondeo per ceſſionem talium bonorum diſſolui ſocietatem *Molina d. diſp. 414. verſ. tertio ſi aliquis. Ognate d. tract. 28. diſp. 100. ſect. 1. num. 20. Reginaldus lib. 25. cap. 27. num. 374. §. tertio ſinitur. Filliutius tract. 38. cap. 3. num. 25. Azorus in ſumma eod. tit. num. 16.*

Molina. Ognate. Reginal. Filliut. Azorius.

Ratio huius reſponſionis deducitur primò *ex §. ſoluitur verſ. item ſi quis Inſtit. de ſocietate*, vbi ſic legitur. *Item ſi quis ex ſocijs mole debiti pergrauatus bonis ſuis ceſſerit, & ideò propter publica, aut priuata debita ſubſtantia eius veneat ſoluitur ſocietas*. Secundò ex textu *in l. ſocietatem coire ff. pro ſocio* Ibi. *Diſſociamur renuntiatione, morte, maxima capitis diminutione, & egeſtate*, vbi *Gloſa verbo Egeſtate* ſubdit, *vt ſi quis ex ſocijs bonis ceſſerit*; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, non poſſe cedere contrà conuentionem iam præſtitam in celebratione contractus, & in præiudicium aliorum ſociorum ipſis inuitis; non, inquam, obeſſe poteſt, quià motiuum cedendi præualet conuentioni, ne ſcilicet in carcerem detrudatur *§. fin. Inſtit. de actione l. prima C. de ceſſione bon.* Deindè ſpontè non ſupponitur cedere, ſed ære alieno vrgente.

Iura ibi probantia reſponſionem.

Ratio eſſe poteſt tertiò fundata in naturali æquitate, quia ſocius per ceſſionem bonorum redditur impotens ad continuandum in ſocietate, ergo facta tali bonorum ceſſione ipſo facto ceſſat ſocietas. Antecedens

Ratio fundata in naturali æquitate.

dem ſecundum ſe patet, quia cedendo omnia à ſe ipſo abdicat. Conſequentia tenet, quia deficiente materia, ex qua contractus conſtituitur, non poteſt idem contractus ſubſiſtere.

Dices argumentum rectè procedere ex ſuppoſitione, quod illa ceſſio eſſet neceſſaria, ſecus autem ſi voluntaria reſpectu cedentis, nam tunc diceretur liberè cedere ſocietati, ſicuti liberè cedit bonis, quod eſt contrà diſpoſitionem conuentorum. Sed contrà, quia ex quo pergrauatus eſt ære alieno, illique teneatur ſatisfacere, nec poſſit aliter efficere, niſi cedendo, non dicitur voluntariè ſimpliciter cedere, ſed quaſi coactè, & neceſſitate ſatisfaciendi vrgente, ne grauioribus damnis ſubiaceat per detruſionem in carcerem, & ſicuti ſi ipſius bona publicantur, cui cauſam ipſe dedit per delictum à ſe commiſſum, diſſoluitur ſocietas, vt ex allegatis iuribus, & præcipuè *ex l. actione §. publicatione ff. pro ſocio*, ita ſi ipſius bona cedantur, cui ceſſioni ipſe cauſam dederit per contractionem æris alieni diſſolui debet; quandòquidem in primo caſu Iudicis ſententia vrgente, in ſecundo neceſſitate æris alieni ſuadente ſuis bonis deſtituitur, & fortius videtur ius creditorum, vt ſatisfiant, quam ſociorum, vt in ſocietate perſeueret.

Inſtantia ad reſponſionem, eiuſq; ſolutio.

4 Limitanda tamen eſt primò reſponſio in ſuppoſitione, quod talis bonorum ceſſio non eſſent adæquata, ſed clam reſeruatis ipſi cedenti iuribus aliquibus, ſeù bonis, quia tunc in illis perſeuerare deberet ſocietas, cum non ſuppeteret cauſa diſſolutionis, cum eſſet bona, in quibus poſſet ſubſiſtere. Item in ſuppoſitione, quod illa ceſſio facta fuiſſet ad diſcutienda bona, & ad ſoluenda debita reſeruato iure ad reliqua, quæ remanent ex ſolutione debitorum, cum certus ſit idem ſocius plura extare bona, quam ſint debita, quia tunc etiam eſt id, quo perſeuerare poſſet ſocietas, & propterea &c.

Ceſſio debet eſſe adæquata.

5 Limitanda eſt ſecundò in ſuppoſitione, quod illa ceſſio facta fuerit in fraudem ipſius ſocietatis, quatenus apparentèr facta eſt illa ceſſio inita clandeſtina conuentione cum ſuppoſitis creditoribus de reſtitutione bonorum, quæ acquiſiuere per illam apparentem ceſſionem, tunc etenim illa fraus non poteſt prodeſſe illam committenti, nec obeſſe ſocio, ſed debitor huic tenetur ad continuationem, & ad ea omnia, quod ad ipſum pertinere poſſunt, quod non facta fuerit illa ceſſio.

Nec debet eſſe facta in fraudē ſocietatis.

6 Ad rationes dubitandi, quæ ex aduerſo afferebantur, iam patet, quid ſit reſpondendum; Ad primum etenim dic, quod facta conuentione inter ſocios de ſocietate ad præfinitum tempus non poſſit ante aduentum illius diſſolui aliquo ex illis repugnante diſſolutioni, quotieſcunque intenditur eadem diſſolutio ex cauſa voluntaria reſpectu diſſoluere volentis, ſecus ſi intendatur ex cauſa neceſſaria, vt euenit in hypotheſi, de qua loquimur, ſecundum quam debitor non ſpontè cedit, ſed ex neceſſitate ad vitandas ſcilicet pœnas carcerationis, ignominiæ &c. quæ præualent oneri talis ſocietatis. Ad ſecundam etiam dic procedere de renuntiatione voluntaria, ſecus de neceſſaria modo, quo mox dictum eſt.

Soluitur ratio in contrarium propoſita.

---

§. XXI.

An ſocietas inita ad certum tempus poſſit ex aliqua cauſa altero diſſentiente diſſolui ante aduentum illius.

SVMMARIVM.

Aſſignantur cauſæ, ob quas intenditur diſſoluenda ſocietas 1.

Ob abſentiam diutinam futuram Reipublicæ cauſa poteſt ſocius diſſoluere ſocietatem 2.

Intellige ſi commodè per alium non poſſit præſtare ſocietatis munera. Ibid.

Intellige, ſi ſit abfuturus inuitus, non autem volens 3.

Poteſt diſſolui ſocietas, ſi alter ſocius fuerit damnoſus ſocietati, & iniurioſus ſocio 4.

Non ſufficit quodcunque damnum, vel iniuria, & qualia eſſe debent 5.

Diſſolui, poteſt quantumuis fuerit damnoſus & non iniurioſus, & è contrà 6.

Proponuntur obiecta contrà præcedens dictum, & diſſoluuntur 7.

Ceſſante ſpe obtinendi id, ad quod inita eſt ſocietas, poteſt eadem diſſolui 8.

Si non ſeruentur conditiones, & pacta poteſt per innocentem etiam ante tempus diſſolui 9.

Diſquiſitio XXI. Inita ſocietate inter Phylippum, & Andræam ad quatuor 1
annos expreſsè inter ipſos conuentos contendebat Andræas ante tale tempus præfinitum à ſocietate diſcedere, illamque diſſoluere ex aliquibus prætenſis cauſis, alijs ſe tenentibus ex parte ſui, alijs obuenientibus ex parte Phylippi ſocij ſui; & quidem ex parte ſui primò allegabat ſui abſentiam ad longum tempus futuram Reipublicæ cauſa; contra quem excipiebat Phylippus allegatam cauſam non eſſe ſufficientem ad diſſolutionem, quia poterat alium ſufficere ad adminiſtrationem ſocietatis, vel ſibi talem adminiſtrationem committere. Secundò allegabat ex parte ſui

Exponuntur varii casus, in quibus potest esse difficultas.

ſui idem Andræas, quod iam ceſſet ſpes id obtinendi, gratia cuius ſocietatem inierat. Tertiò ex parte Phylippi eum eſſe ſibi damnoſum aſſerebat, & iniurioſum. Quartò ex parte eiuſdem, quod non ſeruauerit pacta, & conditiones conuentas. Quæritur iam, an propter allegatas cauſas iuſtè poſſit a ſocietate recedere.

2 Reſpondeo, propter abſentiam diutinam futuram Reipublicæ cauſa poſſe iuſtè Andræam diſſoluere ſocietatem initam cum Phylippo ante tempus conuentum diſſolutionis, ſi commodè per alium ſupplere non poſſit officijs ſocietatis, vel æque benè per alterum ex ſocijs, ſecùs ſi commodè per alium præſtare poſſit hæc munera *Gloſa in l. 16. ff. pro ſocio Petrus de Vbaldis de duobus fratribus part. 11. num. 7. Mantica tit. 23. num. 12. Ripa reſp. 15 num. 11. de oblig. vol. 2. Molina diſp. 414. verſ. quandò ſocietas. Gratus conſ. 15. num. 48. lib. 1.* Colligitur hæc reſponſio quoad omnes ſit partes *ex l. idemque erit dicendum ff. pro ſocio*, vbi ſic legitur *Idemque erit dicendum, ſi ſocius renuntiauerit ſocietati, quia Reipublicæ cauſa diu, & inuitus ſit abſuturus, quamuis nonnunquam ei obijci poſſit, quod potuit per alium ſocietatem adminiſtrare, vel ſocio committere, ſed hoc non alias, niſi valdè ſit idoneus ſocius, aut facilis abſuturo etiam per alium ſocietatis adminiſtratio.*

Gloſ. Petrus de Vbaldis. Mantica. Ripa. Molina. Gratus.

3 Vbi habes primò, quod quantumuis abeſſe debeat Republicę cauſa, non tamen poſſit renuntiare ſocietati, niſi ſit abſuturus inuitus. Ibi *diu, & inuitus*, ſi enim ad ſui petitionem ſit abiturus, vtique ſocietati nequit cedere, quod colligitur tum ex eo, quod per allegatum textum ſit exceptio a communi regula; exceptio autem quoad expreſſa firmat regulam quoad non expreſſa *Panormitanus in cap. quoniam frequenter extrà vt lit. non conteſt. Bartolus in l. quaſitum §. denique ff. de fund. inſtruct. Decius in l. 1. num. 27. ff. de reg. iur. & cap. cum dilecta col. 2. de confir. vtil. vel inutil. Laurentius Silua conſ. 74. num. 13. vol. 2.* tum ex eo, quod ipſe ſponte nequit cedere conuentis, ad quæ ſe obligauit, nec ſpontè quærere ea, ex quibus reſultare poteſt obex ad implementum conuentorum, & proindè perinde eſſet, ſi ſine cauſa ſocietati renuntiarit, quia qui quærit id, per quod res eſſe non poteſt perindè eſt, ac ſi quærat directè, quod res illa non ſit.

Debet abeſſe inuitus, non volens ex proprio arbitrio.

Panormitanus. Bartolus. Decius. Laurent. Silua.

Habes ſecundò, quod ſi facilis non ſit adminiſtratio per alium, quatenus non reperiatur idoneus, vel alij ſocij non ità habiles ſint, vt eiſdem poſſit aſſignari talis adminiſtratio, tunc poſſit abſolute a ſocietate recedere. Ibi *Sed non alias, niſi valdè ſit idoneus ſocius, aut facilis &c.* Gloſa *in d. l. idemque erit dicendum verbo idoneus* ad varios ſenſus, & perſonas trahit illam particulam, quatenus vel refertur ad extraneum ſubſtituendum, vel ad ipſum ſocium abſuturum, quatenus ſi ipſe ſit validè idoneus, non teneatur alium ſubſtituere, vel referatur ad alium ſocium, quatenus, ſi hic non ſit valdè idoneus non teneatur abſuturus illi committere adminiſtrationem ſocietatis, vel ad extraneum, quatenus &c. Tu dic in vniuerſum, quod illa particula, *idoneus*, ſtet tam comparatiuè, quàm abſolutè, quatenus reddat hunc ſenſum, quod ſi, vel alius ſocius, vel alius extraneus ſubſtituendus non ſit talis, vt adæquet idoneitatem abſuturi, vel ſecundum ſe non ſit valdè idoneus, non teneatur idem abſuturus quemcunq; illorum in adminiſtratione ſocietatis ſubſtituere. Ratio eſt, quia cum ſocius abſuturus inierit ſocietatem idoneitate propria attenta non tenetur in eadem continuare non poſita æquiualenti idoneitate, præcipuè quandò ex iuſta cauſa iure ſibi aſſiſtente poteſt ab illa recedere, vt euenit in caſu noſtro.

Ly idoneus ſtat tàm comparatiuè, quàm abſolutè.

Probatur item in particulari reſponſio quoad primam partem, quia bonum commune Reipublicæ præferendum eſt cuicunque intereſſe priuatorum, cum bonum vniuerſitatis dicatur in iure bonum diuinum, nec ex cauſa illius præiudicium aliquod inferendum eſt illi, niſi quatenus conuertitur cum illo bono communi; vndè communitèr docent Theologi, quod ſi canonicus aliquis ob commune bonum Collegij, vel Epiſcopi abſit ab horis canonicis, & non reſideat non ſit priuandus fructibus reſidentiæ, quod idem regularitèr dicunt de alijs in alijs publicis negotijs, ergo etiam, ſi ſocius abeſſe debeat ob bonum commune Reipublicæ, non propterea cum ſui præiudicio ſubeſſe debet oneribus ſocietatis, adeòque &c.

Bonum commune præferendum eſt priuato.

Paritas canonici abſentis ob commune bonum capituli, vel Eccleſiæ.

Probatur item in particulari quoad ſecundam partem, quia tunc tantum commune bonum Reipublicæ eximit ab onere priuati intereſſe, quandò huius adminiſtratio eſt incompatibilis cum illo, vel ingereret aliquod præiudicium incumbenti communi bono, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, illa adminiſtratio ſocietatis per alium æque idoneum non eſt incompatibilis cum bono communi, nec bonum commune ipſi incumbenti aliquod præiudicium inferret. Confirmatur pacta ſunt ſeruanda, quoticſcunque commodè poſſunt, ſed pactum ſocietatis data etiam hypotheſi abſentiæ futuræ alterius ſocij commodè ſeruari poſſet per alium æque idoneum, vel per commiſſionem factam alteri ſocio, ergo &c.

Reſpondeo ſecundò. Si Phylippus fuerit valdè damnoſus ſocietati, & iniurioſus 4

An-

Andreæ poteſt hic non obſtante, quod tempus ad ſocietatem præfinitum non fuerit elapſum ab eadem recedere *Molina diſp. 414. verſ. quando ſocietas inita, Mantica d. tit. 23. nu. 13. Filliutius tract. 38. cap. 2. quaſt. 10. num. 32. Ognate d. tract. 28. diſp. 100. ſect. 1. num. 30.* Colligitur hæc reſponſio ex textu *in l. ſi conuenerit in fin. ff. pro ſocio* Ibi *Aut. quod ſi tam iniurioſus, & damnoſus ſocius ſit, vt non expediat eum pati*; quæ reſponſio etiam confirmari poteſt paritate ſocietatis coniugatorum, quæ diſſoluitur per diuortium ex cauſa damnorum, & iniuriarum, vt eſt communis Theologorum conſenſus.

Molina. Mantica. Filliut. Ognate.

Ex dictis *in alleg. l. ſi conuenerit* duplex potiſſimum inſurgit difficultas. Prima eſt, an ex quocunque damno, & iniuria illata per alterum ex ſocijs locus ſit diſſolutioni contractus, an verò requiratur certa, & determinata in aliquo genere, vel gradu. Secunda, an ad talem diſſolutionem requiratur, quod ſit damnoſus, & iniurioſus copulatiuè, an ſufficiat, quod ſit, vel damnoſus, vel iniurioſus diſiunctiuè.

Duplex ratio du[illegible]*tandi.*

5 Ad primum dicendum eſt, non ſufficere quodcunque damnum, vel iniuriam. Ità ſentire videtur *Molina d. diſp. 414. verſ. eodem*, dum dicit, *Ità vt prudentis arbitrio ferendi non ſint*, quod idem colligo *ex d. textu in l. ſi conuenerit in fin.* vbi dicitur, *vt non expediat eum pati*. Certè ex quacunque cauſa non expedit eum non pati, nec ex leui cauſa licet contractum diſſoluere. Debet igitur damnum, vel iniuria, vt rectè notauit Molina loc. cit. eſſe tale, vt prudentis arbitrio non ſint ferendi, quod etiam exemplificari poteſt per diuortium, quod non ex quacunque iniuria, & damno debet induci, ſed ex graui aliqua cauſa.

Molina.

Debet eſſe talis, vt arbitrio prudentis habeatur pro graui.

6 Ad ſecundum ex verbis eiuſdem textus videtur vtrumque copulatiuè requiri, & quod ſit iniurioſus, & quod ſit damnoſus, hę etenim qualitates exprimuntur per particulam copulatiuam, *&*, non per diſiunctiuam, *vel*, in dicto textu. Nihilominus ſentiendum eſt, ſocietatem poſſe diſſolui, ſiuè ex eo, quod alter ſocius fuerit iniurioſus tantùm, ſiuè damnoſus, quinimmò aliqui, nec incongruè, afferunt illas particulas poſitas ad quandam Emphaſim, & maiorem expreſſionem, cæterum quoad rem, & ſubſtantiam in vnum coaleſcere, quià qui eſt iniurioſus, eſt etiam damnoſus, & qui eſt damnoſus, eſt etiam iniurioſus. Ratio eſt, quia etiam ſi demus, non coaleſcere in vnum eſſe damnoſum, & iniurioſum, tamen vtraque qualitas etiam ſeorſim ſumpta ſufficiens eſt ſecundum finem intentum a lege ad recedendum a contractu, ſicuti altera illarum eſt ſufficiens ad faciendum diuortium, & per conſequens etiam ſocietatem inter coniuges, finis etenim legis eſt iurgia, & damna inter eos remouere, inter quos quædam fraternitas eſt inducta, & communio non ſolum in rebus, ſed etiam in affectibus. Ad id, quod in contrarium afferebatur de modo illo concepto in textu per modum copulationis, ſeù particulæ copulatiuæ dicendum eſt, quod licet hæc coniunctio propriè copulet *l. ſi heredi ff. de condit.* tamen aliquandò ſumitur pro *vel*, *l. ſæpe ff. de verb. ſignif.* quod præcipuè intelligendum eſt in hac hypotheſi, ſecundum quam iura intendunt prohibere inter ſocios quaſcunque iniurias, & damna, & ſicuti ſi quis prohibendo diceret. Sub interminatione talis penæ, ne quis tali die ſcribat, nec legat, intelligitur ſubiacere tali pænæ non ſolum ille, qui ſimul pro tali die, & legit, & ſcribit, ſed etiam qui vel legit, vel ſcribit *l. cum quodam C. de verb. ſignif.* ità, cum in iure dicitur ſub pæna diſſolutionis contractus ſocius non ſit damnoſus, & iniurioſus, intelligitur in eandem incidere non ſolum, qui iniurioſus, & damnoſus eſt, ſed etiam qui vel iniurioſus, vel damnoſus &c.

Vtraque qualitas ſufficiens eſt ad diſſolutionē cōtractus, ſicut ad diuortiū.

Aduerſus hanc reſponſionem præcipuè in hypotheſi, ſecundum quam alter ex ſocijs ſit damnoſus militare videtur hoc argumentum, quod contra ſocium doloſè agentem, & damnificantem conceditur actio pro ſocio *ex §. vlt. inſtit. de ſocietate, & l. cum duobus §. venit. & §. duobus l. non ob eam l. & ideo & l. ſocius ff. pro ſocio*, quod præcipuè verificatur ex eo, quod cum contractus ſocietatis ex ſuperius dictis ſit contractus nominatus, & ex ijs, qui ſolo conſenſu perficiuntur, vtique habet ſibi inditam actionem per hoc præcisè, quod conſenſus ex vtraque parte acceſſerit, ergo ex illis qualitatibus non erit actio ad diſſolutionem, ſed dumtaxat ad reparationem damnorum, ſi quæ contigerint. Sed facilè poſſumus occurrere, aſſerentes præcipuè, quod quandò damnificatio, & iniuria eſt habitualis in pænam præcipuè habitualitèr delinquentis non ſolum conceedatur lęſo actio pro ſocio, ſed etiam optio, vel ad talem actionem, vel ad diſſolutionem contractus, & quidem etiam conformiter ad mentem eorundem cōtrahentium, & contractuum, quià in contractibus correſpectiuis videtur eſſe tacita, & implicita conuentio continuandi vſque ad præfinitum tempus in eiſdem, ſi alter ſeruauerit, quæ ſeruanda ſunt. Deindè hoc, quod dicitur in hac reſponſione, eſt ſpecialis diſpoſitio iuris in ordine ad contractum ſocietatis ad remouendos ſocios a contumelijs, & voluntarijs damnis, cum hic contractus ſupra alios exigat mutuam quandam communicationem affectuum, cum ſit quædam fraternitas. 7

Nonnulla obiecta contra dicta, eorūque reſolutio.

T Reſpon-

8 Reſpondeo tertiò, ceſſante ſpe id obtinendi, ad quod ſpecialiter inita eſt ſocietas, poteſt ante præfinitum tempus Andræas a ſocietate recedere, ipſamque diſſoluere. *Molina d. diſp.414. verſ. eodem quo ſupra Fillintius tract. 38. cap. 2. quaſt. 10. num. 32. Ognate d. tract. 28. diſp. 100. ſect. 1. num. 32.* Colligitur reſponſio ex textu in *l. vel quod de ea re ff. pro ſocio*, vbi ſic legitur, *vel quod de ea re frui non liceat, cuius gratia negotiatio ſuſcepit*. Hoc idem videtur quodamodò ſtatui *in l. actione §. diximus ff. pro ſocio*.

Molina. Fillíut. Ognate.

Dices, ex eo, quod poſt contractam ſocietatem non vrgeat finis, ad quem eſt inita, non propterea vrget ratio ipſam diſſoluendi, ergo &c. Antecedens probatur ex eo, quod poſt contractum emptionis ceſſat finis, ob quem facta eſt emptio, non competit ius emptori diſſoluendi contractum, ergo ex eo &c. Sed contra primò, quia reſponſio non procedit præciſe in hypotheſi, quod reſpectu vnius eeſſet finis, ad quem ſocietatem iniuit, ſed in hypotheſi, quod eeſſet finis, ad quem inita eſt ſocietas ſecundum ſe, in quo ſenſu dicitur *in d. l. actione §. diximus ff. pro ſocio*, quod *non ſemper id, quod priuatim intereſt vnius ex ſocijs ſeruari ſolet, ſed quod ſocietati expedit*. Secundò, quandò in ipſa celebratione contractus expreſſus eſt etiam ex parte vnius dumtaxat finis, ob quem celebratur, ſi ille redditur irritus, videtur liberum eſſe ab illo recedere, quandòquidem per illam expreſſionem videtur induci tacita conditio in illa ſocietate perſeuerandi, quotieſcunque ſpes illius finis viget, & non aliter; Neque in hoc currit paritas de emptione, quandòquidem hæc fit abſolutè cum plena tranſlatione dominij; ſocietas autem ſine tali tranſlatione dominij eſt quodamodò ſolum conditionatè. Tandem ſicuti, quandò finis ſocietatis eſt obtentus, fruſtranea eſt perſeuerantia in ſocietate *§. item ſi alicuius inſtit. de ſocietate, & l. actione §. morte ff. pro ſocio. Gregorius in l. 13. tit. 10. part. 3. Mantica lib. 6. tit. 23. num. 21. Decianus conſ. 197. n. 40. in fine l. 2.* ita fruſtranea eſt talis continuatio, quandò idem finis nequit obtineri *Ognate d. tract. 28. diſp. 100. ſect. 1. nu. 33.*

Non valet argumentū ab emptione ad ſocietatem.

Gregor. Mantica. Decian. Ognate.

Reſpondeo quartò, Si Phylippus non 9 ſeruauerit conditiones, & pacta, vtique poteſt Andræas etiam ante finitum tempus a contractu recedere *Abbas conſ. 99. in fin. lib. 2. Tuſchus verbo ſocietas concl. 306. num. 43. & 44. Molina loc. quo ſuprà. Ognate etiam loc. cit. num. 31.* Colligitur potiſſimum hæc reſponſio ex *l. ſi conuenerit ff. pro ſocio*. Ibi- *Quod ſi conuenerit, ne intra certum tempus à ſocietate abeatur, & ante tempus renuntietur, poteſt rationem habere renuntiatio, nec tenebitur pro ſocio, qui ideò renuntiauit, quia conditio quædam, qua ſocietas erat coita, ei non præſtatur*; cuius diſpoſitionis legalis illud fundamentum exiſtimo, quià quis non tenetur alteri ſeruare fidem, qui ipſi fidem violauit, & in contractibus reſpectiuis ea ſemper videtur ineſſe tacita conditio ſeruandi ea, quæ conuenta ſunt, ſi per alium ſibi ſeruentur; Neque dicas, ei, cui fides non ſeruatur, competere actionem pro ſocio ad implementum, non autem ad diſſolutionem contractus; contra enim impugnaberis, quia ex quo alter defecit a debitis conditionibus conuentis ex diſpoſitione iuris tranſtulit in alterum non deficientem optionem, vel ad vnam, vel alteram actionem ſibi viſam, quod præcipuè verificatur in ſocietate, in qua translatum non eſt dominium.

Abbas. Tuſchus. Molina. Ognate.

Frangenti non eſt fides ſeruanda.

---

§. XXII.

An, ſi ſocietas contracta ſit ſine tempore, liberum ſit cuicunque contrahenti pro quocunque tempore recedere.

SVMMARIVM.

Expenitur ſtatus difficultatis 1.

Accedente vtriuſque conſenſu poteſt pro quocunque tempore diſſolui 2.

Duplex ſenſus, ſecundum quem poteſt examinari dubium 3.

Si ſit inita ad certum finem, cuius executio exigat determinatum tempus, non poteſt ante tale tempus ſolui 4.

Si finis non exigat determinatum tempus, poteſt diſſolui ſocietas ad arbitrium alterius ſocij 5.

Conditiones, quas debet ſeruare ſocius diſſoluens ſocietatem 6.

DIſquiſitio XXII. Contraxerant ſocietatem Phylippus, & Andræas modo, 1
quo ſupra in præcedenti §. ſed nullum conſtituerunt tempus, ad quod durare deberet ſocietas nec expreſsè, nec implicitè. Suborta eſt difficultas, an ad arbitrium vtriuſque contrahentis ſiuè coniunctim, ſiuè ſeorſim poſſit pro quocunque tempore diſſolui?

Concurrente vtriuſque conſenſu poſſe 2
pro quocunque tempore diſſolui indubitatum eſt in iure *l. verum eſt 63. §. fin. & l. actione 65. §. diximus ff. pro ſocio*, nec incongrua ſane ratione, quia ſicuti ſolo conſenſu contrahitur, ita ſolo diſſenſu diſſolui poſſe intelligitur, cum valeat generalis regula, quod res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur *reg. 1. de reg. iur. in 6.* & nihil eſt tam naturale, quam vnumquodque eo genere diſſolui, quo colligatum eſt

Diſſoluitur vtriuſque cōſenſu.

l. nihil

l. nihil tam naturale ff. de reg. iuris §. vltim. Inſtit. Quibus mod. tol. obl. Baldus conſ. 452. ad fin. lib. 3. Difficultas igitur reducitur ad id ſolum, an vnius dumtaxat arbitrio, & voluntate poſſit diſſolui altero renuente. Pro quo

Baldus.

3 Aduerte, an ſocietas inita ſit ad aliquem finem, cuius conſecutio exigat aliquod tempus determinatum ſecundum ſe licet hoc in celebratione contractus non fuerit expreſſum, an verò inita ſit ad certum effectum, cuius executio non pendeat ab aliquo tempore determinato, ſed pro quocunque tempore haberi poſſit. Primi generis eſt contractus, quo per vtrumque ſocium, vel per alterum illorum data eſt pecunia ad negotiationem nauticam, quæ ex ſuo genere exigit diutinum tempus, vel ſocietas in quodam negotiationis genere, quod non niſi ad tale tempus poteſt perfici. Secundi generis eſt ſocietas ad emptionem talis rei, quæ poteſt immediatè perfici, vel ad cuſtodiam armentorum, quæ etiam non exigit tempus ſecundum ſe determinatum. His ſic conſideratis

Societas, vel inita eſt ad certum finē exigētem tēpus determinatum, vel non.

4 Reſpondeo primò, ſi ſocietas inita ſit ad certum finem, cuius conſecutio ex genere ſuo non poſſit haberi, niſi pro determinato tempore non liberum eſt cuicunque contrahenti ante illud, ſeù ante obtentum finem ab illa ſocietate recedere. Eſt conformis ijs, quæ alibi dicta ſunt, & naturali æquitati.

Probatur primò, ſocietas contracta ad determinatum tempus nequit regularitèr antè illud diſſolui per ea, quæ dicta ſunt in præcedenti Diſquiſitione, ergo neque ſocietas contracta ad aliquem determinatum finem poterit ante tempus, quod regularitèr requiritur ad conſecutionem illius finis diſſolui. Conſequentia probatur primò, quia in celebratione contractus ad illum finem determinatè inuoluitur implicitè conuentio temporis requiſiti ad eiuſdem finis conſecutionem; Secundò, quià qui vult finem, vult etiam omnia media neceſſaria ad conſecutionem eiuſdem, ergo etiam vult tempus &c.

Ad finem implicitè inuoluitur conuentio tēporis.

Probatur ſecundò, quià hæres, qui ex conuentione teſtatoris facta cum ſuis ſocijs non poteſt obligari ad continuandam ſocietatem cum eiſdem ſocijs, tenetur tamen eandem continuare vſque ad complementum, ſi fuerit cæpta per ipſum teſtatorem per ea, quæ docet *Ognate d. tract. 28. diſp. 100. ſect. 1. num. 14.* & nos etiam iuribus allegatis ſupra docuimus, ergo à fortiori ipſe qui immediatè per ſe ipſum contraxit ſocietatem tenebitur eandem continuare vſque ad complementum, ſeù vſque ad conſecutionem finis, ad quem inita eſt talis ſocietás.

Argumentum à paritate.

Ognate.

5 Reſpondeo ſecundò, ſi ſocietas inita ſit non ad finem, cuius executio exigat determinatum tempus, poteſt quicunque ſocius etiam altero inuito à ſocietate recedere. *Gutierez de iuram. confir. part. 3. cap. 58. num. 1. Molina diſp. 414. num. 12. Mantica lib. 6. tit. 23. nu. 15. Ognate d. lib. 28. diſp. 100. ſect. 1. n. 37.* Colligitur hęc reſponſio *ex l. fin. C. communi diuid. l. licet ſocius §. vlti. ff. pro ſocio.* Ratio eſſe poteſt, quià vbi nihil ſtatutum eſt de tempore ſocietatis, nec eadem ſocietas ſecundum ſe exigit aliquod tempus determinatū videtur liberum relictum eſſe ſocijs perſeuerare in ſocietate, vel ab eadem ceſſare, ergo cum nullus ex ſocijs nec ex conuentione inter ipſos inita, nec ex diſpoſitione iuris, nec ex natura contractus habeat ius, vt alter perſeueret in ſocietate ſecum inita poterit quilibet altero etiam reluctante à ſocietate recedére.

Gutierez. Molina. Mantica. Ognate.

6 Aduerte tamen, quod, ad hoc vt ſocius, quandò nullum præfinitum eſt tempus, licitè poſſit recedere à ſocietate iam inita, adeò vt eximatur à quocunque onere ipſius, debeat tres ſeruare conditiones. Prima eſt, vt recedens alios ſocios certiores faciat de receſſu ſuo *l. actione §. diximus & §. item qui ff. pro ſocio,* ſi non denuntiet, quidquid ipſe acquirit, eſt commune, quidquid deperdit, eſt proprium ipſius, vt ex allegato textu optimè notauit *Ognate d. tract. 28. diſp. 100. ſect. 1. num. 38.* Secunda eſt, vt non renuntiet intempeſtiuè, ita vt ex intempeſtiua renuntiatione non redundet aliquod damnum ſocietati, vt colligitur *ex d. l. actione §. diximus verſ. Labeo ait,* ſed hæc conditio coincidit cum præcedenti reſponſione, & ad ipſam reducitur. Tertia eſt, vt receſſus, ſeù renuntiatio fiat ſine dolo, & fraude ex qua, ſeù quo aliquod damnum cum prouiſione deberet reſultare ſocio *l. ſi coieris, & l. ſed & ſocius & l. actione §. diximus ff. pro ſocio. Gregorius l. 11. tit. 10. part. 5. Ripa reſponſ. 23. num. 6. de oblig. vol. 2. Decianus conſ. 97. nu. 40. in fin. lib. 2. Baldus conſ. 385. numeratio huius pecuniæ lib. 4. Tuſchus verb. ſocietas concl. 306. num. 22. Azotus in ſumma hoc eod. tit. num. 12. & 16. & alij magis communiter.*

Debet certiores facere alios ſocios.

Non renuntiare intempeſtiuè.

Et ſine dolo, & fraude.

Gregor. Ripa. Decius. Azotus.

---

§. XXIII.

Quandonam, & quomodò actione terminetur ſocietas.

SVMMARIVM.

Status præſentis cōtrouerſiæ vndè fundetur 1.
Diſſoluitur Iudicis ſententia, & authoritate, & quomodo 2.

T 2 *Diſſo-*

Diſſoluitur nouatione, & quaſi delegatione 3.
Diſſoluitur ex mutua ſeparatione, & priuata negotiatione 4.
Et etiam pereunte actione, & quomodo 5.

1 DIſquiſitio XXIII. Inter cæteros modos, quibus dicitur diſſolui ſocietas enumeratur actio *l. verum 63. ff. pro ſocio*. Ibi- *Societas ſoluitur ex perſonis, ex rebus, ex voluntate, ex actione, ideò ſiuè perſonæ, ſiuè res, ſiuè voluntas, ſiuè actio interierit, diſtrahi videtur ſocietas*, quod idem habetur *in l. actione 65. ff. eod.* Quæritur iam, quandonam, & quomodo actione diſſoluatur ſocietas.

Reſpondeo multifariam, multiſque modis actione diſſolui ſocietatem, quos omnes hic enumero, & diluo.

2 Primò diſſoluitur Iudicis iudicio, & auctoritate *l. actione in princip. ff. pro ſocio.* Hęc autem tunc fit, quandò excitata inter ſocios controuerſia per Iudicem dirimitur per diſſolutionem contractus. Ibi- *Et ipſo, quod iudicium ideò dictatum eſt, vt ſocietas diſtrahatur, renuntiatum eſſe ſocietati, ſiuè omnium bonorum, ſiuè vnius rei ſocietas coita ſit.* Verum tamen eſt, quod adhoc, vt licita ſit talis diſſolutio, requiratur, quod iuſta aliqua cauſa interueniat cui innitatur tale iudicium, ſecus ſicuti ipſum iudicium eſſet irrationabile, & irrationabilis & illicita eſſet talis diſſolutio.

Iudicis ſententia diſſoluitur cum iuſta cauſa.

3 Secundò actione diſſoluitur ſocietas quaſi per nouationem, ſeù delegationem, vt rectè notauerunt *Tuſchus verbo ſocietas concl. 306. num. 72. Fulgoſius conſ. 389. Mantica tit. 23. num. 16. vſque ad 19.* Hocque eſt, quod innuitur *in d. l. actione in princip. ff. pro ſocio*, dum dicitur, *actione diſtrahitur cum stipulatione mutata ſit cauſa ſocietatis*, vbi *Gloſa in verbo ſtipulatione* ſubdit, *animo nouandi facta, vel ab eo, vel ab alio.* Tunc autem hoc modo, ſeù hac actione per nouationem, ſeù delegationem fit huiuſmodi diſſolutio, quandò vnus ſocius non renuente, ſed potius altero acceptante obligationem ſuam, quam contraxit verſùs ipſum in celebratione contractus in tertiam perſonam transfundit, quam delegat, vel vnam in alteram obligationem commutat per ea, quæ latè dicta ſunt tom. 2. dum de nouationibus cambiorum.

Tuſchus. Fulgoſius. Mantica.

Nouatione, & delegatione, & quandò.

4 Tertiò ſocietas dicitur diſſolui actione, quandò ſocij non inſcij ſeparatim agere incipiunt, & vnuſquiſque eorum ſibi negotiatur *Salonius de contractu ſocietatis art. vlt. num. 2. verſ. diſſoluitur 3. Ognate d. tract. 28. diſp. 100. ſect. 1. num. 35. Molina diſp. 414. in fin. verſ. illud vniuerſim obſeruandum eſt.* Colligitur expreſsè ex *l. itá quoque ff. pro ſocio*, & ratio eſt, quia in ea hypotheſi præſumitur interuenire implicitè mutuus vtriuſque contrahentis conſenſus; ſicuti igitur mutuo vtriuſque contrahentis conſenſu quantumuis implicito, & rationabiliter præſumpto contrahitur eadem ſocietas, ita non eſt, cur mutuo vtriuſque receſſu à tali ſocietate per negotiationes ſpeciales in peculiari commodo vtriuſque non debeat diſtrahi.

Salonius. Ognate. Molina.

Separatione, & priuata negotiatione.

Quartò diſſoluitur actione ſocietas, quandò ipſa actio perit; ſicuti enim ſocietas ſoluitur ex perſonis ex rebus, & ex voluntate, quandò ſiuè perſonæ, ſiuè res, ſiuè voluntate intereunt *l. verum eſt 64. §. ſocietas ſoluitur ff. pro ſocio*, ita non eſt, cur non ſoluatur ex actione quandò ipſa actio ponitur *arg. d. l. verum eſt.* Difficultas autem eſt, quandonam dicatur actio interire; ſed breuitèr dic ex prædictis primò interire nouatione, per quam prima actio extinguitur, *Baldus in l. 2. 3. col. C. de except. rei iud. Paulus de Caſtro in l. deleg. C. de nouationibus.* Secundò delegatione *d. l. actione in princip. ff. pro ſocio.* Tertiò Iudicis ſententia cum legitima cauſa *arg. d. l. verum eſt §. ſocietas ſoluitur, & d. l. actione in princip. ff. pro ſocio.* Quartò mutuo vtriuſque contrahentis conſenſu ſiuè explicito, ſiuè implicito per ea, quæ habentur *l. tandem C. pro ſocio, & in cap. 1. de reg. iuris, & l. nihil tam naturale ff. de reg. iuris, & §. vlt. inſtit. quib. mod. tol. oblig.* Quintò temporis conuenti lapſu iuxta textum *in l. in hoc iudicium §. ſi conueniat ff. pro ſocio. Paulus Caſtrenſis in l. 1. §. non autem ff. de exerc. act., & in conſ. 104. num. 1. lib. 1. Stracchi de mercat. tit. de Contractibus num. 13.* Quod etiam clarè colligitur ex *d. l. act. §. diximus verb. item qui ſocietatem in tempus ff. pro ſocio* Ibi- *Quod ſi tempus finitum eſt liberum eſt recedere, quia ſine dolo id fiat.* 5

Actio interiit modis prædictis.

Baldus. Paul. de Caſtro.

Stracchi.

---

§. XXIV.

Quomodò, & quandò ſoluta ſocietate diuiſio fit inter ſocios facienda.

SVMMARIVM.

Varij articuli circà propoſitum titulum 1.
Nonnulla conſiderabilia circà ipſum 2.
Si ſocietas fuerit omnium bonorum diuiſio facienda eſt de omnibus repertis præter nomina debitorum, venena, libros prohibitos, & male acquiſita 3.
Si fuerit ſocietas ſimplex, vel ſingularis facienda eſt de bonis collatis, & reſpectiuè de lucris inde acquiſitis. Ibid.
Si de illis non conſtet per Iudices arbitrandum eſt. Ibid.

Qua-

Digitized by Google

Quomodò facienda ſit diuiſio rerum indiuiduarum 4.

Ad diuiſionem regulariter concurrunt, & calculatores, & æſtimatores 5.

Iudices in cauſa diuiſionis procedunt plenariè, ſi lis ſit quoad eſſe; ſummariè ſi quoad executionem 6.

Quid agendum, ſi alter ſocius finitâ ſocietate fuerit abſens 7.

1 DIſquiſitio XXIV. Diſſoluenda ſocietate, vel ex præfiniti temporis lapſu, vel ex interitu perſonarum, vel rerum, vel voluntatum, vel actionum modo quo ſuprà inter ſocios excitata eſt controuerſia quoad varios articulos, & primò erat inter ipſos contentio de quibus bonis facienda eſſet partitio. Secundò, quomodo indiuidua bona eſſent inter ipſos diuidenda. Tertiò, quænam perſonarum genere deberent in tali partitione interuenire. Quartò, an Iudices in hac cauſa partitionis deberent procedere ſummariè, an verò cum pleno judicio. Quintò, quo modo cum aliquis ex ſocijs eſſet abſens, procedendum eſſet. Singula breuiter, & currenti calamo expendo, ne quid deſit, quod ad plenam notitiam ſocietatis pertinere poſſit; pro quorum ſolutione

2 Aduerte primò, diuiſionem, de qua procedit inſtitutus titulus, nihil aliud eſſe, quam partitionem bonorum communium, vt fiant propria ſecundum proportionem cuique ex ſocijs, vt clarè colligitur *ex l. 1. & 2. ff. famil. erciſ. & l. 1. ff. communi diuid.* Secundò, quemcunque, qui poteſt ſtare in judicio, & habet cauſam in ſocietate, poſſe petere diuiſionem. Dixi, *qui poteſt ſtare in judicio*, ad excluſionem minorum, furioſorum, prodigorum, & ſimilium, qui per ſe non poſſunt partitionem quærere, ſed dumxat per Tutores, & Curatores *l. inter omnes C. de prædijs min. l. inter pupil. ff. de auct. tut. & l. ex caſtrenſi, & ibi Bartolus ff. de pecul. caſtr.* Tertiò, ſi ſocius, qui bona ſocietatis apud ſe detinet, negaret petentem diuiſionem ſocium eſſe, vel hæredem ſocij, non eſſe locum diuiſioni, quoadusque in iudicio probauerit ſe ſocium, vel hæredem ſocij eſſe *l. 1. ff. famil. erciſ. & l. hæredes §. quamuis, & l. ſi id, quod contendit ff. eod.* Quibus poſitis

Quod ſit diuiſio.

Quis poſſit petere diuiſionẽ.

Quod ſi ſocius neget alterum petentem diuiſionem eſſe ſocium.

3 Reſpondeo primò, ſi ſocietas fuerit omnium bonorum, diuiſionem faciendam eſſe de omnibus repertis præter nomina debitorum, venena, libros prohibitos, & male acquiſita; ſi verò non fuerit ſocietas omnium bonorum, ſed vel ſimplex, vel ſingularis, diuiſionem faciendam eſſe dumtaxat de bonis collatis in ſocietate ad quæſtum, & de lucris reſpectiuè ex illis quæſitis, quod ſi de illis non conſtet, attentis omnibus circunſtantijs per Iudices arbitrandum eſſe; illorumque arbitrio ſtandum: Ità quoad primam partem *Ayora lib. 1. de partition. cap. 1. num. 4.* quoad alias verò partes conſonat cum ipſa natura contractus, & æquitate, & alibi dictis.

Ayora.

Prima pars expreſsè colligitur *ex l. 4. ff. fam. erciſ.* vbi enumerantur prædicta, quæ ſunt excludenda in partitione bonorum ſocietatis, & quidem conſonat rationi, quià cum in ſocietate omnium bonorum omnia ex quacunque cauſa ſint conferenda per ſuperiùs allegata, omnia in partitione eiuſdem ex congruo iuris ordine venire etiam debent. Si autem inquiras rationem, cur iſta enumerata ſint excludenda in tali diuiſione; quoad libros improbatæ lectionis ratio adducitur *in ead. l. 4. ff fam. erciſ.* Ibi *Hæc enim communia protinus corrumpenda ſunt*; quoad male acquiſita colligitur ex textu *in l. nec permittendum eſt ff. pro ſocio, & l. quod autem ff. eod.* Quoad venenum *in d. l. 4. ff. famil. erciſ.* dicitur, quod *veniant quidem in iudicium, ſed iudex ſe interponere in his non debet*. Maior difficultas eſt quoad nomina debitorum, cum hæc connumerentur nullo penitus diſcrepante inter iura realia, quæ propterea ſunt æquè partibilia, ac alia iura; nihilominus dicendum eſt ea dici non venire in diuiſione, cum ipſo iure in portiones ex lege duodecim tabularum diuiſa ſint *Gloſa in d. l. 4. ff. famil. erciſ. in verbo præter nomina, & in l. ea quæ C. eod. tit.*

Ratio cur quæ enumerata ſunt excludenda.

Gloſa.

Secunda pars facilè ex eo colligitur, quià ex ſuperius dictis in ſocietate ſimplici non ſunt conferenda, niſi quæ proueniunt ex cauſa onerosa, & ordinantur ad quæſtum, in ſocietate ſingulari non niſi ea, quæ ex conuentione conferuntur, ergo in diuiſione vtriuſque non veniunt niſi capitale, & lucra inde acquiſita, ergo non eſt quid vlterius inquirendum.

In ſocietate ſimplici non veniunt, niſi ea, quæ ſunt ad quæſtum.

Tertia pars non indiget probatione, quia ſi v. g. præmoriatur ſocius, qui tenet bona ſocietatis, & rationes eiuſdem ſocietatis non inueniantur, plura autem bona ipſe ſocius præmortuus reliquerit, non habilior regula pro diuiſione inter ſocios facienda inueſtigari poteſt, quam Iudicis iudicium attentis omnibus circunſtantijs locum, quæ ex ſimilibus negotiationibus regularitèr pro eo tempore, & pro eiſdem circunſtantijs fuerunt acquiſita, hæc etenim regula in ſimilibus regularitèr adhibetur.

In dubio certior regula eſt iudicis iudicium.

4 Reſpondeo ſecundò, ſi aliqua bona ſocietatis ſint ex genere ſuo indiuidua, vt equus communis, gemma & huiuſmodi, & ſinguli ex ſocijs ad ea adſpirent, tunc per Iudices hoc pacto facienda eſt diuiſio, vt vel per Iudicem vni adiudicetur, ità

tamen

tamen vt ſecundum debitam, & legalem taxationem pretij per æſtimatores arbitros factam in pecunia alijs ſocijs ſecundum æqualitatem ſatisfaciat, vel per eundem ſtatuatur, vt ſocij ſorciantur, cuius debeat eſſe illa ſpecies, & cui contingat, debeat alijs in pecunia ſoluere contingentem, eiſque debitam portionem, & Ratio eſt, quia Iudex habet in ijs omnibus arbitrium *l. ad officium, & ibi Doctores C. communi diuid. §. ſi familia Inſtit. de officio Iudicis, & l. Labeo ff. famil. erciſ.* Poteſt etiam per Iudicem ſtatui alia ratio diuiſionis, vt vnus ſcilicet diuidat partes, alius verò eligat *Iaſon, & Alexander in rubric. ff. ſi certum petatur, & Doctores in rubric. de rebus Eccleſ. non alienandis.*

Iudex in ijs omnibus habet arbitriū.

Iaſon. Alexander.

5 Reſpondeo tertiò, diſcordantibus inter ſe ſocijs in diuiſione rerum ſocietatis regulariter vltrà Iudicem ordinarium requiruntur; & calculatores, & æſtimatores cuiuſcunque ſpeciei. Ratio horum omnium eſt, quia Iudices regulariter ius computorum, & rerum æſtimationem ignorant, cum ſint quid facti, non iuris, ergo ad prudens iudicium efformandum tenentur adhibere peritos in ijs omnibus, quæ ad talem diuiſionem rationabiliter efformandam exiguntur; ad hoc autem requiruntur calculatores tùm ad computa facienda collatorum, tùm lucrorum inde acquiſitorum, tùm ad diſtributionem eorundem ad ratam, & ad æqualitatem faciendam. Requiruntur vlteriùs appreciatores cuiuſcunque ſpeciei in cumulo bonorum contentæ ad dignoſcendum ſcilicet valorem earundem ſpecierum, cum & Iudices, & Calculatores regulariter talis valoris ignari ſint.

Quodnā ſit munus calculatorum.

Quodnā ſit munus æſtimatorum.

6 Reſpondeo quartò, Iudices in huiuſmodi cauſis diuiſionis debere procedere plenariè, ſi lis ſit quoad eſſe, vel non eſſe ſocietatis, & pertinentia ad hoc eſſe, vel non eſſe, ſecus ſi ſit quoad executionem diuiſionis, in qua proceditur ſummariè. Prima pars deducitur *ex l. 1. C. famil. erciſ. & in l. Iudices, & ibi Gloſ. & Doctores C. de iudic. & ex l. 3. §. ſciendum ff. ad exhibendum.* Secunda pars habetur *in l. à D. Pio §. ſi ſuper reb. ff. de re iudic. Gloſa in l. 3. §. ſciendum ff. ad exhibendum Bartolus in extrau. ad reprimendum C. quomodò in crimine læſæ Maieſt. proc. lib. 12.*

Gloſa. Bartolus.

7 Reſpondeo quintò, altero ſocio abſente finita ſocietate debent abſentes ante diuiſionem citari *auth. offeratur C. de lit. conteſt. §. 1. Inſtit. & ibi Bartolus de offic. Iud.* ſi verò citati non veniant, vel longiſſimè abſint tunc creato defenſore ad diuiſionem proceditur *Ayora cap. 5. num. 15. & 16. vt in l. 1. & per totum C. & ff. de curat. bon. dan.*, & tunc diuiſio teneret, & ei ſtandum eſſet, & abſenti in eius aduentu danda eſſet portio, quæ ipſi contingit in diuiſione *Ayora in d. cap. 5. num. 18.*

Bartolus. Ayora.

DISQVISITIONES III.

A decima nona vſque ad vigeſimam quintam Prænotionem excluſiuè.

§. I.

An ſocietas ſuper officio contrahi debeat ad valorem, quem habebat officium, quandò eſt emptum, an verò ad valorem, quem habet, quandò contrahitur ſocietas.

SVMMARIVM.

Expoſitio caſus in ſuis terminis 1.
Ratio dubitandi in quo conſiſtat 2.
Non poteſt conſtituere officialis ſocietatem ſuper officio ad eum valorem, quo officium emptum eſt, quandò in valore decreuit 3.
Solnitur ratio dubitandi in principio propoſita 4.

DIſquiſitio I. Emerat Caius in Romana Curia officium notariatus pro ſumma quincentorum aureorum, quià tunc tanti valoris communiter habebatur. Poſt aliquem temporis lapſum idem officium in valore decreuit, adeò vt tunc pluris non haberetur quàm tercentum, vel quatuor centum aureorum, & re vera tot fructus non redderet, quot antecedenter reddebat, ſed dumtaxat correſpondentes dictis tercentum, vel quatuor centum aureis. Hoc tempore alterum in ſocietatem adſciuit ſuper tali officio, & quidem ad valorem, quem habebat officium tempore emptionis eiuſdem, non verò, quem habebat tempore contractæ ſocietatis. Excitata tunc fuit controuerſia, an contractus ille ſocietatis ad talem valorem ſubſiſteret, cum præcipuè Paulus IV. in ſua Conſtit. ſupra allegata ſtatuerit, ne conſtituatur ſocietas ſuper officio per collationem pecuniæ, quæ excedat valorem eiuſdem officij, de qua re nos etiam latè egimus *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Prænot. 20. num. 5. verſ. 2. conditio eſt.* 1

Exponitur ſenſus difficultatis.

Paulus IV.

Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod officialis ex vi emptionis habet ius ad illud determinatum pretium, quod pro tali officio ſoluit, & ſi alteri venderet pro eodem pretio, quod ipſe ſoluit nulla iniuſtitiæ labe videretur aſpici, quandoquidem alium conſtitue- 2

Officialis conſtitueret alium in eiſdem iuribus.

Digitized by Google

& eodem pretio quo ipſe conſtitutus eſt.

ſtitueret, cum illis eiſdem conditionibus, cum quibus antecedentèr ſe conſtituerat in tali officio, & in eiſdem iuribus, ex quo etiam conſequitur, quod pro eodem pretio poſſit alterum in ſocietatem ſuper tali officio adſcribere. Nihilominus

3 Reſpondeo, non poſſe conſtitui ſocietatem ſuper officio ad eundem valorem, quem habebat tempore emptionis, quandò pro tempore eiuſdem ſocietatis contrahendæ officium in valore decreuit. *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 9. in fin. verſ. 2. quæritur.*

Azorius

Ratio huius reſponſionis deducitur ex ead. Conſtit. Pauli IV., vbi præcipitur, ne conſtituatur ſocietas ſuper officio ſupra valorem eiuſdem officij; cuius conſtitutionis ille finis fuit, ne ſit ſocietas vel in toto, vel in parte ſuper officio, quod officium, vel in toto, vel in parte non ſit, & ne quodamodo emantur fructus officij, quos fructus non reddat idem officium, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, conſtitueretur ſocietas ſupra valorem officij, & ad tot fructus, quos non redderet idem officium, ergo vtique ad talem valorem nequit conſtitui.

Eſſet ſocietas ſine officio ſaltē quoad partem.

Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod illud officium tanti valet reſpectu officialis, ſeù emptoris eiuſdem, cum tantum pro eodem ſoluerit, qui proptereà poteſt etiam efficere, vt tanti valeat reſpectu illius, quem ſibi in ſocietatem admittit; Non, inquam, obeſſe poteſt primò, quia ad validitatem, & honeſtatem contractus non ſufficit, quod tanti valeat reſpectu contrahentis rem illam, quam confert in conſortium, poſſidentis, nam ſi rem illam emiſſet pretio ſupra ſummum, non propterea poſſet alteri eodem pretio vendere, ſed requiritur, quod tanti valeat ex vſu fori, vel ſecundum communem æſtimationem, vel comparatiuè ad fructus, quos reddit; non enim emptio per vnum facta præcisè conſtituit pretium rei, quam emit, cum poſſit in tali emptione fuiſſe deceptus. Secundò pretium rerum non eſt inuariabile, ſed aſſiduis viciſſitudinibus iuxta varietatem conditionum variatur; non enim vnius rei ſemper eſt idem pretium, ſed quandòque augetur, quandòque diminuitur, & valor debet attendi comparatiuè ad tempus, quo fieri debet contractus, non ad tempus antecedens *l. pretia rerum ff. ad leg. falcid.*

Non ſuffragatur officiali, quod ipſe rēt somerit.

Ratio poteſt eſſe ſecundò reſponſionis, quia cum tale officium non redderet fructus proportionatos ad illam pecuniam per ſocium ſolutum, vel per eundem officialem conferrentur fructus æquiualentes ſummæ per alterum ſolutæ, vel fructus ſolummodò correſpondentes eidem officio, quos ſcilicet idem reddit; ſi primum aſſeratur; iam quoad illum exceſſum fructuum ſupra id, quod reddit ipſum officium ſocietas non eſſet conſtituta ſuper idem officium, ſed ſolum ſuper vitæ periculo, quod maximè reprobatum eſt per *Rotam Romanam in vna Romana ſocietatis 29. Ianuarij 1601. coram Card. Melino*, & per nos *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Prænot. 19. num. 4.* ſi ſecundum aſſeratur; iam ſocius partem ſuæ pecuniæ in conſortium contuliſſet, quod fructus ipſi non redderet, & ſic ipſe officialis contra iuris ordinem quid magis exegiſſet, ac exigere debuiſſet cum periculo amiſſionis in caſu mortis illius exceſſus reſpectiuè ad ſocium illum conferentem; quod non benè olet, quandòquidem illud periculum ſecundum ſe eſt pretio meritorium. Confirmatur, quià non poſſunt plures ſuper eodem officio admitti in ſocietatem, quandò per eoſdem collata excedunt valorem eiuſdem officij per ea, quæ nos tradidimus *ſub hoc eod. tit. Prænot. 20. num. 5. verſ. 2. conductio eſt*, ergo non poteſt idem ſuper eodem admitti, quandò per eundem confertur pretium, quod excedit valorem eiuſdem officij. Confirmatur ſecundò, quia ſi ſuper aliquem fundum conſtituatur cenſus, & fundus ipſe in parte perimatur ceſſat onus ad proportionem partis peremptę ſoluendi annuas penſiones, quinimmò ſi talis cenſus diſſoluatur, non poteſt ſuper eundem fundum nouus cenſus conſtitui ad valorem cenſus præcedentis per ea, quæ nos latè docuimus *tom. 1. ſub tit. de Emphyt. & Cenſibus in explicatione conditionum appoſitarum per Pium V. ſuper creatione cenſuum*, ergo etiam ſi officium a tempore emptionis eiuſdem in valore decreuerit, non poterit ſuper eodem conſtitui ſocietas ad valorem, quem antecedentèr habebat, ſed ſolummodò ad valorem, quem modo habet.

Eſſet quo ad exceſſum ſuper ſolo vitæ periculo.

Rot. Rō.

Argumentum deſumptum à paritate cenſuum.

Pius V.

Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, iam patet reſponſio ad rationem dubitandi; Dicendum etenim eſt, officialem non amplius habere ius ad illud determinatum pretium, quod ipſe ſoluit, ex quo officium ipſum quoad valorem in deterius abiuit, & ſicuti ſi ipſe determinato pretio rem aliquam acquiſiuiſſet, non propterea eodem pretio poſſet illam in alterum transferre, ſi res illa in valore decreuerit, ita quamuis ipſe determinato pretio officium aliquod in Curia Romana acquiſierit, non propterea, ſi illud in valore decreuerit, poterit illud pro eodem pretio alteri tradere, adeòque nec alterum pro eodem in ſocietatem ſibi adſiſcere. 4

Satisfit rationi dubitandi.

§. II.

§. II.

An Notarius, qui in celebratione inſtrumenti quoad ſocietatem pactum non appoſuit, poſſit poſtea illud pactum pro tempore adijcere.

SVMMARIVM.

Proponitur, in quo conſiſtat ratio difficultatis 1.

Duplex finis, ad quem inſtituitur hæc quæſtio 2.

Notarius in ea hypotheſi poteſt adijcere pactum, quod ex obliuione, & inaduertentia omiſſit in ſcriptura contractus 3.

Vbi pactum nec ante, nec poſt fuerit adiectum præſumitur pro tali pacto, ſi fuerit ibi conſuetudo illud adijcendi 4.

Si conſuetudo non vigeat talis pacti præſumendum eſt pro negatione illius 5.

1 DIſquiſitio II. Contraxerant inter ſe Caius officialis, & Andræas, vt hic admitteretur per eundem Caium in ſocietatem officij, quo ipſe Caius gaudebat ea adiecta conditione, vt ſi intra ſex menſes idem Andræas deceſſerit Caius pecuniam per illum erogatam ſibi acquirat iuxta præcedentes leges ſocietatis officiorum, & liberum ſit eidem Andreæ intra quindecim, vel viginti dies alium nominare, cuius vitæ periculo ſtet illa pecunia, hoc etiam addito, vt ſi idem Andræas intra illos quindecim, vel viginti dies præmoriatur ante illam nominationem factam intelligatur illa pecunia per eundem Andræam erogata amiſſa in fauorem Caij. Notarius, qui per publicum inſtrumentum recepit talem conuentionem, non expreſſit in eodem inſtrumento ſocietatis illam qualitatem, quod ſi Andræas præmoriatur, antequam nominationem illius alterius fecerit intelligatur illa pecunia ſoluta ſibi, & hæredibus ſuis deperdita. Quæritur modò, an cognita illa omiſſione poſſit poſtea illam conditionem, ſeù qualitatem adijcere, quam omiſſit

Proponitur ratio, circa quã eſt controuerſia.

2 Hanc Diſquiſitionem conſultò excitaui ad duo inueſtiganda; primum ſcilicet, an poſſit Notarius poſt confectam ſcripturam aliquid neceſſarium omiſſum addere, vel aliquid ſuperfluum, ſeù noxium ab eadem demere. Secundum in ſuppoſitione, quod non addiderit, vel non potuerit addere, quid diſcordantibus ſocijs ſit præſumendum, an ſcilicet pro tali pacto, vel pro negatione eiuſdem. In foro interno animæ ſiuè ſit additum poſt confectam ſcripturam illud pactum, ſiuè non, teneri ſocios ad illius obſeruantiam certo certius eſt, ſiquidem in foro animæ attenditur purè veritas ſecundum ſe, non ſecundum, quod apparet; cum igitur verè inter illos interceſſerit illa conuentio, nec iſta ſecundum ſe ſit iniqua per ea, quæ *ex Caſtracanio de ſocietate offic. cap. 8. nu. 11.* docui *ſub hoc eod. tit. Contractus VII Prænot. 20. num. 5. verſ. quarta conditio eſt* non eſt, cur in foro conſcientiæ illa non ſit ſeruanda.

Duplex finis inſtitutionis præſentis quæſiti.

Gaſtracanus.

Reſpondeo primò, Notarium in ea hypotheſi poſſe adijcere pactum, quod ex obliuione, vel inaduertentia omiſit in ſcriptura contractus *Bartolus in l. Imperator ff. de ſtat. hom.*, vbi dicit Notarium non poſſe corrigere ſuum errorem poſt atteſtationes publicatas, ſi parti ſit data copia, alias ſic, quod idem ſecundum communem omnium opinionem aſſerunt *Speculator, & Ioannes Andraas in tit. de inſtrum. edit. §. inſtrum. verſ. ſed numquid confecto, Bartolus in l. ſi librarius ff. de reg. iuris, Iaſon conſ. 28. vol. 1.* dum dicunt Notarium probatum, ſi eius eſt error, eum ſua auctoritate corrigere poſſe, quinimmò idem *Bartolus in d. l. ſi librarius* addit, quod notarius etiam poſtquam parti eſt exemplum datum, ſi exemplari ſuo inſpecto, ſe erraſſe animaduerterit, poſſit errorem ſuum corrigere. Ratio eſt, quia per expreſſionem illius pacti nullius ius lædit, & ſolum adimplet, quæ adimplere tenebatur, nec huic additioni, ſeù expreſſioni poteſt ſubeſſe pœna falſi, quandòquidem eſt ſecundum rei veritatem; vnde meritò *Bartholomæus Socinus in conſ. 94. incip præſtantiſſimi verſ. circa primum, & verſ. confirmatur in prima part.* dicit, quod Notarius poteſt corrigere, antequam copiam dederit alicui partium. 3

Bartolus

Specul. Io. Andræas. Bartolus Iaſon.

Non enim alicuius lædit ius.

Bartholomæus Socinus.

Reſpondeo ſecundò, quod, vbi Notarius non adijecerit nec in celebratione contractus, nec poſtea illud pactum diſſentientibus partibus inter ſe, præſumendum ſit pro tali pacto, ſi in loco, in quo celebratus fuit ille contractus fuerit conſuetudo talis pacti *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. c. 11. in fine*. Ratio eſt, quia, vbi viget conſuetudo tale pactum apponendi, etiam ſi expreſsè non apponatur, implicitè intelligitur appoſitum, quia id actum inter eos, qui contrahunt, eſſe dicitur, quod eſt ſolitum fieri *l. quod ſi nolit §. quid aſſidua ff. de ædil. edict. & l. ſi prius §. rectè placuit ff. de acqua pluu. arcend.*, & conſuetudo ipſa eſt optima interpres mentium contrahẽtium. 4

Azorius.

Præſumendum eſt pro conſuetudine

Reſpondeo tertio, vbi conſuetudo talis pacti non vigeat, & per Notarium illud pactum non fuerit adiectum in foro externo diſſentientibus contrahentibus præſumendum eſſe pro negotiatione eiuſdem 5

Digitized by Google

Caſtracanius. *Caſtracanius de ſocietat. offic. cap. 8. num. 11. per ea, quæ etiam nos diximus ſub hoc eod. tit. Contractus VII. d. Prænot. 20. verſ. 4. conditio.* Ratio autem huius reſponſionis ea eſt, quià in foro ciuili contentioſo, vbi nihil per contrahentes eſt expreſſum, vel nihil conſtat de tali expreſſione, præſumendum ex pro ijs, quæ ſunt de iure communi, ſed de iure communi ante nominationem factam, ſi ſocius præmoriatur, capitale per ſocium erogatum non amittitur per ea, quæ docent *Caſtracanius loc. cit. & Azorius Inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 11. & nos etiam docuimus loc. cit.* ergo præſumendum eſt pro negatione talis pacti. Verum tamen eſt, quod ſocius iniquè denegans tale pactum, & grauitèr peccaret, & in foro conſcientiæ teneretur ad compenſationem omnium damnorum, & expenſarum, quæ indè obuenirent officiali.

In iure communi nō præſumitur pro tali pacto.

Azorius.

---

§. III.

An, ſi officialis nullos ex officio fructus perceperit, teneatur ſocio conuenta ſoluere.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis 1.

Nonnullæ conſiderationes ad quæſitum 2.

Duplex contractus in celebratione ſocietatis 3.

Si facta fuerit ſimplicitèr conuentio communicationis fructuum, & ſine culpa officialis nulli fuerint percepti, officialis non tenetur ad æquiualens 4.

Si nulli fuerint percepti fructus ex culpa officialis, tunc per eundem ſoluendum eſt æquipollens 5.

Si ſocietas inita ſit cum illo duplici contractu, & nulli percepti fuerint fructus etiam ſine culpa officialis, adhuc hic tenetur ad conuenta 6.

1 DIſquiſitio III. Admiſſerat Octauius Demetrium in ſocietatem officij, quo ipſe gaudebat ſoluto per eundem Demetrium conuento pretio ad proportionem valoris eiuſdem officij ea adiecta conſueta conditione, vt fructus eiuſdem officij eidem Demetrio communicarentur. Euenit, vt quodam anno ex illo officio nulli fructus fuerint percepti; Suborta inde fuit controuerſia, an Octauius pro illo anno, pro quo nulli fructus fuerunt percepti, teneretur ſoluere ipſi Demetrio æquiualens ad tales fructus, an verò ipſe Octauius eximeretur a quocunque onere verſus eundem Demetrium. Pro ſolutione

Dubium in ſuis terminis.

Aduerte primò, fructus pro uno anno non fuiſſe perceptos, potuiſſe prouenire, vel ex cauſa eiuſdem Octauij, quatenùs operam non adhibuerit neceſſariam ad eoſdem percipiendos, vel ex inopinato aliquo caſu, quem ſolertia hominis non potuit præuidere, nec eidem prouidere, vel ex facto Principis ex legitima, & communi cauſa ſuſpendentis quoſcunque officiorum prouentus, vel talis determinati officij, ad cuius conſortium admiſſus fuit Demetrius ſine culpa tamen eiuſdem Octauij. 2

Cauſæ, ob quas non fuerunt fructus percepti.

Aduerte ſecundò, in celebratione contractus ſocietatis ſuper tali officio, vel factam fuiſſe conuentionem de communicatione fructuum talis officij ſimplicitèr nullo alio adiecto virtuali contractu, vi cuius fructus eiuſdem incerti, vel ius ad tales fructus commutaret cum iure certo ad determinatam quantitatem, vel factam fuiſſe conuentionem cum duplici quodamodò contractu virtuali modo, quo ſupra explicabamus, adeò vt per primum ſocius ſoluens conuentam pecuniam conſtituatur in iure participationis fructuum procedentium, vel qui ſperari poſſint ex tali officio; per alterum verò fiat commutatio illius iuris per primum acquiſiti ad fructus incertos cum iure certo ad determinatam quantitatem pecuniæ, quæ regularitèr eſſe ſolet duodecim pro ſingulo centenario ad ſingulos annos. Quibus ſic conſideratis 3

Duplex contractus in ſocietate regularitèr interueniens.

Reſpondeo primò. Si facta fuerit ſimplicitèr conuentio communicationis fructuum, & nulli ex ijs fuerint percepti ſine culpa officialis, ſed ex caſu omninò fortuito, vel ex facto Principis non tenetur officialis conferre ſocio ſcilicet Andreæ æquiualens ad dictos fructus. Conſonat hæc reſponſio cum ijs, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de Emphyth. & Cenſib. Prænot. 21. ſect. 2. aſſert. 3. verſ. dices quod quamuis.* Ratio huius reſponſionis eſſe poteſt, quia huiuſmodi contractus ſimplicitèr initus licet referatur ad fructus, non tamen refertur ad eoſdem determinatè, ſed ſolummodò indeterminatè, ſed ius ad fructus indeterminatè ſuſpenditur quoad effectum conſequendum, ſi nulli ſint fructus pro illo tempore, quo non ſunt per ea, quæ diximus loc. cit. ergo &c. Maior probatur, quia contractus ille, ex quo præcisè eſt ad communicationem fructuum nullo alio contractu ſuperaddito, ex genere ſuo eſt ad fructus quomodocunque, cum illi fructus, vtpotè non determinati in ſe, ſint omninò incerti non ſolum quoad quantitatem, ſed etiam quoad eſſe, & quoad ſubſtantiam, ea proportionali ratione, qua fit emptio per determinatum pretium res incertæ, quæ tamen eſt ſub ſpe proxima, & rationabili, & videre eſt in eo, qui per 4

Eſt emptio fructuum incertorū, & quoad eſſe, & quoad quantitatem.

pretium certum, & determinatum emit id, quod per vnicum iactum retis acquiretur, ex quo venditor tenetur ad conferendum totum id, quod capietur, ad nihil autem tenetur, ſi nihil capietur, ex quibus etiam clarè liquet minor propoſitio.

Paritas ex alijs ſocietatibus ad rē noſtram.

Ratio poteſt eſſe ſecundò, quià ſi in quacunque alia ſocietate, qua quis contulit capitale, alter operam, & induſtriam, nihil lucri acquiratur, non tenetur ſocius induſtrius aliquid conſerre pro tali lucro ſocio pecuniario, niſi illa non acquiſitio lucri proceſſerit ex culpa eiuſdem ſocij induſtrij per ea, quæ latè dicta ſunt in præcedentibus Prænotionibus, ergo neque in ſocietate officiorum præciſè ſumpta, qua ſit præciſè communicatio fructuum officialis tenebitur ad aliquid æquiualens pro talibus fructibus, ſi nulli ex caſu inopinato ſine ſua culpa fuerint percepti. Conſequentia tenet, niſi aſſignetur diſparitas.

Nauarrus. Sotus. Azorius. Surdus. Rebellus

Dices, ſi pro aliquo tempore fundus cenſui ſubiugatus ſine culpa venditoris, vel nullos, vel non ſufficientes fructus afferat ad annuas pēſiones, adhuc cenſus ſupplendus eſt in integrum, ſeù in integrum ſoluendæ eædem penſiones *Nauarrus in comment. de vſuris nu. 117. quæſt. 23. Sotus lib. 6. de iuſt. quæſt. 5. art. 1. prope medium ante primum corrolarium. Azorius inſtit. moral. l. 10. cap. 6. quæſt. 6. Surdus conſ. 162. num. 15. in fin. lib. 2. Fernandus Rebellus de oblig. iuſt. lib. 10. quæſt. 6. num. 11.*, ergo etiam, ſi officium ſocietati ſubiugatum pro aliquo tempore fructus non afferat, adhuc æquiualens ſoluendum erit ſocio. Sed contra antecedens non eſt abſolutè verum, niſi in hypotheſi, qua in celebratione contractus duplex fuerit initus contractus ſaltem virtualitèr, alter, quo cenſuarius actiuus emit ius ad fructus talis fundi cenſuati indeterminatè, alter, quo ius illud ad fructus indeterminatè commutarit cum iure ad determinatas penſiones annuatim perſoluendas. Vide, quæ latè diximus *d. tom. primo ſub tit. Contractus IV. de Emphyth. & Cenſibus Prænot. 21. ſect. 2. aſſert. 3. nu. 13. verſ. dices prope medium*; in quo cenſu præciſè meo videri negarunt penſiones in integrum perſoluendas eſſe pro tempore, quo fundus cenſuatus non reddit fructus *Gaſpar Antonius Theſaurus in addit. ad deciſ. Antonij Patris ſui deciſ. 20. ad finem, & Leſſius de iuſt. & iur. lib. 2. cap. 22. de cenſibus dub. 12. num. 82.*, quandò ſcilicet initus eſt præciſè contractus, quo acquiritur ius ad fructus.

Etiam in contractu cenſuali regulari itèr duplex contractus interuenit.

Gaſpar Anton. Theſaurus. Leſſius.

5 Reſpondeo ſecundò. Si facta fuerit conuentio præciſè communicationis fructuum iuxta modum prædictum, & officium fructus non reddiderit ex culpa officialis, tunc per eundem officialem ſoluendum eſt ſocio æquiualens. Eſt conformis ijs, quæ dicta ſunt ſuperius. Ratio eſt, quià ſocius in genere tenetur erga alium ſocium non ſolum de dolo *§. vlt. inſtit. de ſocietate, & l. cum duobus §. venit, & §. duobus ſeq. l. non ob eam, l. & ideo, & l. ſocius ff. pro ſocio*, & de culpa lata *l. ſocius 72. ff. eod.* ſed etiam de leui *l. ſi vt certo §. nunc videndum ff. pro ſocio l. 5 ff. commodati, & l. contractus 23. ff. de reg. iur.*; ergo etiam officialis, qui alterum adſciuit ſibi in ſocium, ſi ex propria culpa fructus non perceperit, tenebitur verſus ſocium ad compenſationem eius, quod ex ſua culpa non fuit perceptum. Conſequentia probatur, quià, quod conuenit contractui in genere, debet conuenire omnibus ſpeciebus ſub illo contentis; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur ſocietatem officiorum non eſſe propriè ſocietatem, niſi ſecundum quandam analogiam, & ſimilitudinem, prout adnotauit *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 14.*, & nos etiam *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Prænot. 22. nu. 2. verſ. dices 1*, ergo non eſt, cur eidem debeant competere conditiones, quæ competunt ſocietati in genere; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quamuis in rigore non ſit propriè ſocietas, ſequitur tamen leges ſocietatis, vt notant communitèr Doctores, vbi aliquid ſpecialitèr de ipſa ſtatutum non eſt, cum igitur circa hoc nihil in iure ſtatutum reperiatur, ad communes regulas ſocietatis eſt recurrendum. Deindè denegari non poteſt, quin hic contractus officiorum ſit ad communem vtriuſque contrahentis vtilitatem æquè, ac aliæ ſocietates in rebus; in contractibus autem qui ſunt ad communem contrahentium vtilitatem, quilibet contrahens tenetur etiam de leui, vt docent communitèr Theologi in ſecunda ſecundæ D. Thomæ in quæſtionibus de iuſtitia, & iure *Bartolus in l. ſi quis nec cauſam, & ibi Alexander ff. ſi certum pet. Angelus, & Immola in l. qui Romæ ff. de verb. oblig. Petr. Phyl. Corn. conſ. 28. incip. in hac litera cap. par. 3.*

Officialis tenetur erga ſocium etiam de culpa leui

Azorius.

Societas ſuper officio ſequitur leges ſocietatis, vbi quid ſingulariter de ea ſtatuatur.

Ratio poteſt eſſe ſecundò, quià culpa vnius non poteſt alteri innocenti nocere, & quantumuis ſit leuis, ſi ſit in damnis datis punitur *in tot. tit. ff. ad leg. aquil. Innocentius in c. ſicut dignum de homicidio Ludouic. in ſing. verb. culpa verſ. de iure ciuili*; vndè bene dicitur, quod culpa faciat culpoſo damnum imputari *l. ſi merces §. culpa ff. locat. l. ſi fideiuſſor ff. mandati Baldus in l. falſus ante penult. col. in fin. C. de furt.* ergo ſi ex culpa officialis fructus non percipiantur, eidem damnum, non ſocio imputandum eſt, adeòque tenebitur ad æquiualens.

Reſpondeo tertiò. Si ſocietas ſit inita cum duplici illo contractu virtuali, de quo locuti ſuimus ſuprà in ſecundo notabili, & nulli pro aliquo anno etiam ſine

culpa

culpa officialis fuerint fructus percepti, adhuc tenetur idem officialis in integrum ſoluere conuentos fructus. In hoc ſenſu locutos exiſtimo *Nauarrum in d. comment. de vſuris num. 117. quæſt. 23. Sotum lib. 6. de iuſt. & iur. quæſt. 5. art. 1. poſt medium. Azorium inſtit. mor. part. 3. lib. 10. cap. 6. quæſt. 6. & in terminis particularibus ſocietatis officiorum d. part. 3. lib. 9. cap. 12. verſ. ex his colligitur in fin. Surdum conſ. 162. num. 15. in fin. lib. 2.* licet hi locuti fuerint in terminis diuerſis contractus cenſualis, qui tamen ex paritate rationis poſſunt reduci etiam ad terminos præſentis noſtræ reſponſionis. Ad probationem ipſius ſufficerent, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de Emphyth. & Cenſib. Pranet. 21. ſect. 2. aſſert. 3. num. 13. per totum.* Nihilominus adhuc ſic.

Nauarrus. Azorius. Surdus.

Ex paritate rationis reducitur ad ſocietatem ſuper officio.

Probatur. Non eſt aliqua repugnantia, quin per ius aliquod incertum poſſit acquiri ius aliquod certum, dummodò tamen ius illud incertum ſit innixum rationabili fundamento, & ſub ſpe proxima futuri euentus per ea, quæ tradidimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſq. 6. §. 8. num. 11.* vbi agentes de triplici contractu diximus, quod inita inter duos ſocietate poſſit qui contulit capitale facta aſſecuratione eiuſdem modo ibi explicato vendere ius illud incertum ad lucrum pro aliquo certo, quod etiam emptor teneatur ſoluere, quantumuis nullum lucrum incertum fuerit conſecutus, ergo etiam ius illud incertum in ſocietatibus officiorum ad fructus eorundem poterit iuſtè commutari cum iure certo ad determinatos fructus, qui etiam debeantur, quantumuis illud ius incertum ſuos non ſortiatur effectus. Confirmatur in venditione vnius iactus retis, cuius effectus omninò eſt incertus, qui vtique poteſt vendi pro pretio certo, quod etiam pretium debetur quantumuis per talem retis iactum nihil fuerit captum per ea, quæ habentur *in l. ſi iactum ff. de act. empt.*, ergo etiam &c.

Res incerta poteſt vendi pro iure certo, ſi ſeruantur conditiones.

---

§. IV.

An ſocietas ſuprà valorem officij teneat, quandò contrahentes ignorabant exceſſum.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ 1.

Articuli examinandi circà ipſam 2.

Vtroque contrahente ignorante exceſſum, quoad exceſſum non ſuſtinetur contractus in vim ſocietatis, bene tamen poſt factum in vim ſponſionis 3.

Non inualidatur tamen contractus quoad totum 4.

Si ſolus ſocius ignorauerit exceſſum, ſed culpa craſſa non ſubſiſtit ſocietas quoad illum exceſſum, neque in vim ſponſionis 5.

Si officialis ſocio ignoranti celauerit inæqualitatem, vel officium grauatum eſſe alijs ſocietatibus obligatur officialis de euictione, & ad quantum intereſt, quod officium non fuerit grauatum 6.

Diſquiſitio IV. Emerat Caius officium quoddam in Romana Curia, quod vel ſecundum ſe erat minoris valoris ad pretium per ſe ipſum pro illo ſolutum, vel proceſſu temporis in valore decreuit, vel tandem poſtea alijs ſocietatibus fuit grauatum, adeò vt minoris haberetur. Poſteà conſtituit ſocietatem cum Fabio ſuper eodem officio accepta ab eodem pecunia ad valorem eiuſdem officij, ad quem ipſe tale officium emit, quod tamen longè inferioris erat æſtimationis, quod tamen ignorabat Fabius exiſtimans pretium per ſe ſolutum eſſe ad æqualitatem valoris eiuſdem officij. Orta hic fuit controuerſia, an talis ſocietas inita per talem ignorantiam eſſet valida quoad totum, an verò dumtaxat quoad pretium ad ratam valoris talis officij pro tali tempore. Qua in quæſtione videndum eſt primò, an vterque contrahens ignoraret incapacitatem officij ad tale pretium, ſcilicet ad reddendos fructus proportionatos tali pretio, an verò ſolummodò ſocius, qui contulit tale pretium. Secundò attendendum eſt, an ipſe ſocius, qui contulit tale pretium, ignorarit talem incapacitatem officij ex ignorantia craſſa, quatenus facile poterat eandem euincere, cum regularitèr omnes ſciuerint officium illud ineptum eſſe ad fructus proportionatos tali pretio per Fabium ſolutum, vel quia fuerit regularitèr notum huiuſmodi officia ſolere eſſe obnoxia pluribus alijs ſocietatibus, vel ignorarit ignorantia inuincibili ſaltem de via ordinaria. 1

Status quæſtionis, & conſiderabilia circà ipſum.

Id, quod potiſſimum in hac Diſquiſitione controuertetur, erit primò, an ſi vterque inuincibilitèr ignorarit illam incapacitatem officij ad illud pretium ſolutum, ſubſiſtat ſocietas pro tali pretio contracta quoad totum, & an officialis teneatur ſoluere integros fructus conuentos ad proportionem talis pretij, an verò dumtaxat ad proportionem valoris officij. Secundò ex ſuppoſitione, quod ſocius conferens illud pretium ignorauerit ſolus defectum illum valoris, ſed ignorantia dumtaxat craſſa poſſit exigere integros fructus proportionatos tali pretio, an verò ſolum ad ratam valoris officij. Tertiò ex ſuppoſitione, quod ipſe ignorarit inuincibilitèr, & offi- 2

Varij articuli circà controuerſiã excitati.

cialis interrogatus reſponderit officium non eſſe grauatum alijs ſocietatibus, cum tamen eſſet grauatum, an ſocietas in illo in vim ſocietatis ſubſiſteret, an non, & an officialem ad aliquid obligaret, & ad quod.

3 Reſpondeo primò, vtroque contrahente ignorante exceſſum non ſubſiſtere ſocietatem quoad illum exceſſum in vim ſocietatis, ſuſtineri tamen poſſe poſt factum in vim ſponſionis *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 9. quaſt. 1. verſ. ego ſane. Lugus de contractu ſocietatis diſp. 30. ſect. 5. num. 68.*

Azorius. Lugus.

Ratio primæ partis eſt, quia ſocietas officij ſupra valorem officij non ſuſtinetur *Rota Rom. in vna Romana ſocietatum 29. Ianuarij* 1601. *coram Cardin. Melino, & Paulus IV. & Pius IV. in ſuis conſtit. reſpectiuè ſuprà relatis*, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, illa ſocietas eſſet ſupra valorem eiuſdem officij, ergo &c. Neque obeſſe poteſt ignorantia reſpectu vtriuſque contrahentis, non, inquam, obeſſe poteſt, quia Pontifices apponentes talem conditionem reſpexerunt ad illam æqualitatem ſecundum ſe, non ſecundum quod reſpicitur à contrahentibus, nec ipſa ignorantia conſtituit æqualitatem ſecundum ſe, quæ non eſt in ſe

Rot. Rô. Paulus IV., & Pius IV.

Pontifices reſpexerunt ad æqualitatem ſecùdum ſe.

4 Dixi, *non ſubſiſtere quoad illum exceſſum* ad indicandum propter illum exceſſum non inualidari contractum quoad totum ſuum eſſe, prout latè probat *Zacchias in opuſc. de modo contrahendi ſocietates nu.* 100. qui pro ſe plures affert Rotæ Romanæ deciſiones, quem etiam commendat *Lugus d. diſp. 30. de contractu ſocietatis ſect. 5. nu. 66.* nec incongrua ſane ratione, quandòquidem *Rota Romana in vna Forlinienſi ſocietatis Luna Ianuarij* 1614. *coram Damaſcene* adnotauit per præfatos Pontifices ſolum prohiberi ſocietates officiorum ſuprà valorem eorundem, & vtile per inutile nequaquam vitiari.

Zacch. Rot. Rô. Lugus.

Ratio ſecundæ partis eſt primò, quià ſocius erogans illam pecuniam ſupra valorem officij exponit illam quoad exceſſum periculo, vt ſi ipſe intrà ſex menſes præmoriatur illam amittat, ergo ratione eiuſdem periculi poterit meritò lucrari illum exceſſum fructuum, ſiquidem illud periculum eſt pretio compenſabile; Neque, obeſſe poſſunt ea, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Pranot. 19. aſſert. 2. num.* 4. nempè ſocietatem officiorum ſine officijs ſuſtineri non poſſe ſuper ſolo vitæ periculo, prout notauit *Rota Romana in vna Romana ſocietatis 29. Ianuarij* 1601. *coram Card. Melino*, ex quo rectè infertur, quod neque etiam poſſit ſuſtineri in parte quoad illum exceſſum, quandòquidem hic etiam eſſet ſine officio *arg. l. quæ de tota ff. de rei vendic. l. iuris gentium §. adeo ff. de pactis cap. paſtoralis §. 1. & Gloſa verb. citationis de offic. deleg.* Non, inquam, obeſſe poſſunt, quia ea procedunt in vim ſocietatis; hæc autem, quæ hic dicuntur procedunt in vim ſimplicis ſponſionis, & contractus innominati per ea, quæ docui *ſub hoc eod. tit. Pranot. 20. num. 5. verſ. circà hunc conditionem*.

Ratione periculi, cui exponit pecuniam lucrari poteſt.

Rot. Rô. Gloſa.

Ratio eſſe poteſt ſecundò fundata in communi praxi, de qua teſtatur *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 9. quaſt. 1. verſ. certi iuris*, quæ vtique ſecundum ſe eſſet potiùs corruptela, quam legitima conſuetudo, niſi fundaretur in illa ratione contractus innominati, ſecundum quem ſocius exponit partem illam capitalis periculo, officialis verò acquirit ſpem acquiſitionis illius, quæ eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis.

Euincitur ex communi praxi.

Reſpondeo ſecundò. Ignorante dumtaxat ſocio conferente pecuniam inæqualitatem eiuſdem, ſeu exceſſum ad valorem officij ignorantia craſſa non ſubſiſtit ſocietas quoad illum exceſſum, nec in foro externo videtur poſſe exigere in vim alterius contractus fructus correſpondentes illi exceſſui. Ita licet ſatis obſcurè *Lugus d. diſp. 30. de contractu ſocietatis ſect. 5. num. 68.* Prima pars non patitur aliquam difficultatem, cum in fortioribus terminis deducatur ex prima parte præcedentis reſponſionis; ſi enim vtroque ignorante exceſſu quoad ipſum non ſuſtinetur ſocietas in vim ſocietatis, multominus ſuſtineri poſſe videtur, quandò officialis nouit illam inęqualitatem, & ſocius ſi ignorauit, quia voluit, ignorauit. Secunda pars facilè ex eo euincitur, quià cum ſocius facilè potuerit dignoſcere illam inæqualitatem, & conuenire in vim alterius contractus quoad illam inæqualitatem præſumitur voluiſſe præciſè fructus correſpondentes illi exceſſui in vim ſocietatis, quinimmò contractum illum iniuiſſe in fraudem legis, ergo non eſt, cur ex vi alterius contractus poſſit illos fructus correſpondentes exceſſui exigere; vndè meritò ſubdit *Lugus loc. cit.*, quod quandò abſque culpa dantis pecuniam ſocietas facta eſt vltra valorem officij, officialis teneatur quaſi de euictione, & ideò tenetur ad ſortem, & ad intereſſe, ergo è conuerſo, quandò eſt cum culpa ſocij erogantis pecuniam, ſocius non tenebitur de tali euictione. 5

Lugus.

Argumentum ex fortioribus terminis.

Præſumitur iniuiſſe in fraudem legis.

Reſpondeo tertiò. Ignorante ſocio conferente pecuniam inæqualitatem officij ad eandem pecuniam, quatenus officialis interrogatus cælauerit minorem valorem eiuſdem officij, vel ipſum eſſe grauatum alijs ſocietatibus non ſubſiſtit quidem ſocietas quoad illum exceſſum, obligatur tamen officialis de euictione, & ad quantum inte-

Lugus.

intereſt eidem ſocio, quod contractus fuerit validus. Ità in vniuerſum *Lugus loc. cit.* & eſt conformis doctrinæ per nos ſuperius traditæ. Ratio primæ partis deducitur ex ijs, quæ ſuperius dicta ſunt, quandòquidem præallegati Pontifices *Paulus IV.*, & *Pius IV.* abſolutè prohibent iniri ſocietatem ſuper officijs vltra valorem eorundem officiorum, & quidem attenta inæqualitate ſecundum ſe, cum hoc ſtatuerint ad ſeruandam æqualitatem requiſitam ex vi iuſtitiæ commutatiuæ, non attenta præcisè cognitione, vel ignorantia contrahentium. Ratio ſecundæ partis eſt deducta ex dicta Conſtit. Pij IV. vbi ſic aſſerit. *Nihilominus tàm ipſi officiales, quàm fideiuſſores deſuper praſtiti ad ſatisfactionem ſocietatum, & debitorum deſuper contractionem teneantur, & obligati exiſtant*; nec incongrua ſanè ratione hoc ſtatutum videtur, quandòquidem ex culpa, & deceptione officialis contigit, vt ille contractus ſic fuerit initus, & ſic ad ipſum pertinet conferre quantum ad ſocium intereſt, quod ille contractus non fuerit validus, quod exemplificat *Lugus* in contractu emptionis, & venditonis *diſp. 26. ſect. 10.*, & in contractu cenſuali *diſp. 27. ſect. 4.*

Paulus IV.
Pius IV.

Culpa officialis nequit ipſi prodeſſe, nec alteri obeſſe.

---

§. V.

An in taxando valore officij habenda ſit dumtaxat ratio fructuum, an verò etiam honoris, & dignitatis.

SVMMARIVM.

Exponitur, in quo conſiſtat difficultas 1.
Refertur mens Lugi circà quæſitum 2.
Non habenda eſt ratio in taxatione valoris officij honoris, & dignitatis 3.

1 DIſquiſitio V. Contendebat Seius emere officium in Curia Romana, ſed cum pecuniam non haberet ad illius emptionem in ſocium ſibi adſciuit Sempronium, à quo accepit quadringentos nummos aureos, cum onere eidem ſoluendi ſex pro ſingulo centenario ad ſex menſes, ſed cum officium illud non redderet tot fructus, quot ſufficerent ad illud onus aſſumptum, controuerſum fuit, an illa ſocietas quoad illum exceſſum ſubſiſteret, & quidèm habita præcisè ratione ad fructus officium non erat proportionatum ad illud capitale, habita verò ratione etiam ad honorem, & dignitatem, quæ ex illo officio Officialis conſequitur, videtur proportionatum, & ſufficiens. Præcipuus ſcopus præſentis Diſquiſitionis eſt, an ad integrandum, & coadæquandum officium cum capitali haberi poſſit ratio honoris, & dignitatis reſultantium ex officio.

Expoſitio ſtatus difficultatis.

Refert *Lugus d. diſp. 30. ſect. 5. num. 68.* 2
cum Romæ ageretur de hac controuerſia, ſe audiuiſſe à Iudicibus, ipſos inclinatos eſſe pro parte contendente rationem etiam habendam eſſe de tali honore, & dignitate, ſed quid fuerit deciſum, non refert. Ipſe tamen ſtat pro eadem parte, rationemque adducit, quia hæc omnia ſunt emolumenta officij pretio æſtimabilia, quæ officialis lucratur, & hinc ſubinfert quod, cum officialis hæc lucratus fuerit ex ſocietate, teneatur ea computare pro lucro tanto, quanti hæ prærogatiuæ ſingulis annis emerentur. Nihilominus

Lugus, eiſque ſententia.

Reſpondeo, non habendam eſſe ratio- 3
nem in taxatione valoris officij huiuſmodi honoris, & dignitatis. Ratio ea eſſe poteſt, quia ſocietas officiorum eſt in ordine ad communicationem fructuum, qui percipiuntur, ſeù percipi poſſunt ex eodem officio per ea, quæ notant *Caſtracanius de ſocietatibus officiorum in princip. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. c. 8. Lugus d. diſp. 30. ſect. 5. ſparſim per totum*, & hoc colligitur ex communi formula ſocietatis officiorum ſupra allegata, quæ ſeruatur in Curia Romana - Ibi - *Et illa durante facere participem dictum Paulum in fructibus ordinarijs, & extraordinarijs dicti officij pro rata parte*, ſed dignitas honor, & præeminentia officialis, vt potè perſonalis non poteſt ſocio pecuniam ſoluenti communicari, ergo &c.

Caſtracanius.
Azorius.
Lugus.

Dices primò hæc, quæ dicuntur in hac probatione non habere locum in communi modo contrahendi ſocietatem officiorum, ſecundum quem duplex regularitèr interuenit contractus, alter quaſi emptionis communicationis fructuum, in quo propriè conſiſtit ſocietas, qui fructus regularitèr ſunt incerti, alter commutationis iuris ad fructus incertos cum iure certo ad determinatam quantitatem pecuniæ, prout habetur in dicta communi formula ſocietatis officiorum - Ibi - *Quam partem propter incertitudinem fructuum dicti officij, & faſtidia computorum, quæ deſuper oriri, & eſſe poſſint dictus Paulus conduxit ab eodem Petro ad rationem ſcutorum duodecim ſimilium pro quolibet centinario in anno &c.*; in qua commutatione certè haberi poteſt ratio, non ſolum fructuum, qui ex tali officio ſperari poſſunt, ſed etiam emolumentorum conſiſtentium in honore, & dignitate, quæ ſunt pretio æſtimabilia. Sed contrà, quià ſicuti ſi non interueniret ille alius contractus commutationis, ſeù conductionis, non habenda eſſet ratio illius honoris, & dignitatis, cum non ſit communicabilis, nec ſecundum ſe pariat fructus, ità nec haberi

Duplex ille contractus, de quo ſuprà non confert aliquã vim.

Honor, & dignitas non eſt communicabilis.

debet

debet ratio illorum in illa commutatione, & conductione, & ratio eſt, quia illa commutatio eſt quoad ea, quæ poſſunt, & debent communicari, & id, cum quo ita commutantur, correſpondet illi rationi, quæ eſt communicabilis; cum igitur ratio dignitatis, honoris, & præeminentiæ non ſit communicabilis, ideò in tali commutatione eius ratio non eſt habenda.

Dices ſecundò, ex vi illius pecuniæ per ſocium collatæ conſequitur officialis illas præeminentias honoris, & dignitatis, quas non conſequeretur ſine illa, ſed illæ ſunt pretio æſtimabiles, per ea, quæ afferebat Lugus, ergo ex vi illius poterit obligari officialis ad contribuendum ad ratam tantum, quantum valoris eidem confert illud officium ratione honoris, & dignitatis. Sed contra, quia quod ex pecunia collata quis conſequatur aliquam vtilitatem, ſeù dignitatem, non propterea ex hoc præcisè ſequitur, quod teneatur ad aliquid conferenti pecuniam retribuendum, vt videre eſt in mutuo, in quo ſi mutuatarius ex re mutuata conſequatur aliquam vtilitatem, ſeù dignitatem, non propterea pro illa tenetur aliquid mutuanti conferre per ea, quæ diximus *tom. 1 ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 6. n. 4.* Quod, ſi vrgeas, non valere paritatem de mutuo, ac de ſocietate officiorum in ordine ad illam vtilitatem, ſeù dignitatem, eo quia per ſocietatem officiorum fit acquiſitio participationis eorum omnium, quæ conſequuntur ex tali officio, non ſic in mutuo, in quo ſoli mutuatario acquiritur quidquid ex illo acquiritur; ſtatim reſponſionem recipies, quia per ſocietatem officiorum acquiritur quidem communitèr tam per officialem, quam per ſocium quidquid ſecundum ſe eſt communicabile, non autem id, quod eſt perſonale officiali, & non communicabile ſocio, & quod ſecundum ſe non eſt fructiferum, & licet ſecundum officialem illa præeminentia, dignitas, ſeù honor ſit pretio æſtimabilis, quia tamen hæc cadere non poteſt ſub participatione, ideò illius ratio in ſocietate eiuſdem officij non habetur, ſed dumtaxat emolumentorum participabilium, adeòque quoad hanc rationem currit paritas cum mutuo.

Quod quis conſequatur ex pecunia collata honorè nō confert ius alicui.

Per ſocietatem officiorum aquiritur quidquid eſt communicabile, non quod eſt incommunicabile.

Probatur ſecundò eadem reſponſio, quià ſuper dignitate ſimplicitèr ſecundum ſe non fructifera non poteſt conſtitui ſocietas officij, quæ ex genere ſuo eſt ius communionis in fructibus, ergo neque ſuper officio fructiſero per pretium, quod correſpondeat tam fructiuitati eiuſdem, tam dignitati non fructiferæ. Antecedens probatur, quià non poteſt eſſe ſocietas, vbi non eſt communicabilitas in fructibus, ſiquidem non poteſt eſſe ſine ſubiecto, dignitas autem nec eſt communicabilis ſecundum ſe, nec fructifera. Conſequentia patet *arg. l. quæ de tota ff. de rei vendic. cap. paſtoralis §. 1. & Gloſa verb. citationis de offic. deleg. l. iuris gentium §. adeo ff. de pactis, & l. quiſcis ff. de vſuris*; ſi enim non eſt apta pro toto ad ſuſtinendam ſocietatem, nec erit habilis pro parte.

Super dignitate ſimplicitèr nō poteſt conſtitui ſocietas.

Probatur tertiò, quià ſuper ſolo vitæ periculo neque pro toto, neque pro parte ſuſtineri poteſt ſocietas officiorum per ea, quæ ex *Rota Romana in vna Romana ſocietatis 29. Ianuarij 1601. coram Card. Melino* probauimus ſupra *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Pranot. 19. num. 4.*, ergo neque ſuper perſona quomodocunque dignificata, quandò ex tali dignificatione nulli fructus poſſunt reſultare. Conſequentia probatur, quia in tantum non poteſt conſtitui ſocietas officij ſuper ſolo vitæ periculo ſine officio, in quantum non eſt ſubiectum productiuum fructuum, in quo talis ſocietas radicetur, ſed etiam quandò contrahitur ſuper perſona quomodocunque dignificata, quando ex tali dignificatione nulli fructus poſſunt reſultare, non eſt ſubiectum productiuum fructuum, in quo radicetur, ergo &c.

Rot. Rō.

Cur non poſſit conſtitui ſocietas ſuper ſolo vitæ periculo.

---

§. VI.

An, ſi officialis ſubeat laborem officij, poſſit fieri ſocietas, in qua danti pecunias ſoluatur penſio adæquans omnes fructus officij.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus difficultatis in caſu particulari 1.

Nonnulla conſiderabilia circà propoſitum 2.

Contractus, ſecundum quem omnes fructus debent communicari, tàm prout correſpondent officio, quàm labori, non ſuſtinetur in vim ſocietatis 3.

Ille contractus poteſt ſuſtineri in vim venditionis omnium fructuum 4.

Quandò nihil expreſſum eſt præſumi debet, quod contractus fuerit initus modo, quo ſit validus 5.

1 DIſquiſitio VI. In ſocietate officij contulit ſocius officiali quadringentos nummos aureos, vt admitteretur in communione eiuſdem officij, & fructuum. Officium ipſum non reddit tot fructus, quot ſufficiant ad æqualitatem capitalis, niſi quatenus ipſe officialis impendet laborem, & operas ſuas. Hic iam quærendum,

cuius

remanet, an ſocietas talitèr contracta, vi cuius omnes fructus tàm correſpondentes officio, quam operibus, & labori officialis ſunt ſocio conferendi, ſubſiſtat, & ſit valida. Pro ſolutione

Varij ſenſus in quibus poteſt examinari difficultas.

2 Aduerte, controuerſiam eſſe poſſe, an contractus ille quoad totum ſuum eſſe ſubſiſtat in vim ſocietatis præciſè, an verò ſubſiſtere poſſit in vim alterius contractus, puta in vim emptionis fructuum ex tali officio percipiendorum dependentèr ab operibus, & induſtria operantis, ſeù officialis. Rurſus controuerſia eſſe poteſt, in ſuppoſitione, quod in celebratione contractus non fuerit expreſſum, an initus fuerit præciſè in ratione ſocietatis, an verò in emptionis fructuum, vtrum poſſit præſumi pro tali emptione fructuum ſine alio, an verò debeat præſumi pro ſocietate præciſè, & per conſequens, an ſit inualidus.

Rot. Rō. Zacchias Lugus.

3 Reſpondeo primò, talem contractum ſecundum quem omnes fructus ſunt conferendi ſocio, tam prout correſpondent officio, quam operibus, & labori officialis non poſſe ſuſtineri in vim ſocietatis. *Rota Romana in vna Romana fructuum ſocietatis* 20. *Octobris* 1595. *coram Blanchetto*, *Zacchias in opuſculo de modo contrahendi ſocietates num.* 105. *Lugus diſp.* 30. *de contractu ſocietatis ſect.* 5. *num.* 70. Rationem huius reſponſionis adducit Lugus, quia de ratione ſocietatis eſt, quod fiat communicatio fructuum, ſed non eſſet talis, ſi omnes fructus tàm correſpondentes officio, quam operibus, & labori officialis eſſent conferendi ſocio, ergo &c. Sed hæc probatio non valet, quia ex conſtitutione Pij IV. conceſſum eſt, vt ſocietas iniri poſſit ad valorem officij, & per conſequens ad acquirendos omnes fructus, qui ex tali officio percipi poſſunt, per quod derogauit conſtit. Pauli IV. volentis, ne vltra dimidiam officij æſtimationem coiri poſſent ſocietates; ſed in hac hypotheſi optimè ſubſiſteret ſocietas, & tamen fructus non eſſent communicandi, ergo ex eo, quod in hypotheſi reſponſionis non eſſet communicatio fructuum, non tollitur, quin ſit propria, & ſubſiſtens ſocietas. Deindè ſi officium redderet tot fructus etiam ſine operibus, & labore officialis adhuc ſubſiſteret ſocietas ſuper illo, quamuis omnes fructus eſſet conferendi ſocio, ergo ex eo &c. His certè diſpoſitionibus Pontificum non reflexit Lugus in hac ſua probatione, ceteroqui ità non proceſſiſset. Quamobrem alio medio ſic

Impugnatur ratio Lugi, vt omninò inſubſiſtens.

Probatur reſponſio: Non poteſt ſuſtineri ſocietas, nec in toto, nec in parte ſine officio per ea, quæ latè ſupra allegauimus, ſed ſi ex vi ſocietatis omnes fructus tam correſpondentes officio, quam labori, & operibus officialis eſsent conferendi ſocio, ſuſtineretur ſaltem in parte ſocietas officij ſine officio, ergo &c. Minor probatur, quia fructus correſpondētes labori, & operibus officialis quantumuis ſint dependentèr ab officio, non ſunt tamen propriè, & adæquatè fructus officij, ſed principalitèr operantis, & laborantis dependentèr ab illo, ergo ſaltem in ordine ad illos ſuſtineretur ſocietas ſine officio.

Efficax ratio ad probandā reſponſionem.

Dices, illum laborem, & induſtriam computari interfructus eiuſdem officij, quandòquidem officium illud talis naturæ ſupponitur, vt non pariat fructus, niſi mediante labore, operibus, & induſtria, & ſic officium ſimul cum eodem labore, & induſtria efficit conſtatum productiuum illorum fructuum, ergo ſemper verificatur, quod illi fructus ſint fructus officij quamuis mediante labore, adeòque ſemper dici poteſt, quod proueniunt ex officio. Sed contra, quia quamuis requiratur labor, & induſtria ad percipiendos fructus ex illo officio, vt ſupponitur in inſtantia, fructus tamen vt correſpondent labori, & induſtriæ non veniunt ſub communi nomine officij; ea proportionali ratione qua diximus *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Pranot.* 27. *nu.* 18. de fructibus, quos vnus ex fratribus de bonis communibus, & communi nomine per negotiationem acquirit, qui licet ſint in commune conferendi, detrahendum tamen de illis eſt tantum, quantum correſpondet operibus, & induſtriæ eiuſdem fratris negotiationis, prout notauit *Flor. in l. ex re ff. de vſufruct. & Bartolus in l.* 1. §. *nec caſtrenſe* 29. *ff. de col. bon. & Gloſa in l. cum oportet C. de bonis qualib.* Certè in hoc etiam caſu negotiationis communi nomine factæ de bonis communibus fructus illi non poterunt acquiri, niſi mediante labore, & induſtria, & tamen prout correſpondent eidem labori, & induſtriæ non ſunt conferendi, ergo etiam quantumuis fructus officij non poſſint percipi ſine labore, & induſtria officialis, prout tamen correſpondent eidem labori, & induſtriæ non erunt conferendi, & ſi quandòque ex conuentione ſint ſocio conferendi, hoc non erit ex vi ſocietatis præciſe, ſed ex vi alterius contractus, ſeù conuentionis, vt infra

Fructus, vt correſpondent labori non veniunt ſub communi nomine officij.

Flor. Bartolus

Hic ſolum remanet explicandum, quomodo dici poſſit ſocietas officij, quandò per ſocium confertur pretium ad valorem adæquatum eiuſdem officij, in qua propterea abſorbet omnes fructus; certè tunc non eſt communicatio, ſocietas autem non eſt ſine communicatione; & tamen talis contractus in vim ſocietatis approbatur per Pium IV. derogantem conſtitutioni Pauli IV. volentis poſſe duntaxat conſtitui ſocietatem ad valorem medium eiuſdem officij,

vt ſupra.

vtſupra. Dicendum tamen eſt, ideò in vim ſocietatis ſuſtineri, quia eſt propriè communicatio in eodem officio, quatenus ipſe officialis retinet proprietatem quoad idem officium, ſocius verò fructus, qui tamen primò percipiuntur per ipſum officialem tanquam eidem debiti, & poſteà in vim ſocietatis alteri nempè ſocio ſunt conſerendi. Deindè ſuſtineri etiam poteſt per hoc, quod officialis acquirat ſibi omnes fructus in futurum acquirendos, & poſteà commutet ius ad illos fructus incertos cum iure certo ad talem determinatam pecuniæ quantitatem pro ſingulo centenario pecuniæ collatæ per ſocium modo, quo ſuprà.

Fructus officialis acquirit fructus deindè ſocio confert.

4 Reſpondeo ſecundò, contractum illum poſſe ſuſtineri etiam quoad fructus correſpondentes labori, & induſtriæ officialis in vim alterius contractus, nempè emptionis adæquatæ eorundem fructuum, vel ſimilis. *Lugus loc. cit.* Ratio autem huius reſponſionis eſt, quia non eſt aliqua repugnantia, quin per determinatam perſonam poſſint percipi, ſeù acquiri omnes fructus dependentes ex aliquo fundo, tàm prout correſpondent eidem fundo, quàm vt correſpondent operibus, & labori eundem colentis &c. ergo poſita tali conuentione in ordine ad omnes fructus, & pretio per ſocium collato adæquante eorundem valorem non erit, cur in vim talis contractus non poſſit ſuſtineri.

Lugus.

Nulla ratio conuincit munſtrà talis contractus.

5 Reſpondeo tertiò, quandò in celebratione contractus nihil expreſſum fuit, an contractus fuerit initus in vim ſocietatis præcisè, an verò in vim illius alterius contractus præſumendum eſt, quod fuerit initus non ſolum in vim ſocietatis, ſed omni alio meliori modo, adeòque in vim illius alterius contractus ex ſuppoſitione, quod pretium per ſocium collatum adæquet valorem eiuſdem officij comparatiuè ad omnes fructus tam correſpondentes officio, quàm labori, & induſtriæ, & officialis conſenſum præbuerit collationi illorum omnium fructuum. Ratio ex eo facilè deducitur, quià ex quo officialis conſenſit illi adæquatæ fructuum erogationi, & recepit pretium proportionatum ad illos videtur conſenſiſſe modo quocunque habili; verum tamen eſt, quod ſeruandæ eſſent aliæ conditiones &c.

Videtur poſitus eſſe ſenſus ad quemcunque modù ſocietatum.

§. VII.

Quomodò computandi ſint dies quindecim conuenti ad nominationem alterius perſonæ, cujus vitæ periculo ſtet capitale per ſocium ſolutum.

SVMMARIVM.

In quonam conſiſtat ratio difficultatis 1.
Vbi per contrahentes nihil expreſſum eſt, non incipit, niſi à die immediatè ſequenti ad diem celebrationis contractus 2.
Dies, in qua celebratur contractus non eſt proxima 3.
Quod dies termini computentur, vel non computentur in termino iudicandum eſt, ſecundum quod expedit ei, in cuius fauorem terminus appoſitus eſt 4.
Vltima dies computatur in termino, ſi dictum fuerit intrà quindecim dies 5.
Sufficiunt dies continui, quamuis non vtiles 6.

Diſquiſitio VII. In conuentione ſocie- 1
tatis officij Caius ſocius ſibi reſeruauit ius intra quindecim dies alterum nominandi, cujus vitæ periculo ſtaret capitale per ipſum officiali collatum. Celebratum fuit inſtrumentum contractus die 14. Menſis Ianuarij præſentis anni 1680., & poſteà per eundem Caium nominatio facta fuit die 29. eiuſdem menſis. Hic immediatè orta fuit difficultas, an nominatio facta fuerit intrà debitum terminum; nam officialis contendebat factam fuiſſe poſt tempus conuentum computando terminum ab hora celebrationis contractus, adeòque illam nullius roboris eſſe; ex aduerſo verò Caius excipiebat terminum non computandum eſſe, niſi a die immediatè ſequenti ad celebrationem contractus, adeòque nominationem factam fuiſſe in termino. Quid igitur iuris? & hoc in præſenti diſcutiendum eſt.

Ratio controuerſiæ in ſuis terminis.

Reſpondeo, niſi aliud per contrahentes 2
expreſſum fuerit in celebratione contractus, tempus dictorum quindecim dierum non incipere, niſi à die immediatè ſequenti ad diem celebrationis eiuſdem contractus, adeòque ipſum diem celebrationis eiuſdem non computari in termino. *Lugus d. diſp. 30. ſect. 5. num. 74. Rota in vna Romana ſocietatis 9. Aprilis 1612. coram Caualerio*, ſicque ſi celebratus fuit contractus die 14. menſis Ianuarij, vt exponebatur in facto, & facta nominatio die 29. eiuſdem menſis, valida hæc eſt, & tenet.

Lugus. Rot. Rō.

Rationem huius reſponſionis potiſſimum 3
nota-

Dies, in quo eſt celebratus contractus, non eſt proxima, ſed eadem.

notauit *Rota in d. Romana ſocietatis* in eo conſiſtere, quod regularitèr dicitur in inſtrumento ſocietatis, *vt poſſit fieri nominatio intra quindecim dies proximos ſequentes*, ſed dies, in qua eſt celebratus contractus non eſt proxima, ſed eadem, ergo intelligi debet de alijs quindecim immediatè ſequentibus ad diem eiuſdem contractus.

Attendendus eſt fauor eius, cui cedit terminus.

4 Rursùs ex generali regula, quam omnes recipiunt, habetur, vt dies termini computentur, vel non computentur in termino, prout magis expedit ei, ad cuius fauorem ſtatuitur, ſed talis terminus præfixus ſupponitur ad fauorem ſocij conferentis pecuniam, ſiquidem illam facultatem ſibi reſeruaſſe præſumitur ad nominandum, vt poneret magis in tuto pecuniam ſuam in capite iunioris, & robuſtioris, ergo cum magis ipſi in data hypotheſi expediat, vt dies celebrationis contractus non computetur, dicendum eſt abſolutè non computari. Hæc omnia expreſsè colligo *ex eodem* Lugus. *Lugo d. diſp. 30. ſect. 5. nu. 74.* fere ad verbum.

5 Hic oritur difficultas, an ſicuti dies celebrationis contractus non computatur ex mox dictis in termino illorum quindecim dierum, ſi ſit in fauorem dantis pecuniam, vt non computetur, ita etiam non ſit computanda vltima dies eorundem quindecim dierum, ſi eidem expediat, vt non computetur. Ex verbis talis reſeruationis, ſeù deſignationis illorum dierum dirimenda eſt præſens difficultas; ſi enim dictum fuerit in inſtrumento *intrà dies quindecim proximè ſequentes*, tunc dicendum eſt diem vltimam computari in termino. Ratio eſt, quia ex conuentione expreſſa contrahentium hoc ſtatutum eſt; illa etenim dictio *intrà* includit, non excludit *Bartolus poſt gloſ. in l. 1. in princip. ff. de offic. præfect.* ſi verò dictum fuerit. *Reſeruato ſibi iure dierum quindecim ad alterum, quem maluerit, nominandum, vel ſtatuto termino dierum quindecim*; tunc propter præcedentem rationem dicendum eſt, etiam vltimam diem non computari in termino, quia ſcilicet ita expedit ſocio, vt non computetur.

Particula intra includit, non excludit.

Bartolus.

6 Hic etiam remanet inquirendum, an omnes illi quindecim dies debeant eſſe vtiles, an verò ſufficiat, quod ſit continui, & immediati. Reſpondendum eſt, non requiri dies vtiles, ſed immediatos, & continuos. Ratio eſt, quia ad talem nominationem faciendam non requiritur dies vtilis, cum poſſit fieri pro qualibet die ſiuè feriata, ſiuè non feriata, & per conſequens parum referre poteſt, quod dies intercedentes ſint vtiles, nec ne; ſi enim dies, ad quem cadit nominatio, poteſt eſſe, ſiuè vtilis, ſiuè non vtilis, ſiuè feriata, ſiuè non feriata, vtique & dies intermedij poſſunt eſſe, vel vtiles, vel non vtiles &c.

Non requiruntur dies vtiles, ſed ſufficiunt continui.

§. VIII.

An Ægrotans periculosè poſſit nominare.

SVMMARIVM.

Status difficultatis expoſitus 1.

Conſideratio notabilis ad rem præſentem 2.

Si reſeruatio fuerit præciſè ad 15. dies, poteſt quantumuis ægrotans intrà illos nominare 3.

Si ius nominandi fuerit ad quodcunque tempus durante ſocietate non poteſt ſocius in caſu periculoſæ infirmitatis nominare, & ſi nominet, non tenet, niſi viuat poſt decem dies à die intimationis eiuſdem nominationis 4.

Ad validam nominationem vltrà intimationem requiritur notatio eius in margine inſtrumenti 5.

Diſquiſitio VIII. Contracta ſocietate ſuper officio ſocius, qui ſoluerat pecuniam, vt particeps fieret fructuum eiuſdem officij, reſeruauit ſibi ius alium nominandi, cuius vitæ periculo ſtaret capitale per ſe ipſum ſolutum. Qua poſita conuentione ægrotauit periculosè ſocius, & tunc alterum nominauit. Quæritur iam, an talis nominatio pro tali ſtatu ſubſiſtat in præiudicium officialis? Pro ſolutione 1

Exponitur status controuerſiæ.

Aduerte, an in conuentione, ſeù celebratione contractus reſeruatum fuerit ius ad talem nominationem ad quindecim dies præciſè, an verò pro quolibet tempore indiferentèr durante ſocietate; vtroque enim modo fieri potuit per ſocium talis reſeruatio, & iuxta vtrumque poteſt eſſe diuerſa definiendi ratio. 2

Quomodo poſſit intelligi informatio.

Reſpondeo primò, ſi reſeruatum fuerit præciſè per ſocium ius nominandi ad quindecim dies vtique intra illos, quantumuis grauitèr ęgrotaret, poſſet nominare quemcunque ſibi maluerit *Rota in vna Romana ſocietatis 10. Decembris 1597. coram Card. Lancelloto. Lugus d. diſp. 30. ſect. 5. num. 75.* Ratio ex eo deduci poteſt, quia ex quo reſtrinxit ſibi ſocius facultatem ad illos quindecim dies videtur ius ſibi reſeruaſſe intrà illos ad nominandum ad quemcunque caſum, nam illa reſtrictio ad modicum tempus tribuit ius plenum pro tali tempore, quinimmò reſeruatio cum tali reſtrictione videtur ad eum finem præciſè inducta, vt benè notauit Lugus ſupra allegatus, dum dicit, quod ſocius adhoc eam facultatem ſibi reſeruauerit, vt poneret magis in tuto pecuniam in capite alterius iunioris, & robuſtioris. 3

Rot. Rõ. Lugus.

Dices in formula inſtrumenti ſocietatis officiorum ſupra relata *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Pranot. 21. num. 1.* iuxta ſtilum Romanæ Curiæ præſcribitur, quod in caſu reſeruationis iuris ad alium nominandum teneatur ſocius eandem nominationem, & translationem intimare, & viuere per decem dies poſt factam intimationem, quæ etiam valeat domi dimiſſa copia, ergo ſignum eſt, quod in graui propriæ vitæ periculo ratione grauis, & periculoſæ ægrotationis non poſſit ſocius facere illam nominationem. Sed contra primò, quia præfata formula loquitur, non quandò facultas nominandi reſtricta eſt ad breuem terminum dierum quindecim, vt ipſam legenti fit manifeſtum, ſed tantum, quandò extenditur ad quodcunque tempus, quod non aduerſatur noſtræ reſponſioni; Secundò, ea, quæ dicuntur in illa formula, procedunt ex ſpeciali pacto inter contrahentes inito. Ibi *Adiecto pacto, quod ipſe ſocius teneatur eandem nominationem, & translationem intimare, & viuere per decem dies &c.* nulli autem dubium, quin poſſint tali pacto contrahentes inter ſe conuenire; ea autem, quæ hic dicuntur, procedunt ex natura præciſè contractus cum illa reſeruatione nulla alia adiecta conditione &c. Tandem, quia in dicta formula tantum præſcribitur, quod ſocius debeat per decem dies viuere poſt factam intimationem eiuſdem nominationis, non autem, quod non poſſit facere eandem nominationem ægrotans, quantumuis periculoſè, ita vt ſuum ſortiatur effectum, ſi vltra decem dies fuerit ſuperſtes.

Formula inſtrumẽti ſocieta tis nõ ſuſpenſe reſtrictionẽ ad 15. dies poſt contractũ

4 Reſpondeo ſecundò, ſi ius illud nominandi fuerit ad quocunque tempus, quo perſeueret ſocietas, non poſſet ſocius in caſu periculoſæ ægrotationis alterum nominare, & ſi nominaret, non ſubſiſteret nominatio, niſi vltra decem dies à facta nominatione, & intimatione eiuſdem ipſe nominans ſupraviueret. *Rota in d. Romana ſocietatis, & Lugus loc. cit.* Ratio huius reſponſionis ea eſt, quia non eſſet æqualis vtriuſque contrahentis conditio, nec æquale vtriuſque periculum, ergo pro tali ſtatu non poteſt vigere legitimè ius nominandi. Antecedens probatur, quia in ſocio vix poſſet eſſe periculum amittendi capitale, quia adueniente periculo mortis poſſet fieri translatio periculi in perſonam nominandam; ceſſante autem tali periculo contractus non eſſet æqualis, nec iuſtus.

Rot. Rõ. Lugus.

Dixi, *& ſi nominaret, non ſubſiſteret nominatio, niſi vltrà decem dies à facta nominatione, & intimatione eiuſdem ipſe nominans ſupraviueret*, quod addidi propter communem conſuetudinem Romæ receptam, ſecundum quam in inſtrumento ſocietatis communiter hoc pactum adijcitur; vbi autem ibi quandòque expreſsè non adijceretur ex tali conſuetudine eſſet præſumendum, quia vt ſupra diximus, vbi nihil eſt expreſſum, id actum præſumitur quod eſt conſuetum *l. quod ſi nolit §. quid aſſidua ff. de adil. edict. & l. ſi prius §. rectè placuit ff. de aqua pluuial. arcen.* & ſocij contrahentes, vbi aliud in celebratione contractus non exprimunt, ſemper præſumuntur contrahere ſecundum conſuetudinem loci, in quo contrahunt.

Vim habet vnõ muni cõſuetudine Romæ recepta.

Ad validam nominationem, quandò iuridicè hæc poteſt per ſocium fieri, requiritur non ſolum intimatio, & reproductio eiuſdem, ſed etiam vlterius notatio eiuſdem in margine inſtrumenti per ea, quæ præſcripſit Paulus IV. vndè ſi hæc omitteretur, translatio eſſet nulla, nec cuiquam prodeſſet per ea, quæ reſoluit *Rota Romana in vna Romana ſocietatis 5. Decembris 1616. coram Ramboldo.* 5

Requiritur etiam notatio in margine inſtrumẽti.

§. IX.

An per ſocium poſſit fieri translatio periculi in alium perceptis fructibus temporis, quo fit.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus controuerſia 1.

Translatio fieri non poteſt pro tempore, quo ſocius fructus percepit 2.

Deciſio Rota Romana aſſerentis illam nominationem eſſe validam intrà tempus, dummodò translatio fiat poſt 3.

Approbatur eadem deciſio, ſed in caſu particulari 4.

Praſcindendo à caſu particulari in Rota expoſito non facile approbanda eſt illa nominatio in tempore, quo fructus fuerint percepti 5.

Diſquiſitio IX. Contracta fuerat ſocietas ſuper officio inter Caium officialem, & Fabium ſocium eiuſdem ratione pecuniæ, quam contulit. Fabius ſibi in celebratione contractus reſeruauit ius alterum nominandi, ſeù periculum capitalis in alterum ſibi beneuiſum transferendi pro quocunque tempore, quo duret eadem ſocietas. Ex diſpoſitione iuris habetur, vt translatio fieri non poſſit pro eo tempore, pro quo fructus fuerunt percepti, & quod ſocius, qui debet, & poteſt transferre, viuat decem, & nunc iuxta conſuetudinem quindecim dies poſt intimationem dictæ translationis, Hoc poſito idem Fabius percepit 1 2

Status difficultatis.

Translatio fieri nō poteſt pro tempore, quo fructus ſunt percepti.

pit ab eodem Caio officiali fructus pro primo ſemeſtri, ratione cuius perceptionis propterea pro illo primo ſemeſtri non poteſt facere nominationem, ſeù translationem; Nihilominus intrà primum ſemeſtre nominationem fecit, ità tamen, vt translatio non inciperet habere effectum vſque ad ſecundum ſemeſtre, pro quo nondum recepit fructus. Nondum completo primo ſemeſtri, pro quo fructus iam receperat duobus, vel tribus diebus adhuc remanentibus intimauit Caio officiali talem translationem, & poſteà die decima tertia ſecundi ſemeſtris obijt nondum receptis fructibus eiuſdem ſecundi ſemeſtris. Hic maxima eſt excitata controuerſia inter eundem Caium officialem, & hæredes eiuſdem Fabij ſocij, dum Caius contendebat ſe capitale lucratum fuiſſe, eo quod nondum elapſi erant quindecim dies ſecundi ſemeſtris, nec duo, vel tres dies ſuperſtites primi ſemeſtris poterant computari, cum pro toto illo primo ſemeſtri fuerint fructus percepti; ex aduerſo opponebant hæredes Fabij ſocij defuncti, quod licet translatio intimata fuerit intra primum ſemeſtre, pro quo iam fuerunt fructus percepti, non tamen cæpit habere ſuum effectum, niſi ad ſecundum ſemeſtre, pro quo fructus non fuerant percepti. Lis delata eſt ad Sacrum Rotæ Auditorium, quæ in caſu particulari *in vna Romana ſocietatis 16. Februarij 1596. coram Iuſto* illam translationem cum illa intimatione validam fuiſſe declarauit, & definiuit, cuius definitionis rationem, ſeù fundamentum deſumpſit eadem Rota ex verbis ſpecialibus, quibus illa particularis ſocietas fuerat contracta; in inſtrumento etenim eiuſdem ſic legebatur. *Cum facultate elapſo quolibet ſemeſtri, dummodò non fuerint percepti fructus ſemeſtris transferendi huiuſmodi periculum vitæ, in aliam, ſeù alias, præcedenti tamen intimatione dierum quindecim, quæ poſſit fieri, prout diſdicta &c.* ex quibus deducit primò, quod ſicuti diſdicta poteſt intimari etiam durante primo ſemeſtri, dummodò non ſequatur effectus diuiſionis ante ſecundum ſemeſtre, ita etiam talis translatio poſſit fieri, & intimari intra idem primum ſemeſtre, dummodò executio non ſequatur, niſi in ſecundo. Deducit ſecundò, quod, cum dicatur, *dummodò non fuerint percepti fructus ſemeſtris*, poſſit fieri intimatio ſemeſtri ſoluto, ſi translatio cum effectu non fiat, niſi ſemeſtri non ſoluto, quandòquidem ſemper verificatur, quod fiat translatio pro tempore, pro quo nondum ſunt fructus percepti.

Nominatio fit in eo tēpus, quo recepti ſunt fructus, ſed translatio poſt illud.

3 Rot. Rō.

Eiuſque deciſio in re præſenti.

Rationes quibus innititur talis deciſio.

4 Veneror Sacræ Rotæ deciſiones, vt oracula veritatis, nec propterea præſenti poſſum diſſentiri, quantumuis non nihil negotij videantur faceſcere nonnulla verba apposita in tali conuentione. Ibi. *Cum facultate elapſo quolibet ſemeſtri transferendi huiuſmodi periculum vitæ*; dum enim dicitur, *elapſo quolibet ſemeſtri*, ergo eo non elapſo non viget talis facultas. Deindè ius nominati incipit à die nominationis, & intimationis, quantumuis effectus translationis non ſequatur, niſi elapſis quindecim diebus à die intimationis, ſed nullum ius poteſt incipere pro tempore, pro quo vetitum eſt fieri translationem, ergo &c. Tandem talis Rotæ deciſio in tantum videtur locum habere, inquantum in conuentione poſita eſt illa particula, *prout diſdicta &c.* ergo vbi apposita non fuerit illa particula, non habebit locum, quinimmò, cum ſit ſpecialis expreſſio, videtur exceptio à communi regula, adeò vt, ſi non fuiſſet apposita, non videatur habere locum conuentio.

Oppoſitiones ad Rot. Rom.

Sed ſi attentè perpendantur verba, facilè euaneſcent vmbræ dubitationis, non enim dicitur *facultate elapſo quolibet ſemeſtri nominandi, & intimandi*, ſed facultate *transferendi*; translatio autem, cum appellet rei executionem, fit in tempore habili, cum fiat in ſecundo ſemeſtri, pro quo nondum fructus ſunt percepti; nec hoc arduum debet apparere, quandòquidem, vt benè notat *Lugus d. diſp. 30. ſect. 5. num. 78.* ſi nominatio, & intimatio deberet dumtaxat ex neceſſitate incipere poſt elapſum primum ſemeſtre, cogeretur ſemper ſocius in quolibet ſemeſtri ſuſtinere per quindecim dies periculum ſuprà propriam vitam, quod non eſt dicendum. Deindè, ſi attendatur finis, ad quem ex diſpoſitione iuris præſcripti ſunt illi quindecim dies, facilè innoteſcet, eſſe ad maturè deliberandum; æquè autem deſeruire poſſunt ad deliberandum dies aliqui primi ſemeſtris cum alijs ſecundi ſemeſtris immediatè ſubſequentibus, ac dies quindecim immediati poſt primum ſemeſtre.

Translatio appellat rei executionem.

Lugus.

Satisfit oppoſitis contra deciſionem Rot. Rom.

Ad illud, quod ſubditur de iure incæpto nominati poſt diem nominationis, & intimationis, dicendum eſt, eſſe dumtaxat ius conditionatum, & relatum ad tempus ſecundi ſemeſtris, quodque effectum habere non poteſt, niſi ad ſecundum ſemeſtre, ità vt, ſi ſocius moreretur poſt nominationem, & intimationem diebus illis præcedentibus ad ſecundum ſemeſtre, nullam penitùs vim conferret; vndè cum dicitur, quod nullum ius poteſt incipere pro tempore, pro quo vetitum eſt, fieri translationem, dicendum eſt nullum ius abſolutū poſſe incipere, & ad effectum realem, benè tamen conditionatum, & ad effectum ſub conditione ponendum purificata conditione.

Eſt ius cōditionatum, nō abſolutū.

Ad illud tandem, quod dicitur de ſpe-

ciali illa expreſſione, *prout diſdicta*, dicendum eſt verificari potiſſimum relatiuè ad præcedentia, *cum facultate elapſo quolibet ſemeſtri transferendi &c.* ſicuti enim in diſdicta non reſoluitur ſocietas durante dicto tempore diſdictæ per ea, quæ latè ſupra probauimus, ita poſita facultate transferendi, non verificatur propriè translatio, niſi pro tempore, quo fieri poteſt eadem translatio, nempè poſt primum ſemeſtre, quantumuis antecedenter fuerit facta nominatio, & intimatio. Ceterum quoad ea, quæ ſubduntur, nobis potius ſufragantur, quam refragentur.

Reſpondetur ad aliud obiectum.

§ Hæc in Sacræ Rotæ venerationem, & in caſu particulari in eadem expoſito dicta ſunt. Cæterum in caſu, quo non fieret illa expreſſio, & ſub terminis indefinitis conciperetur illa reſeruatio, vt ſi diceretur *Cum facultate elapſo quolibet ſemeſtri nominandi, & intimandi*, vel abſolutè *cum facultate nominandi, intimandi, & transferendi pro tempore, prout de iure*, non facilè adaptarem terminos illius deciſionis ad terminos, in quibus proponitur hæc difficultas. Ratio autem huius aſſertionis ea poteſt eſſe primò; quia cum dicitur *cum facultate elapſo quolibet ſemeſtri nominandi, & intimandi*; non incipit ius nominandi, niſi elapſo ſemeſtri, & ſi antecedentèr nominet, inutilitèr & ſine iure nominat; cum verò dicitur *cum facultate nominandi, intimandi, & transferendi pro tempore, prout de iure &c.* nec etiam, niſi poſt elapſum ſemeſtre videtur ex vi illius reſeruationis habere ius nominandi, & intimandi, quia cum in iure, vel in conſuetudine habente vim iuris cantum ſit, quod non poſſit fieri translatio pro tempore, pro quo recepti ſunt fructus, nec videtur poſſe fieri nominatio, & intimatio cum effectu, vt incipiat obligare officialem ad deliberandum, quod potiſſimum colligo ex communi formula, ſeù inſtrumento ſocietatis ſupra relato. Ibi. *Adiecto pacto, quod ipſe ſocius teneatur eandem nominationem, & translationem intimare, & viuere per decem dies poſt factam intimationem*, vbi nota, quod æquè nominatio, & translatio debeat intimari; & viuere per decem dies, ergo ſi non poteſt fieri translatio, niſi pro tempore; pro quo non ſunt percepti fructus, nec poterit fieri nominatio, nec intimatio, ſiquidem intimatio præſuponit translationem.

Non incipit ius nominandi, niſi elapſo ſemeſtri.

Æquè nominatio, & translatio debet intimari.

Quod ſi obijcias ea, quæ ſuprà dicebantur; nempè ſi nominatio, & intimatio deberet dumtaxat fieri poſt elapſum primum ſemeſtre, cogeretur ſemper ſocius in quolibet ſemeſtri ſuſtinere per quindecim dies periculum ſupra propriam vitam, & quod illi quindecim dies dentur ad deliberandum, & quod deliberatio æquè fieri poſſit ſiuè dies fuerint præcedentes ad ſecundum ſemeſtre, ſiuè ſubſequentes; Si, inquam, hæc obijcias; ſtatim reſponſum recipies, quod incongruè illa congerantur, nam non ſemper cogeretur illud periculum per quindecim dies ſuſtinere, ſed dumtaxat pro illo tempore, quo nominaret, & intimaret; Neque hoc eſſet incongruum, quandoquidem, cum illud priuilegium nominandi, & intimandi ſit in proprium fauorem, non eſt vltra ordinem iuris, quod viceuerſa ſubeat aliquod onus, nempè illud periculum. Ad illud, quod ſubditur de tempore ad deliberandum dicendum eſt, quod quamuis illi dies præcedentes ad ſecundum ſemeſtre poſſint inſeruire ad deliberandum, non tamen officialis teneatur illis vti ad talem effectum, cum ratione ſolutionis fructuum pro tempore antecedenti factæ eximatur a quocunque onere, vndè poteſt iuſtè exigere, quod talis intimatio ſibi in tempore habili fiat.

Cogeretur ſolū periculū ſuſtinere pro illo tempore, quo nominaret.

Ratio eiuſdem aſſertionis poteſt eſſe ſecundò, quia ſecundum communem formulam, ſeù inſtrumentum ſocietatis, in quo fiat reſeruatio iuris nominandi, ſeù intimandi, non apponitur illa particula, *prout diſdicta*, quæ appoſita fuit in inſtrumento ſocietatis, de quo fuit controuerſia ſupra apud Sacrum Rotæ Auditorium, quod vtique fuit per expreſſas contrahentium conuentiones, ergo ſignum eſt, quod iuxta communem regulam ſocietatis illa conuentio ſecundum normam diſdictæ non veniat, cæteroqui fruſtratoriè fuiſſet appoſita per ſpecialem conuentionem; Adde, vt ſupra dicebamus, quod illa ſpecialis expreſſio vim habeat exceptionis; exceptio autem non eſt de regula, ergo ſecundum communem regulam proprie non venit.

Iuxta communē regulam non venit illa clauſula, prout diſdicta.

Ad fortius corroborandum hoc noſtrum aſſertum adducunt aliqui aliam Rotæ Romanæ deciſionem *in vna Romana ſocietatis officij 9. Martij* 1598 *coram Peregrino*, quam ex diametro oppoſitam præcedenti aſſerit *Siluester Zacchias in ſuo opuſc. de modo contrahendi ſocietates nu. 439.* in qua erat controuerſia in hunc modum. Socius in ſecundo ſemeſtri poſtquam ei datum fuerat ab officiali chyrographum, quo exigeret a mercatore fructus ſecundi ſemeſtris, & ab eo acceptatum, antequam actualem reciperet ſolutionem, tranſtulit vitę periculum in aliam perſonam, & intimauit officiali, & tranſierunt quindecim dies, cumque controuerteretur de validitate talis tranſlationis dictum fuit inter cætera *ab eadem Rota num. 6.* officialem debere ſibi imputare, quod non præcluſerit viam ſocio transferendi illo ſemeſtri periculum in aliam perſonam per realem ſolutionem, ergo quia Rota ſenſit in ſemeſtri ſoluto, quod

Rota, Siueſter Zacch.

non

non poſſit fieri intimatio translationis effectum habituræ ſequenti ſemeſtri antè eius ſolutionem. Conatur Lugus ad hanc probationem ex Rotæ deciſione deſumptam reſpondere; ſed in hoc vim non facio. Videant alij.

---

§. X.

Quam pœnam ſubeat officialis, ſi non dederit fideiuſſores intrà terminum conuentum.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in ſuis terminis 1.
Officialis deficiens ab ea conditione, ſi ſocius præmoriatur, non acquirit capitale, ſocius verò lucratur fructus 2.
Limita, ſi ſocius reciperet penſiones, & non peteret fideiuſſores 3.
Limita ſecundò, niſi peteretur fideiuſſor determinatus in fraudem 4.
Societas incipit poſt celebrationem contractus, non poſt datum fideiuſſorem 5.

1 Diſquiſitio X. In contractu ſocietatis officij inito inter Caium officialem, & Fabium ſocium conuentum fuerat, vt idem Caius daret intra certum terminum duos fideiuſſores, & altero eorum deficiente alterum idoneum ſubrogaret tempore conuento; Sed illos officialis non dedit, vel altero ex illis deficiente, vel reddito non idoneo alterum non ſubrogauit. Ob inobſeruantiam conuentionis certè aliquam pœnam ſubire debet. Quæritur modo quamnam?

2 Reſpondeo officialem ab ea conuentione deficientem ſubire hanc pœnam, vt, ſi ſocius præmoriatur, non acquirat capitale, ſocius verò lucretur fructus ſibi competentes, & conuentos ex eodem officio *Silueſter Zacchias in ſuo opuſ. de modo contrahendi ſocietates num. 442. Lugus d. diſp. 30. ſect. 5. num. 84.*

Pœna officialis deficientis. Zacch. Lugus.

Ratio primæ partis ex eo deſumi poteſt, quod officialis non ſeruans conditiones, ſeù conuentiones ſocietatis non poteſt gaudere priuilegijs eiuſdem ſocietatis, ſed inter iura ſocietatis eſt, vt officialis, ſi intra ſemeſtre ſocius præmoritaur, lucretur capitale, ergo, ſi non adimpleat ex conuentione adimplenda, non poterit tali iure gaudere. Hanc rationem conſiderauit *Rota in vna Romana ſocietatis 2. Iunij 1608. coram Lancelloto*, & propter ſimilem rationem nos etiam ſupra ſub hoc eod. tit. Contractus VII. docuimus renuntiantem intempeſtiuè ſocietati priuari iure participandi in lucris per alterum acquiſitis, non autem onere communicandi in damnis, ſocium verò gaudere iure communicandi in lucris renuntiantis, non verò in damnis. Hæc eadem prima pars euincitur ex communi formula, ſeù inſtrumento ſocietatis Romæ præcipuè, vbi hiuſmodi ſocietates ſuper officijs ſolent contrahi, recepta-Ibi- *Alias voluerunt dicti contrahentes, quod dictus officialis teneatur ad reſtitutionem, & ſolutionem omnium, ad quæ teneretur, ſi ſocietas eſſet finita.*

Non gaudet priuilegio ſocietatis, qui ab illa deficit. Rot. Rō.

Hæc, quæ dicta ſunt pro hac prima parte, æquè verificantur, ſiuè poſita conuentione, quod officialis duos fideiuſſores aſſignaret, & nullum tempore conuento aſſignauit, ſiuè vnum, & non alterum aſſignauit, ſiuè etiam aſſignato vtroque, & altero deficiente alium idoneum non ſubrogarit, vt bene conſiderauit *Rota in quadam Romana pecuniaria 2. Decembris 1596. coram Penna*, & ratio eadem eſt, quæ ſuperior, quandòquidem deficit à conuentis conditionibus.

Caſus, in quibus verificatur reſponſio.

Ratio ſecundæ partis eſt, quià æquum non eſt, vt qui legitime celebrato contractu omnes eiuſdem conditiones, ſeù pacta adamuſſim obſeruauit, priuetur iuribus eiuſdem; ex vulgatis etenim iuribus culpa vnius non poteſt obeſſe innocenti, ergo ſocius, qui adimplenda adimpleuit, poteſt iuſtè gaudere fructibus eiuſdem ſocietatis. Hanc etiam rationem rectè conſiderauit *Rota in ead. Romana ſocietatis 2. Iunij 1608. coram Lancelloto*, quæ propterea firmauit ius eiuſdem ſocij innocentis.

Qui adimplet gaudet priuilegijs. Rot. Rō.

Limitanda tamen eſt prior pars reſponſionis iuxta nonnullas conſiderationes, & primò in hypotheſi, qua per ipſum ſocium reciperentur ab officiali annuæ præſtationes, & fideiuſſores non peterentur, non videtur officialis priuari iure lucrandi capitale, quamuis fideiuſſores non aſſignarit per ea, quæ conſiderauit *Zacchias in ſuo opuſc. de modo contrahendi ſocietates nu. 436. & alij plures apud eundem*, & ratio eſt, quià exigendo præſtationes annuas, ſeù pro ſemeſtri, & non petendo fideiuſſores iuxtà conuenta videtur renuntiare iuri habendi tales fideiuſſores. 3

Exceptio à communi reg. Zacch.

Limitanda eſt ſecundò in hypotheſi, qua ſocius peteret fideiuſſorem determinatum, quem ſcit non fideiuſſurum, niſi ſibi ſoluatur pretium pro fideiuſſione, quod pretium, vel eius pars redeat ad ipſum ſocium, qui erogauit officiali pecuniam, & in ſuppoſitione, qua ità fieret conuentio, vt fideiuſſor pretio dato redimat ſe ab obligatione fideiuſſionis, tunc etenim fieret illa petitio in fraudem, & ſaltem in foro conſcientiæ non teneretur officialis ad ſubeundam illam pœnam, prout rectè notauit *Lugus* 4

Niſi ſederet in fraudem.

d. diſp.

d. diſp. 30. ſect. 5. num. 84. in fin.

5 Hic ad vberiorem notitiam eorum, quæ pertinere poſſunt ad hanc diſquiſitionem, inquirendum remanet, an quandò promiſſus eſt fideiuſſor, ſocietas incipiat ſolummodò, quandò actualitèr aſſignatur idem fideiuſſor, an verò quandò initus eſt contractus, & facta promiſſio eiuſdem fideiuſſoris. Sentiendum eſt abſolutè incipere à die, qua contractus celebratus eſt, & promiſſus fideiuſſor, quia fideiuſſor eſt in ſecuritatem conuentorum in contractu, non autem pertinet ad ſubſtantiam contractus, & ita ſentit *Rota in vna Romana ſocietatis 2. Aprilis 1601. coram Iuſto.*

Incipit à die celebrati contractus. Rot. Rō.

§. XI.

Quænam iura acquirat contrà officialem fideiuſſor, qui pro ipſo ſoluit conuentas præſtationes ſocio.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus, in quo conſiſtat difficultas 1.
Fideiuſſori ſoluenti pro ſuo principali competit actio aduerſus eundem, non ſolum ad repetendum ſolutum, ſed etiam ad quantum intereſt 2.
Non habet ius exigendi ſortem 3.
Fideiuſſori competit executio parata contrà ſuum principalem 4.

1 DIſquiſitio XI. Contractui ſocietatis inito inter Caium officialem, & Fabium ſocium adiectus fuit tanquam fideiuſſor Andræas in fauorem eiuſdem Fabij pro ſolutione annuarum, ſeù ſemeſtrium præſtationum. Non ſoluente Caio officiali debitas penſiones, ſeù conuentos fructus ipſe Andræas fideiuſſor Fabio eaſdem perſoluit. Quæritur iam quodnam ius acquiſierit ratione talis ſolutionis aduerſus eundem Caium, an ad exigendum ſolummodò fructus ſocietatis, an etiam ad exigendam ſortem. Proponit hanc difficultatem *Silueſter Zacchias in opuſculo de modo contrahendi ſocietates nu. 456.* eamque latè ibi proſequitur.

Status quæſtionis propoſita.

2 Reſpondeo breuiter, fideiuſſori ſoluenti pro ſuo principali competere actionem aduerſus eundem principalem non ſolum ad repetendum ab illo per ſe ſolutum, ſed etiam ad quantum intereſt eidem fideiuſſori, quod illud opportuno tempore per ſuum principalem non fuerit perſolutum. *Baldus in l. ſi pro ea quæſt. 8. C. mandati l. 1. C. de fideiuſ. & l. fideiuſſor pro venditore, & ibi Bartol. ff. de fideiuſ. Angel. in l. ſi pro ea C. mandati. Gloſa in cap. fin. de foro compet. lib. 6. Alexan. in l. frater à fratre ff. de condit. indeb.*

Baldus. Bartolus. Angelus. Gloſa. Alexander.

Ratio facile ex eo deducitur, quià fideiuſſor exactus poteſt petere reſtitutionem in integrum de indemnitate contra principalem etiam non condemnatum in ſententia ipſi fideiuſſori *l. fin. C. de vſu. res iud.* & condemnatus ad ſoluendum poteſt ſtatim agere contra principalem *Baldus in l. ſi pro ea in ſecunda col. verſ. ſexto quæro C. mandati Iaſon in auth. ſi qua mulier in 8. col. verſ. nota diligentèr C. de Sacroſ. Eccl.* & ratio naturalis eſt, quia qui ſoluit pro alio, debet ab eodem releuari, & qui propter alium damna paſſus eſt ab eodem in eiſdem compenſetur.

Baldus. Iaſon.

3 Potiſſimum ratio dubitandi in eo conſiſtit, an ius habeat ad exigendam ſortem, de qua re latè agit idem *Silueſter Zacchias loc. cit.*, & hoc ad eum finem ſe conſeruandi indemnem. Crediderim hanc actionem eidem non competere, quandòquidem officialis ſuſtineret onera ſocietatis ſine commodo capitalis, ſed tantum poſſe agere ad ſui indemnitatem, vel ad liberationem ab onere fideiuſſionis. Vide, quæ docuit idem Zacchias.

Zacch. *Non poteſt exigere ſortem.*

4 Hic pro complemento aduertendum eſt regularitèr in fauorem fideiuſſoris inductum eſſe, vt, cum repetit, habeat executionem paratam contra principalem *l. ſi eum & ibi Angelus C. de priuil. fiſc. Bartol. in l. fin. C. de vſur. rei iudicatæ, & in l. 1. §. fin. ff. qui ſatiſd. cog. quod non requiritur libellus, & in l. 1. ff. iudic. ſolut.* & hoc quidem congruè inductum eſt, vt facilius inueniatur, qui fideiubeant, & ne grauentur in eo, quod releuant.

Angelus. Bartolus.

§. XII.

An tranſlato toto commodo ſocietatis per ſocium in aliam perſonam ſocietas in eandem tranſeat, & an eius periculo ſtet capitale.

SVMMARIVM.

Facti series, & multiplex difficultas circà ipſam 1.
Non transfertur ſocietas per translationem commodorum 2.
Si vtriuſque contrahentis acceſſerit conſenſus, & eius, in quem transfertur acceptatio, intelligitur translata per nouationem 3.
Si ſocius perierit non facta nouatione diſſoluitur ſocietas, facta verò nouatione non diſſoluitur ſocietas, niſi pereunte ſubſtituto 4.
Si officialis non facta nouatione ſoluerit penſiones ſubſtituto poſt mortem ſocij poteſt eas repetere 5.

Diſqui-

1 DIſquiſitio XII. Inierant ſocietatem ſuper officio, quo gaudebat Andręas, idem Andræas cum Theodorico per ſolutionem ducentum aureorum, quos hic alteri nempè Andreæ officiali contulit. Sic contracta ſocietate idem Theodoricus totum fructum, & commodum ſocietatis tranſtulit in Calidonium. Hinc ſuborta fuit multiplex difficultas. Prima eſt, an per totalem talium fructuum translationem translata fuerit abſolutè ſocietas in eundem Calidonium. Secunda, an pereunte Theodorico, an verò Calidonio diſſoluatur ſocietas. Tertia in ſuppoſitione, quod Andræas ſoluerit fructus Calidonio ignorans mortem Theodorici poſſit iam ſolutum ab eodem Calidonio repetere.

Varij articuli examinandi.

2 Reſpondeo primò, per talem translationem commodorum ſocietatis factam per Theodoricum in Calidonium non eſſe in eundem translatam ſocietatem *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 16. verſ. quæres quid ſit dicendum*, qui tamèn ad probandum aſſertum adducit textum *in l. qui admittitur ff. pro ſocio*, qui tamen non facit ad rem; nam in dicto textu ſupponitur, quod alius per vnum ex ſocijs admittatur in participationem ſocietatis; hic autem ſupponitur, quod per ſocium totum ius, quod habet in ſe ipſo, transferatur in alium, adeò vt ipſe transferens nullum amplius ius habeat in ipſa. Probatur igitur alia via reſponſio; ſocietas eſt ex illis contractibus, qui ſolo conſenſu perficiuntur §. *vnico inſtit. de oblig. ex conſenſu, & l. nam cum tractatu 32 ff. pro ſocio*, ergo non poteſt in alium transferri, niſi accedente vtriuſque contrahentis conſenſu, ergo per ſolam translationem commodorum in alium factam per ſocium non transfertur ſocietas.

Azorius.

Societas non poteſt transferri, niſi accedente vtriuſque contrahentis conſenſu.

3 Hic oritur difficultas, an, ſi tàm ſocius, quam officialis conſentiant in talem translationem, adeò vt totum ius, quod erat in ſocio, transferatur in alium per ipſum nominatum, & ſocius ipſe eximatur à quocunque iure, & onere, & in locum illius cum pleno iure ſubſtitutus ille alius nominatus ſuccedat, an, inquam, in hac hypotheſi intelligatur translata ſocietas. Reſpondendum eſt, vtique intelligi translatam, ita tamen, vt non intelligatur eadem ſocietas, ſed nouata. Ratio primæ partis eſt, quia accedente nouo conſenſu ex parte vtriuſque contrahentis, & ſimul ex parte illius, qui ſubſtituitur in locum ſocij, non eſt, cur hic non poſſit induere perſonam ſocij, illumque exuere a quocunque iure, & onere in ordine ad talem ſocietatem, nam ſicuti mutuo conſenſu poteſt vterque ſocius deobligari a contractu, illumque diſſoluere *l. verum eſt 63. §. fin. & l. actione 65. §. diximus ff. pro ſocio reg. 1. de reg. iur. in 6. & l. nihil tam naturale ff. de reg. iuris* ita per ceſſionem iuris ſocij factam alteri accedente huius cum cedentis, & officialis conſenſu poteſt continuari cum ipſo remoto penitùs a quocunque iure, & onere ipſo ſocio, ſeù potius de nouo contrahi. Confirmatur, quia inita inter duos ſocietate, & altero eorum defuncto accedente hæredis defuncti conſenſu poteſt inter eundem hæredem, & alterum ſocium continuari ſocietas inita inter ipſum defunctum, & alterum ſocium per ea, quæ latè ſupra probauimus, ergo etiam inita inter duos ſocietate ſuper officio poterit per mutuum vtriuſque contrahentis conſenſum accedente etiam ſubſtituti conſenſu continuari inter hunc, & officialem remoto penitùs eodem ſocio, qui prius contraxerat. Ratio ſecundæ partis eſt, quia accedente nouo conſenſu, & interueniente noua perſona, in quam transfundatur ius, quod prius erat in vno ex contrahentibus, proprie fit nouatio prioris obligationis in poſteriorem *Gloſa in l. 1. verb. transfuſio ff. de nouat.* ſed per nouationem extinguitur prior contractus, & nouus inducitur *Surdus conſ. 145 Scipio ſub nu. 13. verſ. his vero, & verſ. quarto extant ſub num. 20. lib. 1. l. eleganter 23. ff. de pign. act.* ergo &c.

In hac hypotheſi proprie intelligitur nouatio, & translata ſocietas.

Argumentum à paritate deſumptum

Gloſa. Surdus.

Reſpondeo ſecundò, Pereunte Theodorico, & non facta nouatione modo, quo ſuprà diſſoluitur ſocietas, quantumuis commoda ſocietatis fuerint translata in Calidonium per eundem Theodoricum, facta verò nouatione iuxta modum prædictum non diſſoluitur pereunte eodem Theodorico, ſed dumtaxat pereunte Calidonio. Conſonat hæc reſponſio cum præcedenti, eamque ſuſtinet *Azorius* quoad primam partem *Inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 16. verſ. quæres quid ſit dicendum*. Ratio primę partis ex eo facilè deducitur, quià per talem translationem ſocietas adhuc perſeuerat in nomine eiuſdem Theodorici, nec per eandem Calidonius factus eſt ſocius, ergo pereunte Theodorico ipſo iure diſſoluitur ſocietas, ſiquidem pereunte ſocio ſocietas definit per ſuperius allegata. Ratio ſecundæ partis eſt, quia facta nouatione Theodoricus eximitur a quocunque iure, & onere in ordine ad talem ſocietatem, & quæcunque actio ſiuè actiua, ſiuè paſſiua transfunditur in perſonam ſubſtitutam, ergo pereunte Theodorico perinde eſt, ac ſi periret quæcunque perſona extranea, adeòque non eſt, cur debeat diſſolui ſocietas, pereunte verò Calidonio, vtpotè propriè ſocio in tali contractu omninò ſocietas diſſoluenda erit. 4

Azorius.

In primo caſu perſeuerat in nomine ſocij, in ſecundo in nomine ſubſtituti.

Reſpondeo tertiò, Si Andræas ſoluerit Calidonio ſemeſtres penſiones ignorans mortem ſecutam Theodorici, & non facta 5

fuerit

Digitized by Google

fuerit nouatio iuxtà modum præcedentem poteſt iuſtè ab eodem Calidonio repetere penſiones ſemeſtres per ſe ſolutas, aliaſque, ſi ipſas ſoluerit poſt mortem eiuſdem Theodorici. *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 16. verſ. quæres quid ſit dicendum in fin.*

Azorius.

Illi fructus non facta nouatione poſt mortem ſocij non debētur ſubſtituto.

Ratio eſt, quia ſecuta morte Theodorici, nullaque facta nouatione, ſeù delegatione intelligitur ipſo iure diſſoluta ſocietas per ea, quæ citatis iuribus, & Doctoribus diximus *ſub hoc eod. tit. Contract. VII. Prænot. 20. num. 6. verſ. 3. ſoluitur*, & Andræas lucratur capitale per eundem Theodoricum ſolutum, ergo illa poſita non ſunt ſoluendi fructus, adeòque ſi fuerint ignorantèr ſoluti, poterunt iuſtè repeti, cum nullum ſit ius illud retinendi.

Secus ſi facta fuerit nouatio.

Dixi, *& non facta fuerit nouatio*, nam ſi hæc intercesserit, cum perſeueret propriè ſocietas in Calidonio non eſt, cur eidem fructus non debeat parere, adeòque ſi fuerunt ſoluti, non erit, cur poſſint repeti, præcipuè cum mors Theodorici poſita nouatione impertinentèr ſe habeat ad talem ſocietatem perindè, ac ſi cum ipſo non fuiſſet contracta.

---

§. XIII.

An conſtituta ſocietate ſuper duobus officijs, quibus officialis gaudebat altero eorum vendito, intelligatur diſſoluta ſocietas.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ expoſitus 1.
Non ſuſtinetur pro toto, ſed pro parte ſocietas 2.
Incongrua probatio Azorij 3.
Fortior probatio aſſertionis 4.
Non approbata renuntiatione per Superiorem ſuſtinetur ſocietas ſuper vtroque officio 5.

1 Diſquiſitio XIII. Gaudebat duobus officijs Meuius, ſuper quibus conſtituit ſocietatem cum Caio acceptis ab eodem duobus mille aureis. His ſic conſtitutis alterum eorum officiorum per alienationem in tertiam perſonam tranſtulit. Quæſitum fuit, an per talem tranſlationem ſocietas fuerit diſſoluta.

Ratio dubitādi eſt, an ſuſtineatur ſaltem in parte.

Pro ſolutione recolenda ſunt ea, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Prænot. 20. num. 1.* nempè ſocietatem ſuſtineri in altero ex illis officijs vno vendito, ſeù alienato, ſi alterum ſit capax totius ſummæ per ſocium ſolutæ, non ſuſtineri verò, ſi officium, quod remanet penès officialem, non ſit capax totius ſummæ per eundem ſocium erogatæ. An verò in hac ſecunda hypotheſi ſuſtineatur ſaltem ſocietas pro parte, pro qua eſt capax officium, quod remanet, dictum etiam latè eſt in præcedentibus.

Non diutiùs in hac diſquiſitione immorandum, quandòquidem ex ibi allegatis ſatis, ſuperque conſtat quid ſit dicendum. 2
Solum nonnihil negotij faceſcit id, quod adducit *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 16. verſ. Rogabis itidem* ad probandum talem ſocietatem non diſſolui, ſed perſeuerare in officio, quod remanet. Allegat quippe textum *in l. ſi id quod ff. pro ſocio*, vbi ſic legitur *Cum tu tres equos haberes, & ego vnum, ſocietatem coiuimus, vt accepto equo meo quadrigam venderes, & ex pretio quartam mihi redderes. Si igitur ante venditionem equus meus mortuus ſit, non putare ſe Celſus ait ſocietatem valere nec ex pretio equorum tuorum partem deberi, nec enim habendæ quadrigæ, ſed vendendæ coitam eſſe ſocietatem. Cæterum ſi id actum dicatur, vt quadriga fieret, eaque communicaretur, tuque in ea tres partes haberes, ego quartam, non dubiè adhuc ſocij ſumus.* Sed quid inde? ego in hoc textu validam reſponſionis probationem non agnoſco. Fortè ex eo, quod dicitur, quod ſi actum fuerit, vt quadriga fieret, eaque communicaretur, & vnus haberet tres partes, & alter quartam perſeueret ſocietas etiam alterius equo mortuo ſubinfert, quod etiam vno officio vendito adhuc quoad alterum permanens ſocietas perſeueret? Ex hoc certè quid efficax non euincitur, nam diſpar omninò eſt ratio de ſocietate officiorum, ac de ſocietatibus in alijs rebus; nam ſocietas quoad officia ex genere ſuo perit pereunte officio, diminuta verò ſocietate in alijs rebus ſocietas perſeuerat, cum lucrum in eiſdem tantum exigi duntaxat poſſit, quantum reperitur finita ſocietate, lucrum verò, ſeù fructus in ſocietatibus officiorum percipitur anticipatè ad ſingulos ſemeſtres.

Azorius. 3

Textus adductus per Azorium non eſt ad rē.

Reijcitur ipſius cuiuſdā Azorij.

Fortior igitur ratio præſentis reſponſionis deduci debet ex ijs, quæ loco allegato adducta ſunt, quæ etiam non modicum commendauit *Rota Romana in vna Romana ſocietatis anno 1603. coram Card. Melino*, vbi in primis aſſerit, quod ſi officium, quod remanet ſit capax totius ſummæ ſuſtineatur ſocietas in ipſo quoad totum ſuum eſſe; deindè etiam concludit, quod ſi officium, quod remanet, non ſit capax totius ſummæ per ſocium collatæ non ſuſtineatur quoad totum; tandem concludit quoad hanc hypotheſim, quod ſuſtineatur quoad eam ſummam, cuius capax eſt officium, quod permanet penès eundem officialem. 4

Rot. Rō.

Hic oritur difficultas, an ſi officialis vnum ex duobus officijs, quæ poſſidet poſt

con-

Officialis non habet ius transferēdi officij ſine approbatione.

poſt contractam ſuper eiſdem ſocietatem cum eodem Caio renuntiet tertiæ cuidam perſonæ inconſulto Superiore, a quo accepit talia officia, vel non approbante eodem Superiore talem renuntiationem, ſocietas cum eodem Caio contracta ſuſtineatur ſuper vtroque officio, adeò vt, ſi officium, quod non fuit renuntiatum, non ſit capax totius ſummæ per eundem Caium collatæ,
5 adhuc quoad totam ſummam ſuſtineatur ſocietas in ordine etiam ad alterum officium renuntiatum, cum renuntiatio non fuerit admiſſa per eundem Superiorem. Dictum fuit *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Prænot. 20. num. 6. verſ. 2. ſoluitur ſocietas* diſſolui ſocietatem per translationem officij in alterium accedente Principis conſenſu, ergo eodem non accedente non diſſoluitur. Siluester *Zacchias loc. cit. nu. 291.* multa congerit ad hanc rem, quæ vos ipſi videre poteſtis. Mihi placet reſpondere ſocietatem in data hypotheſi ſuſtineri in vtroque officio, & extendi etiam ad officium renuntiatum. Ratio eſt, quia non approbante Principe, ad quem pertinet, non tenet renuntiatio, ergo remanet ſub dominio eius, apud quem erat ante renuntiationem. Antecedens patet, quia officialis non habet ius transferendi officium ſine auctoritate eius, cuius eſt dominium ſupremum, cæteroqui poſſet reddi non vacabile, cum poſſet ab vno ipſo inconſulto in alterum transferri, & ſic ſucceſſiuè.

Siluester Zacch.

DISQVISITIONES IV.

Ad reliquas omnes de Societate Prænotiones.

§. I.

An ſocius omnium bonorum poſſit vti re communi in proprium commodum ſine aliorum præiudicio, & quid ſi eandem vendiderit proprio nomine.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus controuerſiæ 1.
Suppoſita ad rem præſentem accommoda 2.
Poteſt ſocius omnium bonorum vti re communi in proprium commodum, dummodò vſus non cedat in damnum ſocietatis 3.
Argumentum deductum à paritate depoſiti 4.
Socius contrectans rem communem nomine proprio lucrum ſibi acquirit, debet tamen compenſare, & ſocietatis officio conferre 5.

Diſquiſitio I. Inita ſocietate omnium bonorum inter Caium, & Meuium Caius vſus eſt re communi, vt ſuum priuatum commodum augeret. Rurſùs eandem rem communem proprio nomine adminiſtrauit, ſeù vendidit. Quæritur iam primò, an iuſtè potuerit vti in proprium commodum. Secundò, an taliter adminiſtrando, ſeù vendendo proprio nomine ſibi dumtaxat acquiſierit lucrum, an verò communitati, & ad quid verſus eandem communitatem teneatur. 1

Status difficultatis.

Iuxta primum quæſitum ſuppono, quod vſus fuerit in proprium commodum non animo cælandi, nec fraudandi cæteros ſocios; hac etenim ratione dictum eſt ſupra, quod contrà eundem duplex competeret actio, altera pro ſocio, altera furtiua iuxtà textum *in l. rei communis ff. pro ſocio*, ſed bona fide, & ſine aliorum præiudicio. Iuxta ſecundum ſuppono, quod contrectauerit alijs ſocijs inſcijs, & non concurrentibus per proprium conſenſum. Quibus poſitis 2

Quomodo intelligatur quæſitum.

Reſpondeo primò, ſocium poſſe vti, ſeù potuiſſe vti re communi ad proprium commodum, dummodo talis vſus non cedat, ſeù ceſſerit in præiudicium eiuſdem ſocietatis. *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 17. verſ. ſexto quæritur*, hocque videtur probare arg. à contrario ſenſu deducto *ex d. l. rei communis ff. pro ſocio*, vbi dicitur contra eum ſocium poſſe agi actione furti, qui rem communem per fallaciam, doloue malo amouit, vel rem communem cælandi animo contrectauit, ergo ſi non per fallaciam, nec per dolum malum, ſed bona fide, & ſine aliorum præiudicio contrectarit, non tenebitur actione furtiua, nec actione pro ſocio paſſiua, cum nullum præiudicium ſocietati intulerit. 3

Azorius.

Argumentum à contrario ſenſu.

Probatur vlteriùs reſponſio paritate. Depoſitarius vtens re depoſita apud ſe in proprium commodum ſine læſione deponentis licitè vtitur, nec talis vſus eidem imputatur ad culpam *Baldus in l. 1. quæſt. 10. C. pro ſocio. Alexander in l. ſi non ſortem in fin. ff. de condict. indeb.*, ergo etiam ſocius vtens re communi in proprium commodum ſine læſione aliorum ſociorum licitè vtitur, nec talis vſus eidem imputabitur ad culpam. Conſequentia probatur, quia maius ius habet ſocius in re communi ſocietatis, quam depoſitarius in re apud ſe depoſita, quia ſocius habet ius ſaltem quoad partem in tali re communi, non ſic depoſitarius in re depoſita; propter quam rationem *Azorius loc. cit.* eximit ſocium etiam contrectantem rem communem per fallaciam, & dolum malum ab actione furti, quia ſaltem in foro conſcientiæ vtitur iure ſuo, cum habeat ius aliquod in tali re, ergo ſi ille poteſt vti ſine aliqua labe depoſi- 4

Baldus. Alexander.

Maius ius habet ſocius in rebus ſocietatis, quam depoſitarius in depoſito.

to, poterit hic etiam ſine vlla labe vti re communi.

Dices, diſparem eſſe rationem de depoſitario in re depoſita, ac de ſocio in re communi, ſiquidem ſocius ex vi contractus ſocietatis debet agere nomine communi, depoſitarius verò ſemper agit nomine proprio, ergo ſocius non poteſt rem communem contrectare in proprium commodum.

Socius aliquando non agit, vt ſocius.

Sed contra quia, vt infra videbimus, ſocius non ſemper agit formalitèr vt ſocius, ſed aliquandò, vt talis perſona eſt; quamuis igitur formalitèr vt ſocius teneatur agere nomine communi ſocietatis, non tamen vt talis perſona eſt, ſecundum quam conſiderationem poteſt agere nomine proprio, & in proprium commodum, dummodò talis actio non cedat in præiudicium aliorum ſociorum.

5 Reſpondeo ſecundò. Socius adminiſtrans, ſeù contrectans nomine proprio rem communem ſocietatis totum lucrum ſibi acquirit, debet tamen, ſi quod damnum inde ſecutum eſt ſocijs, illud compenſare, & item ſocietatis officio rem cõmunicare.

Bartolus. Siluester. Azorius.

Bartolus in l. ſi po∫ſus C. communia vtriuſque Iud. Silueſter in verb. peculium 2. quæſt. 17. & 18. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 17. verſ. ſeptimo quæritur, & ſeq. Colligitur potiſſimum hæc reſponſio quoad primam partem *ex l. ſi vnus ex ſocijs §. vnus ff. pro ſocio, & l. ſi quis ſocietatem ff. eod.* & vlterius ratione ſic euincitur, quia quod ex re communi acquiritur, non tamen nomine communi, ſed proprio non fit commune, ſed proprium

Iura apta ad intentum.

Bartholomæus Socinus. Baldus.

Bartholomæus Socinus in conſ. 93. incip. circà primum verb. aliquando, & tertio circà fin. prima parte Baldus in l. qui ex aliena C. ſi quis alteri, vel ſibi, & item in l. prima C. eod. & in l. ad probationem lat. 1. C. de probationibus, ergo ſocius contrectans rem communem nomine proprio, non communi totum lucrum ſibi acquirit.

Colligitur ſecundò quoad ſecundam partem *ex l. non ob eam, & l. & ideo ff. pro ſocio*, nec incongrua ſanè ratione, quia qui cauſa damni eſt reſpectu alterius ſic exigente iuſtitia commutatiua tenetur damnum illud compenſare, ergo, ſi ſocius per talem contrectationem rei communis nomine proprio damnum aliquod ſocietati contulerit, tenebitur illud eidem ſocietati reſarcire. Confirmatur, quia ſocius quoad bona ſocietatis ex ſuperius dictis tenetur non ſolum de dolo, & culpa lata, ſed etiam ex leui, ergo, ſi ex motiuo proprij commodi damnum aliquod ſocietati contulerit, tenebitur &c.

Supponitur per talem cõtrectationem cauſa damnorum.

Colligitur tertiò quoad tertiam partem *ex l. ſi quis ſocietatem ff. pro ſocio, & l. ſi paternus C. communia vtriuſq. Iud.* & quidem non incongrua ratione, tùm ob pænam talis contrectationis, tùm ob præſumptionem iuris, quod illa contrectatio ceſſerit in damnum eiuſdem ſocietatis, vel in fraudem eiuſdem facta fuerit.

---

§. II.

An ſubſiſtere poſſit ſocietas animalium, cum onere reſtituendi capitale integrum ad certum tempus, & diuidendi fructus inde prouenientes ad æqualitatem.

SVMMARIVM.

Exponitur factum, ſecundum quod contigit 1.

Quamuis periculum animalis transferatur in conductorem, ſeù ſocium non deſinit eſſe locatio, vel ſocietas 2.

Ex natura ſua ille contractus ſubſiſtit, ſi fructus, qui tribuuntur ſocio, vel conductori adæquent operas, & periculum 3.

Ille contractus non tranſit in mutuum, &, quare 4.

Paritas aromatarij locantis vaſa cum aromatibus cum onere certæ penſionis, & reſtitutionis integræ 5.

Disquiſitio II. Conuenerunt inter ſe Fabius, & Sirus colonus, vel titulo ſocietatis, vel fortè etiam locationis, vt ille conferret iſti vaccham vnam prægnantem noſtranam ſecundæ factionis eo adiecto onere, & conuentione, vt Sirus, vel tanquam conductor, vel tanquam ſocius in tali contractu teneretur in fine eiuſdem locationis, ſeù ſocietatis reſtituere aliam vaccham ſimilem eiuſdem factionis, ſeù vt vulgo dicitur *con il vitello alla coſcia*, & interim durante locatione, ſeù ſocietate diuidere fructus inter ſe, qui percipi potuerint ex eadem vaccha prægnante locata, ſeù tradita in ſocietatem, adiectoque etiam onere reſpectu eiuſdem Siri cuiuſcunque periculi etiam ex caſu fortuito; ſed quia poterat eſſe contentio in diuiſione fructuum conuenerunt, vt, pro omni eo, quod in ordine ad fructus pertinere poterat ad eundem Fabium, Sirus eidem conferret in ſingulos annos durante ſocietate, ſeù locatione vndecim libras imperiales, & ipſe gauderet omnibus fructubus. Excitata eſt controuerſia, an huiuſmodi conuentio licita eſſet, an verò illicita. Pro ſolutione 1

Factum expreſſum in particularibus terminis.

Aduerte primò, huiuſmodi contractum non egredi naturam locationis, ſeù ſocietatis ex eo, quod periculum rei locatæ, ſeù traditæ in ſocietatem tranſeat in conductorem, & ſocium, quamuis ex natura 2

loca-

Per aſſecurationē non deſinit eſſe locatio, vel ſocietas. Lugus. Nauarrus. Azorius.

locationis, & ſocietatis debere manere, videatur penès locatorem, ſeù ſocium illam conferentem, vt bene notat *Lugus de iuſt. & iure diſp. 29. ſect. 5. num. 73. verſ. dubitatur tertio. Nauarrus de vſuris num. 35. & ſeqq. Azorius inſtitutio. mor. part. 3. lib. 8. cap. 11. de locatione quæſt. 7.* & nos etiam ſuprà commendauimus, ſi certæ obſeruentur conditiones; non enim pactum illud in conductore ſuſcipiendi in ſe illud periculum eſt contrà, ſed præter naturam locationis, & ſocietatis, quod etiam valdè commendauit *Vallerus in differentijs vtriuſque fori verb. vſura diſ. 3. num. 9. Caualcanus part. ſecunda deciſ. 13. num. 66.*

Vallerus. Caualcanus.

Illud onus eſt contrà iuſtitiam contractus, niſi compenſetur. Nauarrus.

Aduerte ſecundò, quod quamuis illud periculum tranſlatum in locatorem, ſeù ſocium recipientem non ſit contra naturam contractus, poſſit tamen eſſe contra iuſtitiam, ſi eidem tale periculum, ſeù onus eiuſdem imponatur ſine debita compenſatione, cum de natura huiuſmodi contractuum non ſit, vt conductor, vel ſocius ſubeat tale periculum *Nauarrus in manual. cap. 17. num. 179.* & probat per locum *in l. & ſi in §. quæſitum ff. ſi quis caut. & in cap. 1. de commodato.* Quamobrem ad conſtituendam æqualitatem requiſitam ad iuſtitiam contractus opus eſt, vt penſio, ſeù fructus cum proportione diminuantur, adeò vt, ſicuti maius onus ſubit conductor ſuſcipiendo in ſe illud periculum, maius emolumentum, ſeù vtilitatem ſortiatur minus ſoluendo de penſione, ſeù fructibus quam exigeret ipſe contractus *Silueſter verb. ſocietas 2. in fin. quæſt. 7. Lugus qui ſuprà nu. 77.* Quibus pro notitia ſuppoſitis

Silueſter. Lugus.

3 Reſpondeo ex natura ſua contractum illum ſubſiſtere, ſi fructus, qui reſeruantur conductori, ſeù ſocio recipienti tales ſint, vt compenſent eiuſdem operas, & vlterius illud periculum, quod aſſumit *Lugus d. diſp. 29. ſect. 5. num. 73. & 77. Silueſter verb. ſocietas 2. in fin. 7. quæſt.* Ratio eſſe poteſt primò, quia in tali contractu nulla eſt conditio, quæ aduerſetur naturæ eiuſdem contractus, ſiuè ſumatur in vim locationis, ſiuè in vim ſocietatis, & ſeruatur omnimoda æqualitas requiſita ad iuſtitiam commutatiuam, ergo non eſt, cur non poſſit ſubſiſtere. Antecedens quoad primam partem probatur, quia ex ſuperius dictis illa conditio aſſecurationis non eſt contrà, ſed præter naturam contractus, ergo, quia non eſt contra, illum non deſtruit, quia eſt præter, poteſt per contrahentes expreſsè conſentientes apponi *Caualcanus part. 2. deciſ. 13. num. 66.*; quoad ſecundum verò etiam ſic euincitur, quia quantumuis conductor, ſeù ſocius recipiens ſubeat onus pretio ſecundum ſe æſtimabile, quod ex natura contractus non tenetur ſubire, compenſatur tamen in illo onere per maiorem fructuum reſeruationem.

Lugus. Silueſter.

Conditio aſſecurationis non eſt cōtrà, ſed præter naturam cōtractus. Caualcanus.

4 Ratio eſſe poteſt ſecundò, quià ille contractus non eſt propriè mutuum, nec propriè venditio, qui contractus vitiantur per exactionem fructuum reſpectu mutuantis, & vendentis, ſed contractus ſecundum ſe fructiferi, ergo iſti ſecundum illam conditionem, vt fructus pariant conferenti, quantumuis imponatur onus aſſecurationis recipienti, erunt validi, & liciti. Antecedens quoad primam partem probatur, quia vaccha non tranſit in dominium conductoris, ſeù ſocij recipientis, nec poteſt eſſe vſura, quia datur res fructifera, cuius vſus eſt pretio ſecundum ſe æſtimabilis per ea, quæ notat *Lugus d. diſp. 29. num. 75.* quoad ſecundam verò ſic euincitur, quia ſi eſſet venditio, non poſſet amplius ab emptore exigi penſio, ſeù fructus pro vſu illius ſine labe vſuræ, ſiquidem exigeret pro vſu rei non ſuæ, atque ideò illud eſſet lucrum pro pretio nondum ſoluto, quod manifeſtam redolet vſuram.

Lugus.

Dices primò, vſuram, ſeù iniuſtitiam in caſu, in quo procedit reſponſio, in eo conſiſtere, quod, ſi intra tempus locationis, ſeù ſocietatis vaccha illa depereat, ſeù deterioretur, adhuc conductor, ſeù ſocius recipiens ex vi illius tenetur penſionem, ſeù fructus conuentos retribuere locatori, ſeù ſocio conferenti, quod certè redolet prauitatem, cum exigantur fructus rei, quæ non eſt. Sed contra, quià licet vaccha, quæ locatur, per mortem deſinat eſſe, ſubrogari tamen debet altera, quæ immediatè tranſit in dominium locatoris, ſeù ſocij, qui illam contulit, adeòque dici non poteſt, quod exigantur fructus rei, quæ non eſt; quod ſi conductor, vel ſocius recipiens aliam vaccham non ſubrogat, adhuc in pœnam talis tranſgreſſionis tenetur fructus conuentos retribuere, ne culpa ipſius noceat innocenti.

Subrogatur alia vaccha, & quæ immediatè tranſit in dominium cōferentis.

Dices ſecundò, contractum illum induere naturam mutui propter onus eidem annexum non reſtituendi ampliùs rem eandem numero, ſed aliam ſimilem, ſeù eiuſdem qualitatis, & perfectionis, quinimmò cum adiectum fuerit, vt reſtituatur poſt tempus conuentum vaccha eiuſdem factionis ex conſequenti neceſſariò ſequitur, quod eadem non poſſit reſtitui, cum poſt tale tempus non poſſit amplius eſſe eiuſdem factionis, adeoque quod ipſa tranſierit in dominium conductoris, ſeù ſocij recipientis. Sed contra, quia ad rationem mutui non ſufficit, quod debeat alia res ſimilis reddi, ſed debet res mutuata ipſo iure tranſire in dominium mutuatarij, quod non euenit in caſu, de quo loquimur, quandòquidem vaccha remanet in dominio locato-

Nō eſt propriè mutuū quià res illa nō tranſit in dominiū mutuatarij.

catoris, ſeu conferentis. Deindè, vt docet *Molina tract. 2. de iuſt. & iure diſp. 503.* contractus, quo quis locet gregem ad vſum, & fructum ex eo percipiendum eo pacto, vt conductor teneatur numerum integrum ouium conſeruare ſubrogatis alijs in defectum morientium, non tranſit in mutuum, quantumuis eædem oues non reſtituentur, quia grex, qui locatur, ſemper perſeuerat idem moralitèr loquendo, & ſemper manet ſub dominio locatoris, ita contractus &c. Tandem quantumuis in ſocietate res, quæ per ſocium conferuntur, & ſunt reſtituendæ per recipientem, non perſeuerent eædem formaliter, tamen non deſinit eſſe ſocietas, nec contractus tranſit in mutuum, ergo &c. Neque ex eo, quod teneatur locator, ſeù ſocius reſtituere finita locatione, ſeù ſocietate aliam vaccham ſimilis factionis ſequitur, quod prima vaccha collata deſierit à dominio locatoris, ſeù conferentis, ſicuti ex eo, quod res æſtimata conferatur in ſocietatem, ad eum finem, vt reſtituatur ſecundum eundem valorem, non ſequitur, quod res illa deſierit à dominio conferentis per ea, quæ ſupra commendauimus, & docet *Lugus d. diſp. 29. ſect. 5. num. 71.*

Molina.

Ad magis confirmandam reſponſionem multum facit id, quod refert *Caualcanus part. 2. conſ. 118.* deciſum fuiſſe Papiæ, & Mediolani in caſu aromatarij, qui locauerat omnia vaſa cum aromatibus æſtimata initio locationis cum conditione in conductore aſſumendi omnia pericula, & reſtituendi in fine eadem ſecundum eandem æſtimationem, & ſoluendi quotannis decem pro ſingulo centenario, nempe talem contractum licitum eſſe, & ſubſiſtere in vim locationis, ergo à ſimili licitus erit contractus &c. eum omnia currant æquo pede.

Caſus aromatarij locantis vaſa, & aromata ſub certa annua penſione cum onere integra reſtituendi.

Tota igitur difficultas reducitur ad iuſtificandum factum, an ſcilicet ſeruetur proportionata æqualitas, adeò vt attento illo periculo, quod aſſumit conductor, ſeù ſocius, & operibus, quæ impendit comparatiuè ad illum contractum per illos fructus, qui eidem relinquuntur, ipſe adæquetur. Qua in re in caſu particulari propoſito non facile acquieſcerem. Ratio eſt, quia locator videtur tantum exigere à conductore cum appoſitione conditionis periculorum, & pacto reſtituendi ſecundum eandem æſtimationem &c. quantum exigi poteſt in tali contractu præciſis illis conditionibus, & pactis ſpectata præciſè natura contractus, ergo non ſaluatur æqualitas requiſita ad naturam contractus. Antecedens patet facta comparatione expenſarum, laboris, manutentionis vacchæ cum fructibus, qui exiguntur iuxta examen factum per peritos in hac arte, cui ſtandum eſt, præterquamquod, ſi verum eſt, quod per fide dignos mihi nuntiatum eſt communitèr in hac regione per locationem Vacchæ tantum regularitèr exigitur à locatore ſine illis conditionibus. Conſequentia tenet, quia illud onus ſuſcipiendi illud periculum eſt aliquod pretio æſtimabile reſpectu conductoris, ergo ad compenſandum illud onus quid magis requiritur. Vlterius non immoror, quia hoc conſiſtit in facto.

Debet factum iuſtificari, & attendo, an in caſibus particularibus ſit æqualitas

---

§. III.

An ſit licita ſocietas, qua quis dat bouem nutriendum ad annum cum pacto, vt reddito valore conferenti reliquum diuidatur.

SVMMARIVM.

Exponitur in quo conſiſtat factum 1.
Exponitur aliud factum ſimile, in quo concluſum eſt pro iniuſtitia 2.
Non eſt tamen iniuſtus contractus, de quo hic eſt ſermo, ſi accipiens non obligetur ad ſupplendum, ſi animal deterioretur in valore ſine ſua culpa 3.
Aſſignatur ratio, cur hic ſit iuſtus, non ille, de quo ſuprà 4.

Diſquiſitio III. Contulit quis bouem titulo ſocietatis nutriendum per annum ea poſita conditione, vt elapſo anno bos ille vendatur, & ex pretio eiuſdem prius ſoluatur conferens pro boue collato ad valorem, quem habebat, quandò primò fuit collatus, reliquum verò conferatur, ſeù diuidatur inter conferentem, & recipientem, quod ſi potius bos in valore decreuerit, totum id, quod ex ipſo in venditione percipitur, conferatur ei, qui ipſum contulit. Orta hinc eſt controuerſia, an talis ſocietas in iure ſubſiſtat. 1

Caſus in particulari.

Hæc difficultas coincidit aliqualitèr cum illa, quæ examinata fuit *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Prænot. 26. aſſert. 6. nu. 11.* vbi quæſitum fuit, an licitum ſit pactum, quo dans animal æſtimatum cum foetu conuenit, vt ex primis fructibus ſibi ſatiſfiat pro capitali, reliquum æqualitèr diuidatur, & concluſum fuit pro iniuſtitia contractus. Silueſter qui *verb. ſocietas 2. quæſt. 7. verſ. prima ſi dans det accipienti* approbat contractum, de quo eſt ſermo in præſenti diſquiſitione, *eod. verb. ead. quæſt. 7. verſ. quinta ſi dans det vaccham &c.* reprobat tanquam illicitum contractum, de quo actum eſt *d. Prænot. 26. aſſert. 6. num. 11.* ſed 2

Refertur aliud factum, in quo concluſum eſt pro iniuſtitia

fun-

fundamentum diuerſitatis non aſſignat; aſſerit enim ſolum in hoc contractu, quem reprobat, quod æqua non eſſet vtriuſque contrahentis conditio, nam, ſi ſoluto capitali ex primis foetibus omnia perirent, accipiens perderet expenſas, & operas. Sed ſi ego aſſererem, quod hoc æque poſſet euenire in caſu, de quo hic loquimur, & locutus eſt idem *Siluester loc. cit. in verſ. prima ſi dans det accipienti*, nam ſi tempore ſolutionis contractus bos tanti ſolummodò poſſet vendi, quanti valebat capitale tempore collationis quid reſponderet idem Silueſter? Tunc certè totum id eſſet tribuendum conferenti, & per conſequens accipiens perderet operas, & expenſas.

Silueſter ſibi parū conſtans videtur in hoc caſu, & quare.

3 Reſpondeo tamen, licitum eſſe contractum, de quo hic loquimur, dummodò accipiens non obligetur ei, à quo accepit, in aliquo ſupplere, ſi bos venderetur minus, quam fuerit emptus, & ſine pacto, quod capitale ſit ſaluum, quantumuis ſit illicitus contractus, de quo loc. ſupra cit. egimus *ArchiDiaconus* relatus ab eodem *Silueſtro verb. ſocietas 2. quaſt. 7. in principio*. Ratio eſt, quià non illicita eſt ſocietas, per quam quis confert capitale alteri impendenti dumtaxat operam, & induſtriam ea conditione, vt ſi nihil fuerit acquiſitum, & remanſerit ſolum capitale in ſocietatem collatum hoc reſtituatur conferenti, quantumuis alter nihil lucraretur, & amitteret operam, & induſtriam per ea, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Pranot. 15. aſſert. 1. nu. 2.* & docent *Abbas conſ. 77. col. 2. D. Thomas ſecunda ſecunda quaſt. 78. art. 2. ad quintum Sotus lib. 6. de iuſt. quaſt. 6. art. 1. in fin. Lapus alleg. 94. num. 3. Nauarrus in Enchir. cap. 17. num. 353. Angelus verb. ſocietas §. 17.* ergo etiam erit licita ſocietas, qua confertur bos ad annum nutriendum cum conditione, vt ex ipſo vendito prius conferatur capitale Domino conferenti, reliquum inter ſocios diuidatur, & ſi non pluris vendatur, quam valeret tempore collationis, totum tribuatur conferenti.

Arcidiaconus. Silueſter.

Abbas. D. Thomas. Sotus. Lapus. Nauarrus. Angelus.

4 Dices, hoc idem euenire in caſu reprobato per eundem *Silueſtrum verſ. quinta ſi dans det*, & a nobis *dicta Pranot 26. aſſert. 6. num. 11.* quandòquidem ibi etiam capitale redditur conferenti, & ſi quid remanet, diuiditur, & ſi nihil remanet, æquè accipiens amittat operam, & induſtriam, ac amittet in hypotheſi, de qua hic loquimur, ergo &c. Sed contrà primò, quia in caſu, in quo procedit hæc inſtantia, conferens animal æſtimatum cum foetu adiecta conditione, vt de primis foetibus ſatisfiat, minus exponit periculo ſuum capitale, quam in caſu præſentis diſquiſitionis, quandòquidem ante diſſolutionem contractus debet pro illo recipere primos foetus, vndè pro tempore ſubſequenti certus de capitali ſolum exponit periculo id, quod inde ſperatur; in hoc autem caſu, cum ante diſſolutionem contractus capitale non ſit reſtituendum, maiori vtique periculo exponitur, adeòque non currit paritas; ſecundò in caſu inſtantiæ illicita eſt ſocietas, quia id, quod ex natura contractus deberet cedere in commune commodum ſocietatis, nempe foetus primò reſultantes, eſſet refundendum in commodum priuatum conferentis; in caſu autem, de quo hic loquimur, ſolum id, quod eſt conferentis eſt eidem conferendum per ea, quæ notauimus *ſub hoc eod. tit. ead. Pranot. 26. aſſert. 6. num. 11. verſ. dices primo*.

Maius eſt periculū in hoc caſu, quam in illo.

Aliud diſcrimē, valde notabile.

Licitus igitur eſt contractus in caſu, de quo hic loquimur, non ille, de quo in caſu præcedenti, quia in hoc conferens vſque ad diſſolutionem contractus exponit periculo ſuum capitale, non ſic in illo, cum ex primis foetibus velit ſatisfieri. Deindè in hoc non recipit, niſi id, quod ſuum eſt; in illo, quod ex natura contractus eſt commune ſocijs; Neque obeſſe poteſt, quod in vtroque ſocius, qui recipit animalia, ſubiaceat periculo amiſſionis laborum, operarum, & induſtriæ; non, inquam, obeſſe poteſt, quia ſi in hoc caſu ipſe exponit periculo operas, & induſtriam ſuam, etiam ſocius conferens exponit periculo ſuum capitale vſque ad diſſolutionem contractus, quod eſt ſufficiens ad iuſtificandum contractum, quod non militat in alio caſu, in quo conferens ſe primò reddit cautum in foetibus, & eſt moralitèr certus de ſuo capitali, adeòque per periculum illarum in primo caſu non læditur iuſtitia, læditur verò per periculum illarum in ſecundo, quia non eſt æquale periculum in altero ſocio, ratione cuius iuſtificetur periculum impendentis operam, & induſtriam. Quod ſi vlteriùs vrgeas, quod etiam in caſu præſentis diſquiſitionis non ſit æqualis contrahentium conditio, quandòquidem in diſſolutione contractus ſocius conferens animal æſtimatum, illud recipit, ſocius verò impendens operas, nihil recipiat, nihil euincis, quandòquidem hæc eſt natura contractus, vt ex eo, quod remanet prius ſatisfiat pro capitali, præcipuè ſi id, quod remanet, ſit illud idem, quod pro capitali collatum eſt, vt euenit in hoc caſu. Vide quæ diximus *ſub hoc eod. tit. Pranot. 15. aſſert. 1. num. 2.*

Videtur æquale periculū accipientis, & conferentis.

Inſtantia, eiuſque ſolutio.

§. IV.

§. IV.

Quomodo facienda ſit diuiſio animalis dati, vt melius reddatur.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus difficultatis, & notabilia 1.

Si fuerit adiectum pactum, quod animal eſſet commune tàm quoad ſortem, quàm quoad periculum, & lucra, diuiſio eſt æqualitèr facienda quoad omnia 2.

Si non fuerit adiectum tale pactum non veniet diuiſio æſtimationis animalis, ſed tantum lucri 3.

Si nullum fuerit adiectum pactum de diuiſione capitalis, & de periculo, & animal fuerit potius factum deterius, quam melius totum eſt reddendum conferenti 4.

Si adiectum fuerit pactum de æquali periculo eſt diuidendum. Ibid.

1 DIſquiſitio IV. Dederat Titius Caio quoddam animal cuſtodiendum, nutriendum, & augendum ad certum, & determinatum tempus, vt poſtea in diſſolutione contractus ſecundum leges ſocietatis diuideretur inter ipſos. Adueniente tempore diſſolutionis contractus excitata fuit controuerſia, an æqua deberet fieri diuiſio, tam quoad animal collatum per Titium, quam quoad fructus, & lucra eiuſdem, an verò ſolummodò quoad fructus, & lucra; ſecundò ex ſuppoſitione, quod animal non fuerit pro illo tempore factum melius, an totum ſit reſtituendum Titio, an verò diuidendum inter vtrumque ſocium.

Ad hanc controuerſiam dirimendam, ſpectandum eſt, an in tali collatione animalis facta per Titium Caio interceſſerit aliquod pactum, vt illud eſſet commune vtrique ſocio, adeò vt vterque non ſolum communicaret in lucris, ſed etiam in damnis, & periculis, an verò nullum interceſſerit pactum, ſed facta fuerit præcisè collatiu ſecundum communes regulas ſocietatis; ex diuerſa etenim huiuſmodi acceptione diuerſa oriri poteſt iuris ratio, diuerſaque cauſa decidendi.

Videndum eſt, an interceſſerit aliquod pactum, & quod nam.

2 Reſpondeo primò, ſi tali collationi fuerit adiectum pactum, quod animal eſſet commune tam quoad ſe, quam quoad lucrum, & item quoad damna, & pericula iuſte in diuiſione contractus venit diuiſio tam quoad ipſum, quam quoad fructus, & lucra *Azorius inſtit mor. part. 3. lib. 9. cap. 7. verſ. quares itidem. Molina de contractibus diſp. 420.*, & conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt ſub hoc tod. tit. *Contractus VII. Præn. 26. aſſert. 5. num.* 10. Ratio eſt, quià huiuſmodi pacta non ſunt contra naturam ſocietatis, ſed præter, quæ propterea poſſunt ex contrahentium conſenſu adijci, quandò non demunt æqualitatem requiſitam ad iuſtitiam contractus; ſed in data hypotheſi per huiuſmodi pactum nulla induceretur inæqualitas, ergo &c. Minor probatur, quia periculum eſt æquale reſpectu vtriuſque etiam in ordine ad animal collatum, & ſi ſocius, qui accipit, grauatur in parte periculi quoad illud animal, releuatur in proportionata ſpe commodi in diuiſione illius, & fructuum, ſi non pereat.

Azorius. Molina.

Hæc pacta non ſunt contrà, ſed præter naturã contractus.

Dices, in hoc grauari ſocium recipientem, quod tenetur ſuſtinere in parte periculum rei alienæ, cum ipſe non ſit dominus, & dominium remaneat penès conferentem. Sed contra primò, quia quamuis ſocius conferens non abdicet a ſe dominium rei collatæ, facit tamen alterum, cui confert ex æquo, dominum eiuſdem rei, adeòque non eſt mirum, quod ſi conſtituitur particeps iuris, ſeu dominij, conſtituatur etiam particeps periculi per ea, quæ notauit *Azorius d. cap. 7. verſ. quares itidem.* Deindè ſi eſt grauamen in periculo, eſt releuatio in proportionata ſpe lucri, & diuiſionis futuræ.

Conferens facit alterum ex æquo dominũ rei collatæ.

Azorius.

Dices iterum, eſſe inæqualitatem in eo, quod ſocius conferens animal exponit periculo ſolum medietatem eiuſdem, recipiens verò, & medietatem, & vlterius omnem ſuam operam, & induſtriam. Sed contrà, quia in hoc non eſt inæqualitas vlla, nam labor, & induſtria ſunt in ordine ad lucrum, ſeu ad ſpem lucri futuri, vndè ſi nullum lucrum euenerit, ſicuti ipſe nihil conſequeretur, ita nec ſocius, qui animal contulit, & ſic quoad hoc eſt paritas, illud verò periculum, quod ſubit quoad medietatem, compenſatur cum ſpe acquiſitionis medietatis quoad illud animal, ſi perſeuerauerit, & ſic in ordine ad res, & operas nulla eſt inæqualitas, vt per ſe patet; in ordine verò ad perſonam conferentis etiam inæqualitas non eſt, ſiquidem, ſi ſocius recipiens impendit operas, & vlterius ſubit medietatem periculi quoad ſortem, conferens ſubit etiam periculum quoad alteram medietatem, & loco operarum, quas alius confert, ipſe conſtituit ex æquo impendentem tales operas, & induſtriam in dominio ſuæ rei propriæ, quod eſt pretio ſecundum ſe æſtimabile, ad quod non tenebatur; atque in hoc conſentit *Michael Salonius de contractu ſocietatis art. 5. num. 2. verſ. 2. modo poteſt*. Dici etiam poteſt cum *Molina diſp. 420. verſ. quandò autem* in hac hypotheſi talis pacti æſtimationem operarum, & induſtriæ conficere integrum capi-

Oſtenditur nullã eſſe inæqualitatem.

Salonius

Molina.

Cōſtitui tur vnā capitale ex collato, & operibus.

capitale cum animali, quod factum eſt commune, ſicque omnia, etiam capitale eſſe diuidenda ad æqualitatem, ſi æſtimatio operarum, & induſtriæ adæquet capitale per alterum collatum, vel ad ratam, ſi non adæquet.

3 Reſpondeo ſecundò. Si tali collationi nullum fuerit adiectum pactum, quod animal collatum tam quoad lucrum, quam quoad periculum, & damnum fuerit commune, in diuiſione contractus non venit diuiſio æſtimationis eiuſdem animalis, ſed duntaxat lucri inde ſecuti *Molina d. diſp. 420. verſ. quando autem. Michael Salonius loc. cit. art. 5. num. 2. verſ. 2. modo. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 7. verſ. quæres itidem*. Ratio huius aſſertionis deducitur ex generali regula ſuperius allegata *ſub hoc com. tit. Contractus VII. Prænot. 15. aſſert. 1. num. 2.* ſecundum quam, cum capitale remaneat quoad dominium penès eum, qui illud contulit, eidem reſtituendum eſt, vt *tot. tit. pro ſocio, & tit. famil. erciſ. & de communi diuidundo*, quod confirmari poteſt ex eo, quod, ſi illud capitale depereat, pereat eidem conferenti, non verò ſocio recipienti, niſi perierit ex ipſius culpa, ergo hoc idem dicendum eſt, quandò aliud non fuerit conuentum quoad animal in ſocietate collatum.

Molina. Salonius. Azorius.

Deducitur ex generali regula.

4 Reſpondeo tertiò, ſi nullum fuerit adiectum pactum de communione capitalis tam quoad ſe, quam quoad lucrum, & capitale non fuerit factum melius, totum reſtituendum eſt Domino conferenti, ſi vero fuerit adiectum tale pactum, & capitale non fuerit factum melius, tunc eſt diuidendum, niſi quod non fuerit factum melius, prouenerit ex culpa recipientis. Quoad primam partem clarè deducitur ex prædictis, & vlterius euincitur *ex l. 1. ff. de condict. cauſa data, & cauſa non ſecuta*, vbi dicitur, *quod datum eſt ex cauſa, ea non ſecuta reſtituitur*, & ita ſentit *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9 cap. 7. verſ. nono quæritur*. Quoad ſecundam etiam euidenter, & directè euincitur ex præcedentibus; ſolum aliquid dubij remanet ex eo, quod adhuc ſtante tali pacto videtur ceſſare ratio diuiſionis quoad idem capitale, cum datum fuerit ex cauſa meliorationis, quæ cauſa ſecuta non eſt; Nihilominus, cum in omnem euentum non prouenientem ex ſua culpa ſocius recipiens ſe obligauerit ad damna, & pericula ex æquo, non eſt, cur, ſi ſine ſua culpa cauſa, ob quam illud, vel datum eſt non fuerit ſecuta ratione, & in compenſationem talis periculi per ſe aſſumpti non debeat aſſequi commodum diuiſionis.

Quomodo ſit diuidendum, quando animal non eſt factum melius.

§. V.

An ſit iniquum pactum in ſocietate animalium, vt quot perierint, tot ſemper ex communibus foetibus ſubrogentur, & reliqua diuidantur.

SVMMARIVM.

Exponitur caſus particularis huius controuerſiæ 1.

In tali pacto nulla interuenit vſura propriè ſumpta 2.

Inducit tamen aliquam iniuſtitiam 3.

Eſſet tamen licitum pactum, vt ex primis foetibus oues deperditæ repararentur, & ſubrogatæ eſſent communes, & fructificarent ſocietati 4.

Diſquiſitio V. Titius dedit in ſocietatem Caio centum oues ea adiecta conditione, vt, ſi quæ ex illis perierint, totidem reſtaurentur ex foetibus, adeò vt centum oues per Titium collatæ durante ſocietate debeant conſeruari, & reliquæ diuidantur inter ſocios. Circa factum propoſitum duplex emanat articulus examinandus. Primus, an in tali pacto aliqua interueniat vſura. Secundus, an ſaltem aliqua iniuſtitia. 1

Refertur factum, de quo agitur.

Reſpondeo primò, in tali ſocietate cum tali pacto nullam propriè interuenire vſuram *Syluester in verb. ſocietas 2. quæſt. 9. §. 2. Angelus eod. verb. num. 2. Azorius inſtit. moralium part. 3. lib. 9. cap. 7. verſ. duodecimo quæritur*. Ratio eſt, quia in tali contractu cum tali pacto nullum propriè interuenit mutuum, nec formale, nec virtuale, ergo nec propriè vſura, quia eſt vſura duntaxat ex mutuo, ſiuè formali, ſiuè virtuali per ea, quæ diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris ſparſim per totum*. Antecedens probatur, quia in tali contractu non transfertur propriè dominium rei collatæ in recipientem, quinimmò nec periculum eiuſdem, nam ſi omnes perierint, recipiens ad nihil obligatur verſus conferentem, ergo nullum interuenit mutuum nec formale, nec virtuale, quandòquidem per mutuum proprie transfertur dominium rei mutuatæ in mutuatarium. 2

Azorius.

Nullum eſt mutuū nec formale, nec virtuale.

Dices, periculum ſaltèm in parte transferri in recipientem, ex quo poteſt argui dominium ſaltem partialiter transferri in recipientem, quod ſic euincitur, nam ex eo, quod ex foetibus communibus ſint reparandæ ex vi conuentionis oues deperditæ, ſequitur, quod periculum primarum ouium ſtet pro parte in perſona recipien-

pientis, cum debeant compenſari per id, in quod ex natura contractus habeat partiale ius, qua ratione diximus ſuperiùs non poſſe obligari ſocium recipientem ad ſatisfaciendum conferenti pro capitali in primis foetibus, quia hi ex natura contractus ſunt communes vtrique. Sed contra primò, quia quamuis admitteremus periculum partialitèr transferri in recipientem, non propterea ſequeretur dominium partiale in ipſum transferri, nam per ſuperius dicta res poteſt per alterum aſſecurari, quantumuis per aſſecurantem non acquiratur dominium eiuſdem rei. Secundò recipiens non reſtauraret res deperditas per res proprias, ſed per communes vtrique ſocio, quod ſi dixerimus ſupra, non poſſe obligari ſocium recipientem ad ſatisfaciendum conferenti pro capitali in primis foetibus, id diximus attenta præcisè natura contractus, eiuſque iuſtitia ratione pacti obligantis, non ratione dominij in ſocium recipientem translati, adeòque neque intuitu alicuius vſuræ propriè ſumptæ, de quo hic eſt ſermo.

Excluditur vitium nonnullorum volentium eſſe dominium ſocio partiale.

3 Reſpondeo ſecundò, ſocietatem cum tali pacto initam, quantumuis propriè non inducat vſuram, inducere tamen ſecundum ſe aliquam iniuſtitiam *Vldericus, & Ioannes de Lignano apud Silueſtrum verb. ſocietas 2. quæſt. 9. §. 2. Angelus, & Tabenſis verb. vſura num. 3. ad fin.* Ratio ex eo deducitur, quod dictum fuit ſupra *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Prænot. 26. aſſert. 6. num. 11.* nempè illicitum eſſe pactum, quo conferens capitale ouium, ſeù animalium debeat ſatisfieri pro eodem capitali in primis foetibus, deindè quod reliquum eſt, diuidi, ergo etiam illicitum erit pactum, quo conferens capitale ouium obligat recipientem ad reſtaurandum ex foetibus ſucceſiuè oues deperditas, ita vt oues ſic ſucceſiuè reſtauratæ ad finem ſocietatis debeant remanere conferentis. Conſequentia probatur, quia ideò in priori caſu illicitum eſt pactum, quia plus oneris cogeretur ſuſtinere recipiens conferendo de communi ad commodum proprium conferentis, & ſæpius ſuum laborem, & operam amittendo per ea, quæ loc. cit. dicta ſunt, ſed hoc idem eueniret in caſu, de quo hic loquimur, ergo &c.

Vlderic. Ioannes de Lign. Silueſter. Angelus.

Aſſignatur, in quo conſiſtat talis iniuſtitia

Dices, non idem euenire, quandòquidem in primo caſu oues in conferentem translatæ in ſatisfactionem ſortis non cederent in communem vtilitatem, cum illi dumtaxat fructificarent, in hoc autem caſu, cum ſubrogarentur loco deperditarum fructificarent communicati. Sed contra, quia quantumuis ex hoc capite iniuſtitia quoad hoc caput maior inferatur in primo caſu, quæ non infertur in ſecundo, non tollitur tamen, quin etiam in hoc ſecundo non ſit aliqua iniuſtitia, quæ conſiſtit in eo, quod ſocius recipiens teneatur ex re ſibi ſaltem partialitèr acquiſita, & competente conferre in reſtaurationem rei, quæ quoad dominium debet eſſe propriè eiuſdem conferentis. Vlterius iniuſtitia conſiſtit in eo, quod ſi in termino ſocietatis oues aliquæ perirent, teneretur reſtaurare, quæ tamen non cederent in commodum ſocietatis, cum tunc eſſet diſſoluenda; ex quibus ſequeretur, quod operæ, & induſtriæ recipientis, quandòque deperderentur, cum cæteroqui aliquem ſuum effectum conſequerentur.

In hoc ſecundo caſu eſt minor iniuſtitia.

Hic oritur ratio dubitandi, an ſi pactum eſſet, vt oues deperditæ per ſubſequentes foetus repararentur, ita tamen, vt oues, quæ ſubrogantur deperditis, eſſent communes, & cederent in commune commodum, eſſet licitum, & omni iniuſtitiæ labè immune. Cui reſpondendum exiſtimo vtique licitum eſſe. *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 7. verſ. ſed quid iudicandum*, & iuxta hunc ſenſum nos locuti fuimus *dict. Prænot. 26. aſſert. 6. nu. 11. verſ. dices ſecundo.* Ratio eſt, quia tunc quoad illas oues reparatas capitale fit commune, & æquè eſt diuidendum, ad quod nihil obſtat, quid enim vetat, quin inita ſocietate ex pacto præcedenti in celebratione eiuſdem poſſit poſtea res communis in commune commodum eiuſdem ſocietatis transferri? Accedit, quod, vt bene notat *Azorius loc. cit.* valdè intereſt eidem recipienti, vt hoc modo, quæ deſiderantur oues, ſuppleantur, cum fructificent ſocietati, & etiam ſint inter eoſdem ſocios diuidendæ. 4

Azorius.

Eſſet tamen licitum, ſi oues ſubrogatæ deberent eſſe communes.

§. VI.

An inita ſocietate Patre viuente inter fratrem ſpurium, & legitimum quoad omnia bona, hereditas moriente Patre tranſeat etiam ad ſpurium.

SVMMARIVM.

Status præſentis controuerſiæ 1.
Spurius eſt incapax hereditatis paternæ 2.
Ex vi ſocietatis hereditas etiam ad ipſum tranſiret 3.
Satisfit rationibus in contrarium 4.
Si Pater prohibuerit, ne bona hereditatis cōferantur adhuc eſſent cōferenda, quæ veniunt in legitimam filij naturalis, & legitimi 5.

DIſquiſitio VI. Duo Fratres, quorum alter erat ſpurius, alter legitimus viuente adhuc Patre, nec diſſentiente contraxe- 1

traxerunt ſocietatem inter ſe omnium bonorum. Hinc orta eſt difficultas, an ex vi ſocietatis vniuerſalis hæreditas moriente Patre ſit etiam deferenda ad eundem filium, ſeu fratrem ſpurium.

2 Ratio difficultatis ex eo videtur conſurgere, quod ſpurius non eſt capax ſuccedendi in hæreditate Patris, vel matris *Baldus in l. 1. in 1. col. in verſ. ſed dubitatur C. de curian. auth. & in l. 1. col. 11 in verſ. 24. quam C. de ſum. Trin. & fid. Cath.* adeò vt nec poſſit inſtitui hæres à Patre contemplatione tertiæ perſonę capacis, *Baldus in l. hac edictali col. 5. in verb. & not. quid per iſtum textum C. de ſecundis nuptiis*, & ſi ſpurius teneat bona patris, præſumitur fraus *Bartolus in l. qui teſtamentum in zo. not. ff. de probat. auth. ex complexu, & ibi Doctores, & Bartolus C. de inceſt. nupt.* Nihilominus

Baldus.

Spurius non poteſt Patri ſuccedere.

Bartolus

3 Reſpondeo, ex vi talis ſocietatis hæreditatem Patris legitimi deferri etiam ad ſpurium, non ex vi ſucceſſionis in hæreditatem, ſed iure ſocietatis. *Baldus in l. 1. C. pro ſocio, Silueſter verb. peculium 2. quæſt. 30.* Ratio eſt, quià ſpurius eſt capax omnium bonorum, modò à Patre non proueniant, *Gloſa mag. in auth. quo mod. natur. officia. ſui. Immola, & Paulus de Caſtro in l. quod conditionis num. 2. ff. de donat. cau. mort. Ioannes Cephal. conſ. 257. num 6. vol. 2.* ſed talis hæreditas ſpurio non proueniret a Patre, ſed à Fratre, & quidem non ex cauſa hæreditatis, ſed ex vi alterius contractus, ad quem ipſe fratrer legitimus ſe obligauit, & ex vi cuius omnia bona ex quacunque cauſa prouenientia ex ſuperiùs probatis ſunt conferenda, ergo &c.

Surdus.

Spurius eſt capax bonorũ nõ prouenientium à Patre.

Dices, ſpurius fratri vtrinque coniuncto non poteſt ſuccedere *Alexander conſ. 174. vol. 5. Ioannes Cephalus conſ. 273. nu. 8. vol. 2.* ergo nec bona eidem fratri à Patre per hæreditatem delata poteſt acquirere. Sed contra, quia in primis de antecedenti multi contendunt, præcipuè cum idem *Alexander conſ. 51. ſecunda parte* videatur docere ſpurium poſſe inſtitui ab hærede Patris. Deinde alij volunt, non poſſe ſuccedere ab inteſtato, concedunt tamen poſſe ſuccedere ex teſtamento. Tandem quidquid ſit de veritate illius antecedentis, de quo alibi erit ſermo, falſa omninò eſt conſequentia, quia ſpurius non prohibetur contrahere cum ſuo Fratre legitimo, quandò vterque eſt ſui iuris, vel ex conſenſu Patris, quandò non eſt ſui iuris, ergo non prohibetur etiam acquirere quiquid ex tali contractu prouenit; vndè meritò in caſu ſocietatis omnium bonorum inter fratrem ſpurium, & legitimum, de qua hic loquimur monuit *Baldus d. l. 1. C. pro ſocio*, hoc pro cautela notandum eſſe ei, qui vult ſpurium ſuccedere in hæreditate cum legitimo, vt faciat eos omnium bonorum ſocietatem contrahere.

Alexander.

Ioannes Cæphal.

Spurius nõ prohibetur cõtrahere cum fratre legitimo.

Baldus.

Probatur ſecundò eadem reſponſio, quià ex vi ſocietatis omnium bonorum ſunt conferenda per ſocios quæcunque bona ex quacunque cauſa, ſiuè ex hæreditate legitima, ſiuè ex hæreditate iuſta ipſis obuenerint *l. ea verò ff. pro ſocio* per ea, quæ ſuprà latè probauimus, ergo cum legitimè fuerit contracta talis ſocietas conſentiente etiam Patre inter fratrem legitimum, & ſpurium non erit, cur hæreditas eiuſdem legitimi ipſi a Patre delata non ſit conferenda, præcipuè cum ſpurietas non reddat ſpurium incapacem contrahendi.

Ex vi ſocietatis omnium bonorum conferẽda etiam eſt hæreditas

Ex his habes, quid reſpondeas ad difficultatem propoſitam. Eſto enim, prout latè probant iura allegata, quod ſpurius non poſſit Patri ſuccedere, nec ab eodem inſtitui hæres, non propterea eſt incapax contrahendi, & acquirendi ea, quæ ex contractibus per ipſum initis obueniunt, vndè per allegata iura, & Doctores dicitur capax omnium bonorum, dummodò à Patre non proueniant; quod ſi dicatur illa bona prouenire a Patre, cum ſint per ipſius hæreditatem, ipſi tamen a Patre non obueniunt ratione hæreditatis, ſed a Fratre ratione ſocietatis, ad quod innuendum dixi in reſponſione *non ex vi ſucceſſionis, ſed iure ſocietatis.* 4

Reſponſiones ad oppoſita.

Hic oritur difficultas, an ſi hæreditas per Patrem relinqueretur filio legitimo cum expreſſa prohibitione, ne conferatur in ſocietatem, adhuc tamen ex vi præcedentis ſocietatis eſſet conferenda. Ratio dubitandi ex vna parte ex eo prouenit, quod, cum Pater annuerit ſocietati inter legitimum, & ſpurium initę, videtur annuiſſe ijs omnibus, quæ ex vi talis contractus proueniunt, adeoque non poſſe amplius diſſentiri; ex alia parte, cum præcepta teſtatoris ſint adamuſſim per hæredem ſeruanda, non videtur hæres legitimè a tali diſpoſitione poſſe recedere; Quid igitur concludendum? Rurſus bona ex vna parte 5
conferri prohibita ex vi legis non videntur conferenda, ergo nec bona a teſtatore conferri prohibita, ſiquidem diſpoſitio teſtatoris habet vim legis obligantis reſpectu hæredis. Ex alia parte filius legitimus in ordine ad Patrem eſt hæres ſuus, & neceſſarius, adeò vt nequeat exhæredari ſine legitima cauſa, nec propterea poteſt obligari ad aliquid adimplendum ſub pæna priuationis eiuſdem hæreditatis, ergo, quantumuis ſit poſita illa prohibitio, tenebitur adhuc conferre; Quod ſi afferas, quod Pater poteſt bona propria, quantumuis teneatur illa conferre filio legitimo, vinculo fideicommiſſo obſtringere, adeòque etiam prohibere, ne conferantur; ſicuti enim poteſt

Adhuc eſſent conferenda, quæ veniunt in legitimã.

prohibere alienationem, ità videtur etiam poſſe interdicere collationem, cum ſit quædam ſpecies alienationis; reſponderi poteſt, quod poteſt quidem prohibere in caſu fideicommiſſi alienationem quoad proprietatem, non tamen collationem quoad vſumfructum, & ſic bona illa conferenda eſſe ſaltem quoad talem vſufructum. Ad hanc difficultatem reſponderem cum diſtinctione, & quidem conferenda eſſe non obſtante tali Patris interdicto bona, quæ ad filium pertinent quoad legitimam, non autem quoad alia, de quibus de iure communi pater alitèr poterat diſponere. Ad hanc noſtram reſponſionem faciunt omnia prædicta pro vtraque parte, ſi cum debita proportione ſumantur, ad hoc enim vtrumque inferendum valida ſunt, & efficacia.

---

§. VII.

An debitum contractum ab vno Fratrum poſt obitum Patris ſit de communi ſoluendum.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus controuerſiæ 1.
Notabilia circà controuerſiam 2.
Si tale debitum fuerit conuerſum in commune fratrum commodum, eſt de communi ſoluendum 3.
Si fuerit conuerſum in priuatum commodum non eſt de communi ſoluendum 4.
In contentione inter fratres, in quem vſum fuerit conuerſum onus probandi ſpectat ad illum, qui debitum contraxit 5.
In contentione inter creditorem, & fratres onus probandi conuerſum eſſe in commune ſpectat ad creditorem 6.

1 DIſquiſitio VII. Mortuo Patre, filijſque eiuſdem habentibus bona patrimonialia communia, & indiuiſa alter ipſorum debitum contraxit. Vrgente creditore ad ſolutionem, & renuente eo, qui debitum contraxerat ſatisfacere, orta fuit controuerſia, an ſatisfactio facienda eſſet ex bonis communibus. Pro ſolutione

2 Aduerte, an illud debitum ſic per vnum ex fratribus contractum fuerit conuerſum in communem fratrum vtilitatem, an verò in priuatum contrahentis commodum, & in ſuppoſitione, quod certò non conſtet, in quemnam vſum fuerit conuerſum, an ad creditorem ſpectat probare conuerſum fuiſſe in commune commodum, an verò ad fratres non fuiſſe in talem vſum conuerſum, & quid in tali controuerſia præſumendum?

Notabilia ad dirimendam controuerſiam.

Reſpondeo primò, ſi tale debitum fuerit conuerſum in communem fratrum vtilitatem eſt de communi ſatisfaciendum *Speculator in tit. de indic. Silueſter verb. peculium 2. queſt.* 16. Ratio ea eſt, quia, quod cedit in commune commodum, & factum eſt per habentem ius in tali communitate, de communi ſoluendum eſt *arg. l. omnis ff. pro ſocio*, ergo, ſi illud debitum ceſſerit in bonum commune, de communi eſt ſatisfaciendum; neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, debitum illud contractum eſſe inconſultis, & inſcijs alijs fratribus, adeòque non eſt, cur illi debeant ad illius reſtitutionem concurrere; non, inquam, obſtare poteſt, quia ex quo ius habet in talibus bonis, frater, qui contraxit debitum, habet etiam ius ea efficiendi, quæ cedere poſſunt in vtilitatem talium bonorum, &, cum debitum illud impenderit in commune commodum, intelligitur illud contraxiſſe communi nomine ad negotium commune, adeòque &c. 3

Specul. Silueſter.

Præſumitur contraxiſſe ad commune negotium.

Reſpondeo ſecundò; ſi fuerit contractum, & conuerſum in priuatum commodum contrahentis, non eſt de communi reſtituendum. Colligitur expreſsè ex *l. non debet ff. de reg. iuris, & l. iure ſocietatis ff. pro ſocio*, nec immeritò, quia quod in ſuum commodum verſum eſt, non debet in aliorum præiudicium cedere, quod etiam ex eo euincitur, quod cæteri fratres, nec tenentur ad talem reſtitutionem, nec ratione rei acceptæ, nec ratione contractionis debiti, non ratione rei acceptæ, quia res illa non extat in communione apud fratres, nec aliquod loco eiuſdem, cum debitum illud ſupponatur præciſè conuerſum in priuatum commodum contrahentis, non ratione contractionis, quia ipſi non concurrerunt ad illud contrahendum, quinimmò præſupponuntur fuiſſe inſcij talis contractionis, ergo &c. 4

Non eſt aſſignabilis titulus, quo cæteri fratres teneantur.

Reſpondeo tertiò, in contentione inter fratrem, qui contraxit debitum, & cæteros, an illud conuerſum fuerit in communem vtilitatem, an verò in priuatum commodum contrahentis ad ipſum contrahentem incumbit onus probandi debitum illud fuiſſe conuerſum in commune commodum, qui ſi non probat, debet ex ſuo ſoluere *Speculator in tit. de indic. Silueſter verb. peculium 2. queſt.* 16. Ratio eſt, quia in tali contentione reliqui fratres ſunt veluti rei in iuditio, frater verò, qui contraxit debitum, actor, ſed ad actorem ſpectat probare, quod dicit, quo non probante reus abſoluitur *l. qui accuſet C. de edendo l. actor C. de probation. Specul. de iura. dela. verſ. ſed cui, & verſ. ſi autem actor, & de act. & per. 5. in anterioribus verſ. ſi verò non habes.*

Specul.

Probatio ſpectat ad actorem.

Specul.

Con-

Digitized by Google

Confirmatur, quia dicenti, non neganti incumbit onus probandi, ergo in illa contentione frater, qui dicit debitum illud fuiſſe conuerſum in commune commodum, debet probare.

6 Reſpondeo quartò, Emortuo fratre, qui contraxit debitum, & exorta contentione inter creditorem, & reliquos fratres debitoris, an illud debitum fuerit conuerſum in communem vtilitatem onus probandi incumbit creditori. Ratio eadem eſt, quæ ſuperior, cui addi poteſt vehemens præſumptio fundata in eo, quod, cum non acceſſerit aliorum conſenſus ad contrahendum illud debitum, non adeſt rationabile fundamentum iudicandi, quod debitum illud communi nomine fuerit contractum, nec in communem vtilitatem redactum. Quod ſi ſupponas, fratrem illum, qui contraxit debitum, & poſtea mortuus eſt, habuiſſe generale mandatum ad omnium negotia circa bona communia, & indiuiſa peragenda communi nomine, & in contractione debiti aſſeruiſſe, ſe illud contrahere in commune commodum, adhuc non modica eſſet ratio dubitandi, an illud fuerit conuerſum in commune commodum; Nihilominus in hac ſuppoſitione ex vi generalis mandati non renuerem concedere fortem eſſe præſumptionem in fauorem creditoris aduerſus bona communia, & indiuiſa fratrum ſuperſtitum; nec incongrua ſane ratione, quandoquidem, ex quo per generale mandatum conſtitutus eſt quaſi æconomus bonorum communium, fidem habet a communi fratrum nomine, & non irrationabiliter, & illegitimè agunt contrahentes cum ipſo, nec de ipſius fide dubitandum eſt, vbi apparet de commiſſione a fratribus eidem præſtita in generali mandato. Hæc tamen verificantur, dummodo mandatum ſit generale, non quomodocunque, ſed ad contrahendum, alienandum, & ad omnia &c.

Non adeſt fundamentũ, quod fuerit cõuerſũ in commune cõmodum

---

§. VIII.

An factum vnius fratris ſocij bonorum omnium cum alio fratre noceat alteri.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus difficultatis 1.
Ratio dubitandi circa factum 2.
Si contrauentio fuerit ſolum contrà iuſtitiam legalem, & commiſſa non per ſocium, qui contraxit, ſed per alterum ſocium, nec hic, nec ille tenetur ad pœnam 3.
Si fuerit contrà iuſtitiam commutatiuam contrauenięns tenetur, non innocens 4.
Si contrauentio fuerit contrà iuſtitiam commutatiuam, & ſocius emptor potuerit impedire commodè, & non impedierit, tenetur ſolum in ſubſidium 5.

DIſquiſitio VIII. Inita expreſsè ſocietate omnium bonorum inter duos fratres, alter ipſorum emit à communi Gabellam ſub certis conditionibus, & pactis, quas, ſeù quæ obſeruare promiſſit ſub certa pœna. Hac poſita conuentione alter frater ab ipſo talibus conditionibus, & pactis contrauenit. Excitata tunc fuit controuerſia, an contraueniens, an frater ille, qui emit Gabellam ſub illis conditionibus, & pœna ſubiacere teneatur illi pœnæ appoſitæ. 1

In quo cõſiſtat ratio cõtrouerſia.

Ratio dubitandi ex eo potiſſimum conſurgit, quod ratione ſocietatis omnium bonorum contractæ expreſsè inter eoſdem fratres videtur emptio illa Gabellæ facta communi nomine, quantumuis alter ipſorum ad ipſam duntaxat concurrerit, adeoque eandem ſocietatem pro tali emptione obligari, ſicque omnes adſtringi circa conuentiones, & pœnas, a quibus, ſi proptereà quilibet eorum defecerit, videtur ex neceſſitate pœnis conuentis debere ſubiacere, ſaltem ratione bonorum communium ſocietatis, quæ omnia intelliguntur obſtricta propter contractum per alterum ipſorum initum. Accedit, quod cùm ſocij omnium bonorum communicent in omnibus etiam extraordinarijs, debeant etiam communicare in damnis, quæ ex culpa alicuius ex illis obuenerint. Pro ſolutione 2

Emptio gabella videtur facta cõmuni nomine.

Aduerte, an illa contrauentio facta per vnum ex fratribus ſocijs fuerit talis, vt lædat ius eius, qui talem gabellam vendidit in ijs iuribus, quæ ex iuſtitia contractus ſecundum ſe pertinent, & conſequuntur ad talem contractum ſpectatæ præciſè ipſius natura, & ratione, an verò talis ſolummodò, vt nullum ius, ſeù iura lædat eorum, quæ ex natura contractus debentur, ſed duntaxat ius quoddam conſtitutum ex voluntate contrahentis ſub pœna, ſeù quod idem eſt vno verbo, ſi talis, vt lædat iuſtitiam commutatiuam, an verò talis, quod lædat duntaxat iuſtitiam vindicatiuam, ſeù quaſi legalem ſibi conſtitutam per ipſos contrahentes. Rurſus, ſi fuerit contrauentio lædens quodammodo iuſtitiam commutatiuam, aduertendum eſt, an talis fuerit, vt per ſocium emptorem potuerit de facili impediri, an verò talis, vt per diligentiam, quam regularitèr alij adhibere ſolent, non potuerit euitari. Quibus poſitis

Contrauentio, vel poteſt eſſe cõtrà iuſtitiã legalem, vel cõtrà commutatiuam.

Reſpondeo primò, ſi contrauentio per alterum ex fratribus fuerit ſolum contra iuſtitiam legalem ſibi conſtitutam inter- 3

Digitized by Google

venditorem, & emptorem Gabellæ, nec ipſe emptor, nec contraueniens poteſt obligari ad illam pænam conuentam *Baldus in l. idem C. legati Silueſter verb. peculium 2. quæſt. 27.* Ratio quoad primam partem facilè ex eo euincitur, quia ipſe emptor non contrauenit legi ſibi per venditorem conſtitutæ, ergo non eſt, cur debeat pænam ſubire contrauentionis. Accedit, quod vnus ex ſocijs condemnatus ob maleficium, ſolus penam ſubit, nec trahit ſecum ad illam alios ſocios non delinquentes *l. cum duobus ff. pro ſocio*, ergo per contrauentionem vnius alter quantumuis ſocius non trahitur. Ratio quoad ſecundam partem etiam facilè euincitur, quia nemo obligatur ad pænam conuentionalem, qui non conuenit, nec concurrit ad talem conuentionem, ſed alter ex fratribus, qui contrauenit, non conuenit, nec concurrit ad conuentionem, ergo non obligatur ad pænam, atque ad hoc multum facit textus *in l. iure ſocietatis ff. pro ſocio*; neque exiſtimandum eſt, ſocietatem trahere ſocios ad quaſcunque pænas, pro quibus quilibet illorum ſtipulatus eſt, ſeù conuenit, non, inquam, exiſtimandum, quia ſocietas non trahitur ad maleficia per ea, quæ communitèr ſentiunt Doctores.

Baldus. Silueſter

Emptor non contrauenit, ſocius nō conuenit.

4 Reſpondeo ſecundò, ſi contrauentio fuerit quoad ea, quæ ſpectant ad iuſtitiam commutatiuam, ex qua ex natura ſua ſequatur onus compenſationis etiam præciſa illa conuentione pænali, tunc controueniens obligatur ad illam compenſationem, non tamen contrauentio poteſt nocere fratri innocenti. Ratio primæ partis, quià lædens iuſtitiam commutatiuam ex genere ſuo tenetur ad compenſationem illius læſionis, ergo ſi contrafaciens læſerit ea, quæ ſpectant ad iuſtitiam commutatiuam ex qua ſequatur onus compenſationis, tenetur ad conſtituendam talem æqualitatem ponere compenſationem. Ratio ſecundæ partis eſt, quià ſocius innocens, nec tenetur ratione ſocietatis cum ſocio lædente, ſeù contrauenientè, nec ratione conuentionis cum venditore initæ, nec ratione delicti, ergo &c. Antecedens quoad primam partem non videtur pati difficultatem, tùm quià maleficium vnius ex ſocijs non obligat ex vi ſocietatis alterum ſocium ad pęnam, & ad onera malefacientis *l. cum duobus ff. pro ſocio*, tum quià in ſocietate non communicantur damna, quæ ex culpa vnius proueniunt *l. ſi fratres §. ſocium ff. pro ſocio l. quod quis ff. de reg. iur.*; quoad ſecundam partem etiam clarè liquet, quandòquidem conuentio obligat dumtaxat ipſum conuenientem ad non contraueniendum, non autem ad culpam alterius, ex quo ſequitur etiam tertia pars, cum delictum illud non fuerit per ipſum commiſſum, nec ipſe communicarit in illo.

Maleficiū vnius ex ſocijs non poteſt alteri nocere.

5 Reſpondeo tertiò, ſi contrauentio fuerit etiam contra iuſtitiam commutatiuam, quam de facili, & adhibita ſolita diligentia frater non contraueniens potuerit impedire, tunc ſaltem in ſubſidium poteſt nocere fratri non contrauenienti, ſed non impedienti, cum poſſet, contrauentionem. Ratio eſſe poteſt, quia cum ex vna parte ex vi conuentionis cum venditore ſe obligauerit ad obſeruanda pacta, & ex alia parte ſocius ipſius ratione ſocietatis communicet in lucris prioris conuentionis, & vinculo quaſi fraternitatis ſit obſtrictus cum ipſo, ſi non impediat, cum de facili poſſit impedire, præſumitur, & quidem rationabilitèr eſſe in culpa talis cōtrauentionis, ergo ratione eiuſdem ſaltem ſubſidiariè tenebitur verſus ſuum venditorem.

Non obſtāt, cum obſtare poſſit, tenetur ſaltem ſubſidiariè.

Ex quibus habes, quid reſpondeas ad difficultatem propoſitam in capite diſquiſitionis; quantumuis enim daremus contractum illum emptionis gabellæ per vnum fratrem initum eſſe communi nomine; non proptereà ex maleficio vnius alter tenetur, ſicuti non tenentur ſocij ad damna, quæ ſocietati obueniunt ex culpa alterius per ea, quæ docet *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 17. vers. primo quæritur*. Quod idem reſpondeas ad id, quod fuit adiectum.

Azorius.

---

§. IX.

An Frater dotans filiam alterius fratris poſſit ipſam repetere dotem.

SVMMARIVM.

Factum, & conſiderabilia circà ipſum.

Si inter dictos fratres intercedat ſocietas omnium bonorum frater dotans poteſt exigere ab alio contributionem dotis per ſe erogata 2.

Si non fuerint ſocij omnium bonorum, & præſumi poſſit ex cauſa donatio non poteſt repeti dos 3.

Si non fuerint ſocij omnium bonorum, & non præceſſerit cauſa donationis frater dotans filiam alterius poteſt in diuiſione bonorum repetere dotem ſolutam 4.

1 DIſquiſitio IX. Exiſtentibus duobus fratribus mortuo Patre vnus ex iſtis dotauit filiam alterius ſciente, & patiente patre eiuſdem filiæ, & fratre proprio. In diuiſione bonorum ipſe frater, qui dotauit, contendebat ex bonis alterius repetere dotem, quam erogauit in fauorem eiuſdem filiæ. Controuerſum fuit, an iuſta eſſet ipſius

Factum, & rationes dubitandi.

ipſius repetere volentis petitio? Pro ſolutione

Aduerte, an inter dictos fratres inita fuerit ſocietas omnium bonorum; an verò haberent præcisè bona communia, & indiuiſa. Secundò, an in tali dotatione interceſſerit aliqua cauſa, ob quam legitimè poſſet præſumi pro donatione; an verò nulla penitus cauſa interceſſerit, ſed ſolummodò, vel difficultas Patris in dotando, vel pro eo tempore moralis impotentia. Qua facta conſideratione

2 Reſpondeo primò; ſi inter dictos fratres intercederet ſocietas omnium bonorum, poſſet iuſtè frater, qui erogauit dotem filiæ alterius, exigere contributionem ab altero fratre patre eiuſdem filiæ. Congruit cum ijs, quæ dicta ſunt ſuperius *ſub hoc eod. tit. Contractus VII. Pranot. 27. aſſert. 4. num. 6.* ad mentem *Azorij inſtit. mor. part. 3. lib. 9. cap. 19. verſ. 9. quaritur.* Ratio eſt, quia inita ſocietate omnium bonorum inter fratres poteſt alteruter filias ſuas dotare ex bonis communibus iuxta ſtatum propriæ conditionis, nec in hoc fratres ſocij poſſunt diſſentiri per ea, quæ ibi probauimus, ergo ſi vnus ex ſocijs fratribus filiam alterius fratris dotauerit poterit a proprio patre, ſuoque ſocio exigere contributionem. Conſequentia patet, quia ſocij omnium bonorum communicant in omnibus lucris, & oneribus poteſt Pater ex bonis communibus dotare propriam filiam, ergo quia etiam taliter communicant, poterit alius frater, qui filiam alterius dotauit, exigere retributionem, ſeù contributionem ad ratam.

Filia ſociorū omnium bonorū ſunt dotanda ex comunibus bonis.

3 Reſpondeo ſecundò, ſi non fuerint ſocij omnium bonorum, & præceſſerit cauſa, ob quam legitime poſſet præſumi donatio, frater, qui dotauit filiam alterius, non poſſet eandem dotem repetere. Ratio eſt, quia donatio abſolutè transfert dominium in donatarium, nec vllum ius relinquit donanti quoad talem rem donatam, ergo facta legitimè donatione amplius non viget ius eam repetendi, vel a donatario, vel ab eius Patre; quod ſi dicas, hanc probationem veram eſſe, quotieſcumque eſt vera, & realis donatio, non autem quandò eſt ſimplicitèr præſumpta; ſtatim impugnaberis, quia quandò eſt præſumptio rationabilis donationis eſt ſufficiens ratiò retinendi datum, & excludendi ius repetere volentis, quod ſic euincitur, quia quandò extraneus dotat filiam alterius præſumitur donare non poteſt eandem dotem erogatam repetere *l. ex morte C. de pactis conuent.* ergo etiam quandò frater rationabilitèr præſumitur donare dotem, non poterit ipſam amplius repetere, ergo rationabilis præſumptio fundata in legitima cauſa &c.

Præſumpta rationabilitèr donatione non poteſt dos repeti.

4 Reſpondeo tertiò, ſi non fuerint ſocij omnium bonorum, & nulla legitima præceſſerit cauſa, ob quam præſumi poſſet donatio, frater, qui alterius filiam dotauit in diuiſione bonorum cum ſuo fratre poteſt iuſtè repetere dotem ipſius filiæ erogatam *Silueſter verb. peculium 2. quaſt. 29.* Ratio eſſe poteſt, quia, quod erogatum eſt in fauorem alterius ſine animo tamen donandi, poteſt iuſtè, & legitimè repeti, ſed dos illa erogata eſt in fauorem alterius fratris, qui tenebatur propriam filiam dotare, ergo ab illo poteſt eandem iuſtè repetere; neque dicas, cum frater ille filiam alterius dotauerit ſine mandato Patris eiuſdem, ex nullo titulo obligari hunc ad eandem dotem reſtituendum; contrà enim impugnaberis, quia titulus, ex quo poteſt obligari ad reſtituendam dotem præſtitam propriæ filiæ, eſt titulus ex negotijs benè geſtis, ſecundum quem dans dotem filiæ eius, cuius negotia gerit, non præſumitur donare, ſed poſſe repetere *Bartol. ſing. in l. cum poſt §. 1. ff. de adminiſ. tut.* nec obſtat, quod dotauerit ſine mandato, quia negotiorum geſtor propriè dicitur ſine mandato gerens, & cui cura, & officium non ſit iniunctum *in Specul. de inſtrum. adit. §. 14. verſ. ad primum*, & negotiorum geſtor, quem dominus ſcit, & patitur gerere negotia ſua, obligat dominum ex contractibus ſuis *Paulus de Caſtro in conſ. 261. Bartolus, & Alexander in l. ſi pupilli §. item ſi procuratori de neg. geſt. Baldus in l. es, qui C. quod cum eo.*

Silueſter

Obligatur Pater filia dotata actione ex negotijs geſtis.

Bartolus

Specul.

Paul. de Caſtro.
Bartolus
Alexander.
Baldus.

Ratio eſſe poteſt ſecundò, quia, quantumuis extraneus, ſi filiam alterius dotet, non poſſit dotem repetere, quia præſumatur donaſſe iuxta textum *in l. ex morte C. de pact. conuent.* poteſt tamen repetere, ſi ſimul cum Patre eius dotet *Baldus in conſ. quod incipit factum tale, & in addit. ad aut. Bartolus de duobus fratribus*, ergo etiam frater, ſi per ſe dotet ſciente, & patiente ipſius Patre, & fratre proprio filiam ipſius, poterit iuſtè dotem repetere. Conſequentia probatur, quia ideò, quandò ſimul extraneus cum Patre dotat, poteſt iuſtè repetere, quia ſupponitur, vt negotiorum geſtor eiuſdem Patris dotare, ſed hoc idem, & valdè congrue ſupponitur, & præſumi rationabilitèr debet, quandò frater alterius filiam dotat ſciente, & patiente eius Patre, ergo poteſt iuſtè eandem dotem repetere; atque iuxta hunc ſenſum loquitur, & tenet *Silueſter d. verb. peculium 2. quaſt. 30.*

Baldus.
Bartolus

Argumentum à ſimili deductum.

§. X.

§. X.

An lucrum vxoris alterius fratris communicandum ſit in diuiſione.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus quæſtionis 1.

Si eadem vxor exerceret aliquam artem, & ſeparatum lucrum teneret in ordine ad obſequia domeſtica nihil lucri poſſet exigere 2.

De acquiſitis ex arte nihil tenetur conferre. Ibid.

Si ad exercendam artem deſiſteret à ſolitis, & domeſticis obſequijs partem lucri ex arte acquiſiti teneretur conferre ad arbitrium boni viri 3.

Si vxor omnia lucra artis conferret cum marito, & item maritus omnia ſua lucra, tunc communicarent in talibus lucris 4.

1 DIſquiſitio X. Viuebant in communione duo fratres, quorum alter vxorem habebat, quæ lucra non modica acquirebat. Poſt aliquod temporis conuenerunt ad inuicem de diuidendis bonis, quæ prius indiuiſa habebant, & excitata eſt controuerſia, an in diuiſione bonorum deberent etiam venire lucra per vxorem alterius acquiſita. Iuxtà varias conſiderationes decidi debet huiuſmodi controuerſia, pro qua
Baldus. latè vide *Baldum in l. ſi vxorem C. de con-*
Vbaldus. *dit. infer. & Doctores, & Vbaldum in l. cum duobus ff. pro ſocio*, nam non vacat diutiùs in his immorari.

2 Reſpondeo primò, ſi eadem vxor exerceret aliquam artem, ſeù mercantiam, aut eſſet obſtetrix, aut chirurgica, & ſeparatum lucrum tenebat, vel ex alijs coniectari poſſet, quod ſocietatem contrahere nolebat, tunc de operibus communibus, & obſequialibus, quæ fiunt à mulieribus in domo ſecundum qualitatem perſonæ nihil hæc lucri poſſet conſequi, & conſequentèr quoad hoc nihil detrahi poſſet à communibus bonis, quæ reperiuntur inter fratres diuidenda, de reliquis verò ex arte, & mercantia omnia ſibi acquireret, nec teneretur conferre. Ita expreſsè quoad omnia *(In ordine ad domeſtica obſequia vxor nihil poteſt exigere.)*
Silueſter. *Silueſter verb. peculium 2. quæſt. 32.* Reſponſio quoad ſolita obſequia præſtanda ab
Gloſſ. vxoribus colligitur *ex gloſ. in l. ſicut ff. de*
Baldus. *oper. liber. ex Baldo in l. Caio Seio in fin. ff. de*
Angelus. *ali. leg. ex Angelo in l. 1. C. de leg. hæred. & in l. ſi cum dotem ff. ſolut. matrim.* nec incongrua ſane ratione, quia operari debet ſecundum qualitatem perſonæ in domo, in qua recipit alimenta, ergo ex illis, vtpotè debitis non poteſt exigere aliquod lucrum. Quoad lucra verò ex arte, & mercantia ex eo patet, quod ad opera impendenda circa illas non tenetur ex vi matrimonij, ergo, ſi quid ex illis acquirit, non tenetur illud conferre, ſed poterit iuſtè illud ſibi detinere. *(Quoad lucra artis nihil tenetur conferre.)*

3 Reſpondeo ſecundò, ſi eadem vxor ad exercendam artem, ſeù mercantiam deſiſteret à ſolitis obſequijs præſtari ab vxoribus, partem lucri acquiſiti per illam artem teneretur erogare viro, alijſque eiuſdem fratribus, quantum ſcilicet correſpondet operibus communibus, & obſequialibus ſecundum judicium boni viri. Ratio eſt, quia ipſa tenetur præſtare talia obſequia, & munera ex vi proprij ſtatus, ergo, ſi non præſtet ad finem alterius lucri, tenetur ex illo lucro illa compenſare. Accedit, quod, cum ipſa alatur ex bonis mariti, ſaltem partialitèr debet in fauorem eiuſdem mariti, ſeù matrimonij, ſua opera impendere. *(Talia obſequia tenetur præſtare, & ſi deficiat compenſare.)* Excipiendum tamen eſt in caſu, quo eadem vxor haberet alimenta iure legati, tunc etenim non teneretur operari in tali domo,
Angelus in l. 1. C. de legit. hæred. & in l. ſi cum Angelus.
dotem ff. ſol. matrimonio.

4 Reſpondeo tertiò, ſi eadem vxor exerceret aliquam artem, vel eſſet obſtetrix, vel chirurgica, & conferret omnia lucra in communi, & ſimilitèr efficeret vir eius, tunc intelligeretur inter ipſos contracta ſocietas, & per conſequens omnia lucra fierent communia inter virum, & eandem vxorem. Colligitur *ex Baldo in l. ſi vxorem C. de condit. infer.* & ex ijs, quæ dicta ſunt ſuperiùs, ſi enim habentes bona indiuiſa, & communia ex eo, quod negotientur, & lucra ex negotiatione percepta conferant, intelliguntur implicitè inter ſe contraxiſſe ſocietatem, ita non eſt, cur, ſi maritus, & vxor negotientur, & conferant lucra ex negotiatione acquiſita in commune, non debeant dici contraxiſſe ſocietatem, non enim ſocietas inter maritum, & vxorem contrahi repugnat ſecundum eundem *(Ex communi negotiatione, & collatione arguitur ſocietas.)*
Baldum in d. l. ſi vxorem C. de condit. infer. Baldus.
& ſecundum dicta ſuperius Prænot. 28. per totum; Sed quomodò poſtea bona ex communibus lucris mariti, & vxoris acquiſita ſint diuidenda in diuiſione facienda inter maritum, & fratrem eius non eſt huius loci inquirere, & alibi fuſius dicetur. Atque hæc de ſocietate in vniuerſum dicta ſint ſatis.

CONTRACTVS VIII.

De Simonia ſecundum ſe, & ſecundum ſuas cauſas, & effectus.

INcongruum fortaſſis videbitur, quod inter contractus, per quos humana fouetur ſocietas, & mutuis ſe homines actionibus, & obligationibus adſtringunt, Simoniam hic inſeram, per quam lex omnis tùm Diuina, tùm humana, & violatur, & læditur, & ipſa humana commertia enormi iniuſtitiæ, & ſacrilegæ fœditatis labe deturpantur; nec tamen incongruum eſt, quandoquidem licet iniuſtitiam, & fœditatem præferat, à modo tamen contractus non diſcedit, vtpotè, quæ inuoluit emptionem & venditionem, quæ ſecundum ſe propriè contractus ſunt, licet in Simonia ratione materiæ, circà quam verſatur enormitèr inficiantur. Cum igitur mens noſtra in contractuum diſceptationibus eo ſemper collimarit, vt nedum iuſtitiam attingeret, vt proſequeretur, ſed etiam iniuſtitiam, vt proſcriberet, & euitaret, non propterea aduerſus noſtrum inſtitutum, ſuſceptumque ordinem hic inter contractus ſimonia proponitur, eà ratione, vt ex ipſius exacta cognitione contractus ab omni vendicetur iniuria, quæ ex venditione rei Sacræ pro temporali emolumento contraheretur. Cum igitur Simonia, & contractum inuoluat, & iniquitatem præſeferat, non ſecerni debuit à ſerie contractuum, vt plena eorundem non deſideretur notitia, & labes vniuerſa per plenam cognitionem proſcribatur.

Agunt fusè de Simonia Canoniſtæ *in titulis de Simonia in decretalibus, & ſexto, & in decreto cauſa prima per ſex primas quæſtiones* Theologi *in 4. diſtin. 25. per totum. D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. & ibi Caietanus, Bannes, & Aragonius. Adrianus quodlib. 9. Sotus lib. 9. de iuſt. quæſt. 5. Valentia tom. 3. diſp. 6. quæſt. 16. Leſſius 2. de iuſt. cap. 35. Azorius tom. 3. lib. 12. Reginaldus lib. 23. cap. 11. Suarez tom. primo de Religione lib. 4. per totum, Bonacina in tract. de Simonia per totum. Toletus lib. 5. à cap. 84. ad alia plura capita. Ognate tract. 23. & alij innumeri, tum ex Theologis, tùm ex iuris canonici interpretibus, tùm ex Summiſtis,* quos non vacat ſpeciatim hic allegare.

PRÆ-

PRÆNOTIO I.

Vndè dicta ſit ſimonia, & quid propriè ſit.

SVMMARIVM.

Ethimologia nominis ſimoniæ vndè deducta 1.
Variæ definitiones ſimoniæ quoad rem 2.
Simonia propriè eſt ſtudioſa voluntas contrahendi rem ſpiritualem pro temporali 3.
Non requiritur directa voluntas, ſed ſufficis indirecta, prout electio ad peccatum 4.
Committitur per actum internum, non tamen eſt punibilis 5.
Simonia indifferens eſt, vt verſetur inter rem, & rem, ac inter rem, & pecuniam 6.
Materia ſimoniæ eſt res ſpiritualis, vel ſpirituali annexa 7.
Nomine ſpiritualium in materia ſimoniæ non veniunt Angeli, nec anima rationalis 8.
Veniunt dona gratiæ gratis data, & gratum facientis, Sacramenta, Conſecrationes, benedictiones, omniſque vſus poteſtatis ſpiritualis 9.
Tripliciter aliquod dicitur ſpirituale, & quomodo 10.
Quanam, & quomodò ſint ſpiritualibus annexa 11.
Nomine pretij venit quodcunque pretio æſtimabile 12.

1 QVamuis antecedentèr ad Simonem Magum, & infamem ipſius auaritiæ declarationem fuerint plura, tùm in veteri, tùm in nouo teſtamento infenſiſſimæ huius labis nedum veſtigia, ſed etiam expreſſa facinora, appellationem tamen ſimonia ab eodem deſumpſit, nomenclatura verè tam nefando, & exitioſo parente digniſſima; deſumpſit, inquam, non quià, vt aliqui malè opinati ſunt, ipſe fuerit primus flagitioſiſſimæ huius iniquitatis auctor, quandòquidem, vt benè aduertit *Suarez lib. 4. de ſimonia tom. primo de Religione cap. 1. num. primo* plura fuerunt huiuſmodi enormitatis veſtigia, & exempla tùm in veteri, tùm in noua lege ante eundem Simonem Hereſiarcham, vt videre eſt in Iuda proditore, qui triginta denarijs nedum gratiam miraculorum, aliaſque gratis datas, & ipſam gratiam ſanctificantem, ſed ipſum auctorem gratiæ, & ſanctitatis impijs Iudæis vendidit crucifigendum, ſed quià in ſceleſta auaritia, eiuſque expreſſione, pertinacia, errore in intellectu, & prauitate in voluntate cæteros omnes ſuperauit. Fateor equidem Iudæ proditionem in malitia exceſſiſſe Simonis peruerſitatem, vtpotè quod ille Dominum Ieſum, ipſam diuinam perſonam cum plena cognitione, cùm ipſi fuerint reuelata ſecreta cæleſtia, ipſamque gratiam per eſſentiam vendidit ad necem, hic verò ſolummodò gratiam miraculorum, & ſanctificantem, & ſi etiam Spiritum Sanctum, vt habetur *Actorum* 8. non tamen ad necem, & interitum. Quamuis tamen in malitia excelleret, in ratione tamen auaritiæ Iudas à Simone fuit exceſſus, ſiquidem ille Præceptorem vendidit, non vt pecunia inde acquiſita negotiaretur, iſte verò Spiritum Sanctum, vt indè turpem quæſtum exerceret, & maius lucrum indè acquireret. Conſiderata igitur ſimonia ſecundum rationem auaritiæ, quam inuoluit, maior fuit iniquitas Simonis, quam Iudæ, à quo proptereà nomenclaturam hoc vitium deſumpſit. Nota eſt ex actibus Apoſtolorum ſecundum ſuum eſſe, & qualitates hæc Simonis peruerſitas; quam proptereà hic non repeto.

Simonia à Simone Mago dicta, non quià primus in hoc flagitio, ſed quià prauior.

Suarez.

Iuda proditis ſceleſtior in ratione malitiæ, nō tamen auaritiæ.

Habita notitia nominis ad naturam rei inueſtigandam procedendum eſt, circà quam in varias abiere definitiones Doctores, quæ tamen, ſi rectè conſiderentur quoad ſubſtantiam in vnam abeunt, licet quodammodò diſcrepent in modo explicandi. Toletus *lib. 5. cap. 84.* eam ſic definit. *Eſt ſtudioſa voluntas contrahendi pretio rem ſpiritualem.* Emanuel Sà *verbo ſimonia nu. 1.* Eſt dare ſpirituale, vel ſpirituali annexum pro re æſtimabili pecunia per modum pretij. Ognate *tract. 23. de ſimonia diſp. 80. ſect. 1. num. 16.* Eſt contractus commutationis rei ſpiritualis pro temporali. Leſſius *lib. 2. cap. 35. dub. 1.* Eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquid ſpirituali annexum. Ioannes de Anania *in rubric. de ſimonia num. 2. Iulius Clarus* §. *ſimonia in principio* ſic exponunt. Eſt acceptio, vel collatio ſpiritualium non gratuita, vel eſt pactio temporalium ob danda ſpiritualia. Communior ſenſus ſic habet. Eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, eſtquè præcipuè iuxta mentem *D. Thomæ ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. primo in principio. Altiſiod. lib. 3. tract. 21. Alenſis ſecunda part. quæſt. 167. memb. 2. Nauarri cap. 23. num. 100.* eſtque conformis *Gloſa in cap. qui ſtudet 11. quæſt. 1. verbo quidam.* 2

Toletus. Emanuel Sà. Ognate. Leſſius. Ioannes de Anania. D. Thomas. Altiſiodorenſis. Alenſis. Nauarrus. Gloſa.

Aſſertio. Omnes per allegatos Doctores allatæ definitiones attingunt quidditatem ſimoniæ, ſi ſecundum accommodam ſignificationem ſumantur, expreſſiùs tamen, & clarius attingit definitio Toleti, quæ dicitur, *ſtudioſa voluntas contrahendi rem ſpiritualem pro temporali.* 3

Probatur ſimul, & explicatur per particularum diſcuſſionem. Dicitur, *ſtudioſa voluntas*, quæ particula multa indicat, primò voluntatem deliberatam ad excluden-

Definitio propria ſimoniæ, eiuſq; explicatio.

dos

dos actus voluntatis, qui dicuntur primo primi, aut ſecundo primi, vel qui procedunt ex ignorantia inculpata, prout benè notant *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. primo ad primum, Toletus d. lib. 5. cap. 84. Leſſius lib. 2. cap. 35. de ſimonia dubit. prima nu. 3. verſ. prima.* Secundo ſubiectum eiuſdem ſimoniæ, quod eſt voluntas, in qua radicatur iuxtà textum *in cap. tua nos de ſimon.* vbi dicitur, *ſi tamen is, qui eam donationem facit, ea intentione ducatur*, prout obſeruant *D. Thomas loc. cit. in reſponſ. ad ſecundum, Bonacina tract. de ſimonia quæſt. 1. prop. 2. num. 3. verſ. dicitur ſtudioſa voluntas*; nomine autem voluntatis in hoc propoſito venit propriè non ipſa potentia in actu primo, ſed eadem in actu ſecundo, nempè voluntaria quæcunque actio, vel etiam quæcunque actio externa a voluntatis imperio procedens, prout obſeruat *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 1. verſ. dicitur voluntas*. Ex eo autem, quod dicatur *ſtudioſa voluntas*, oritur hic difficultas, an ad ſimoniam propriè ſumptam requiratur intentio directa tendens in emptionem rei ſpiritualis pro temporali, vt loquitur *Ognate d. tract. 23. de ſimonia diſp. 80. ſect. 1. nu. 11.* ſeù vt loquitur *Azorius loc. mox cit.* voluntas cum ſtudio, hoc eſt, cogitato, aut meditato, aut induſtria, ſeù data opera, adeò vt propriè ſimonia non ſit, niſi ſit directè intenta emptio, & venditio rei ſpiritualis pro temporali. Abſolutè ſentiendum eſt non requiri talem intentionem directam, ſeù cum ſtudio, aut meditato, vt ſentit *D. Thomas loc. cit. art. primo ad ſecundum*, ſed ſufficere prauam electionem ad peccatum, prout ſuſtinent *Azorius, Ognate loc. cit. Suarez tom. primo de Religione lib. 4. cap. 36. n. 6. Valentia tom. 3. diſp. 6. quæſt. 16. punct. primo. Reginaldus lib. 23. num. 121.* hæc etenim electio ſufficit ad quodcunque peccatum in quocunque genere; hæc autem praua electio regularitèr adeſt, quandò tradens temporale pro ſpirituali non ducitur alio motiuo, ſeù titulo honeſto, vt bene obſeruat *Bonacina tract. de ſimon. quæſt. prima prop. 2. num. 3.*

D. Thomas. Toletus. Leſſius.

D. Thomas. Bonacina.

Venit voluntas in actu ſecundo, non in actu primo.

Azorius.

4

Non eſt neceſſaria directa voluntas, ſed ſufficit praua intentio.

Azorius. Ognate. Suarez. Valentia. Reginaldus.

Bonacina.

5 Pro complemento notitiæ illius particulæ, *ſtudioſa voluntas*, ſciendum eſt, ſimoniam, prout peccatum importat, non ſolum fieri per actum externum conſummatum, ſeù ad effectū redactum, ſed etiam per ſolam voluntatem, & animum abſque opere externo, in quo ſenſu in iure appellatur hæreſis ſimoniaca, ſeù ſimonia interna. Verum tamen eſt, quod adhoc, vt ſimonia ſit punibilis, debeat eſſe opere externo conſummata, cum pœnæ reducantur ad effectum completum in opere exteriori, vt eſt regulare in alijs omnibus criminibus, quibus ſunt pœnæ præſcriptæ, cum Eccleſia non iudicet de internis, & pœnæ vtpotè odioſæ ſint reſtringendæ.

6 Dicitur, *contractandi*, quæ particula clariùs exprimit ſimoniam in ſuo genere, ac illæ aliæ *emendi, & vendendi*; nam emptio, & venditio in rigore ſumpta verſatur dumtaxat inter rem, & precium, ſeù pecuniam, vt menſuram rerum venalium, prout latè dicebamus *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de emptione, & vendit. Prænot. 1.*, & *tom. 2. ſub tit. Contractus IV. de Cambijs IV. Prænot. 1.* ad differentiam cambiorum, & ſimplicis permutationis, cum cambia verſentur inter pecuniam, & pecuniam, & permutatio inter rem, & rem; ſimonia autem indiferens eſt, vt verſetur inter rem, & pecuniam, ſeù inter rem, & aliam rem pretio æſtimabilem. Quis enim diceret, ſimoniam illum non committere, qui conferret, vel modios tritici pro beneficio Ecleſiaſtico, vel gemmam pretioſiſſimam? Congruentiùs igitur dicitur, *contractandi*, quæ particula importat indiferentiam, vt ſimonia coniungatur cum emptione, & venditione, vel cum ſimplici permutatione, vel cum aliquo alio ex contractibus oneroſis; & licet videatur poſſe eſſe aliqua dificultas in eo, quod ly *contractare* non exprimat propriè collationem beneficij, ſeù rei ſpiritualis in contractantem media pecunia, vel alia re temporali, quandòquidem nomen contractus indiferens eſt, vel ad contractus oneroſos, vel non oneroſos, nihilominus, ſi ſubſequentibus particulis in definitione appoſitis attendatur, clariùs innoteſcet illa cōditio collationis &c.

Simonia indiferens eſt, vt coniūgatur cū emptione, & vēditione, vel cum quocunque alio cōtractu oneroſo.

7 Dicitur, *rem ſpiritualem, vel ſpirituali annexam*, quibus verbis indicatur potiſſimum materia, circà quam verſatur ſimonia, & contractus redditur ſacrilegus. Nomine autem rei ſpiritualis, prout ad præſentem locum attinet, non venit omne id, quod eſt incorporeum, ſed quod eſt aliquo modo ſupernaturale, ſiuè ſit aliquod reale, ſiuè morale tantum, ſiuè per modum actus, ſiuè per modum habitus, vt bene notant *Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 1. num. 4. verſ. quarto, Ognate tract. 22. de ſimonia diſp. 80. ſect. 2. num. 13.* vndè ſub hac definitione, ſeù ſub his particulis non veniunt Angeli, anima rationalis, intellectus, & voluntas cum omnibus ſuis actibus naturalibus, ſed dumtaxat virtutes ſupernaturales, dona gratiæ gratum facientis, & gratis datæ, præuenientis, & excitantis, Sacramenta, Conſecrationes, benedictioneſque Eccleſiæ, omniſque vſus poteſtatis ſupernaturalis; pro cuius rei clariori intelligentia aduerte, quod triplicitèr aliquod dicitur ſpirituale, primò ſecundum ſe, ſeù ex natura ſua, cuiuſmodi ſunt gratia diuina gratum faciens, & gratis data, virtutes Theologales, & morales etiam diuinitus infuſæ, dona

Materia ſimoniæ quænam ſit.

Leſſius. Ognate.

8

9

10

Spiritua le tripliciter dici tur, primò ſecundum ſe, ſecundò in cauſa, tertiò in effectu.

Spiritus Sancti, characteres, qui ex vi Sacramentorum imprimuntur in anima &c. Secundò tantum in cauſa, qualia ſunt ſacramenta a Chriſto Domino inſtituta; Tertiò, per modum effectus, vt Verbum Diuinum annuntiare, miracula efficere, & ea omnia, quæ conſequuntur ex donis ſupernaturalibus &c.

11 Dicitur, *vel ſpirituali annexam*, cuius nomine veniunt res illæ, ſeù actiones, quæ, quamuis ſecundum ſe ſint temporales, propter connexionem tamen, quam habent cum re ſpirituali, ſeù ſacra, induunt quodamodò conditiones, & qualitates rerum ſpiritualium, ſeù ſacrarum. Tripliciter autem poteſt eſſe hæc connexio, antecedentèr ſcilicet, concomitantèr, & ſubſequentèr, antecedentèr quidem, quatenùs præcedit aliquod ſpirituale, cuiuſmodi eſt ius patronatus, quod præcedit officium, ſeù beneficium Eccleſiaſticum, ad quod patronus præſentat; concomitantèr, quatenus comitatur rem ſpiritualem, cuiuſmodi ſunt opera miniſtrorum conferentium ſacramenta, vel ſacrificia offerentium; ſubſequentèr, quatenùs ſubſequitur ad ſpirituale, cuiuſmodi eſt ius exigendi decimas, primitias &c. quod conſequitur ad beneficium Eccleſiaſticum collatum. De his ſingulis erit vberiùs ſermo in ſubſequentibus, in quibus propterea non immoror.

Spiritua li annexũ triplex eſt antecedẽ tèr, concomitanter, & ſubſequentèr.

12 Dicitur tandem, *pro temporali*, quam particulam mutata illa, qua dicebatur, *pro pretio*, conſultò addidi, ad indicandum non requiri eſſentialitèr ad ſimoniam inducendam, quod concurrat pecunia, prout videtur importari per ly, *pro pretio*, ſed ſufficere, quod concurrat quæcunque res pretio æſtimabilis pro re ſpirituali. Hoc autem temporale triplex communitèr aſſignatur, aliud dicitur a manu, aliud à lingua, aliud ab obſequio. Nomine rei temporalis, ſeù vt alij loquuntur, muneris à manu veniunt pecuniæ, & quæcunque bona externa pretio æſtimabilia, cuiuſmodi ſunt equi, gemmæ, triticum &c. Nomine rei temporalis, ſeù muneris à lingua veniunt promiſſiones, fauores, interceſſiones, laudes, patrocinium aduocati &c. Nomine tandem muneris ab obſequio veniunt humanæ actiones, quæ membris corporis efficiuntur, & miniſteria omnia in rebus temporalibus, cuiuſmodi ſunt illa, quæ præſtantur à famulis, æconomis in fauorem dominorum, ſeù ſuorum principalium. De his etiam omnibus erit ſermo ex profeſſo in ſubſequentibus per integras prænotiones.

Sufficit, q concurrat quæcunq. res pretio æſtimabi lis, ſiuè ſit munus à lingua, ſiue à manu, ſiuè ab obſequio.

PRÆNOTIO II.

Quotuplex ſit ſimonia, & quo iure ſit prohibita.

SVMMARIVM.

Simonia triplex eſt, altera mentalis, altera conuentionalis, altera realis, & quomodò 1.
Simonia alia ficta, alia vera, & quid vtraque 2.
Simonia alia naturalis, alia diuina, alia humana 3.
Simonia humana non eſt tantum contrà virtutem obedientia, ſed etiam Religionis, & quomodo 4.
In quibus conſtituatur ſimonia tantum Eccleſiaſtica in particulari 5.
Quid ſit ſimonia confidentialis 6.
Simonia propriè ſumpta independentèr à iure poſitiuo humano eſt prohibita iure ſecundum ſe naturali 7.
Satisfit nonnullis obiectis 8.
Prelati ſunt diſpenſatores ſolummodò ad modum, quo à Deo præſcribitur 9.
Simonia, vt talis, ità eſt abſolutè mala, vt eius malitia nequeat impediri 10.
In hypotheſi, qua Sacerdos nollet conferre Sacramentum indigenti, niſi cum quodam emolumento, nec aliunde haberi poſſet, poſſet illud emolumentum eidem conferri 11.
Simonia propriè accepta eſt etiam prohibita iure diuino 12.
De iure Eccleſiaſtico ſunt prohibitæ aliquæ pactiones, quæ de iure diuino non erant prohibita 13.

AD quæſitum quid res ſit, recto ordine ſequitur aliud, quomodò eadem res diuidatur, ſeù quotuplex ſit, & cum ex communi omnium conſenſu ſimonia ſit prohibita, quæritur, an ſit prohibita, quia mala, an verò mala, quia prohibita, & ſi mala, quia prohibita, quonam iure intelligatur vetita, diuino ne, an humano? Sub hoc eodem titulo ſingula expediam.

Conueniunt regularitèr omnes in eo, quod ſimonia ſit triplex, altera ſcilicet mentalis, altera conuentionalis, altera realis. Prima eſt, quæ vt habetur *in cap. vlt. de ſimonia* nullo pacto, ſed affectu animi præcedenti committitur, & nulla poſita traditione; in hoc ſenſu ſimonia, cum nullo actu externo coniungatur, Eccleſiaſticis pœnis non eſt punibilis; poteſt tamen adhuc ſimonia mentalis coniungi cum aliqua actione externa, nec tamen deſinere eſſe mentalis, vt contingeret in ea hypotheſi, qua actio aliqua exerceretur, quæ, ſi ſecundum ſe ſumeretur, non eſſet ſimoniaca, ex prauo tamen affectu 1

Simonia, alia mentalis, alia conuentionalis, alia realis.

mente

mente præciſè concepto, nec exterius prolato, ſeu producto ſit talis; ſic, ſi Sacerdos aliquis eleemoſinam ſibi datam pro miſſa ad finem ſuſtentationis, non acciperet ſub eo fine, ſed vt pretium eiuſdem miſſæ, mentalem quidem ſimoniam committeret, non tamen propriè realem, quia cum illa intentio non ſit exterius prolata, & illa acceptio eleemoſinæ ſit ſecundum ſe licita, facit quidem operantem internè ſimoniacum, non tamen ipſam actionem externam, ſi apparentèr loquamur, quinimmò nec talis actio eſt de iure canonico punibilis, niſi intentio illa, qua fuit poſita, per aliquod exterius ſignum reddatur ſenſibilis. Conuentionalis illa eſt, quæ per pactum conferendi aliquid temporale pro ſpirituali committitur, & differt a mentali ratione pacti annexi. Realis tandem illa eſt, quæ vltrà pactum, ſeu conuentionem ſiuè expreſſam, ſiuè implicitam ſuperaddit rei ſpiritualis pro temporali traditionem.

Poteſt eſſe ſimonia mentalis, quãtumuis conſũgatur cũ opere aliquo externo, & quomodò.

Quod ſit conuẽtionalis ſimonia, & realis.

2 Hæc triplex ſimonia poteſt adhùc ſubdiuidi in fictam, & veram; Prima eſt, qua promittitur res ſpiritualis pro temporali, vel temporalis pro ſpirituali ſine intentione tamen ſe obligandi, ſeu adimplendi promiſſum, ſed dumtaxat ad finem decipiendi alterum, cui facta fuit promiſſio *Suarez. lib 4. de ſimonia cap. 42. num. 1. Caietanus tom. primo opuſc. tract. 9. quæſt. 2. Petrus Nauarra lib. 3. de reſtitutione cap. 2. nu. 411.* Hæc ficta ſimonia, vel poteſt eſſe ex parte vtriuſque contrahentis, vel ex parte ſolius dantis ſpirituale pro temporali, vel ex parte ſolius accipientis, & quocunque modo ſumatur, ſemper remanet ficta. Vera eſt, quæ vero animo adimplendi promiſſum ſimoniacum committitur. Contendunt hic aliqui, hanc ſubdiuiſionem inutilem eſſe, quandòquidem ſimonia ficta perindè eſt, ac ſi eſſet ſimonia nulla; ſimonia autem, quæcunque illa ſit, ſemper eſt contractus nullus, cum habeat in ſe imbibitam cauſam ſuæ nullitatis, vndè nullas parit actiones, nullas inducit exceptiones, nullos producit effectus. Nihilominus, nequaquam inutilis videtur, quandòquidem ficta ſimonia talis ſolummodò dicitur, quia ille, qui promittit, non promittit cum animo ſe obligandi, vndè externè promittendo it quodamodò contrà mentem, & cum hac ſimulatione contractus initus poteſt ſuos habere effectus, vt infra videbimus, ſimonia autem nulla non poteſt aliquos habere effectus, & ſi quos habet, ſunt contrà iuris diſpoſitionem, adeòque &c.

Simonia vera, & ficta quid ſit.

Suarez. Caietanus. Petrus Nauarra.

Diuiſio ſimoniæ in fictam, & veram nõ eſt inutilis, & quare.

3 Poteſt vlterius ſubdiuidi triplex illa ſimonia, in ſimoniam naturalem, humanam, & diuinam, ſeu vt alij loquuntur in ſimoniam prohibitam iure naturæ, & diuino, & ſimoniam prohibitam iure humano, & poſitiuo, quam diuiſionem admittunt omnes iuris interpretes *Gloſa in cap. cum pridem de pactis verb. illicitas pactiones Innocentius, Hoſtienſis, Abbas ibid. Gloſa in cap. Saluator 1. quæſt. 3. verbo, & iudicium, & etiam Theologi, D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 1. Durandus in 4. diſt. 25. quæſt. 5. nu. 7. Adrianus quodlib. 9. ad tertium Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 1., 6., & 7. Reginaldus lib. 23. quæſt. 5. num. 153.* Ipſa diuiſio non indiget ſecundum ſe explicatione, cum ex ipſis terminis innoteſcat; ſolum remanet dubitandum, an, & quomodò poſſit dari ſimonia, quæ ſolo iure humano, & poſitiuo prohibeatur. Dixi, *ſolo iure humano*, quandòquidem certum eſt, quod ſimonia, quæ prohibita eſt iure diuino, ſit etiam prohibita iure poſitiuo Eccleſiaſtico, vt conſtat ex toto titulo de ſimonia, quinimmò iura poſitiua addiderunt pænas contrà ſimoniacos, quæ non erant per ius diuinum inductæ. Loquendo igitur de ſolo iure humano, ſentiendum eſt cum omnibus ferè canoniſtis, & Theologis, poſſe dari ſimoniam tali iure ſolummodò prohibitam *Suarez. tom. primo de Religione lib. 4. cap. 2. num. 1. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 4. num. 25. Canonici iuris interpretes in cap. quæſitum, & cap. cum olim de rer. permut. Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 80. ſect. 3. num. 53.* hæc autem ſimonia, prout contradiſtinguitur à ſimonia prohibita a iure naturæ, & diuino, in eo conſiſtit, quod Eccleſia id, quod ratione alicuius annexi non erat inuendibile modo per decretum prohibens vtique conſtituat inuendibile ratione alicuius ſacri annexi, nam ſicuti poteſt rem facere immunem à laica poteſtate puta locum ſacrum, ne Iudex in eo ferat ſententiam, adeò vt, ſi ferat, ſacrilegium committat, ità poteſt rem facere inhabilem ad venditionem ratione ſacri annexi, adeò vt, ſi vendatur, committatur ſacrilegium, & fiat contractus ſacrilegus, & ſimoniacus; Neque obſtare poſſunt ea, quæ adducuntur per *Durandum in 4. diſt. 25. quæſt. 5.* nempè venditionem rei ſolo iure humano vendi prohibitæ importare ſolummodò violationem præcepti humani, ſiquidem ante tale præceptum non erat peccaminoſa illa venditio, per violationem autem præcepti humani conſtituitur ſolum peccatum inobedientiæ, non autem irreligioſitatis, quod confirmat ex eo, quod Eccleſia non poteſt per ſolum decretum poſitiuum conſtituere ſacrum id, quod ex ſe non eſt ſacrum, niſi adhibeat aliquam benedictionem, & tunc venditio eius erit ſimonia iuris diuini, non humani;
Non, inquam, obſtare poſſunt, quandòquidem falſum omninò eſt, quod id, 4

Alia eſt prohibita iure naturæ, alia iure diuino; alia iure humano.

Gloſa. Innocentius. Hoſtienſis. D. Thomas. Durãdus. Adrian. Suarez. Reginaldus.

Suarez. Leſſius. Ognate

Quomodò poſſit dari ſimonia ſolo iure humano prohibita

Durandus.

Proponitur argumentum Durandi, & diſſoluitur.

quod est contrà ius poſitiuum, ſit tantum contra obedientiam, ſed etiam eſt peccatum oppoſitum illi virtuti, intuitu cuius fertur præceptum, ſeù ius poſitiuum diſponit, ſic v. g., vt vnum præ cæteris exemplum afferam, prohibitio eſus carnium in die veneris eſt tantum ex iure poſitiuo Eccleſiaſtico, adeò vt, ſi hoc ius non adeſſet, eſus carnium pro tali die non eſſet illicitus, & peccaminoſus, & tamen poſito illo iure ipſe eſus non ſolum eſt peccaminoſus, eo quia aduerſatur obedientiæ, ſed etiam eſt talis, quia eſt contra virtutem temperantiæ, nam, vt benè notat *Leſſius lib.2. cap.35. de ſimonia dub. 4. num. 28.* eſſe ſolum contra obedientiam eſt ratio generica, quæ contrahitur poſtea per particulares differentias in ordine ad diuerſas virtutes, intuitu quarum præceptum imponitur. Hoc idem cum proportione intelligendum eſt de ſimonia Eccleſiaſtica, de qua nunc loquimur, quamuis enim videatur eſſe ſolummodò contra præceptum poſitiuum, adeòque contra obedientiam, quia tamen tale præceptum reſpicit conditionem materiæ, & particularem honeſtatem obiecti formalis, ſeù motiui, quod Eccleſia reſpicit in illo præcepto, contrahitur ad ſpeciem illius motiui, circa quod verſatur illa virtus, adeòque &c. Ad id, quod ſubdebatur, dicendum eſt, quod quamuis Eccleſia per ſimplicem prohibitionem, non poſſit de profana rem conſtituere ſacram, niſi accedat benedictio, poſſit tamen propter ordinem, & connexionem, quam habet cum re ſacra eam conſtituere inuendibilem.

Simonia Eccleſiaſtica non eſt præcisè contra obedientiam, ſed etiam contra Religionẽ, & quomodo.

Leſſius.

Eccleſia propter cõnexionẽ, cum re ſacra poteſt rem conſtituere [illegible]

5 Hic explicat *Bonacina quæſt. 3. de ſimonia prop. 1. num. 3.* res in particulari, quarum venditione committitur ſimonia tantum iuris humani, & Eccleſiaſtici, quas tu ibi recole. Nobis in præſenti ſufficiat aliquas adducere, & primò ſimonia Eccleſiaſtica committi poteſt in reſignatione beneficij facta propria auctoritate cum reſeruatione penſionis. Secundò in acceptione alicuius muneris occaſione examinis. Tertiò in permutatione beneficij cum alio beneficio abſque auctoritate legitimi ſuperioris, & in alijs huiuſmodi.

In quibus [illegible]

6 Aſſignatis ſpeciebus ſimoniæ ſuperaddi poteſt, & debet ſimonia confidentialis, quæ tamen reduci poteſt ad aliquam ex enumeratis ſpeciebus. Nomine autem ſimoniæ confidentialis non venit illa, quæ ſola confidentia fit ſine vllo pacto, prout nomen ipſum importare videtur, ſed dumtaxat illa, qua reſignatur, vel confertur, vel aliter procuratur beneficium alicui cum intentione eum obligandi ex pacto expreſſo, vel tacito ſignificato aliquo modo, vt illud beneficium poſt aliquod temporis ſibi, vel alteri in fauorem ipſius renuntiantis, prouidentis, vel procurantis renuntiet. *Leſſius cap.35. dub. 16. num.96. Suarez lib.4. cap.43. num. 2. Reginaldus lib. 23. quæſt. 4. num. 158.* & in hoc omnes ferè conueniunt. Hæc autem ſimonia confidentialis ſub diuerſa conſideratione modo reducitur ad ſimoniam mentalem, ſi fit cum aliquo pacto obliquo, & obſcuro, aliquandò ad conuentionalem, ſi fit cum pacto expreſſo, aliquandò ad realem, ſi fit cum traditione ex vtraque, vel ſaltem ex altera parte. His quoad diuiſiones explicatis procedendum eſt ad ſecundam tituli partem, nempè ad inueſtiganda iura, quibus ſimonia vetatur. Pro quo aduerte ius aliud eſſe naturale purè, aliud diuinum, & naturale ſimul, aliud poſitiuum, quod diuiditur in Eccleſiaſticum, cæſareum, & regale, de quibus omnibus fit quæſtio.

Quid ſit propriè ſimonia cõfidentialis

Leſſius. Suarez. Reginaldus.

Simonia cõfidentialis quandoq; reducitur ad realem, quandoque ad conuentionalem.

Aſſertio prima. Simonia propriè ſumpta, & ſecundum ſe, quæ talis eſt independentèr à iure poſitiuo humano, eſt prohibita iure ſecundum ſe naturali, etiam ſi præſcindamus a iure diuino, & humano. *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. per totam maximè art. 3. in corpore. Sotus lib.9. de iuſt. art.5. num.2. Durandus in 4. diſt.25. quæſt.1. nu.7. Adrianus quodlib.9. ad tertium Abulenſis 4. Regum 5. quæſt. 27. Nauarrus in ſumma cap.22. num.99. Bonacina tractatu de Simonia quæſt.3. num. primo, & alij recentiores communitèr præcipuè ex ſocietate*, qui multis rationibus conantur aſſertionem euincere; nobis vna, vel altera ſufficiat. 7

D. Thomas. Sotus. Durand. Adrian. Abulenſis. Nauarrus. Bonacina.

Probatur igitur primò. Independentèr à quocunque iure ſiuè diuino, ſiuè humano ratio euincit, non poſſe eſſe naturæ rei congruam contractionem rei ſpiritualis pro temporali, ergo ſecundum ſe, & ex natura ſua non eſt, nec eſſe poteſt licita ſimonia propriè accepta. Antecedens probatur, quia rei ſpiritualis ad temporalem nulla ſecundum ſe poteſt eſſe proportio, vndè meritò de ſapientia, quod aliqui explicant de gratia, alijſque donis gratiæ, ſeù ſpiritualibus dicitur *Prouerb. 3. Pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia deſiderabilia non valent ei comparari*, quod comprobatur multis SS. PP. auctoritatibus, quas vos ipſi videre poteſtis apud Auctores, & conſonant verba D.Petri Act. 8. *Quid donum Dei exiſtimaſti pecunia comparari.*

Rei ſpiritualis ad temporalẽ nulla eſt proportio.

Probatur ſecundò ratione D. Thomæ, quia ille, qui tradit ſpiritualia pro temporalibus non eſt abſolutè Dominus illorum, ſed diſpenſator iuxta mandatum à Domino, ſed diſpenſator ex natura ſua non poteſt ea, quorum dominium non habet contractare, niſi ad modum, qui eidem præcipitur à Domino, & ſi aliter præſtet, facit contrà naturam diſpoſitionis rei exigentis,

vt

vt nemo vendat aliena, ergo ſi vendat naturali diſpoſitione obſiſtente vendit, adeòque &c. Cum igitur Deus ſupremus rerum omnium tùm temporalium, tùm ſpiritualium moderator, & Dominus ſpiritualia miniſtris ſuis contulerit, non vt contractibus oneroſis illa conferant, ſed merè gratuitis iuxta illud. *Quæ gratis accepiſtis, gratis date*, hinc eſt, quod, ſi vltrà talem diſpoſitionem conferant, conferant reluctante iure naturali, adeòque &c.

Homo non eſt dominus rei ſpiritualis, ſed tantū adminiſtrator, & cuſtos.

8 Aduerſus ea, quæ in hac aſſertione afferuntur, obſtare poteſt in primis, quod Regnum Cælorum, per quod indicatur ſupernaturalis beatitudo, emi poteſt, & comparari pretio, ſeù rebus temporalibus iuxtà illud Euangelij. *Qui reliquerit filios, & agros propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*, vndè Auguſtinus introducit Dominum dicentem *Requiem venalem habeo, Eme illam. Dices mihi. Quod eſt pretium eius? Quid turbaris de pretio? Noli quærere pretium. Tu ipſe es pretium*; ergo etiam poſſunt emi alia dona ſpiritualia. Sed facilè occurro huic obiectioni aſſerens per allegata teſtimonia promitti regnum Cælorum, non agris, aut filijs, ſed meritis quibus propter Dominum relinquantur agri, & filij, quæ merita ſunt quid ſpirituale, & ſuppoſita gratia, & acceptatione Dei, licet non adæquent præmium, ſcilicet ipſam Beatitudinem iuxta illud Apoſtoli, *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, ex ordinatione tamen, & promiſſione Dei prouehuntur, & eleuantur ad ipſam aſſequendam, quod idem dicendum eſt quoad ea, quæ ſubduntur ex D. Auguſtino; dum enim dicit *Tu ipſe es pretium*, non intelligendum eſt de ipſa vnitate materiali, ſed de merito abdicationis ſui ipſius à ſe ipſo propter Deum applicando eidem omnia ſua merita, omnia ſua obſequia, quæ ſi fuerint informata gratia habituali, & acceptata, ſunt ex eiuſdem Dei diſpoſitione meritoria talis requiei, ſeù beatitudinis ſupernaturalis.

Promiſſio regni Cælorum nō fit propter agros, & filios tanquā propter pretium, ſed propter merita, quibus relinquuntur.

Obſtare poteſt ſecundò, quià ratio ſuperioritatis bonorum ſpiritualium non poteſt tollere, quin eadem bona ſpiritualia ſecundum ſe, & ex natura ſua non poſſint compenſari, & adæquari ſaltem ſecundum moralem æſtimationem per bona temporalia, ergo &c. Antecedens probatur, quia bona famæ, & honoris ſunt altioris ordinis, & conditionis, ac ſit bona fortunæ, & tamen illa per iſta poſſunt compenſari, ergo &c. Sed facilè etiam huic argumento poteſt occurri, ſi aſſeratur primò, bona famæ, & honoris non poſſe ſecundum ſe compenſari per bona fortunæ, vt docent Doctores non pauci, quinimmò Theologi communiùs in quæſtionibus de iuſtitia, & iure, dum de reſtitutione, nam, quidquid pecuniarum erogetur, nunquam reſtauratur fama deperdita, eo modo, quo ſi per abſciſſionem à mutilante factam deperdatur manus, licet magna pecuniæ quantitas in compenſationem per eundem mutilantem erogetur, nunquam tamen manus deperdita recuperatur, ob quam rationem docent eidem Theologi, quod bona vitæ, & corporis per bona fortunæ nequeunt compenſari, & licet ob hanc rationem poſſet inferri, quod neque equus occiſus poſſet per pecunias compenſari, quia quidquid pecuniæ eroges, nunquam tamen dominus equum occiſum recuperat, nihilominus facilè poteſt reſponderi, & ſolui inſtantia, ſi aſſeratur, quod licet per pecuniam non reparetur equus occiſus formalitèr, reparetur tamen equiualentèr, quia per pecuniam illam erogatam poteſt Dominus alium equum ſimilem acquirere, quod non militat in caſu honoris, & famæ deperditæ. Poteſt etiam occuri argumento, ſi aſſeratur cum *Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 81. sect. 6. num. 117.* bona famæ, & honoris, licet ſint ſuperioris ordinis ſecundum ſpeciem infimam, quia tamen continentur in genere naturali, eſſe ſaltem ſecundum humanum æſtimationem compenſabilia per bona fortunæ, quæ ſunt etiam in genere naturali, quæ tamen non militant in bonis ſpiritualibus ſupernaturalibus comparatiuè ad bona purè temporalia, cum ſint non ſolum in diuerſo ordine, ſed etiam genere ſaltem proximo, nec vllam penitùs habeant adinuicem proportionem.

Bona famæ, & honoris nequeūt cōpēſari per bona fortunæ, ſicuti nec bona vitæ.

Ognate.

Bona fortunæ, & fama ſūt in eodem ordine naturali.

Alia plura poſſunt obſtare, quæ latiſſimè refert Ognate loco citato, vel ſita in eo, quod quamuis Prælati non ſint Domini, ſed tantum adminiſtratores multiformis gratiæ Dei, qui diſpenſatores iuſtè, & honeſtè vendunt res Dominorum ſuorum, vel in eo, quod ad huiuſmodi ſpiritualium tranſlationem non requiratur omnimoda proportio, & qualitas, vt videre eſt in ſatisfactione præſtita à peccatore per actus contritionis, & dilectionis Dei, quæ non habet proportionem cum iniuria infinita illata Deo per peccatum, & tamen ab eodem acceptatur, ergo &c, vel in eo, quod pro miſſis, ſepulturis, diuinis officijs, adminiſtratione ſacramentorum aliquid temporale accipitur, & tamen accipiens non damnatur iniuſtitiæ, nec ſacrilegij ob ſimoniam. Sed facilè his omnibus etiam occurri poteſt, ſi aſſeratur ad primum, diſpenſatores non poſſe diſponere de rebus, quarum ſunt diſpenſatores, niſi ad modum, qui præſcribitur a Dominis, non alitèr, nec alio modo. Cum igitur inſtituti ſint

Nonnulla argumenta contrà aſſertionē, eorumque ſolutio.

diſpen-

9 diſpenſatores, vt gratis omninò conferant iuxtà illud, *Gratis accepiſtis, gratis date*, non poſſunt diſpenſare contractu oneroſo accipiendo pretium. Ad ſecundum occurri poteſt dicendo, ſatisfactionem, quæ præſtatur per peccatorem pro iniuria illata Deo, eſſe in ordine ſpirituali ſupernaturali, & licet ſecundum ſe non videatur habere proportionem cum eadem iniuria non propter infinitatem, quam habeat, cum non ſit infinita, niſi obiectiuè, ſub qua ratione videtur poſſe compenſari per actus dilectionis Dei, qui etiam obiectiuè ſunt infiniti, quatenus terminant ad Deum infinitum, ſed propter implacabilitatem ipſius Dei per humana obſequia, ſuppoſita tamen acceptatione Dei, & ſatisfactione per Chriſtum Dominum exhibita talis ſatisfactio eſt ſufficiens &c. Ad tertiam etiam occurri poteſt, ſi aſſeratur, iuſtè accipi pecuniam pro illis actionibus, ſeù muneribus, non tamen pro illis formalitèr, vt pretium ipſarum, ſed ob congruam miniſtrorum ſuſtentationem ordinante ſic Domino per Apoſtolum. *Qui altari ſeruit, de altari viuere debet.*

Prælati debēt diſpēſare ad modum à Deo præſcriptū, nō aliter.

Pecunia accipitur, non pro actionibus formalitèr, ſed pro cōgrua ſuſtentatione.

Hic oritur difficultas, an ſimonia, de qua hic loquimur, ita ſit de iure naturali prohibita, vt ſit ab intrinſeco mala, ſicuti eſt mendacium, & periurium, nec vlla ratione valeat cohoneſtari, nec de abſoluta Dei potentia poſſit ipſius vſus permitti. Proponit latè hanc difficultatem *Leſſius lib. 2. cap. 35. de ſimonia dubit. 2. num. 16.* vbi dicit verius videri, non ita eſſe malam, quin aliquandò per aliquas circunſtantias ipſius malitia poſſit impediri. Ognate *tract. 23. diſp. 81. ſect. 11. num. 255.* concludit ita eſſe ab intrinſeco malam, vt nulla ratione poſſit cohoneſtari. Mouetur Leſſius ea ratione, qua exiſtimat fieri poſſe, vt interdum tales ſint circunſtantiæ, vt prudentis iudicio non cenſeatur fieri vlla iniuria rei ſacræ, quam rationem latiùs expendit *dubitatione 7. per totum*, & exemplificat in infante baptizādo morti proximo, quem, ſi Sacerdos renuit baptizare, niſi ſibi erogentur decem nummi aurei, & alia via non ſuppetat baptiſmi, poſſunt pro eodem baptiſmo erogari decem illi nummi aurei, quos tamen aſſerit non poſſe erogari pro ipſo baptiſmo, ſed ad alliciendum animum Sacerdotis ad baptizandum. Strictiùs procedunt alij apud *Ognate tract. d. 23. de ſimonia diſp. 81. ſect. 11. num. 252.* quorum opinionem, vt improbabilem non damnat *Suarez lib. 4. de ſimon. tom. primo de Religione tract. 3. cap. 3. num. 10.* qui, vt euincant intentum, ſupponunt caſum vtique poſſibilem, quo Deus transferat dominium gratiæ, aliorumque donorum ſupernaturalium in aliquem hominem, tunc etenim hic

Leſſius.

Ognate.

Opiniones inter ſe diſcordes, an ſimonia ſit ab intrinſeco mala.

Ognate.

Suarez.

homo à Deo conſtitutus dominus ſine vlla labe poſſet alienare huiuſmodi dona pro pretio, ſeù re temporali, nec tunc fieret aliqua iniuria Deo, cum ille homo, vt Dominus poſſet ſine alterius iniuria de illa re diſponere, quomodocunque voluerit, quinimmò nec contrà Dei voluntatem diſponeret, qui, ex quo dominium conceſſit, poteſtatem contulit quomodocunque diſponendi, nec emens aliqua iniuſtitia afficeretur, quandòquidem emeret à proprio Domino, non inuito Deo, & in ea hypotheſi ceſſaret præceptum Diuinum, quo dicitur. *Gratis accepiſtis, gratis date*. Nihil ominùs his negotium minimè faceſcētibus

Ratione pro opinione aſſerēte non eſſe ab intrinſeco malā.

Abſolutè ſentio, ſimoniam, vt ſimoniam ità eſſe abſolutè malam, vt nulla ratione 10
poſſit ipſius malitia impediri. *D. Thomas in 4. diſtinct. 5. quæſt. 2. art. 2. & diſt. 25. quæſt. 3. art. 2. Alexander Alenſis ſecunda part. quæſt. 187. num. 3. art. primo §. 1. Richardus diſt. 25. art. 2. quæſt. 1. Suarez tom. primo tract. 3. lib. 4. cap. 3. num. 14. Bonacina tract. de ſimonia quæſt. 3. num. 12. Salas de legibus diſp. 5. ſect. 9. num. 51. ſub fin. Filliucius tract. 45. cap. 1. quæſt. 7. num. 14.* Probatur, quia collato homini adhuc illo dominio baſſo, non enim Deus poteſt a ſe ipſo ſupremum, & vniuerſale abdicare, per alienationem donorum ſpiritualium ſupernaturalium pro bonis temporalibus inferretur indiſpēſabiliter maxima iniuria eiſdem rebus ſacris, quinimmò etiam ipſi Deo, ergo adhuc illa alienatio eſſet illicita, & peccaminoſa. Antecedens probatur, quia eo ipſo, quo venditur ſpirituale ſupernaturale pro temporali ineuitabilitèr, & intrinſecè ſequitur iniuſtitia in pretio omninò improportionato, improportio ad finem, cum ſpiritualia ad temporalia ordinarentur, nec huiuſmodi abſurda euitantur ex eo, quod Deus dominium in hominem tranſtulerit, ergo &c.

Simonia eſt ab intrinſeco mala.

D. Thom. Alenſis. Richard. Suarez. Bonacin. Salas. Filliuc.

Adhuc, ſi Deus abdicaſſet dominiū rerum ſupernaturalium inferretur eiſdē iniuria, ſi venderentur.

Probatur ſecundò, quià vſura, qua vſura formalitèr eſt, ita eſt ab intrinſeco mala, vt nulla ratione poſſit cohoneſtari, & ſit omninò indiſpenſabilis per ea, quæ docuimus *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 7. & 8.*, ergo etiam ſimonia, qua talis formalitèr eſt, erit huiuſmodi, ſeù talis rationis. Conſequentia probatur, quia vſura, qua talis, ideò eſt ab intrinſeco mala, & indiſpenſabilis, quia in mutuo, ex quo oritur, non ſeruatur æqualitas dati ad acceptum, ſed in venditione etiam rei ſpiritualis pro temporali non poteſt eſſe talis æqualitas, quandòquidem res ſpiritualis non eſt pretio compenſabilis, nec ordinabilis ad res temporales, ergo &c.

In venditione rei ſpiritualis pro temporali non ſeruatur æqualitas.

Quod ſi dicas (& eſt id, quod ex aliquorum placito dicebatur apud Ognate pro con-

contraria ſententia) non militare in hypotheſi ſimoniæ, de qua hic loquimur, ea, quæ dicta ſunt de vſura, quandoquidem id, quod acquiritur per vſuram, eſt ex re aliena, cum mutuum per mutuationem factam non remaneat quoad dominium amplius apud mutuantem, qui propterea nequit lucrum ex illo acquirere, id verò, quod in hypotheſi, de qua loquimur, venderetur, ſeù alienaretur, eſſet ſub poteſtate, & dominio eiuſdem vendentis, & alienantis, cum dominium rei ſpiritualis illi eſſet in illa ſuppoſitione conceſſum à Deo, qui propterea poſſet de illa, tanquam de re ſua pretium exigere. Si, inquam, hæc dicas, quidquid ſit de illa dominij conceſſione quoad dona gratiæ, aliaque ſpiritualia ſupernaturalia facta a Deo, aſſero ſimoniam non ſolum committi ex eo, quod res non propria vendatur, & alienetur, ſed etiam ex eo, quod vendatur res ſpiritualis pro temporali propter improportionem, quam habet vna ad alteram, per quam infertur irreuerentia, ſeù iniuria rei ſacræ, prout ſupra dicebamus.

Solutio argumenti in ſuppoſitione translationis dominij.

Ad id, quod ex Leſſio afferebatur, præterquamquod reſponſio noſtra procedebat dumtaxat de ſimonia formaliter, vt ſimonia, prout appellat venditionem rei ſacræ, ſeù ſpiritualis pro temporali, adhuc tamen conferri non poſſe videtur illud emolumentum etiam ad alliciendum animum ſacerdotis ad conferendum Sacramentum, quandoquidem nouiſſimè per Innocentium XI. Pontificem nunc Regnantem damnata fuit illa propoſitio, quæ eſt in ordine quadrageſſimaquinta, qua dicitur, *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quandò temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tanquam motiuum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam, quandò temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, & è contrà*, quod idem ſenſiſſe videtur Alexander VII. dum damnauit illam propoſitionem, quæ eſt in ordine 22. qua dicitur *Non eſt contrà iuſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quià collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecunia interueniente non exigit illam pro collatione beneficij, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*.

Dānatio nes Innocentij XI. & Alexādri VII.

11 Quod, ſi inquiras determinatè, quid eſſet in praxi faciendum, ſeù quid fieri poſſet in ea hypotheſi, qua Sacerdos nollet conferre Sacramentum, niſi cum illo emolumento. Crediderim, ſaluo tamen S. R. E. iudicio, cui abſolutè me ſubijcio, omniaque tùm ſcripta, tùm ſcribenda ſubmitto, & ſi quid dictum, quod eidem non conſonet, ex nunc retracto, crediderim, inquam, poſſe in ea hypotheſi illud emolumentum conferri ad ſubueniendum neceſſitati illius, qui conſtitutus eſt in imminenti periculo. Ratio multiplex eſſe poteſt, quià vſura, vt vſura eſt ab intrinſeco mala, & tamen indigens mutuo, nec valens aliter habere, poteſt ſine vlla labe ad ſubueniendum propriæ indigentię conferre aliquid ſupra ſortem, in quo caſu malitia vſuræ ipſi non imputatur, ſed recipienti, vt latè diximus *tom. primo ſub tit. de mutuo, & vſuris*, ergo etiam, quamuis illa iniquitas in adminiſtratione Sacramenti, nõ tamen propria ſimonia ſit ab intrinſeco mala, poterit conſtitutus in extremo periculo ad ſubueniendum propriæ indigentiæ ſpirituali conferre aliquod pretium, non quidem pro re ſpirituali, ſed pro redimenda iniuria, nec eidem imputabitur labes iniquitati, ſed alteri recipienti talem pecuniam, vt conferat Sacramentum; nam æquè qui confert pecuniam in hoc caſu conſulit propriæ egeſtati, ſicuti ille, qui in mutuo confert aliquid ſuprà ſortem, ergo ſi in mutuo vſura eidem non imputatur, ſed dumtaxat recipienti, etiam in ſolutione pecuniæ adhoc, vt conferatur Sacramentum, iniquitas imputanda erit recipienti, & conferenti Sacramentum, non eroganti pecuniam. Vide in quo ſenſu intelligenda ſit hęc probatio *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. in Diſquiſ. 1. §. 21. in reſpon. 1. verſ. dices hæc omnia*, Quamobrem ad id, quod ſuperius dicebatur ex Innocentio XI., & Alexandro VII. dicendum eſt ipſos intendiſſe damnare illorum verſutias, qui, vt acquirerent beneficia ſibi non debita, ſeù ad quæ non habebant ius, alliciebant animos collatorum per pecunias, quas erogabant, non autem voluiſſe impedire, quin poſſent ſe redimere a vexatione, qua impeti poſſunt ab iniquis miniſtris denegantibus eà beneficia, ad quę ius habent, vt ſibi conſulant, ſuiſque bonis ſpiritualibus.

Emolumentum poſſet cōferri, quādò ſacerdos ſacramentum nollet miniſtrare, & hoc ad redimēdā vexationem.

Ad fortius corroborandum id, quod hic per nos dicitur, nonnulla alia placet adducere argumenta. Primum ſit. Quia erogans pecuniam in ea hypotheſi nullam irrogat irreuerentiam Sacramento, ſed potius magnam reuerentiam, ergo nullum erogando pecuniam contrahit peccatum ſimoniæ. Antecedens probatur, quia per illam erogationem euidentèr oſtendit, ſe ſentire Sacramentum illud eſſe neceſſarium ad ſalutem, quod maximè fauet eidem, nec illam pecuniam intendit erogare, tanquam pretium ipſius Sacramenti, in quo ſenſu inferret iniuriam, ſed tantum inducere conferentem ad adimplendum id, quod adimplere tenetur; ergo &c.

Potius fauet ſacramēto, quam eidem iniuriam irroget.

Secundum ſit, quia, ſi quis alius Sacerdotem impediret, ne conferret indigenti Sacramentum poſſet ſine vlla labe remo-

ueri

uerì à tali impedimento, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo etiam ipſe Sacerdos, ſi nollet ex propria prauitate conferre tale Sacramentum, poſſet per talem pecuniæ erogationem moueri ad deponendam prauitatem, & conferre. Conſequentia probatur, quià ideò in primo caſu pecunia poſſet conferri, quamuis iniquè per recipientem acciperetur, quià non confertur pro Sacramento, ſed ad remouendam prauitatem impedientis, ſed etiam in hypotheſi, de qua nos loquimur, pecunia illa non conferretur, vt pretium eiuſdem Sacramenti, ſed ad redimendam vexationem conferre nolentis, cum conferre teneretur, ergo, ſi poteſt in primo caſu conferri pecunia, poterit etiam in ſecundo.

Argumentum ad hanc rem à paritate deductum.

Tertium ſit. Tota maliaria, & turpitudo ſimoniæ in eo conſiſtit, quod per temporalia comparentur ſpiritualia, ex quibus aliud temporale acquiratur, vt videre eſt in exemplo Simonis *actorum* 8. qui volebat emere Spiritum Sanctum, vt poſteà venderet, & maius lucrum captaret, & etiam Giezi, qui ex ſpiritualibus intendebat maiorem quæſtum facere, in quo ſenſu re vera ſpiritualia ordinantur ad temporalia, quod eſt maximè indecens, & ſacrilegum, ſed in hypoteſi, de qua loquimur, erogans pecuniam pro collatione Sacramenti non intendit lucrum aliquod temporale ex illa perceptione Sacramenti acquirere, ſed tantum beneficium ſpirituale, ad quod ius habet, nec ordinat ſpiritualia ad temporalia, ſed potius è contrà, ergo &c.

Ceſſat in hac hypotheſi motiuũ dãnationis, & quomodò.

12 Aſſertio II. Simonia propriè accepta eſt prohibita etiam iure diuino Euangelico. Eſt communis tùm apud Theologos, tùm apud canoniſtas.

Probatur, afferendo plura Scripturæ Sacræ teſtimonia, quibus hæc veritas comprobatur; primò illud Matthæi 10. *Quæ gratis accepiſtis, gratis date*, quæ verba cum modo imperatiuo ſint prolata ab habente quamcunque poteſtatem, & proprietatis, & iuriſdictionis, & etiam legislatiuam non poſſunt importare, niſi præceptum, coſmodo, quo diximus importare illa alia *Mutuum date nihil inde ſperantes*. Secundo illud Actorum 8. *Pecunia ſua tecum ſit in perditionem*, quę verba licet ſupponant malitiam, & turpitudinem in illa oblatione pecuniæ, illam tamen abſolutè damnant propter inordinationem, quam præfert eadem oblatio, ſubditur enim, quia *donum Dei exiſtimaſti pecunia comparari*.

Scriptura ...

Nec ſolum in lege Euangelica prohibita reperitur ſimonia propriè accepta, ſed etiam in lege veteri, & præcipuè 2. *Machabæorum* 4. vbi damnatur Iaſon, eo quià ambierit Sacerdotium ſummum, & obtulerit pro eo conſequendo Antioco Regi multa talenta argenti, vbi textus enumerat mala plurima, quæ ex nefario, & inaudito ſcelere impij Sacerdotis irrepſerunt. Deindè etiam Micheæ 3. vbi legitur *Principes eius in mercede docebant, & propheta eius in pecunia diuinabant* propter, quod Giezi lepra percuſſus eſt 4. *Reg.* 5.

Nõ ſolum eſt prohibita in lege euãgelica, ſed etiam in veteri.

Aſſertio III. Simonia eſt etiam prohibita de iure canonico, per quod etiam prohibitæ ſunt tanquam ſimoniacæ aliquæ pactiones, quæ de iure naturali, & diuino non erat prohibitæ *Sotus lib. 9. de iuſt. quæſt. 5. art. 2. verſic. hinc primum, Nauarrus cap. 23. num. 100. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 2. 4. & 5. Toletus lib. 5. cap. 85. num. 1. & alij communitèr tùm Theologi, tùm Canoniſtæ.* 13

Sotus. Nauarrus. Suarez. Toletus.

Quoad primam partem hæc aſſertio non indiget probatione, quandòquidem clarè conſtat *ex toto tit. de ſimonia, & duabus extrauag. eod. tit. ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. de Reformat. Gregorius cap. fertur* 1. *quæſt.* 1., vbi plurimæ infliguntur pœnæ contrà ſimoniacos.

Quoad ſecundam partem liquet etiam ex ſuperius dictis, & magis clara redditur ex ſubſequentibus prænotionibus. Hoc vnum tantum hic aduertendum eſt, quod vbi ius canonicum prohibet ſimoniam propriè, & in rigore acceptam non ſit propriè diſpoſitiuum, & præceptiuum, ſed dumtaxat declaratiuum, & ad ſummum ſuperaddit pœnas temporales, quæ de iure diuino non erant iniunctæ, de quibus infrà ex profeſſo.

PRÆNOTIO III.

Quodnam, & qualenam peccatum ſit ſimonia.

SVMMARIVM.

Simonia propriè ſumpta aduerſatur virtuti Religionis, & importat ſacrilegium 1.
Emens ſimoniacè propriè, & rigorosè non peccat contrà iuſtitiam commutatiuam 2.
Vendens ſimoniacè rem ſpiritualem peccat contrà iuſtitiam 3.
An vendens peccet peccato iniuſtitiæ, tàm aduerſus ementem, quàm aduerſus Deum duplex ſententia 4.
Defenditur ſententia negans 5.
Venditor duplicem quaſi malitiam contrahit, alteram contrà Religionem, alteram contrà iuſtitiam 6.
Simonia ex genere ſuo eſt peccaminoſa lethalitèr 7.
Eſt talis, vt nec ratione paruitatis materiæ poſſit fieri venialis 8.
Soluuntur plura obiecta in contrarium 9.

Sub

Rationes dubitandi proponuntur.

SVb hoc titulo plures examinabuntur difficultates, quas diſperſas inuenio apud Doctores. Prima erit, an ſimonia ſit peccatum oppoſitum virtuti iuſtitiæ, an verò virtuti Religionis, an vtrique, adeò vt duplicem in ſpecie malitiam præferat. Secunda, an ſit peccatum ex genere ſuo læthale. Tertia, an ratione paruitatis materiæ poſſit quandòque excuſari à noxa læthali, & his ſimilia

Eſt peccatū ſacrilegij contrà virtutē Religionis.

1 Simoniam propriè ſumptam aduerſari virtuti Religionis, adeòque ex genere ſuo importare ſacrilegium, vix eſt qui dubitet, quandòquidem per ipſam maxima irreuerentia irrogatur Deo, cuius dona vilipenduntur, rebuſque ſacris, quæ per eandem ſimoniam ordinantur ad pretium, reſque temporales tanquam ad finem, in quo conſiſtit inordinatio. Tota igitur difficultas in eo ſita eſt, an ſimul, & ſemel etiam aduerſetur iuſtitiæ commutatiuæ. Omiſſis aliorum placitis, ne diutius, quam par ſit, prænotionem protrahamus, breuiter nota iniuſtitiam, ſi quæ eſſet, vel poſſe conſiderari in ordine ad Deum, cuius propriè ſunt bona ſpiritualia ſupernaturalia, vel in ordine ad vendentem eadem bona pro pretio, ſeù re temporali, vel in ordine ad ementem, ſeù tribuentem bona temporalia pro re ſpirituali ſupernaturali. Quibus poſitis ſit

Suarez. Filliuc. Valentia. Azorius. Ognate. Bonacina.

2 Aſſertio I. Emens ſimoniacè propriè, & rigoroſè non peccat contra iuſtitiam commutatiuam. Loquor de Simonia propriè accepta, hoc eſt de ſimonia iure naturali, & diuino prohibita, non de mera poſitiua, de qua infra. *Suarez lib. primo de Religione cap. 4. Filliucius cap. 1. quaſt. 8. Valentia tom. 3. diſp. 6. quaſt. 16. punct. 4. ſub finem. Azorius 3. part. lib. 12. cap. 1. quaſt. 3. de Simonia. Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 81. ſect. 8. num. 227. Bonacina tract. de ſimonia quaſt. 3. prop. 2. num. 14.*

Inter Deū, & creaturam nō poteſt verſari iuſtitia cōmutatiua.

Probatur primò, quià iniuſtitia, quam contraheret ipſe emptor, vel eſſet contrà Deum dominum reì ſpiritualis ſupernaturalis emptæ, vel contra venditorem, qui eſt ſimplicitèr diſpenſator multiformis gratiæ Dei; non aduerſus primum, quandòquidem inter Deum, & creaturam non poteſt verſari iuſtitia commutatiua per ea, quæ communiùs docent Theologi tùm in quæſtionibus de iuſtitia, & iure in ſecunda ſecundæ D. Thomæ, tùm in quæſtionibus de Incarnatione, quod etiam in præſenti ſic euincitur, quià Deus nullam poteſt contrahere obligationem iuſtitiæ commutatiuæ cum creatura, ergo iniuſtitia, quam contrahit ipſe emens, non poteſt eſſe aduerſus Deum. Antecedens probatur, quià iuſtitia commutatiua ſemper verſatur inter datum, & acceptum, ſeù vt loquitur Ariſtotiles, & cum eo D. Thomas inter paſſum, & repaſſum, ſeù contrapaſſum, ſed Deus contrahendo cum creatura non poteſt repati, neque enim à ſe ipſo poteſt abdicare dominium illius rei, reſpectu cuius diceretur repati, ergo non poteſt contrahere obligationem iuſtitiæ cum creatura, adeòque &c.

Vendens rem ſpiritualē nullam patitur iniuriam.

Non ſecundum; quià ipſe vendens nullam patitur iniuriam, cum ipſe velit ſic vendere, & volenti nulla fit iniuria, & licet videatur quodamodò lædi in pretio, cum id, quod erogat, longe deterioris valoris ſit ad id, quod accipit, cum res ſpiritualis ſupernaturalis nullo pretio temporali ſit comparabilis; & compenſabilis, nihilominus propriè non læditur, quandòquidem ipſe confert talem rem cum plena cognitione, quod maioris valoris incomparabilitèr ſit res collata ad pretium accipiendum, & ſic conferendo videtur maiorem valorem ad acceptum liberè remittere; tùm quià ipſe vendens non eſt abſolutè Dominus, ſed ſimplex æconomus, & diſpenſator, & dominus vult ſimplicitèr donari, ergo &c. Confirmatur, quia ipſe vendens conferens rem ſpiritualem ſupernaturalem etiam cum inæqualitate pretij inſert propriè iniuriam ementi, vt per ſe notum eſt, ergo per illam venditionem propriè non patitur ab emente iniuriam. Conſequentia tenet, quia in eo, in quo lædit, propriè non læditur

Non quacunq; iniuria inducit læſionem iuſtitiæ cōmutatiuæ.

Aduerſus ea, quæ dicta ſunt in probatione primæ partis antecedentis propoſiti videtur ea ratio militare, quod in peccato ſimoniæ ſemper reperiatur iniuria Dei, cum vendatur res ſpiritualis, quæ non eſt vendentis, ſed ipſiuſmet Dei. Sed hæc ratio nihil contra intentum euincit, quandòquidem in quocunque peccato circa quodcunque genus ſemper interuenit aliqua iniuria ſaltem affectiua aduerſus eundem Deum, nec tamen in quocunque peccato committitur iniuſtitia. Quamobrem ſemper videndum eſt, vtrum in tali peccato ſubtrahatur aliquod dominium Deo, quod ſi erit, vtique etiam erit iniuſtitia, cum autem tale dominium in ſimonia Deo non ſubtrahatur, nec aliquod damnum ipſi inferatur, certè nulla iniuſtitia aduerſus eundem committitur.

Aduerſus ea, quæ dicta ſunt in probatione ſecundæ partis hæc militare videntur argumenta, & primò, quia in tali contractu non ſeruatur æqualitas requiſita ad iuſtitiam commutatiuam, cum pretium temporale non poſſit adæquare rem ſpiritualem ſupernaturalem, vt per ſe patet. Secundò, quia venditio eſt ex genere ſuo contractus pertinens ad iuſtitiam commutatiuam, ſed ſimonia eſt contractus vendi-

tionis, & emptionis; & eſt cum inæqualitate, ergo eſt contra iuſtitiam commutatiuam. Tertiò, quià ſi Procurator, vel mandatarius iuſſum, ſeù mandatum habeat à Domino, vt rem ſuam alicui tradat gratis, vel ob liberalitatem, vel amicitiam, vel alio titulo gratuito, vt contingit in hærede obligato per teſtatorem ad erogandum aliquid ex hæreditate titulo legati alicui tertiæ perſonæ, & tamen aliquid recipiat ab amico, vel à legatario peccat per talem receptionem contrà iuſtitiam commutatiuam, ergo etiam, qui ex re ſpirituali ſibi data, vt gratis alteri conferatur, aliquid recipit, peccabit aduerſus eandem iuſtitiam. Sed facilè etiam ab his argumentis me eximo, Ad primum enim dico, quamuis adſit illa inæqualitas enuntiata in primo argumento, non tamen interuenire peccatum contra iuſtitiam ex parte ementis, quandòquidem hic non tenetur aliquid conferre nec ad æqualitatem, nec ad inæqualitatem, vndè ſi aliquid ab ipſo exigitur contrà ius exigitur, & ſic potius eſt peccatum exigentis, quam eius, à quo exigitur ea proportionali ratione, qua diximus in vſura, quæ peccato afficit mutuantem exigentem, non mutuatarium inuoluntariè mixtè contribuentem. Ad ſecundum etiam aſſero ſimoniam inuoluere venditionem, quæ venditio in caſu, de quo loquimur, interuenit, ſed ex parte ementis, & Dei eſt inuoluntaria, quæ propterea iniuſtitiæ labe non afficit ipſum ementem. Ad tertium dico argumentum maximè eſſe conſonum ijs, quæ in ſubſequenti aſſertione à nobis dicentur, nec tamen officere ijs, quæ hic dicuntur, quià reſpiciunt non ipſum ementem, ſed vendentem, vt per ſe patet.

Eſt potius peccatum exigentis, quã peccatũ ſoluentis.

Illa inæqualitas ex parte ementis eſt inuoluntaria.

Probatur ſecundò aſſertio in vniuerſum, quià mutuatarius in mutuo aliquid erogans ſupra ſortem mutuanti non peccat contra iuſtitiam, eo quià per talem erogationem ipſum mutuantem non lædit, ſed potius ipſe læditur, ergo neque peccat contra iuſtitiam emens ſimoniacè, ſi aliquid eroget pro re ſpirituali, ſed potius vendens. Antecedens latè probatum eſt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris*. Conſequentia probatur, quià ideò mutuatarius per talem erogationem ſuprà ſortem non peccat peccato iniuſtitiæ, quià non facit contrà ius alterius, ſed potius ſuprà ius, quod habet, nec ipſum lædit, ſed potius læditur, ſed etiam ſimoniacè emens non facit contra ius venditoris, ſed potius ſuprà ius, quod non habet, nec ipſum lædit, ſed potius læditur, ergo non peccat contra iuſtitiam.

Simoniacè emens nõ facit contrà ius vẽditoris, ſed potius ſuprà.

Dices, peccare contrà iuſtitiam ex eo capite, quod ſcit, quod Deus non vult rem ſpiritualem nec per ſe, nec per ſuum diſpenſatorem vendere, & tamen de facto ipſe emit. Sed contrà, quia etiam mutuatarius ſcit, quod Deus non vult vſuram, & tamen, ſi ipſam ſoluat non peccat contrà iuſtitiam, quia non lædit ius alterius, ergo etiam, quamuis ſciat, quod Deus non vult nec per ſe, nec per ſuum Æconomum vendere rem ſpiritualem, non tamen peccabit contrà iuſtitiam erogando pecuniam, ſeù aliud temporale pretio æſtimabile pro illa, cum per illam erogationem, nec lædat Deum, à quo non abdicatur dominium rei ſpiritualis acquiſitæ, nec vendentem, qui nullum ius habet ad acquirendam illam pecuniam, ſeù aliud pretio æſtimabile; Deindè non abſolutè emit, eo quia voluntatem non habet emendi. Tertiò, quià Deus non vult vendi ob irreuerentiam, quæ irrogatur rei ſacræ; non propter iniuſtitiam, quæ committeretur, cum nullum ius ipſius violaretur.

Deus non vult vendi rem ſacram propter irreuerentiã, nõ propter iniuſtitiã.

Aſſertio II, Vendens ſimoniacè rem ſpiritualem pro pretio temporali peccat contrà iuſtitiam *Ognate d. tract. 23. de ſimonia diſp. 81. ſect. 8. n. 230. Suarez lib. 4. cap. 4. n. 7. Reginaldus cap. 23. nu. 162. Filliucius tract. 45. cap. 1. quaſt. 9. nu. 19. Leſſius lib. 2. cap. 35. num. 22. Valentia tom. 3. diſp. 6. quaſt. 16. puncto 4. ſub finem. Azorius 3. part. lib. 12. cap. 1. quaſt. 3.* 3

Ognate, Suarez, Reginaldus, Filliuc. Leſſius, Valent. Azorius.

Probatur primò, quià vendens exigens aliquod pretium ab eo, à quo non poteſt exigere, peccat contrà iuſtitiam, eo quià ipſum lædit in ſuis bonis aduerſus omne ius, quod certè non habet, ſed vendens ſimoniacè aliquid ex bonis ementis acquirit, ad quæ nullum ius habet, cum ipſe non habeat dominium rei venditæ, ſed potius mandatum à Domino, vt non vendat pro pretio, ſeù re temporali pretio æſtimabili iuxta illud toties decantatum. *Quæ gratis accepiſtis, gratis date*, ergo, ſi aliquid accipiat, verè, & rigoroſè peccat contrà iuſtitiam.

Exigit pretium, ad quod non habet ius.

Dices regularitèr in ſimonia ementes ſe ſpontè inuitant, & pretium offerunt, ergo non peccant vendentes contrà iuſtitiam illud recipiendo, quandòquidem volenti nulla fit iniuria. Sed contra, quia illa oblatio non eſt abſolutè voluntaria, ſed inuoluntaria mixtè, quatenus offerens ſcit collatorem nolle conferre gratis, prout habet mandatum à Domino, niſi illud, quod offerens erogare promittit, recipiat, ſeù ſibi tribuatur, vndè illud acceptare nequit præciſo titulo gratuito donationis.

Oblatio ementis, nõ eſt voluntaria, ſed inuoluntaria mixtè.

Probatur ſecundò, & fortius roboratur reſponſio ad inſtantiam. Quamuis mutuans vltroneè offerat vſuras mutuanti, ſi mutuum ſibi conferat, adhuc hic peccat peccato iniuſtitiæ illas recipiendo, quià

illa

illa oblatio non eſt voluntaria ſimpliciter, ſed inuoluntaria mixtè, ergo etiam quamuis emens ſimoniacè offerat pretium pro re ſpirituali, adhuc vendens peccato iniuſtitiæ afficietur, ſi conuentum recipiat pro eadem re ſpirituali. Conſequentia probatur, quià non minus eſt inuoluntaria illa oblatio facta in ſimonia, ac in mutuo, non minus tenetur vendens conferre gratis, ac teneatur mutuans, cum de vtroque habeatur præceptum diuinum nihil recipiendi, vt quoad mutuantem habetur in illis verbis Matthæi *Mutuum date nihil inde ſperantes*, quoad collatorem illis alijs eiuſdem. *Quæ gratis accepiſtis, gratis date*.

Argumentum à parvitate emptoris in vſura.

Probatur tertiò aſſertio manifeſtis exēplis, & in primis in caſu hæredis, qui, ſi per teſtatorem obligetur ad aliquid gratis erogandum legatario, quod tamen nolit erogare, niſi ſibi aliquid erogetur, peccat contrà iuſtitiam illud exigendo, & recipiendo. Secundò in miniſtro Principis, qui iuſſus dare in ſolutum mille alicui nemine reluctante peccat contrà iuſtitiam, ſi renuat tradere, niſi ſibi per eum, cui ſunt tradendi, cedantur centum, vel quid ſimile. Tertiò in Theſaurario, qui iuſſus dare eleemoſinam Pauperi, vel non dat, vel aliquid mutilat in præiudicium eiuſdem pauperis, ergo etiam a labe iniuſtitiæ non eſt eximendus collator rei ſpiritualis, qui iuſſus eandem rem à Domino conferre gratis, non confert, niſi accepta pecunia, vel alia re temporali pretio æſtimabili.

Adducuntur varia exempla accōmoda ad remonſtrandum.

4 Hic oritur difficultas, an vendens ſimoniacè peccet non ſolum contra iuſtitiam aduerſus ementem, ſed etiam aduerſus Deum, qui eſt Dominus rerum ſpiritualium. Ognate *d. tract. 23. de ſimonia diſp. 81. ſect. 8. num. 230.* abſolute ſentit peccare etiam contrà iuſtitiam aduerſus Deum, eaque ratione mouetur, quia qui rem alienam vendit inuito Domino peccat aduerſus eundem Dominum peccato iniuſtitiæ, ſed Diſpenſator rerum ſpiritualium illas ſimoniacè vendens vendit inuito Deo contra expreſſum ipſius mandatum pręcipientis omninò gratis conferri, ergo iniuſtitiæ labe afficitur.

Ognate.

Qui ſuſtinet peccare etiam aduerſus Deum.

5 Nihilominus noſtris principijs inhærendo abſolutè ſentiendum eſt, peccato iniuſtitiæ aduerſus Deum non peccare ea potiſſimum ratione, quia inter Deum, & creaturam non poteſt dari rigoroſa iuſtitia commutatiua, cum hæc verſetur inter paſſum, & repaſſum, ſeù contrapaſſum, & Deus non poſſit repati à creatura abdicando à ſe dominium alicuius rei, cum hoc ab ipſo ſit inabdicabile, ergo creatura peccato iniuſtitiæ non poteſt aduerſus ipſum peccare.

Non peccat ſimoniacus venditor peccato iniuſtitiæ aduerſus Deum.

Dices, quod quamuis dominium ſupremum, quod habet Deus ſit inabidicabile ab ipſo, & non communicabile creaturis, Deum tamen communicare dominium baſſum rerum ſuarum eiſdem creaturis, & hoc dominium particulare habet Deus in rebus ſacris, quæ nullius ſunt, niſi ſolius Dei, & hoc communicari poteſt ab ipſo Deo, & rurſus poteſt illud in ſe retinere. Hæc ferè ad verbum *Ognate loc. cit. nu. 235.* contrariæ ſententiæ aſſertor. Sed contrà, quia Deus in ordine ad res ſacras ſpirituales dominium illarum non tranſtulit in creaturas, ſed ipſas conſtituit dumtaxat diſpenſatores aſſerente Apoſtolo, *Vnuſquiſque, prout accepit gratiam illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratia Dei*. Deinde dato etiam, quod communicauerit dominium illud baſſum, illud tamen idem ius, quod habebat ante venditionem factam per collatorem, adhuc retinet poſt eandem, ergo læſus non remanet in illa venditione, adeòque aduerſus ipſum iniuſtitia nulla committitur, quæ ſolum eſſe poteſt inter paſſum, & repaſſum, vt ſupra innuebamus.

Ognate.

Deus non læditur quāuis dominium baſſum alicui tranſtulerit.

Magis confirmatur noſtrum aſſertum, quia ipſe collator per talem venditionem non obligatur ex iuſtitia ad aliquam reſtitutionem Deo faciendam, ergo nullam iniuſtitiam aduerſus eundem commiſſit. Antecedens non vertitur in dubium. Conſequentia probatur, quià ex læſione iuſtitiæ commutatiuæ oritur onus reſtitutionis, & ex negatione talis oneris optimè arguitur negatio læſionis, ergo, ſi ad nullam reſtitutionem, ſeù compenſationem tenetur, ſignum eſt, quod ipſam iuſtitiam non læſit.

Venditor rei ſacræ non obligatur ad aliquā reſtitutionē verſus Deum.

Nunc ad argumentum allatum per Ognate reſpondendum eſt, & quidem non per quamcunque prohibitionem induci læſionem iuſtitię, ſed per eam dumtaxat, per quam quis læditur in aliquo iure, quod amittat, quod non militat in caſu, de quo loquimur, in quo Deus per talem venditionem nullum ius amittit, quod prius habebat, adeòque &c.

Ex quibus omnibus deducere licet, emptorem ſimoniacum, non niſi vnicam in ſpecie malitiam contrahere oppoſitam virtuti Religionis; venditorem verò quaſi duplicem, alteram oppoſitam virtuti Religionis, quæ eſt ſacrilegium, alteram oppoſitam virtuti iuſtitiæ, quæ æquiparatur furto, vndè ex genere ſuo ſimonia grauius peccatum eſt in venditore, ac ſit in emptore, vt per ſe patet. 6

Duplex quodammodò peccatum venditoris, & quale.

Aſſertio III. Simonia ex genere ſuo eſt peccaminoſa læthaliter. *Bonacina tract. de ſimonia quæſt. 3. Prænot. 2. num. 11.* & cum eo eſt communis Theologorum, & canoniſtarum conſenſus. 7

Bonacina.

Probatur primò, Sacrarum Scriptura-

rum teſtimonio huiuſmodi crimen tanquam nefandum, flagitioſum, & vt pernitioſiſſimum deteſtantium, & primo Actorum 8. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*, in cuius exprobationem vlterius Petrus inuehens ſubdit, *in Felle amaritudinis, & obligatione peccati video te eſſe*, & poſteà per quandam Emphaſim contrà ſimoniacos progreditur. *Væ illis, qui mercede Balaam conducti ſunt*. Secundo ſententia illa in filios Heli prolata. *Erat autem puerorum peccatum maximum, quià retrahebant homines à ſacrificio*, & ex pæna lepræ induſta Naaman propter huiuſmodi crimen.

Grauitas delicti ex Sacris Scripturis elicitur.

Probatur ſecundò ex varijs canonibus, conciliorum definitionibus, SS. PP. auctoritatibus execrandis nominibus hanc labem appellantium, & vt inſenſiſſimam deteſtantium, ſic *cap. cum eſſent* 12. *de ſimonia, & cap. veniens* 19. *& cap. dilectus* 30. *eod. tit.* dicitur *ſimoniaca prauitas*, quod certe nomen importat crimen ex genere ſuo abhominabile, *& cap. ſi dominus* 3. *de ſimonia*, dicitur ſimoniaca rabies, ad indicandam auiditatem, qua ſimoniaci inhiant ad turpia lucra. Dicitur item *horribile crimen cap.* 9. *de ſimonia*, & *cap. de Regularibus de ſimonia* execrabilis exceſſus, & *cap. Presbyter* 1. *quaſt.* 1. appellatur ſimoniaca hæreſis, & ſimoniaci dicuntur hæreteci, quod idem repetitur *in cap. benedictio, & cap. quiſquis ibid.* 1. *quaſt.* 1., & hoc idem ſtatuitur in Nicæna Sinodo; vndè vehementius inuehens Paſchaſius Papa contrà Simoniacos ita alloquitur *Placet Simoniacos veluti primos, & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus reſpuendos*, & Paulo poſt rationem addit aſſerens. *Omnia enim crimina comparatione ſimoniacæ hæreſis veluti pro nihilo reputantur*. Idem aſſerunt *Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius*, prout refertur *in cit. cap.* 1. *quaſt.* 1. exprobantes crimen ſimoniæ, vt hęreticum, & flagitioſiſſimum. Quæ omnia licet inferant maximam grauitatem in tali crimine, non tamen in toto rigore accipienda ſunt, præcipuè, dum expreſsè dicitur hæreſis, & omnium peccatorum maximum, hæc etenim dicta ſunt per quandam exaggerationem ad deterrendos homines à tali crimine, cæterum in rigore hæreſis non eſt, niſi accedat iudicium erroneum, quo credantur dona Dei poſſe pretio temporali comparari.

Varia nomina ſimoniæ, quæ indicant grauitatem delicti.

Probatur tertio ratione, quia per tale crimen non leuis iniuria Deo, rebuſque ſacris irrogatur, dum dona Spiritus Sancti comparantur rebus temporalibus, & pro illis commutantur, ſicque venalia fiunt contrà reuerentiam eiſdem ex natura, & dignitate debitam, quin etiam maximum damnum infertur Eccleſiæ Dei, quam perdit funditus, & deuaſtat hoc crimen, quandòquidem ſæpè per ipſam ſimoniam conferuntur beneficia indignis, & remouentur digniſſimi, quià pauperes, & auocantur indigni, quia diuites, & ſic tepeſcit bonarum artium diſciplina, virtutum feruor, & honeſtas omnis exulat, ergo &c. Confirmatur, quià ex ſupradictis ſimonia eſt peccatum in genere ſacrilegij, & iniuſtitiæ, ſed ſacrilegium, & iniuſtitia eſt ex genere ſuo peccatum læthale, ergo &c.

Colligitur etiam grauitas ex graui iniuria, quæ irrogatur Deo, rebuſq; ſacris.

Aſſertio IV. Simonia ita eſt ex genere ſuo peccaminoſa læthalitèr, vt nec ratione paruitatis materiæ poſſit conſtitui venialis *Suarez lib.* 4. *de ſimonia cap.* 3. *num.* 4. *Vgolinus de ſimonia tab.* 1. *cap.* 15., *&* 16. *Reginaldus cap.* 23. *quaſt.* 5. *num.* 166. *§. quod autem*. *Fillincius tract.* 43. *cap.* 1. *quaſt.* 6. *num.* 12. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 35. 8

Suarez. Vgolinus. Reginaldus. Filliuc. Leſſius.

Probatur peccatum, quod adeſt in ſimonia eſt potiſſimum ratione irreuerentiæ, quæ infertur rei ſacræ, ſeù ipſi Deo auctori rei ſacræ, ſed talis irreuerentia æque reperitur in venditione rei ſpiritualis in magna quantitate, ac in parua, ergo &c. Minor probatur, quià quamuis venditio fuerit in modica quantitate, adhuc non tollitur, quin res ſacra contemnatur, cum comparetur, ordinetur ad res temporales, & vilipendatur, & ſemper ſequitur eadem improportio quoad valorem, & æſtimationem vtriuſque quaſi ſummè diſtantis, & incomparabilis, ergo ſemper eſt eadem irreuerentia, cum dona Dei per ipſam quodamodò redigantur in ordinem earum rerum, quas natura pedibus noſtris quaſi conculcandas ſubiecit.

Irreuerentia æquè reperitur in venditione rei paruæ, & magnæ.

Probatur ſecundò, quià, ſi quandòque ob paruitatem materiæ ſimonia excuſaretur à grauitate læthali, & conſtitueretur in ordine venialium, vel eſſet ratione paruitatis rei ſacræ, quæ venderetur, vel ratione paruitatis pretij, quod pro ipſa conferretur; ex neutro capite poteſt oriri leuitas in peccato, ergo &c. Minor quoad primam partem probatur, quia res ſpiritualis quantumuis in modiciſſima quantitate ſemper ſummè diſtat à re temporali, & æquè contemnit eandem rem ſpiritualem, qui contemnit in modica quantitate, ac qui contemnit in maxima; ſemper enim ordinat res ſpirituales ad temporalia, & quantum eſt ex ſe paruipendit in quacunque copia venditet, ergo &c. Probatur etiam eadem minor quoad ſecundam partem, quia ex eo, quod erogetur modica quantitas rei temporalis pro ſpirituali potius augetur malitia, quam diminuatur, ergo &c. Antecedens probatur, quia malitia ſimoniæ potiſſimum ex eo deſumitur, quod aduerſus dignitatem, & reuerentiam rei ſacræ debitam ordinetur id, quod perfectius eſt, & altioris ordinis ad id, quod eſt

Nec excuſatur à grauitate ratione paruitatis rei ſacræ, nec ratione paucitatis pretij.

Digitized by Google

eſt imperfectius, & ordinis inferioris, & quantum eſt ex affectu contractantium coadæquentur, cum ſit inadæquabilia, ſed ex eo, quod quid modicum rei temporalis erogetur pro re ſpirituali maior ponitur inadæquatio, maiorque irreuerentia, ergo &c. Minor probatur, quia ſi eſt irreuerentia propter inæqualitatem, quandò temporale etiam in magna quantitate confertur pro ſpirituali, maior certè erit irreuerentia, quandò temporale in modica quantitate pro eodem ſpirituali erogatur, quandòquidem eſt maior inæqualitas, & ſi dicitur, quod res ſpiritualis contemnitur, quandò traditur pro temporali magno, etiam & à fortiori contemni dicenda eſt quandò pro modico confertur.

Maior ponitur inæqualitas ex; eo, quod modicum pro ſpirituali cöfer atur.

9 Dices, videri omninò contrà ius rationis, quod pro vno obolo dato pro re ſpirituali contrahatur noxa læthalis, cum etiam non contrahatur per furtum eiuſdem oboli, vndè expreſsè dicitur *in cap. & ſi quæſtiones* 12. *de ſimonia* nimis ſcrupoloſè errare, qui formidat accipere vnum obolum, ſeù vnum obſonium. Item nimis durum videri, quod læthalitèr peccet, qui vendit vnum Agnus Dei, vel quid ſimile modicum. Sed contra libentiſſimè fateor furtum vnius oboli non eſſe peccaminoſum læthalitèr ob rationem paruitatis materiæ, eſt autem peccaminoſa læthalitèr oblatio eiuſdem oboli pro acquirenda re ſacra, ſeù ſpirituali. Ratio eſt, quia malitia in conſecutione rei ſpiritualis pro temporali non deſumitur ratione materiæ ſecundum ſe materialitèr conſideratæ, ſed ratione irreuerentiæ, quæ dependentèr ab eadem re rei ſpirituali irrogatur propter inæqualitatem, quam cum ipſa ſeruat res temporalis, quod vt clarius percipias accipe hoc exemplum. Si quis in pretium rei valentis centum nummos aureos conferret dumtaxat vnum obolum, nonne peccaret læthalitèr? Certe hoc eſt in confeſſo apud omnes. Dic quæſo cur? certè propter inæqualitatem. Confer iam ad rem noſtram, & dic, quod res ſpiritualis longè maioris, & incomparabilis valoris ſit, ac quæcunque res temporalis. Si igitur propter eandem rem ſpiritualem conferatur modica quantitas rei temporalis cum maior ponatur inæqualitas, maior culpa inducitur, quia quo magis pretium minuitur, eo maior iniuſtitia conſtituetur, & vilipendium rei ſpiritualis, vt ſupra in probatione dicebamus. Ad id, quod ſubditur *ex cap. & ſi quæſt.* 12. dicendum eſt, ea procedere, quia ibi agebatur de collatione illius oboli titulo donationis, qui titulus magis præſumitur in re modica, ac in magna, prout rectè adnotauit *Reginaldus lib.* 23. *nu.* 166. *&* 219. Idem fere, quod ſupra reſpondeas ad id, quod dicebatur de venditione Agnus Dei.

Malitia non deſumitur ratione materia, ſed ratione irreuerentie.

Reginaldus.

Dices ſecundò ex *Nauarro lib.* 5. *conſil tit. de ſimonia conſ.* 2. *num.* 3. paruitas materiæ efficit, vt excommunicatio propter illam non incurratur in ſimonia, ergo eandem ſubtrahit à peccato læthali, ſine quo excommunicatio non contrahitur. Sed contra in primis, quia id, quod dicitur in antecedenti, non ita verum eſt, quin cõtrarium ſtatuatur a *Suarez tom. primo de Religione lib.* 4 *cap.* 2. *num.* 3. *Filluccio tom.* 3. *tract.* 45. *cap.* 1. *quæſt.* 6. *num.* 13. *Vgolino de ſimonia tab.* 1. *cap.* 16. *& cap.* 54. *nu.* 3. vbi extendunt excommunicationem contrahi, etiam ſi pretium, quod traditur, modicum ſit, aut res ſpiritualis ſit parua. Deindè quidquid ſit de illa excuſatione ab excommunicatione non per hoc euincitur, quod in tali actu non fuerit noxa læthalis, nam re vera regularitèr valet, quod non poſſit eſſe excommunicatio ſine noxa læthali, non verò è contrà, quod non poſſit eſſe noxa læthalis ſine excommunicatione. Quamobrem ad fauendum ad liberalitatem, non ad neceſſitatem hac in re Nauarro poſſumus dicere, quod, cum Excommunicatio ſit pęna Eccleſiaſtica, & a iure poſitiuo inducta, ex begnigna interpretatione eiuſdem iuris non extendatur ad ſimoniam, niſi in materia graui, potuit enim hæc pæna ſic induci, ſic interpretari, & ſub hac conditione ſolummodò acceptari; cum verò è contra ratio malitiæ deſumatur ex natura rei præſcindendo etiam a quacunque diſpoſitione iuris poſitiui, & a deformitate actus a recta ratione conſiſtentis in eo, quod res ſpiritualis ordinetur ad temporale tanquam finem, & quodamodò quantum eſt ex affectu peccantium res eadem ſpiritualis vilipendatur, quod ſequitur, ſiuè fuerit in modico, ſiuè in magno, hinc eſt, quod ſemper eadem noxa læthalis committetur ſimoniam in quacunque quantitate.

Nauarrus.

Suarez. Filluc. Vgolinis

Ex eo, quod ratione paruitatis materia excuſetur ab excõmunicatione, non excuſatur tamen à culpa, & quare.

PRONOTIO IV.

An contractus ſimoniacus ipſo iure ſit nullus, & ea, quæ ex ipſo conſequuntur.

SVMMARIVM.

Nonnulla nòtabilia ad præſens inſtitutum 1.
Contractus ſimoniacus propriè ſumptus eſt ſecundum ſe, & ipſo iure irritus 2.
Sacramenta à ſimoniaco, ſeù per ſimoniam adminiſtrata non ſunt inualida 3.
Excipe tamen Sacramentum pœnitentiæ, ſi recipiens concurrerit ſcientèr ad ſimoniam 4.
Ingreſſus in Religionem, & profeſſio in eadem emiſſa per ſimoniam valida ſunt 5.

Bene-

Beneficia per ſimoniam collata, ſeù obtenta ſunt ipſo iure nulla 6.
Intellige de iure poſitiuo, non de iure naturæ 7.

PRopoſitus titulus viam aperit ad difficultates non modicas, & vrgentes in hac materia diſcutiendas, & diſſoluendas, nam, ſi ipſe contractus ſimoniacus ipſo iure, & ſecundum ſe eſt abſolutè nullus, manifeſtè ſequitur, quod per ipſum non transferatur dominium rei ſacræ in ementem, nec dominium pretij in vendentem, ſi verò validus eſt, ſequitur, quod beneficiarius ſimoniacus beneficium ſimoniacè acceptum non teneatur reſtituere, nec venditor eiuſdem nummos inde acceptos, quod præcipuè in ordine ad emptorem verificari videtur ex ijs, quæ nos ſuprà diximus, ſcilicet emptorem ſimoniacum non peccare contra iuſtitiam, ex cuius læſione ſolummodò videtur oriri onus reſtitutionis. Pro ſolutione.

1 Aduerte primò, aliud eſſe contractum ipſo iure, & facto eſſe nullum, & irritum, aliud eſſe contractum eſſe, vel actione irritandum, vel exceptione infirmandum; contractus primo modo ſumptus eſt potius non contractus, quam contractus, nullamque vim habet, nec habere poteſt, nec in origine, nec in ſtatu, nec in effectibus, vndè quoad effectus perindè eſt, ac ſi non fuiſſet initus. Contractus verò ſecundo modo acceptus vim aliquam habet in ſua radice quoad obligationem in contrahentibus productam, tribuit tamen vim, ſeù ius actionis, vel ipſis contrahentibus, vel alijs habentibus ius aliquod in tali contractu ad intentandam, vel vi eiuſdem actionis, vel ope exceptionis reciſcionem. Primo modo ſumptus nullam poteſt parere actionem, nullam obligationem inducere, nulloſque producere effectus, nec intereſſe, nec indiget hominis miniſterio ad ipſius diſſolutionem, cum ipſa natura ipſum diſſoluat. Secundo modo, & actiones producit ad diſſolutionem, & ius ad fructuum conſecutionem, donec per eandem actionem diſſoluatur, niſi alter diſponatur, ſeù ſit diſpoſitum a iure.

Aliud eſt contractũ eſſe irritũ aliud eſſe irritandũ

Aduerte ſecundò, aliud eſſe quærere, an contractus ſimoniacus nullus ſit, & nullius effectus, aliud verò, an ex eo ſecuta, ſi de facto fuerit celebratus, propter nullitatem eiuſdem nullius roboris ſint, nullumque valentia conſequi effectum, ad quod reducitur inquiſitio, an ſacramenta, & ſacramentalia per ſimoniam inducta ſint nulla, an item nulla collata iuriſdictio eiuſque exercitium, & tandem nulla collata beneficia, & alia ex ipſis ſecuta. His pro notitia ſuppoſitis ſit

Aſſertio I. Contractus ſimoniacus propriè ſumptus, & ſecundum ſe eſt ipſo iure 2
nullus *Panormitanus, & Innocentius in cap. tua nos 34. de ſimonia Bonacina quæſt. 7. §. 7. num. 1. & 2. Suarez lib. 4. cap. 53. num. 2. Fillincius tract. 45. cap. 12. num. 3. Reginaldus lib. 23. num.* 181. Colligitur *ex cap. vlt. de pactis, & cap. vltimo de rerum permut. & d. cap. tua nos de ſimonia, & cap. quam pio 1. quæſt. 2.*

Panorm. Innocentius. Bonacina Suarez. Filliuc. Reginaldus.

Probatur primò, quià res ſpiritualis, quæque ratione rei ſacræ annexæ eſt ſubiectum ſimoniæ, eſt omninò inuendibilis non ſolum propter improportionem, & inæqualitatem, quam habet ad res temporales, cum quibus non poteſt eſſe nec comparatio, nec adæquatio, ſed etiam propter defectum dominij in vendente, ergo defectu proportionatæ materiæ, & dominij in vendente contractus non poteſt eſſe validus, & ſubſiſtens, adeòque irritus. Secundò, quia quæcunque pactiones rerum temporalium pro ſpiritualibus omninò irritæ ſunt, & nullius roboris *cap. tua nos 34. de ſimonia, & cap. quam pio 1. quæſt.* 2. quod multis allegatis iuribus, & adductis rationibus comprobat *Ognate d. tract. 23. de ſimonia diſp. 81. ſect. 3. num. 232.* & vlterius proſequuntur *Toletus lib. 5. ſumma cap. 85. num. 2. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 4. num. 7. Leſſius cap. 35. dub. 4. num. 27.*, ergo etiam contractus, qui ex eiſdem retinitat, erit omninò nullus, ſeù nullius roboris. Confirmatur ſecundò, inita conuentione inter collatorem de conferenda re ſpirituali, vel ſpirituali annexa, & emptorem de conferendo determinato, & conuento pretio poteſt emptor non conſerre pretium, vel collatum repetere, & collator nolle conferre rem ſpiritualem, quam promiſſit, ergo defectu inualiditatis pactionis, & contractus &c. ergo &c.

Eſt nullus tum ratione improportionis, cum defectu dominij.

Ognate. Toletus. Suarez. Leſſius.

Dices, qui confert pretium pro re ſpirituali, ſeù conuenit de illo conferendo eſt abſolutè Dominus talis pretij, & confert, ſeù conuenit conferre abſoluta voluntate illud transferendi in venditorem, ſeù collatorem; Rurſus collator eſt verè, & propriè miniſter Eccleſiæ, & propria & abſoluta voluntate miniſtrat dando rem ſpiritualem pro temporali, ergo illa collatio eſt vera, & ex vtraque parte valida. Sed contra, quia ex eo, quod quis ſit Dominus pecuniæ ſuæ, arguitur quidem, quod de illa poſſit pro ſuo libito diſponere in ordine ad eos vſus, qui lege aliqua non ſunt prohibiti, non autem in ordine ad eos vſus, qui iure naturali, & diuino prohibentur, vt euenit in caſu noſtro, in quo emptio rerum ſpiritualium pro pretio temporali eſt tùm lege naturæ, tùm Dei prohibita. Deindè ipſe collator conſtitutus quidem eſt mini-

Dominus pecuniæ poteſt de illa diſponere ad vſus non vetitos à iure naturali, vel poſitiuo.

ſter

ſter Dei, & Eccleſiæ ad miniſtrandum iuxtà modum à Chriſto Domino diſpoſitum, non contrà talem modum, cum miniſter debeat diſpenſare iuxtà voluntatem eius, cuius eſt miniſter.

3 Ad diſſoluenda plura argumenta, quæ aduerſus aſſertionem hanc, & alias infra ponendas objici poſſunt, aduerte multa quidem dependentèr à tali contractu quantumuis nullo conſiſtere, non tamen ex vi eiuſdem contractus, ſed ex alio capite, vt infra dicemus de ſacramentis ſimoniacè collatis, quæ tamen ſecundum ſe valida ſunt. Pro quibus ſit

Aſſertio II. Sacramenta à ſimoniaco, & per ſimoniam adminiſtrata non ſunt inualida, ſi excipias ſacramentum pœnitentiæ *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 3. Fillincius tract. 45. cap. 13. quæſt. 6. num. 21., & quæſt. 7. num. 22. Reginaldus d. cap. 23. num. 181. Bonacina de ſimonia quæſt. 7. §. 7. punct. 2. num. 3.*

Suarez. Filliut. Reginaldus. Bonacin.

Probatur, poteſtas conficiendi ſacramenta à Chriſto Domino collata non tollitur, nec ſuſpenditur ex eo, quod in exercitio talis poteſtatis, quam quis habet, crimen ſimoniæ coniungat, vel aliquod peccatum læthale, ergo eadem ſacramenta confecta per habentem crimen ſimoniæ, & collata alteri ſimoniacè concurrenti, non ſunt inualida. Antecedens probatur, ea, quæ ſunt poteſtatis ordinis quoad vim conficiendi, vim habent à Chriſto Domino, ſi omnia requiſita ad illius exercitium adhibeantur, ſed talis vis non ſuſpenditur ex eo, quod coniungatur cum crimine ſimoniaco, ergo &c. Minor probatur ex eo, quod poteſtas ordinis exerceatur in peccato læthali, non reddit opus irritum, quod per ipſam regularitèr fit, quis enim diceret ordinationem factam per Epiſcopum exiſtentem in peccatò læthali, vel luxuriæ, vel ambitionis, & conſecrationem exercitam per ſacrilegum eſſe inualidam? ergo &c. Conſequentia primi argumenti probatur, quia poſitis omnibus requiſitis ad aliquod opus, non eſt, cur opus illud non debeat ſubſiſtere.

Ex eo, quod poteſtas ordinis exerceatur in peccato læthali non reddit opus irritum.

Probatur ſecundò, varijs SS. PP. auctoritatibus, & rationibus ex eiſdem auctoritatibus deductis, & primò ex illa Auguſtini relata *in cap. omnia 1. quæſt. 1.* Omnia ſacramenta cum obſint indignè tractantibus, proſunt tamen pro eos dignè ſumentibus. Secundo ex illa Gregorij relata *in cap. non nocet 1. quæſt. 1.* Non nocet malitia Epiſcopi, nec ad baptiſmum infantis, nec ad Eccleſiæ conſecrationem, quia baptiſmus a Deo datur, non ab homine venit, ſic & Euchariſtia, & omnia, quæ in altari ponuntur non ab homine, ſed à Deo ſanctificationem accipiunt, vndè Auguſtinus ſubdit *Memento ſacramentis Dei nihil obeſſe mores malorum hominum, quominus illa, vel non ſint, vel minus ſancta ſint.*

Dicta SS. PP. enim contra intentum.

Neque ijs, quæ dicta ſunt, obeſſe poteſt textus *in cap. Eccleſia 1. quæſt. 4.*, vbi dicitur, quod Eccleſia, quæ per pactionem conſecrata fuerit, potius execrata, quam conſecrata dicenda ſit, nec minus textus *in cap. ea qua 1. quæſt. 1.* vbi dicitur. *Quidquid in ſacris ordinibus, vel in Eccleſiaſticis rebus, vel data, vel accepta pecunia acquiſitum eſt nos irritum eſſe, & nullas penitùs vires habere cenſemus*, nec item textus *in cap. non oportet 1. quæſt. 1.*, vbi ſic loquitur. *Non oportet hæreticorum benedictiones accipere, quoniam magis ſunt maledictiones, quam benedictiones*, ergo &c. Non, inquam, obeſſe poſſunt, non primus, quia Eccleſia non dicitur execrata, eo quia non ſit conſecrata, ſed quia conſecrans, quantum eſt ex ſe illam polluit, quia conſecrando grauius peccatum commiſit, vndè non eſt execrata in ſe, ſed dumtaxat ex parte indignè, & quodamodò ſacrilegè conſecrantis; non ſecundus, quia ordines per ſimoniam collati in iure dicuntur irriti, non quia verè irriti ſint quoad ſubſtantiam, ſed quia vetitus eſt illorum vſus. Idem, quod dictum fuit ad primum reſpondeas ad tertium.

Soluuntur nonnulla dubia orta ex varijs SS. PP. dictis.

4 Dixi, *ſi ſacramentum pœnitentiæ excipias*, eo quia per ea, quæ fuse dicta ſunt *ſub tit. Abſolutio II. quoad actus pœnitentis*, ſacramentum pœnitentiæ non poteſt eſſe validum, & informe, quod præcipuè in caſu noſtro euenit, quandòquidem dolor, qui eſt requiſitus ad ſacramentum pœnitentiæ non ſolum eſt requiſitus per modum diſpoſitionis ad recipiendam gratiam ſacramentalem remiſſiuam peccatorum, ſed etiam per modum materiæ proximæ, qua propterea deficiente ſacramentum ipſum in ſuo eſſe non poteſt ſubſiſtere; Cum igitur in caſu, de quo loquimur, recipiens ſacramentum pœnitentiæ ſimoniacè nouo peccato irretiatur, & implicitè affectum ad idem inuoluat, non poteſt habere dolorem de eodem, cum dolor cum affectu ad peccatum non poſſit ſimul compati, adeòque non materiam ſufficientem exhibere ad validitatem ſacramenti, quod debet eſſe cum dolore de omnibus, ſine quo non poteſt ſubſiſtere.

Non poteſt eſſe ſacramentum validum, & informe.

Verum tamen eſt, quod, ſi ipſe pœnitens recipiens ſacramentum pœnitentiæ, non concurrerit ſimoniacè, nec conſcius fuerit ſimoniæ, cum alius ab ipſo erogarit Sacerdoti pecuniam pro miniſtratione ſacramenti, & validè ſacramentum recipiat, & gratiam conſequatur, quia ipſe haberet omnia requiſita ad illius validam, & vtilem receptionem, & iniquitas miniſtrantis per ea, quæ ſupra allegata ſunt, non poteſt

poteſt eidem obeſſe, ſiquidem, quamuis ſimoniacè miniſtret, miniſtrat tamen validè, & licet miniſtrando contrahat in ſe noxam læthalem, & ſacrilegam, non officit tamen innocenti, qui, ex quo habet omnes diſpoſitiones requiſitas ad effectum ſacramenti recipiendum, non eſt, cur illum non poſſit, & non debeat conſequi.

Hic obitèr oritur difficultas, an quandò alia ſacramenta à pœnitentia fuerunt non ſolum ex parte collatoris ſimoniacè collata, ſed etiam ſimoniacè recepta ex parte erogantis pecuniam, ſi poſteà hic reſipiſcet, & deteſtetur remouendo obicem peccati conſequatur effectum ſacramenti illicitè percepti, nempè gratiam. Sed de hoc fusè egi in quæſtionibus de pœnitentia, quare non eſt in hoc immorandum.

Aſſertio III. Ingreſſus in Religionem, & profeſſio per ſimoniam emiſſa, hoc eſt dato pretio pro ingreſſu monaſterij nihilominus valida ſunt *Sanchez in opere mor. lib. 5. cap. 4. num. 39. Vgolinus tab. 1. cap. 4. §. 4. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 23. Nauarrus comment. de Regul. 4. num. 25. Rodriquez tom. 3. quæſt. 63. art. 3.*

Vgolin. Leſſius. Nauarrus. Rodriq.

Probatur, quià vel illud, quod recipitur pro ingreſſu in Religionem, vel pro profeſſione in eadem emittenda eſt pro congrua, & ſufficienti ſuſtentatione eius, qui admitti, & profiteri petit, vel intuitu præcisè vberioris ſtatus, & melioris conditionis Religionis, vel Monaſterij; ſi primum aſſeratur, nullo modo eſt ſimonia, quandòquidem, vt benè notant Doctores plurimi, inter quos *Archi-Diaconus part. 2. tit. primo*; Ingreſſo monaſterium, ſeù in eodem profeſſo duplex ius competit, alterum ad ſpiritualia, ſeù quaſi ſpiritualia, nempè ad dignitatem clericalem, ad vocem in capitulo, & ad ius, ſeù capacitatem habendi munera, officia, & dignitates Religioſas, alterum ad temporalia nempè ad victum, veſtitum, aliaque neceſſaria ſibi a monaſterio pręſtanda, quæ iura licet de facto coniungantur, ſunt tamen ad inuicem ſeparabilia, ſed aliquid exigere pro hoc ſecundo iure, & de illo paciſci non eſt ſimonia, quia id, quod confertur temporale non eſt pro ſpirituali, nec pretium propriè ingreſſus, ſed ex alio titulo vtique meritorio, vt notat *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 2.* qui aſſerit, quod pro ingreſſu monaſterij non licet aliquid accipere, vel exigere quaſi pretium, ſi tamen monaſterium ſit tenue non ſufficiens ad tot perſonas nutriendas licet exhibere ingreſſum quidem gratis, ſed accipere aliquid pro victu perſonæ recipiendæ, ſi ad hoc non ſufficiant opes monaſterij, quod idem repetit *in 4. diſtinct. 25.* Si ſecundum aſſeratur, certè ſimonia committitur, non tamen per hoc

Archi-Diacon.

Ingreſſo in Religioni duplex ius competit.

D. Thomas.

redditur irrita profeſſio, tùm quià in iure nullibi reperitur talis irritatio, tùm quià profeſſio licet emiſſa cum ſimonia habet omnia requiſita ad validitatem, intentionem ſcilicet profitentis, & Religionis recipientis, vndè commixtio illa ſimoniacæ prauitatis reddit quidem illicitam talem profeſſionem, non tamen inualidam, eo modo, quo reddit ſacrilegam perceptionem ſacramentorum, non tamen inualidam per ea, quæ ſuprà dicta ſunt.

Simonia reddit illicitum, non inualidum.

Aduerſus ea, quæ dicta ſunt in probatione primæ partis argumentum militat non temnendum, quod iam propono. In tantum poteſt aliquid recipi in ingreſſu, ſeù profeſſione in monaſterio, in quantum illud, quod recipitur, correſpondet non iuri ad ſpiritualia, ſed tantum iuri ad temporalia, nempè ad victum, veſtitum, & alia ſimilia, adeòque non confertur pro ſpirituali, nec eſt pretium propriè ingreſſus, ſed confertur ex alio titulo vtique meritorio, ſed, ſi hoc eſſet verum, vtique poſſet etiam pro collatione beneficij Eccleſiaſtici aliquid temporale recipi, quod correſponderet non iuri illi, quod eſt in beneficio ad ſpiritualia, ſed alteri iuri ad temporalia, nempè ad congruam ſuſtentationem offerentis pretium pro beneficio, quod tamen à nemine conceditur, ergo, vel dicendum eſt, quod nequeat illud temporale recipi in ingreſſu ad monaſterium etiam ad effectum congruæ ſuſtentationis recepti, ſicuti non poteſt recipi in collatione beneficij etiam, vt correſpondet illi iuri exigendi temporalia ex eodem beneficio pro illa congrua ſuſtentatione, vel quod, ſi poteſt in primo caſu, poſſit etiam in ſecundo. Sed huic argumento facilè occurro, & primo aduerte, quod illa duo iura, quæ competunt ingreſſo monaſterium, nempè ad ſpiritualia, ſcilicet ad dignitatem clericalem, ad vocem in capitulo &c. & ad temporalia, nempè ad victum, & veſtitum, & ſimilia, quamuis de facto coniungātur, ex conſuetudine tamen recepta non diſſentientibus, ſed potius poſitiuè approbantibus Summis Pontificibus ſint ſeparabilia auctoritate Prælati inferioris Papa, ſcilicet Regularis, illa autem iura, quæ competunt beneficiario non ſunt ſeparabilia ex diſpoſitione iuris, niſi accedente auctoritate Summi Pontificis, ſine qua propterea, ſi quid erogatur, non minus pro temporali, quam pro ſpirituali annexo erogari dicendum eſt, adeòque per hoc ſimonia committitur. Deindè diſpar omninò eſt ratio de collatione beneficij, ac de receptione in Religionem, quandòquidem per receptionem onus ſemper viget in Monaſterio nutriendi, alendi, & veſtiendi receptum, in collatione verò beneficij onus non

Ius ad alimenta in profeſſione eſt ſeparabile a iure ad dignitatem clericalem, ſeu monacalem, & quomodo.

Iura in beneficio non ſunt ſeparabilia, niſi auctoritate ſummi Pontificis.

amplius

amplius viget in collatore beneficiarium nutriendi, adeòque &c.

Aduerſus ea, quæ dicta ſunt in probatione ſecundæ partis militant multa iura, multæque rationes dependentèr ab eiſdem iuribus, quæ nunc profero, & primò arguitur *ex cap. de Regularibus, & cap. veniens de ſimonia*, vbi dicitur, quod Religioſus ingreſſus, vel ſimoniacè profeſſus ſit ab illo monaſterio, in quo receptus, vel profeſſus eſt, dimittendus, vel ſi non poſſit, quod debeat vltimum locum, in eo, in quo receptus eſt, tenere, quinimmò *Nauarrus comment. de Regul. 4. num. 25. & Rodriquez tom. 3. quæſt. 63. articulo 3.* docent, huiuſmodi Religioſum non habere ius ad congruam ſuſtentationem Religioſam, & ad locum in domo, in choro, in capitulo cum voce actiua, & paſſiua, ergo quia profeſſio ſic emiſſa inualida eſt. Sed facilè diluitur hoc argumentum, quinimmò ex eo, quod huiuſmodi pœnæ ſtatuantur, & expreſsè non excludatur a ſtatu monachi ſic profeſſus, optimè arguitur, illicitam quidem fuiſſe talem profeſſionem, cui propterea fuerunt illæ pœnæ ſtatutæ, non inualidam, quia expreſsè non eſt præſcripta eiectio, ſed dumtaxat tranſlatio ab vno ad aliud monaſterium. Ad illud, quod dicitur de negatione iuris ad Religioſam, & congruam ſuſtentationem non exiſtimo abſolutè verum, quandòquidem ex eo, quod per Profeſſionem factus fuerit filius talis religionis, debet per illam ali, licet quodamodò in pœnam ſimoniacæ prauitatis poſſit pœnis in ieiunio, abſtinentia, aliiſque affici, ex quibus ſequitur, quod licet non habeat ius congruæ ſuſtentationis ex vi contractus ſimoniaci, cum hoc nullius roboris ſit, habeat tamen ex vi profeſſionis, ſeù ſtatus monachalis, qui validus ſupponitur licet emiſſus intercedente prauitate ſimoniaca.

Nauarrus. Rodriq.

Non eſt præſcripta eiectio, ſed translatio ad aliud monaſterium.

6 Aſſertio IV. Beneficia per ſimoniam collata, vel obtenta ipſo iure ſunt nulla *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 3. ad tertium, Paludanus in quarto diſt. 25. quæſt. 5. num. 9. Silueſter verb. ſimonia quæſt. 20. Garzia de Benef. part. 5. cap. 9. num. 9. & part. 1. cap. 5. num. 20. Redoanus 3. part. cap. 8. num. 4. Bonacina quæſt. 7. §. 7. nu. 10. punct. 2.* Hæc aſſertio ſic abſolutè prolata, vel poteſt intelligi ad nullitate proueniente ex iure naturæ, vel proueniente ex iure poſitiuo, qua in re exiſtimo nullitatem ſolummodò procedere ex vi iuris poſitiui, non naturalis.

D. Thomas. Paludan. Silueſter. Garzia. Redoan. Bonacina.

Probatur igitur primò quoad ius poſitiuum primo *ex cap. Mattheus de ſimonia*, vbi dicitur, quod ſimoniacè promotus *multum ſibi conſulat, ſi adminiſtrationem celeriter, ac ſpontè dimittat illius verbi memor exiſtens; nihil prodeſt homini &c.* ibique Gloſa *verbo Conſulis* aſſerit, *hoc ideò dicit, quia peccatum occultum erat, neceſſitatem tamen importat, ſi vult ſaluari, quia niſi renuntiet, ſaluari non poteſt*; ex quibus congruè poteſt inferri, quod Pontifex ſupponat adeptionem beneficij fuiſſe ſimoniacam. Secundò *ex cap. ſicut tuus eod. tit.*, vbi dicitur, quod ſimoniacè promoti beneficium debeant deponere. Tertiò *ex extrau. 2. de ſimonia*, vbi dicitur poſtulationes, confirmationes, prouiſiones, ſeù alias quaſuis diſpoſitiones ſimoniacè factas viribus carere, ergo abſolutè inualidæ ſunt, & per conſequens etiam collatio beneficiorum.

Gloſ.

Iure, ex quibus iſta tantum eruuntur.

Probatur ſecundò quoad ius naturale, quia eſt legitima poteſtas in conferente ad conferendum, & capacitas in recipiente ad recipiendum per ea, quæ tradunt *Nauarrus cap. 23. nu. 103. & 104. Corauuias reg. peccatum part. 2. §. 8. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 29. num. 166.* ergo non eſt, cur attento præcisè iure naturæ, & diuino non debeat eſſe valida talis collatio; nec obeſſe poteſt, quod aliquid pro illa collatione ſit datum; non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem illud eſt quidem contrà honorem diuinum, non tamen adimit libertatem collatori conferendi, nec capacitatem beneficiario recipiendi, adeòque reddit quidem collationem illicitam, quia contra honorem diuinum, non tamen inualidam, cum procedat à legitima poteſtate non adempta. 7

Nauarrus. Corauu. Leſſius.

Probatur tertiò quoad idem, quia collatio ſacramentorum quamuis fiat per ſimoniam non eſt ex natura ſua inualida per ea, quæ latè probata ſunt ſuprà, ergo nec beneficia ſimoniacè collata erunt ex genere ſuo inualida. Conſequentia probatur, quia ideò ſacramenta ſimoniacè collata non ſunt inualida, quamuis ſacrilega, quia procedunt à legitima poteſtate conferentis, & capacitate recipientis, quæ non habent vim à ſimoniaco contractu, ſed aliundè per legitimum ordinem, ſed etiam beneficia ſimoniacè collata procedunt ab habente legitimam poteſtatem conferendi ad habentem capacitatem recipiendi, ergo &c.

Argumentum à paritate ſacramentorum deductum.

Dices primò, habere quidem poteſtatem conferendi, non tamen quomodòcunque, ſed iuxtà modum a Chriſto Domino impoſitum, nempè gratis iuxta illud. *Gratis accepiſtis, gratis date*, vndè ſi alio modo conferat accepta ſcilicet pecunia, vtpotè contrà diſpoſitionem Domini conferens videtur omninò inualidè ex natura ſua conferre, quandòquidem ſine legitima poteſtate, quæ eſt limitatà ad ſpecialem modum, confert. Ad corroborandam inſtantiam poſſunt adduci ea, quæ dicta ſunt *ſub hoc eodem tit. Contractus VIII. hac ead. Prænot. aſſert. 1. verſ. dices*, quæ ibi recolè. Sed contra, quià

Eſt ſolummodò prohibitus modus cõferēdi pro pretio tēporali.

poteſtas conferendi eſt abſolutè apud Eccleſiæ Prælatos, & ſolummodò prohibitus modus conferendi pro pretio temporali, ſeù cum onere; ex quo ſolummodò arguitur, quod ille modus ſit nullus, non autem nulla acta occaſione illius, cum procedant ex legitima poteſtate; ſic, vt vnum præ ceteris exemplum afferam, prohibita eſt collatio de iure diuino ſacramentorum per exiſtentem in peccato læthali, & contractus etiam nullus eſt, quo quis obligatur per ſimoniam ad eadem ſacramenta conferenda, non irrita eſt eadem collatio, cum procedat ab habente legitimam poteſtatem; Ad quæ magis confirmanda recole, quæ ſuprà dicebamus, aliud ſcilicet eſſe contractum ſimoniacum eſſe nullum, aliud acta occaſione ipſius eſſe nulla; ſic contractus, quo quis paciſcitur de ſibi conferendis ſacramentis eſt nullus, non tamen ipſa ſacramenta collata, vndè non incongruè aſſerit *Leſſius cap. 35. dub. 29. num. 167.* quod & ſi collatio, & acceptio ſimoniaca ſit contra Domini voluntatem, tamen poſtquam facta eſt in retentione non ſit iniuria ipſi Domino; nec minus non incongruè aſſerit *Suarez. tom. primo de Religione lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 17. & ſubſeq.* illam legem diuinam *Gratis accepiſtis, gratis date*, non prohibere ſubſtantiam dationis, ſed præſcribere dumtaxat modum benè dandi, & ſine iniuria Dei; lex autem concedens actionem, & prohibens ſolum modum non eſſentialem non irritat ſubſtantiam eiuſdem actionis, præcipuè ſi modus ille non ſit propter ſubſtantiam, ſed propter decentiam eiuſdem actionis, vt euenit in caſu noſtro, quæ omnia multis rationibus, & exemplis ibidem confirmat.

Leſſius.

Suarez.

Dices ſecundo, ſuperius dictum eſt contractum ſimoniacum ipſo iure naturæ irritum eſſe, & nullum, & ratio ex eo adducta fuit, quod res ſpiritualis ſit inuendibilis tùm propter improportionem, quam habet ad pretium temporale, tùm propter defectum dominij in conferente, quæ omnia inſeruiunt nullitatem contractus ex natura ſua, non ex mera iuris diſpoſitione. Rurſus ibi ſcilicet *ſub hac ead. Prænot. aſſert. prima verſ. dices in reſponſione ad inſtantiam* inualiditas aſſignata fuit ex eo, quod emptor, quamuis habeat dominium pretij, & miniſter habeat poteſtatem conferendi, ille tamen non habet, niſi in ordine ad vſus a iure non prohibitos, hic non niſi ad modum a Chriſto Domino præſcriptum, ergo &c. Sed contrà iterum repeto, quæ ſæpius dixi, aliud eſſe contractum ſimoniacum eſſe nullum, aliud eſſe nulla, quæ patrata ſunt occaſione ipſius; contractus ſimoniacus conſiſtit in pactione, ſeù conuentione commutationis, qua poſita non poteſt alter obligari ad conferendum, ſi nondum contulit, quia pactio, ex qua oriri poſſet actio ad complementum, non eſt ſubſiſtens, ea autem, quæ occaſione ipſius conſecuta ſunt, nempè actualis collatio de iure naturæ non eſt, cur non ſit ſubſiſtens, cum procedat à legitima poteſtate in perſonam capacem iuxta ſuperius dicta. Ad id, quod ſubditur, dicendum eſt propter aſſignatas rationes dictum contractum eſſe nullum in ratione emptionis, & venditionis, cum non ſit proportionata æqualitas, & defectus dominij, non autem eſſe nullum in ratione præciſè collationis. Ad quam reſponſionem corroborandam placet adducere exemplum, quod affert *Suarez. dicto tomo primo de Religione lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 19.* de mutuo, quod ex lege naturali, & diuina gratis conferendum eſt. *Mutuum date nihil inde ſperantes*, & tamen ſi conferatur non gratis, ſed pro aliquo pretio, adhuc pecunia mutuata per mutuatarium quoad dominium acquiritur, qui poteſt eadem vti, ac ſi gratis fuiſſet collata, quia ille modus non eſt contra ſubſtantiam mutui, vt ſic, licet contra ſubſtantiam venditionis eiuſdem mutui. Applica ad rem præſentem, & diſcurre.

Aliud eſt contractū eſſe nullū, aliud per acta occaſione eiuſdem eſſe nulla.

Suarez.

Exemplū deductum à paritate mutui.

Ex ijs reſponderi etiam poteſt ad ea, quæ afferuntur ex *D. Thoma ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 6.* nempè nullum retinere poſſe id, quod contra voluntatem Domini acquiſiuit, quod certè videtur inferre nullitatem acquiſitionis ex ipſa natura rei propter alienitatem rei à conferente; Reſponderi, inquam, poteſt, ad ſummum retinere non poſſe ex vi emptionis, quæ non ſubſiſtit, ſed ſolummodò ex vi collationis, quæ non inualidatur per ſpecialem illum modum prohibitum, qui ad ſummum reddit illicitam eandem collationem, non tamen inualidam.

Reſponſio ad argumentum deductum ex D. Thoma.

PRÆNOTIO V.

An pretium ſimoniacè acceptum ſit reſtituendum, & quo iure.

SVMMARIVM.

Prima opinio aſſerens de iure diuino eſſe reſtituendum 1.

Secunda opinio negans eſſe reſtituendum 2.

Tertia opinio aſſerens non eſſe reſtituendum, quandò res ſpiritualis ex ſui priuatione infert aliquod incommodum conferenti, ſecùs ſi nullum 3.

Recipiens pretium pro collatione beneficij Eccleſiaſtici regularitèr tenetur illud reſtituere non ſolum de iure poſitiuo Eccleſiæ, ſed etiam diuino 4.

Si Prælatus pretium anticipatè accepit, &

bene-

beneficium nondum contulit, tenetur iure naturali illud reſtituere, & quidem eidem, à quo accepit 5.

Pretium ſimoniacè receptum per ſimoniam mentalem in collatione beneficij opere ſubſecute eſt de iure natura reſtituendum, non ſic de iure Eccleſiaſtico, prout importat diſtinctam obligationem ad obligatione naturali 6.

Pretium ſimoniacè acceptum pro beneficio, cuius collatio importat aliquod incommodum temporale conferenti, quodque habet annexum commodum aliquod temporale, non eſt obnoxium reſtitutioni de iure natura, & diuino 7.

Intelligendum eſt, quandò conferens patitur incommodum aliquod temporale, non quandò ſpirituale 8.

Soluuntur rationes in contrarium 9.

De iure diuino, & natura non eſt reſtituendum pretium receptum pro functione ſpirituali, quandò talis functio materialiter ſumpta tanti valet 10.

Nec item ad reſtituendum pretium pro re ſpirituali, ſi illud receptum fuerit intuitu materia, qua conſtat, vel actionis, qua fit 11.

Epiſcopus, ſeu Prælatus Eccleſiaſticus, qui ex officio diſtribuere debet beneficia, quamuis habeat adnexum commodum, non poteſt exigere pretium, nec illud retinere 12.

Nec poteſt illud exigere, retinère in compenſationem pro emolumento, quod determinatæ perſonæ conferre non tenebatur 13.

De iure canonico ſimoniacè acceptum pro re ſpirituali non eſt reſtituendum, niſi in collatione beneficij, in admiſſione, & profeſſione ſtatus monacalis, & in collatione ordinum, aliorumque ſacramentorum 14.

1 PRopoſita controuerſia examinanda eſt tùm in ordine ad ius diuinum, tùm in ordine ad poſitiuum Eccleſiaſticum, circa quam tres opiniones, alteram quaſi mediam, duas verò tanquam extremè oppoſitas inuenio. Prima aſſerit, ſimoniacè acceptum pro re ſpirituali, & præcipuè pro collatione beneficij Eccleſiaſtici, in ordine ad quod potiſſimum eſt controuerſia, eſſe ex natura rei, & de iure diuino reſtituendum. *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.100. art.6. Sotus 9. de iuſtitia quæſt.8. art. primo. Caietanus in ſecunda ſecundæ D. Thomæ d. quæſt.100. art.6. Adrianus quodlib.9. art.3. Henricus quodlib.8. quæſt.26. Medina C. de reſtitut. quæſt.2. Nauarrus cap.23. num.104. Suarez lib.1. de Relig. lib.4. cap.59. num.2. Couarruuias in reg. peccatum 2.part. §.2. nu.7.* qui multis rationibus mouentur, & primò, quia vendit, & recipit illud pretium contra voluntatem Domini prohibentis talem venditionem, & receptionem. Secundò, quia in venditione non ſeruatur æqualitas dati ad acceptum requiſita ad iuſtitiam commutatiuam. Tertiò, quia non eſt materia proportionata ad venditionem, cum beneficium non ſit res vendibilis, pro qua propterea non poteſt exigi pretium. Quartò, quia vſurarius tenetur reſtituere id, quod per vſuram accepit, ergo etiam ſimoniacus collator, qui recepit pecuniam. Quintò, quia, ſi non teneretur reſtituere pro quacunque re ſacra, poſſet accipere maximam pecuniæ quantitatem, cum res ſacra excedat quodcunque pretium temporale.

Prima opinio aſſerens de iure diuino eſſe reſtituendum.

D. Thomas. Sotus. Caietan. Adrian. Henricus Medine. Nauarr. Suarez. Couarru.

Secunda aſſerit ex natura rei, & ex iure diuino id, quod ſimoniacè acceptum eſt, non eſſe reſtituendum. *Nauarrus cap.23. num.103.* vbi teſtatur eſſe communem canoniſtarum conſenſum, *Victor ſecunda parte relect. de ſimonia num.4. Silueſter verb. ſimonia quæſt.20. Armilla eod. verb. ſimonia n.58.* quam multis rationibus comprobare conantur, & primò, quia ſi collatores ſimoniacè à iure diuino coarctarentur pretium receptum reſtituere, non poſſet Pontifex diſpenſare pro retentione eiuſdem pretij recepti, quod tamen eſt contrà praxim, & contrà *extrauag. ſanè in communibus de ſimonia*, vbi fit diſpenſatio, quod recepta pro ingreſſu in Religionem poſſint retineri. Secundò, quia accepta per ſimoniam mentalem non ſunt reſtituenda, vt colligitur *ex cap. fin. de ſimonia*, vbi Pontifex aſſerit *Ad reſignationes ſpiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi vtrinque taliter acquiruntur (in quo caſu ſufficit delinquentes per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori) eos pro ſimonia huiuſmodi non teneri*, ergo neque accepta per ſimoniam realem, & conuentionalem, quia eodem iure prohibentur ſimonia interna, & externa. Tertiò, quia emptor beneficij per ſimoniam eſt verè dominus pecuniæ, quam erogat, eamque intendit transferre in collatorem, ergo hic, poſtquam recepit, non tenetur reſtituere. 2

Negatiua opinio quoad talem reſtitutionem.

Nauarrus. Victor. Silueſter. Armilla.

Rationes eiuſdem negatiuæ opinionem.

Tertia aſſerit, quod, ſi collator in gratiam alterius priuat ſe aliqua re ſpirituali, & indè aliquod incommodum ſubeat, non teneatur iure diuino cōpenſationem, quam recepit, reſtituere, nec ſi conferat pretio aliquod ſpirituale, quod annexum habeat aliquod commodum temporale, ſecus ſi conferat aliquod ſpirituale abſque ſuo incommodo, quod non habet annexum commodum temporale *Leſſius lib.2. cap.35. de ſimonia dub.28. nu.158. 160. & 162.* cui opinioni ſecundum quid videntur adhærere *Hoſtienſis, Antonius Calderinus, Silueſter, Innocentius* apud Suarez *lib.4. de ſimonia cap.59. num.9.* 3

Tertia opinio quaſi media explicatur.

Leſſius. Hoſtienſis Calderin. Silueſter. Innocentius. Suarez.

Aſſertio I. Recipiens pretium pro collatione beneficij Eccleſiaſtici regulariter 4

tenetur illud reſtituere non ſolum de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, ſed etiam de iure diuino, & naturæ. Ità auctores allegati pro prima ſententia.

Prima ratio ſuadens aſſertionem de iure poſitiuo Eccleſiaſtico.

Probatur primò quoad ius poſitiuum Eccleſiaſticum, quia de iure Eccleſiaſtico ipſa collatio ſimoniaca beneficiorum Eccleſiaſticorum eſt ipſo iure nulla, & irrita per ea, quæ latè diximus in præcedenti prænotione, & ipſa beneficia ſunt de facto dimittenda, ergo nec pretium de tali iure pro eiſdem beneficijs collatum poteſt detineri, ſed de iure eſt reſtituendum. Conſequentia tenet, quia ex contractu nullo nulla poteſt ſequi actio, nec obligatio, nec ius aliquod, nec quis poteſt diteſcere ex ſua actione illicita, iniuſta, & ex diſpoſitione iuris irrita, ſed hæc ratio, in qua plurimi maximè confidunt, non efficax eſt, nec multum roboris habet, quandòquidem in omni genere ſimoniæ eſſet de iure Eccleſiaſtico obligatio reſtitutionis pretij recepti, quod tamen ex infra dicendis non eſt abſolute verum. Confirmatur primò *ex cap. de hoc de ſimonia*, vbi Pontifex Archiepiſcopo Toletano mandat, vt compellat Regem ad reſtituendum id, quod recepit pro electione Epiſcopi Oxonienſis ſine vlla prorſus diminutione, *cum ea ſine graui ſuo ſalutis periculo retinere non poſſit*. Secundò *ex cap. veniens 19. de ſimonia*, vbi Pontifex mandat, vt per Abbatem reſtituatur id, quod pro receptione in monachum ab eodem monacho, ſeù ab eius parentibus receperat, quod tamen intellige pro ipſa formali receptione, non pro iure ad alimenta, & veſtitum, quandòquidem per *Vrbanum IV. in extrauag. ſane in communibus de ſimonia* permittitur, vt ſic acceptum retineatur, modo non in priuatum vſum Abbatis conuertatur.

Ratio ſuadens eandem ex iure diuino, & natura.

Probatur ſecundò quoad ius naturale, & Diuinum. Regularitèr vendens beneficia Eccleſiaſtica peccat non ſolum peccato ſacrilegij contrà virtutem Religionis, ſed etiam peccato iniuſtitiæ contrà iuſtitiam commutatiuam per ea, quæ latè tradidimus *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimonia Prænot. 3. aſſert. 2.* ſed ex læſione iuſtitiæ commutatiuæ ex ipſa natura rei conſurgit onus reſtitutionis, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo, qui pro beneficio Eccleſiaſtico conferendo recepit pretium temporale, tenetur illud reſtituere. Confirmatur, quia licet Prælatus Eccleſiaſticus ius habeat conferendi beneficia Eccleſiaſtica, non habet tamen ius illa vendendi, & pro illis recipiendi pretium, ergo exigendo pretium iniuſtè agit, adeòque etiam retinendo; quia non minus iniuſtum eſt exigere id, quod indebitum eſt, ac ſit iniuſtum illud retinere, ſi non ſit debitum.

Dices primò, ſi Beneficium ſit ſimoniacè collatum de iure naturæ, & diuino non eſt dimittendum, nec reſignandum per ea, quæ latè tradidimus in præcedenti prænotione, ergo neque erit eodem iure reſtituendum pretium, quod pro eiuſdem collatione erogatum eſt; ſi enim congruè beneficiarius poteſt beneficium per ſimoniacam prauitatem collatum retinere, cur etiam collator non poterit pretium retinere? Certe res, & pretium in venditionibus correlatiua ſunt. Sed contra neganda eſt abſolutè conſequentia. Ratio negationis in eo conſiſtit, quod emens nullo modo lædit iuſtitiam commutatiuam, & ſi quid recipit, recipit ab habente legitimam poteſtatem conferendi habens capacitatem ad recipiendum; vendens autem, ſeù conferens beneficium accepto pro eodem pretio lædit eandem iuſtitiam commutatiuam, cum recipiat, quod nequit recipere, & ex re non ſua, adeòque &c. Quamobrem ad id, quod ſubditur, quod in venditionibus res, & pretium ſint correlatiua, dicendum eſt, hoc verificari, quandò contractus vim habet in ratione venditionis, & emptionis, ſecus quandò in tali ratione nullam vim habent, ſed duntaxat in ratione puræ collationis, quæ per modum illicitum, & à iure prohibitum, quandò non ingreditur ſubſtantiam collationis, non vitiatur per ea, quæ ſuprà dicta ſunt; vndè ſi beneficiarius retinet beneficium, non retinet in ratione emptionis, ſed duntaxat collationis.

Emens poteſt beneficium retinere, nõ ſic vendens pretium, & quare

Dices ſecundò, emens abſolutè tranſtulit dominium illius pretij in conferentem beneficium, & licet voluntate conditionata, ſi alter contulerit idem beneficium, talis tamen voluntas tranſijt in abſolutam ſuppoſita actuali collatione, quià voluntas conditionata purificata conditione tranſit in abſolutam, ergo ſuppoſita collatione beneficij tanquam conditione collator abſolutè acquiſiuit dominium talis pretij. Conſequentia probatur, quià ſuppoſita voluntate abſoluta transferendi dominium ex parte dantis, & acceptatione reſpectu recipientis non eſt, cur dominium non acquiratur. Sed contra, quià voluntas illa transferendi dominium pecuniæ in collatorem ſuppoſita collatione, quamuis aſſeratur abſoluta, non eſt tamen ſimplicitèr voluntaria, ſed inuoluntaria mixtè, quæ propterea ſufficiens non eſt ad transferendum dominium, prout latè vidimus *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris*, in mutuatario, qui quamuis abſoluta voluntate videatur ſoluere vſuras, quià tamen eas non transfert ſimplicitèr voluntariè, non eximit vſurarium ab onere reſtitutionis earundem, & quamuis huic reſpon-

Collatio pecunia nõ eſt ſimplicitèr voluntaria.

Suarez. reſponſioni non acquieſcat *Suarez. tom. 1. de Religione lib. 4. de ſimonia cap. 59. num. 7. in fin.* aſſerens, quod hac ratione emens non transferret dominium pretij in venditorem, quandòquidem quodamodò inuoluntariè dat pretium; fallitur tamen, quià emens in acquiſitione rei emptæ non poteſt eſſe rationabilitèr inuoluntarius, & inuitus de translatione dominij quoad pretium, cum non ſit res indebita, quinimmò ex eo, quod liberè velit rem emptam, intelligitur etiam velle transferre pretium pro illa, ſi non excedat æqualitatem eiuſdem rei; mutuatarius verò quoad illum exceſſum quoad, ſeu ſuprà ſortem intelligitur eſſe inuoluntarius, cum ſit ſupra æqualitatem debitam, quam certè non perſolueret, ſi poſſet mutuum habere ſine illo, nec alio titulo poteſt cohoneſtari illa exceſſus exactio, niſi ratione dilationis temporis in reſtituendo, quod vſurariam redolet prauitatem.

Ad rationes, quæ pro ſecunda ſententia allatæ ſunt, nunc eſt reſpondendum, & quidem ad primam aſſerendum eſt, Pontificem, ſi quandòque inuenitur diſpenſaſſe, vt *in d. extrau. ſanè in communibus de ſimonia*, non attigiſſe ſimoniam cum iniuſtitia tali diſpenſatione, ſeu quod idem eſt pretium ſimoniacè acquiſitum iniuſtum, in quo ſenſu dumtaxat procedit aſſertio, ſed pretium ſolum acquiſitum in quadam ſimonia apparenti, quod tamèn pretium correſpondebat iuri alicui non ſpirituali, ſed merè temporali, quod quamuis ſit annexum cum ſpirituali, eſt tamen ab illo ſeparabile per poteſtatem Prælatorum Regularium per conſuetudinem legitimè præſcriptam. Ibi enim erat ſermo de pretio recepto propter admiſſionem in Religionem, vt textum legenti ſit manifeſtum, quod vtique pretium non eſt contra iuſtitiam, nec correſpondens iuri mere ſpirituali, ſed iuri ad alimenta, & veſtitum, quod eſt merè temporale. Quod ſi Pontifex dixerit, quod Prælatus debebat per pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori, hoc dixit propter dubietatem, quæ ineſſe poterat, quod receperit propter ingreſſum, & receptionem formalitèr.

Pontifex, ſi quandòque diſpēſauit non attigit ſimoniam cum iniuſtitia, & quomodò.

Ad ſecundum idem fermè reſpondendum eſt, cum ſit caſus ſimilis; quià tamen in hac hypotheſi videtur eſſe ſpecialis ratio, cum ſermo in hoc textu ſit ſolummodò de ſimonia mentali, non conuentionali, nec reali, ideò erit ſermo de ipſo infra in hac eadem prænotione vberius, ad quem lectorem pro ſolutione remitto.

Ad tertium ex dictis iam patet quid reſpondendum; quamuis enim beneficiarius fuerit abſolutè dominus pretij, quod erogauit pro beneficio, non tamen voluntate ſimplicitèr libera, ſed inuoluntaria mixtè erogauit, vt contingit in mutuatario ſoluente vſuras, quarum dominium non transfert ſimplicitèr in vſurarium, cum aliquo iure ſuffragante eidem non ſint debitæ.

Aſſertio II. Si Prælatus pretium anticipatè accepit, & beneficium nondum contulit tenetur iure naturali illud reſtituere, & quidem eidem, qui illud ſoluit *Caietanus in ſumma verb. ſimonia, Victor 2. part. relect. num. 6. Sotus lib. 9. de iuſtitia quæſt. 8. art. 5. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 59. num. 1. & 2.* 5

Caietan. Victor. Sotus. Suarez.

Probatur prima pars, quià qui pretium anticipatè contulit pro beneficio conferendo, non illud contulit voluntate abſoluta, ſed tantum conditionata, ſi ſcilicet alter retribuerit, quod promiſſit, ſed in voluntatibus conditionatis conditione non purificata effectus translationis dominij quoad pretium ſolutum non ſupponitur completus, quandòquidem ſuſpenditur vſque ad implementum conditionis, ergo cum ante tale complementum collator non acquiſierit dominium completum pretij, illud tenetur reſtituere.

Eſt collatio conditionata, non abſoluta.

Probatur ſecunda pars, quia in data hypotheſi, qui contulit pretium, & beneficium non recepit, adhuc retinet dominium talis pretij, nec vllo etiam iure poſitiuo Eccleſiaſtico priuatur facultate illud repetendi, ergo non eſt, cur illi determinatè non debeat reſtitui. Antecedens quoad primam partem patet ex dictis in præcedenti probatione, quandòquidem conferendo illud pretium non contulit voluntate abſoluta abdicandi à ſe dominium eiuſdem pretij, ſed tantum conditionatè, ſi alter contulerit beneficium, quo propterea non conferente adhuc ius remanet apud ipſum tradentem tale pretium, quod confirmari poteſt ex ijs, quæ docuimus *tom. primo ſub tit. Contractus I. de contractibus, vt ſic Prænot. 4.* videlicet, quod, quandò contractus non eſt completus ex vtraque parte, ille qui ſatisfecit, habeat locum pœnitentiæ, ſcilicet recedendi à contractu per recuperationem eorum, quæ tradidit, ergo &c. Quoad ſecundam autem partem ſic probatur, quià ſi emptor, qui pretium ſoluit, priuaretur per ius Eccleſiaſticum illa facultate repetendi pretium per ſe ſolutum, hoc eſſet in pœnam ſimoniacæ prauitatis, ſed hæc pœna non extenditur, niſi ad contractum vſquequaque, & ex omni parte completum, cum leges pænales reſtringantur ad delicta ſolummodò conſummata, niſi aliud exprimatur, ergo &c.

Non contulit pretiū voluntate abſoluta, ſed conditionata.

Pœnā non extenditur, niſi ad cōtractum, vſquequaq; cōpletum.

Sciò nonnullos innixos fundamento deſumpto ex textu *in l. 1., 2. & 3. & l. ſi ob turpem ff. de condict. ob turp. cauſ. & l. 2. C. eod. tit.* aſſerere huiuſmodi pretium, vtpotè datum

ex

ex turpi cauſa, tàm ex parte dantis, quàm ex parte recipientis non eſſe reſtituendum danti, vtpotè enormitèr deficienti in tali datione, Sed præterquàmquod allegata iura reſpiciunt actum vſquequaque, & ex vtraque parte conſumatum ſolummodò, de illis erit ſermo inferius, in quibus proptereà non immoror.

6 Aſſertio III. Pretium ſimoniacè receptum per ſimoniam mentalem in collatione beneficij opere ſubſecuto eſt de iure naturæ reſtituendum, non ſic de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, prout importat diſtinctam obligationem ab obligatione naturali. *Ioannes Medina C. de reſtit. tract. de vſuris quæſt. 4. §. iam ad rationem, Bartholomæus Medina in ſumma cap. 14. §. 21. Suarez tom. primo de Religione lib. 4. de ſimonia cap. 59. num. 45.* qui quamuis in *num. 44.* docuerit nullum eſſe onus reſtitutionis pretij recepti in ſimonia mentali, quàndò nulla læſio iuſtitiæ commutatiuæ interceſſit, fatetur tamen tale onus vrgere, quandò talis læſio interceſſit, quod regularitèr euenit in collatione beneficiorum, in quo ſenſu procedit aſſertio, & in hoc, ſeù iuxtà hunc ſenſum procedunt etiam *Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 85. ſect. 3. num. 100. & 101. Bonacina diſp. 9. quæſt. 6. punct. 5. & alij plures.*

Ioannes Medina. Bartholomæus Medina. Suarez. Ognate. Bonacina.

Dixi, *opere ſubſecuto*, nam ſimonia mentalis iuxta ea, quæ alibi attigi, poteſt tripliciter concipi; primò, prout conſiſtit in mera voluntate acquirendi beneficium Eccleſiaſticum pro pretio temporali, ità tamen, vt nullo modo exeat in actum, aut ſignificationem aliquam exteriorem: Secundò, prout initum quidem eſt pactum de collatione pretij pro ipſo beneficio, nullo tamen modo tale pactum eſt executioni mandatum. Tertiò, prout ipſa ſimonia mentalis eſt executioni mandata ſine vllo tamen pacto, ſeù conuentione explicita præuia, ſed vel dumtaxat implicita, vel per quædam dubia, & obſcura ſigna. Iuxta primum, & ſecundum ſenſum nullum vrgere onus reſtitutionis certo certius eſt, quandòquidem licet fuerit intentio lædendi, nullo tamen modo læſio ſecuta eſt in actu, cum hic non fuerit poſitus, nec eſt onus reſtituendi, vbi res recepta non eſt, Procedit igitur dumtaxat aſſertio in tertio ſenſu, quæ ſic

Triplex modus, quo poteſt concipi ſimonia mentalis.

Probatur primò, quià talis receptio pecuniæ ob collationem beneficij eſt ſecundum ſe iniuſta, & procedit ex intentione omninò iniuſta ſecundum ſe, ergo obligat ex natura ſua ad reſtitutionem eiuſdem pretij recepti. Antecedens quoad primam partem patet, quià illud pretium ſecundum ſe non eſt debitum, & datur non liberè, ſed inuoluntariè mixtè, & contrà diſpoſitionem Domini nolentis beneficium dari pro pretio; Quoad ſecundam verò ſic euincitur, quià illa datio non procedit ex libera voluntate dantis, nec recipiens beneficium conferret, niſi illud pretium conferretur, ergo procedit ex intentione iniuſta proportionata materiæ, quæ recipitur. Conſequentia primi argumenti ſic infertur, quia omnis acceptio exterior de ſe iniuſta, & procedens ex intentione iniuſta obligat ad reſtitutionem.

Receptio eſt ſecundum ſe iniuſta, & ex intentione iniuſta.

Probatur ſecundò, paritate deſumpta ex vſura mentali, quæ ſecundum ſe obligat ad reſtitutionem recepti per ea, quæ habentur *in cap. conſuluit de vſuris*, vndè nos non incongruè diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 9. aſſert. 4. num. 5.* quod quandò mutuatarius aliquid dat ſupra ſortem, licet ſine conuentione explicita, & mutuans illud recipit eodem titulo, item quandò mutuatarius liberalitèr, & gratuito dat, ſed mutuans recipit intentione vſuraria, & item quandò mutuatarius non dat gratuitò, & mutuans recipit intentione gratuita teneatur ad reſtitutionem recepti iuxta ea, quæ docent *Innocentius in cap. conſuluit de vſuris, Gloſa in cap. fin. de ſimonia, Beatus Antoninus part. 2. tit. primo cap. 5. §. fin. Almainus in 4. diſt. 5. quæſt. 2.* ergo etiam ſimonia mentalis coniuncta cum opere externo ſecundum ſe obligabit ad reſtitutionem. Conſequentia probatur, quià non minus iniuſte acceptum eſt, & cum intentione iniuſta id, quod receptum eſt per ſimoniam mentalem; ac id, quod receptum eſt in mutuo per mentalem vſuram.

Argumentum ab vſura mentali deſumptum.

Innocentius. Gloſa. Antoninus. Almain.

Aduerſus hanc aſſertionem videtur expreſsè militare textus ſupra allegatus *in cap. vltimo de ſimonia*, vbi Pontifex mandatum cum dederit Legato, vt cum monachis, qui per ſimoniam dato aliquo locum in monaſterijs ſunt adepti, diſpenſaret, conſultus poſtea per eundem Legatum, an tale mandatum extenderetur etiam ad Abbates, & ad reſignationes ſpiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente vtrinque taliter acquiruntur, reſpondit eos pro ſimonia huiuſmodi non teneri, ſed ſufficere, ſi delinquentes per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfaciant creatori. Varias reſponſiones, & explicationes varij adhibent ad hunc textum, quas non prodeſt referre, & refellere. Nobis, præterquamquòd ſupra dictum eſt in prima aſſertione huius prænotionis in reſponſione ad primum argumentum, ſufficiat hanc vnam adhibere explicationem *iuxtà gloſam ibid. verb. affectu animi*. Dic igitur, ibi non interuenire propriè ſimoniam, non quia, vt habet ibi gloſa, ſola voluntas, ſeù affectus animi non faciat aliquem ſimoniacum, licet aliter pec-

Explicatio textus in c. vlt. de ſimonia.

can-

Digitized by Google

eantem, nam licet talis affectus ſine vlla præcedenti conuentione non conſtituat delinquentem externum, & in foro externo puniibilem, conſtituit tamen internum ſimoniacum, & in foro animæ, ſed quia illud temporale, quod erogatur, ſeù fuit erogatum, fuit pro iure ad merè temporalia; indiget tamen delinquens per pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori, quia ambitione, & non labore ad honorem ſtuduit peruenire contra diſpoſitionem textus *in l. contrà publicam C. de re militari lib.* 12. *& cap. miramur in fin. diſt.* 61. & eidem honor eſt auferendus *cap. in ſcripturis* 8. *quæſt.* 1. & per conſequens etiam qui cooperatus eſt tali ambitioni per admiſſionem pro pecunia ad talem honorem debet conteri, & per pœnitentiam ſuo ſatisfacere creatori.

Illud, quod fuit erogatum fuit pro iure ad merè temporalia.

Ioannes Medina.

Addi etiam poteſt explicatio *Ioannis Medinæ C. de reſtitutione tract. de vſuris quæſt.* 4. *§. iam ad rationem*, qui conferens *cap. conſuluit de vſuris* cum illo *cap. fin. de ſimonia*, de quo hic loquimur, docuit in primo capite Pontificem fuiſſe conſultum in iudicio animarum, & ſic declarat obligationem in foro animæ reſtituendi, in ſecundo autem fuit conſultus in foro Eccleſiæ, hoc eſt in ordine ad Eccleſiaſticam diſpenſationem, & ſic dixit non indigere delinquentes diſpenſatione, ſed ſolum pœnitentia.

Probatur ſecunda pars, quia omnes diſpoſitiones pænales, quæ ſunt de iure ſimpliciter Eccleſiaſtico non reſpiciunt actiones purè internas, vndè *in cap. tua nos de ſimonia* dicitur; *nobis datum eſt de manifeſtis tantummodò iudicare*, licet huiuſmodi actiones ſubiaceant iudicio Dei, ſubditur enim ibi. *Sine dubio apud diſtrictum Iudicem qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum culpabiles iudicantur*, quod idem repetitur *in cap. ſicut tuis eod. tit.*, vbi dicitur *Si exceſſus eſſet Eccleſiæ manifeſtus, quæ non iudicat de occultis pæna eſſent canonica feriendi*, ergo ſi non fuerit exceſſus ille manifeſtus non eſſet reus eadem pæna mulctandus.

Diſpoſitiones pœnales non reſpiciunt actiones merè internas.

Dices primò, quod quamuis Eccleſia non poſſit iudicare de purè internis, & mentalibus, poſſit tamen de illis iudicare, prout ſunt coniuncta cum externis, vt euenit in ſimonia mentali, de qua hic loquimur, quandòquidem hæc coniungitur cum opere ſubſecuto per traditionem ex vtraque parte. Sed contra, quia quamuis coniungatur cum opere externo, quia tamen illud opus externum non procedit ex aliquo explicito pacto, ſeù præcedenti conuentione, quod fiat per ſimoniam indiferens videtur, vt coniungatur cum contractu oneroſo, & ſimoniaco, vel retributione gratuita ex motiuo gratitudinis, & liberalitatis, vndè ſecundum ſe illi operi non poteſt congruè Eccleſia imponere pænam nullitatis, cum non iudicet de internis; quæ procedunt ex occultis hominum cogitationibus.

Ceſſat ratio, vbi opus externum indifferens eſt, vt coniungatur, vel cum contractu oneroſo, vel cum gratuita donatione.

Dices ſecundò, onus illud reſtitutionis non eſſe pænam, ſed meram compenſationem, quam Eccleſia vtique poteſt imponere. Sed contra, quia cum ſit compenſatio, vt in inſtantia aſſeritur, non ideò debetur, quia ſtatuatur ab Eccleſia, ſed quia ex natura ſua eſt debita, cum id, quod exactum eſt, ſit contra iuſtitiam, vt ſuprà latè dicebamus.

Aſſertio IV. Pretium ſimoniacè acceptum pro beneficio, cuius collatio importat 7
aliquod incommodum temporale conferenti, quia habet annexum commodum aliquod temporale non eſt obnoxium reſtitutioni de iure naturæ, & diuino *Suarez tom. primo de Religione lib.* 4. *de ſimonia cap.* 59. *num.* 36. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 35. *de ſimonia dub.* 28. *num.* 158. *Bonacina tract. de Simonia quæſt.* 7. *punct.* 3. *difficul. prima num.* 13. qui teſtatur de magis communi. Procedit hæc aſſertio quoad eum, qui ius habet aliquod commodum temporale percipiendi ex beneficio, & ex officio non tenetur illud alteri conferre, nam Prælatus, ſeù Epiſcopus, qui vtpotè merus diſpenſator tenetur beneficia diſtribuere, ſi quod pretium ex diſtributione, ſeù collatione illorum exigat, certè tenetur illud reſtituere.

Suarez. Leſſius. Bonacina.

Senſus, in quo procedit aſſertio.

Probatur, quia in data hypotheſi recipiens pretium pro beneficio, quod confert, ſeù quo ſe priuat, licet ſimoniacè peccet, non peccat tamen contra iuſtitiam commutatiuam, ergo de iure naturæ non tenetur ad reſtitutionem. Rurſus nullum eſt ius diuinum præcipiens reſtitutionem eiuſdem pretij ſimoniacè recepti, ergo nec tenetur de iure diuino. Antecedens quoad primam partem probatur, quia illud damnum temporale, quod patitur in alterius fauorem, ſeù priuatio commodi temporalis eſt ſecundum ſe pretio compenſabilis, ſeù æſtimabilis, ergo ſi pro illo, ſeù pro illa pretium aliquod conſecutus fuerit, nec peccabit contra iuſtitiam illud retinendo, quandòquidem correſpondet iuri pretio illo ſecundum ſe æſtimabili. Quoad ſecundam verò euincitur, quia tale ius diuinum non eſt aſſignabile, & ſi dicatur, contineri illud ius præcipiens reſtitutionem in illis verbis. *Gratis accepiſtis, gratis date*; ſtatim impugnabitur, quia illud præceptum ſolum præſcribit modum conferendi, non autem irritat collatum, nec aliquod onus reſtitutionis imponit, ſi acquiſitum correſpondeat alicui iuri ſecundum ſe pretio æſtimabili. Quod ſi repetas, quod teneatur de iure diuino ad reſtitutionem defectu dominij rei ſpiritualis, quam confert, cum hoc ſemper maneat apud Deum cuiuſcunque

Nullū reperitur ius diuinum præcipiens reſtitutionem.

que

Quamuis nō habeat dominiū in beneficio, habet tamē ius, quoddam in illo ad fructus.

que reì ſpiritualis moderatorem, & arbitrum, adhuc impugnaberis, quia licet etiam in data hypotheſi conferens cum ſuo temporali incommodo non habeat propriè dominium illius rei; ſpiritualis, quam confert, habet tamen ex vi collationis ſibi factæ ſpeciale quoddam ius in illa re, ratione cuius propterea poteſt pretium detinere, cum non teneatur illo ſe priuare in gratiam, & fauorem alterius. Conſequentia primi argumenti probatur, quià ex alibi ſæpius repetitis onus reſtitutionis non conſurgit, niſi ex læſione iuſtitiæ commutatiuæ, vel per iuſtitiam vindicatiuam non ſub onere compenſationis, ſed ratione pœnæ propter læſionem præcepti, ergo, ſi nulla eſt læſio iuſtitiæ commutatiuæ, nullumque præceptum diuinum adhoc obligans, nullum erit onus reſtitutionis.

8 Hoc argumentum eo tendit, vt probet, non eſſe onus reſtitutionis, quandò conferens beneficium aliquod incommodum temporale patitur, non tamen congruè videtur extendi, quidquid in contrarium dixerit *Leſſius lib. 2. cap. 35. dubit. 28. nu. 158. verſ. dico primo prope medium*, ad incommodum etiam ſpirituale; non, inquam, congruè poteſt extendi, quia illa incommoditas ſpiritualis, ſeù commoditas ſpiritualis, qua ſe priuat, non eſt vendibilis, nec pretio compenſabilis, ſi ſecundum ſe præcisè ſumatur, nam ſi importet ſimul, & ſemel etiam rem aliquam temporalem ſecundum ſe pretio æſtimabilem, licet hæc propter connexionem, quam habet cum ſpirituali, inducat ſimoniam, non tamen conſtituit iniuſtitiam, ſi vendatur, cum ſecundum ſe pretium mereatur, ergo, ſi pro illa ſecundum ſe ſumpta, prout ſpiritualis eſt, exigatur pretium, non poterit iuſtè retineri; ſic in particulari docet *Suarez tom. 1. de Religione lib. 4. de ſimonia cap. 59. num. 43.* non poſſe iuſtè detineri pretium, quod vltra ſtipendium conſuetum quis exigit pro venditione miſſæ propter incommoditatem, quam patitur priuando ſe illo fructu, quem alteri applicat, & *Bonacina tract. de ſimonia quæſt. 7. puncto 3. difficul. 1. num. 9. verſ. contrarium docet*, ſuſtinet iniquam eſſe detentionem pretij propter venditionem actionum ſpiritualium, & ſatisfactoriarum propter incommoditatem, quam vendens patitur ſe priuando illa ſatisfactione, & fructu; Ex quibus tamen inferre licet, quod non ſit iniqua detentio pecuniæ exactæ pro venditione olei Sacri, Chriſmatis, Agnus Dei &c, loquendo de iure naturæ, ſi illa pecunia correſpondeat valori illius materiæ præcisè, quià ipſa eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, ſi verò illa pecunia excedat valorem eiuſdem materiæ quoad illum exceſſum iuſtè nequit detineri, quia

Leſſius.

Commoditas ſpiritualis eſt omninò inuendibilis.

Suarez.

Nō poteſt celebrans maius ſtipendium exigere ex eo, quod ſe priuet fructu, quem alteri applicat.

Bonacina.

ille exceſſus non poteſt correſpondere, niſi conſecrationi, ſeù benedictioni, quæ, cum ſint res inuendibiles, nullum ius conferunt ad pretium.

Ad rationes iam, quas in contrarium affert *Leſſius loc. cit.* reſpondendum eſt, & 9
quidem aſſerit primò, nullum habere ius aduerſus alterum, vt ſua cauſa hic teneatur incommoda ſpiritualia gratis ſubire, adeòque eidem iniuriam non conferre, ſi exigat compenſationem illius priuationis. Sed facilè occurro huic rationi aſſerens, illam priuationem, cum ſit rei non vendibilis, & non cadentis ſub humanum commertium, non eſſe meritoriam pretij, niſi quatenus ſecum trahat aliquod incommodum temporale, ea proportionali ratione, qua docent communiter Theologi in ſecunda ſecundæ D. Thomæ in quæſtionibus de iuſtitia, & iure, & in particulari *Nauarrus cap. 15. num. 22. Gloſa in cap. 1. de iniurijs, & damno dato. Ledeſma in 4. diſt. 24. quæſt. 25. art. 2. dub. 7. Petrus Nauarrus lib. 4. de reſtitut. cap. 1. num. 80. Couarruuias lib. 2. var. reſol. cap. 10. num. 7. Gomez tom. 3. cap. 6. num. 12.* nihil dandum eſſe pro vita, membri mutilatione, cicatrice &c. quia non ſunt bona compenſabilia pretio temporali, cum ſint altioris ordinis, ac ſint bona fortunæ, niſi prout ſecum trahunt expenſas, priuationem ad commoda temporalia, & ſimilia, ergo etiam, cum longè altioris ordinis ſint commoditates ſpirituales, quibus ſe priuat non erunt pretio compenſabiles, adeòque &c.

Leſſius.

Proponitur primū eiuſdē argumentū, & ſoluitur.

Nauarrus. Gloſa. Ledeſma. Petrus Nauarra. Couarr. Gomez.

Procedit vlterius idem Leſſius deſumpta paritate à priuatione commodorum temporalium, quæ ſi merentur compenſationem, a fortiori videtur eandem promereri priuatio commodorum ſpiritualium in fauorem alterius. Sed facilè etiam iuxta ſuperius dicta occurritur huic aſſerto, attacta diſparitate inter ſpiritualia, & temporalia, quandòquidem hæc ſunt pretio compenſabilia, cum ſint in eodem ordine, non ſic illa. Certè maioris momenti eſt priuatio gratiæ ſanctificantis, quam priuatio pecuniarum. Quis autem diceret cooperantem tali priuationi gratiæ teneri ad compenſationem in bonis fortunæ, ſicuti tenetur cooperans priuationi pecuniarum?

Non valet illatio à priuatione rerum temporalium ad priuationem ſpiritualiū, & quare.

Vrgent tandem alij ſectatores eiuſdem ex mente Leſſij aſſerentes illam priuationem commoditatis ſpiritualis eſſe diſtinctam a re ſpirituali, & compenſabilem pretio, quod, vt probent, ſupponunt v.g. quod quis habeat plura grana benedicta eiuſdem rationis, quorum ſi aliqua donet, non patitur incommodum, adeòque pro illis ratione incommodi nequit aliquod accipere; ſi autem vnum tantum habeat, & requi-

ſitus

ſtens alteri tradat ſe ipſum priuando, vtique incommodum patitur, & ex hoc titulo poteſt aliquid poſtulare ſine iniuſtitia. Sed huic etiam aſſerto facilè occurro, aſſerens, quod, quamuis ſe priuet commodo ſpirituali, quod habebat ex illo grano ſpirituali, ſeù benedicto, quo non ſe priuat, dum plura habet, & aliquod retinet, non proptereà ſine iniuſtitia poſſit aliquid pro illa priuatione illius vnius exigere, cum non ſit pretio compenſabilis per ſuperius allegata, ſecus, vt optimè infert *Suarez loc. cit.* poſſet quis pro miſſa vltra conſuetum ſtipendium ob congruam ſuſtentationem aliquid etiam pro eadem miſſa exigere, cum ſe priuet illo fructu ſpirituali, vt alteri applicet, quod nemo aſſeret.

Quamuis incommodum patiatur in hac ſpirituali hypotheſi, non tamen illud eſt compenſabile pretio.

10 Ex his, quæ hactenùs dicta ſunt in hac aſſertione, nonnulla poſſunt in particulari inferri, & primò attento præcisè iure naturæ, & diuino, ſi functio ſpiritualis vendatur ad æqualitatem pretij, quo valet ipſa functio ſecundum ſe, & materialitèr ſpectata, non obligari venditorem ad reſtituendum pretium receptum. Ratio ex ſuperiùs dictis deducitur, quià in illa venditione nulla interuenit iniuſtitia, quamuis interueniat ſacrilegium, quandòquidem illud pretium correſpondet eidem functioni materialitèr ſumptæ, quæ ſecundum ſe præſcindendò à ſpiritualitate, ſeù eſſe ſupernaturali eſt pretio compenſabilis. Excipe tamèn in hypotheſi, quod illam functionem ſpiritualem conferens non teneatur ex officio conferre, & non excedat valorem eiuſdem functionis materialitèr conſideratæ intuitu ſpiritualitatis eiuſdem functionis, quia tunc ille exceſſus attingeret ſpiritualitatem, & per conſequens eſſet cum iniuſtitia, ſeù læſione acceptantis receptus.

Quamuis interueniat ſacrilegiũ, non interuenit tamen iniuſtitia.

Dummodò tamen conferens ex officio non teneatur conferre.

11 Inferri poteſt ſecundò, conferentem rem ſpiritualem pro pretio intuitu materiæ, qua conſtat, vel actionis, qua fit, vel alterius circunſtantiæ adiacentis ſecundum ſe prætio æſtimabilis præſcindendo à ſpiritualitate, quæ eidem adnectitur, non teneri ex iure naturæ, & diuino ad reſtitutionem. Ratio deducitur ex ſuperiùs dictis, quia illud pretium correſpondet materiæ, vel actioni, vel circunſtantiæ ſecundum ſe pretio æſtimabili, & per conſequens non læditur iuſtitia commutatiua, ſic in particulari docet *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 59. num. 42.* quod vendens fundum habens coniunctum ius patronatus non teneatur ad reſtitutionem pretij, quia hoc correſpondet ipſi fundo pretio ſecundum ſe æſtimabili, dummodò pretium non excedat valorem fundi ratione iuris patronatus annexi propter rationes ſuperius allegatas, quia ſcilicet ille exceſſus correſponderet iuri ſpirituali inuendibili, ſic docet *Bonacina tract. de ſimonia quæſt. 7. punct. 3. difficult. 1. num. 16.* quod vendens imaginem miraculoſam pretio correſpondenti eidem imagini ſecundum ſe, non teneatur ad reſtitutiotionem propter rationes ſuperius adductas &c.

Suarez.

Non læditur per valorem exceptionem iuſtitia, ſed ſolum religio.

Bonacina.

Inferri poteſt tertiò, Epiſcopum, ſeù Prælatum Eccleſiaſticum, qui ex officio diſtribuere debet beneficia Eccleſiaſtica, quamuis habeant adnexum commodum temporale, non poſſe pro collatione eorundem iuſtè exigere pretium, nec iuſtè illud detinere *Fillintius tract. 45. cap. 13. num. 28. Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 59. num. 13. Bonacina d. tract. de ſimonia quæſt. 7. punct. 3. difficul. 1. num. 7.* Ratio eſſe poteſt, quia nullus eſt aſſignabilis titulus, ratione cuius æquè poſſit exigere, & iuſtè retinere, ergo &c. Antecedens probatur, quia titulus non poteſt eſſe ex motiuo præcisè beneficij collati, quia beneficium, quà beneficium eſt, vtpotè rei ſpiritualis eſt inuendibile, non ratione temporalis commodi eidem annexi, quia illud commodum temporale nec ratione dominij, nec ratione alicuius alterius iuris ad ipſum pertinet, cum ſit ſimplicitèr diſpenſator, & diſtributor; ſimplex autem diſtributor, & diſpenſator non poteſt in proprium commodum diſponere, quod ex diſpoſitione iuris, ſeù habentis dominium debet in alios diſtribuere, ea proportionali ratione, qua quis ex diſpoſitione teſtamentaria deputatus ad diſtribuenda bona teſtatoris in vſus Eccleſiarum, non poteſt in proprios diſponere, cum ex munere diſpenſatoris non acquirat aliquod ius in talia bonia, niſi ad diſtribuendum.

Fillius. Suarez. Bonacina.

Simplex diſtributor, & diſpenſator nõ poteſt in proprium commodũ diſponere.

Dices primò, poſſe eſſe iuſtum titulum detinendi pretium, quod pro collatione beneficij receptum eſt per Prælatum a beneficiario, ipſam functionem, quà beneficium contulit. Sed contra, quia illam functionem ex vi proprij muneris præſtare tenetur, pro qua propterea non poteſt aliquid ſeruato iuſticiæ ordine exigere. Deindè omnes reditus, quibus Prælatus gaudet non ſolum ſunt pro alijs functionibus Eccleſiaſticis, ſed etiam pro munere collationum, pro quo proptereà nequit aliud ſtipendium poſtulare.

Fructus, quibus gaudet Epiſcopus non ſolum ſunt pro alijs functionibus, ſed etiam pro diſtributione.

Dices ſecundò, dato etiam, quod propter allegatam rationem non poſſit pro illa functione illud pretium exigere tanquam mercedem operis, poterit tamen illud exigere tanquam compenſationem pro emolumento, quod tibi conferre non tenebatur; liber etenim erat ad tibi conferendum, vel alteri, & ſic, quod ſuum affectum determinet ad tibi conferendum, eſt pretio æſtimabile, pro quo propterea &c.

Leſſius.

Sed contra, quià hæc inſtantia, quam adducit *Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 28. num. 161.* eſt expreſsè, & in terminis per eundem adductis damnata *ab Alexandro VII. fel. record.* in Congregatione hac de re edita tanquam pernitioſa Reipublicæ, & ſcandaloſa, &, cum Pontifex talem exactionem, & retentionem damnet, vt malam, & ſcandaloſam, apertè colligitur, quod ex natura ſua ſit iniuſta. Hoc idem ſenſiſſe videtur expreſsè Innocentius XI. nunc regnans, dum in Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habita die 2. Martij 1679. reprobauit tanquam ſcandaloſam, & in praxi pernitioſam propoſitionem, quæ eſt in ordine quadrageſima quinta, qua dicitur *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tanquam motiuum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam, quandò temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, & è contrà.* Quarum omnium declarationum ea ratio eſſe videtur, quia ſcilicet ea libertas, cum attingat dationem ſpiritualium conferendorum ſine vllo ordine ad lucrum, ſeù onus, non poteſt determinari per aliquod onus, nam cum finis debeat eſſe gratuitus, non poteſt non eſſe talis modus, quo debet idem finis attingi, & ſicuti Deus auctor rerum ſpiritualium vult liberam, & gratuitam illarum collationem, vult etiam gratuitò electionem, & per conſequens etiam determinationem, pro qua proptereà nihil poteſt exigi.

Damnationes expreſſa Alexandri VII. & Innocentij XI.

Cum finis debeat eſſe gratuitus debet eſſe, & talis collatio, & modus collationis.

Dices tertiò, priuare ſe poteſtate alteri gratificandi eſt pretio æſtimabile, ſed per determinationem conferendi vni beneficium Eccleſiaſticum conferens, ſeù ſe determinans priuatur iure, ſeù poteſtate alteri gratificandi, ergo ratione talis determinationis poterit iuſtè pretium exigere, illudque retinere. Sed contrà, quia hac ratione quandòcunque vni confert, poſſet ſemper exigere pretium, prout correſpondet facultati conferendi pluribus, adeòque maximum pretium, quod eſt abſurdiſſimum. Quamobrem ad inſtantiam dicendum eſt; hoc, quod eſt ſe priuare facultate alteri gratificandi prouenire ex ipſa natura collationis, & ex munere proprio, & ex limitatione rei non pluribus conferibilis, pro quo propterea non meretur nec pretium, nec ſtipendium, & ſicuti ex eo, quod quis rem ſuam vendat alicui, non habet ius exigendi maius pretium ex ea ratione, qua priuatur facultate alteri vendendi eandem rem, ità ex eo, quod vni conferat, non acquirit ius aliquid exigendi ex ratione, qua ſe priuet facultate alteri gratificandi. Ratio à priori eſt, quià ipſa determinatio ad vnum oritur ex ipſo munere conferendi præſcripto à Chriſto Domino, non enim alligata ſunt beneficia Eccleſiaſtica Prælatis, vt apud ſe retineant, qui quamuis libertatem eiſdem reliquerit, vel vni, vel alteri conferendi ſuppoſita idoneitate, præſcripſit tamen determinationem gratuitò faciendam, ſicut præſcripſit collationem gratuitam, non oneroſam.

Ipſa determinatio ad vnum oritur ex ipſo munere conferendi præſcripto à Chriſto Domino.

Aſſertio V. De iure canonico ſimonia- 14
cè acceptum pro re ſpirituali non eſt reſtituendum, niſi in tribus caſibus, nempè in collatione beneficij, ſeù in alia actione ordinata ad talem collationem, ſecundò in admiſſione ad ſtatum monacalem, ſeù pro ingreſſu, ſeù profeſſione in Religionem, ſeù Monaſterium, tertiò in collatione ordinum, aliorumque ſacramentorum. *Leſſius lib. 2. cap. 35. de ſimonia dub. 30. num. 169. Bonacina tract. de ſimonia quæſt. 7. punct. 3. difficul. 1. num. 18. & alij magis communiter.*

Tres caſus, in quibus pretium de iure canonico eſt reſtituendum. Leſſius. Bonacina.

Probatur prima pars in vniuerſum, quià præſcindendo ab iniuſtitia, quæ obligat ex natura ſua, & a præcepto diuino, quod obligat ex iure Diuino, obligatio reſtitutionis, quæ oritur ex præciſa poſitiua lege Eccleſiæ non poteſt eſſe, niſi in pænam pro delicto, ſiuè hoc fuerit contra ius diuinum, ſiue poſitiuum Eccleſiaſticum, ſed leges pænales non extenduntur vltra expreſſa, nec vllibi reperitur lex generalis Eccleſiaſtica obligans in quocunque genere ſimoniæ ad reſtitutionem pretij recepti, ergo &c. Minor probatur, quia non eſt aſſignabilis talis lex abſolutè, & in omni genere ſimoniæ præcipiens reſtitutionem. Quod ſi aſſignes textum *in cap. audiuimus de ſimonia*, in quo regularitèr videtur præſcribi onus reſtitutionis pretij ſimoniacè recepti; ſtatim impugnaberis, quià in eo textu, vt bene notat *Suarez tom. primo de Religione lib. 4. de ſimonia cap. 60. num. 13.* non eſt ſermo de ſimonia in omni materia, ſed in inſtitutionibus Parochorum, in ingreſſu in Religionem, vno verbo, in triplici illo rerum ordine, de quo in aſſertione.

Leges canonicæ obligantes ad reſtitutionem præſcindendo à iure diuino ſunt tantùm pænales.

Suarez.

Probatur ſecunda pars quoad collationem beneficiorum *ex cap. de hoc de ſimonia*, vbi Pontifex mandat Toletano Archiepiſcopo, vt Regem, & Principes eius inducat, vt ſi quæ receperint ab Epiſcopo Oxonienſi, vt eius electioni præſtarent aſſenſum, Eccleſiæ Oxonienſi ſine diminutione reſtituant, cum ea ſine graui ſuæ ſalutis periculo retinere non poſſint. Tertia pars de pretio pro ingreſſu in Religionem colligitur *ex cap. veniens 19. de ſimonia*. Quarta pars de pretio pro collatione ordinum, & ſacramentorum potius colligitur ex communi Doctorum conſenſu, quam ex iure aliquo poſitiuo, quod hanc reſtitutionem præſcribat.

Iura conſentia tenentur quoad prædictos tres caſus.

Pro

Pro clariori notitia huius vltimæ aſſertionis aduerte, ipſam non habere locum in illis caſibus, in quibus de iure naturæ, & diuino diximus receptatorem talis pretij ſimoniacum obligari ex iuſtitia ad reſtitutionem, quia in illis iam adeſt obligatio reſtitutionis ex fortiori iure, ad quod, ſi accedat etiam ius Eccleſiaſticum, certè vrget non ratione ſui præcisè, ſed ratione præcedentis obligationis. Procedit igitur ſolummodò in ijs caſibus, in quibus ex ſolo præſcripto Eccleſiæ facienda eſt reſtitutio.

Procedit ſolummodo in ijs caſibus, in quibus ex præſcripto Eccleſiæ facienda eſt reſtitutio.

PRONOTIO VI.

An pretium ſimoniacè acceptum, quod non ex iure naturæ, nec diuino, ſed ex lege ſolum poſitiua Eccleſiæ eſt reſtituendum, ſit reſtituendum ante ſententiam.

SVMMARIVM.

Opinio Vgolini aſſerens non eſſe faciendam reſtitutionem ante ſententiam declaratoriam 1.

Pretium receptum pro collatione beneficij, electione &c. eſt ipſo iure reſtituendum etiam ante ſententiam declaratoriam in foro animæ 2.

Non ſic pretium receptum pro collatione ordinum, ſeù admiſſione ad ſtatum Monachalem 3.

PRocedit titulus tùm in ordine ad pretium receptum pro collatione beneficij, tùm in ordine ad illud pro receptione in Religionem, tùm tandèm in ordine ad illud pro collatione ordinum, & adminiſtratione ſacramentorum, quæ omnia diximus ex lege poſitiua Eccleſiæ eſſe reſtituenda, & quidem ſenſus difficultatis in eo conſiſtit, an omnia indefinitè, vel antè, vel poſt ſententiam reſtituenda ſint, vel aliqua ante, & aliqua poſt, & quænam in particulari.

1 Vgolinus *tab. 4. cap. 2. §. 1. in fine* abſolutè videtur aſſerere pretium indefinitè pro quocunque ex illis allegatis tribus generibus ſimoniæ in conſcientia non eſſe reſtituendum ante ſententiam declaratoriam, & quamuis pro hac opinione referantur *D. Antoninus ſecunda part. tit. 2. cap. 5. & Nauarrus in man. cap. 17. num. 30.* nihilominus immeritò referuntur, quandòquidem D. Antoninus excipit in caſibus a iure expreſſis. Mouetur *Vgolinus loc. cit.*, quia exiſtimat nullum adeſſe ius poſitiuum ipſo facto obligans ad hanc reſtitutionem, vndè tria illa iura à nobis ſuperius allegata *ex cap. de hoc, ex cap. veniens, & ex cap. fin. de ſimonia* ab eodem variè explicantur; aſſerit enim *cap. de hoc* vtique obligare ad reſtitutionem ipſo facto, non tamen, quià præcisè illud pretium fuerit ſimoniacum, ſed quià datum fuerat ex bonis Eccleſiæ, non illius, qui ſimoniacè electus fuerat; item *cap. illud veniens* obligare quidem ad reſtitutionem non præcisè ratione ſimoniæ, ſed quia pecunia illa fuerat per vim extorta. Item *cap. fin.* aſſerit commodè poſſe intelligi de obligatione reſtitutionis mediante ſententia. Nihilominus his negotium minimè faceſcentibus ſit

Vgolinus

Senſus, & rationes Vgolini aſſerentis non eſſe faciendam reſtitutionem ante ſententiam.

Aſſertio. Pretium acceptum pro venditione beneficij, ſeù electionis, & præſentationis in foro conſcientiæ reſtituendum eſſe etiam ante ſententiam, ius tamen Eccleſiæ hoc ſtatuens eſt magis declaratiuum iuris naturalis, quam ſecundum ſe diſpoſitiuum, pretium verò acceptum in alijs caſibus, non niſi poſt ſententiam *D. Thomas ſecunda ſecunda quæſt. 100. art. 6. ad quartum. Silueſter verbo ſimonia quæſt. 20. Medina C. de reſtitutione quæſt. 20. ad tertiam. Redoannus prima part. cap. 3. & 4. part. cap. 8. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 60. num. 3. Bonacina tract. de ſimonia quæſt. 7. punct. 3. difficul. 1. num. 18. & ſeqq.* 2

D. Thomas. Silueſter. Medina. Redoan. Suarez. Bonacina.

Prima pars probatur *ex d. cap. de hoc de ſimonia*, vbi cum impoſitum fuerit Archiepiſcopo Toletano, vt induceret Regem, & Principes ad reſtituendum id, quod pro aſſenſu præſtito electioni Epiſcopi Oxonienſis receperant, ſubdit Pontifex rationem, quia ſcilicet *ea ſine graui ſuæ ſalutis periculo retinere non poſſint*; ex quo ſic arguo. Quod nequit detineri ſine graui ſalutis periculo in conſcientia reſtituendum eſt præſcripta etiam quacunque ſententia, ſicuti è contra, quod non eſt reſtituendum ante ſententiam retineri poteſt ſine periculo propriæ ſalutis per ea, quæ ſcribunt communiter *Doctores in d. cap. de hoc de ſimonia*, ergo id, quod receptum eſt ſimoniacè pro collatione beneficij, ſeù electione, & præſentatione in conſcientia reſtituendum eſt etiam ante ſententiam, nec obeſſe poteſt id, quod aſſerebatur ex *Vgolino loc. cit.* eſſe quidem in data hypotheſi illius textus *in cap. de hoc* reſtituendum receptum etiam ante ſententiam, quia illud, quod receptum erat, non erat ex bonis patrimonialibus, ſeù proprijs illius, qui fuerat electus, ſeù promotus ad Eccleſiam Oxonienſem, ſed ex bonis eiuſdem Eccleſiæ, cui proptereà per Pontificem dicitur reſtitutionem faciendam. Ibi *Eccleſia Oxonienſi ſine diminutione reſtituant*; non, inquam, obeſſe poteſt, nam gratis omninò, & ſine fundamento aſſeritur id, quod receptum fuerat, fuiſſe ex bonis Eccleſiæ. Vndè enim hoc colligit Vgolinus? Legatur textus ibi *Si quæ receperint,*

Declaratio Pontificis, cum ſua ratione continens talem reſtitutionem.

Vgolin.

Digitized by Google

perit. Quomodò coniectat ea, quæ recepta ſunt, fuiſſe Eccleſiæ? Hoc textus non exprimit. Quinimmò ex facti ſerie circà quod procedit dictus textus, colligitur bona recepta fuiſſe propria, ſeù patrimonialia Epiſcopi electi, ſeù promoti, quandòquidem talia bona dedit Regi, & Principibus, vt eligeretur, ſeù promoueretur per eorum aſſenſum, ergo antecedentèr dedit ad talem aſſenſum, & promotionem, ſeù electionem, prò quo tempore non gaudebas priuilegio in tali Eccleſia, adeòque probabile eſt, non dediſſe ex bonis Eccleſiæ. Quod ſi dicat Vgolinus colligi, fuiſſe ex bonis Eccleſiæ ex verbis ſubſequentibus textus Ibi· *Eccleſia Oxonienſi ſine diminutione reſtituant*, quod certe intentum indicat, quia reſtitutio ei facienda eſt, in cuius bonis facta fuit læſio, ergo, cum præcipiatur fieri Eccleſię Oxonienſi, pręſumendum eſt, traditionem factam fuiſſe ex ipſius bonis; ſtatim impugnabitur, quia ex alio capite reſtitutio facienda eſt Eccleſiæ in pænam ſcilicet delicti ſimoniaci, prout infra videbimus.

Ex textu ipſo colligitur confutatio Vgolini.

Facienda eſt reſtitutio Eccleſiæ in pænā prauitatis ſimoniacæ.

Dixi, *eſt tamen ius Eccleſiæ quoad hoc potius declaratiuum iuris naturalis, quam ſecundum ſe diſpoſitiuum*, quia ex eo, quod dicatur in textu, *Cum ea ſine graui ſuæ ſalutis periculo retineri non poſſint*, arguitur reſtituenda eſſe iuxta diſpoſitionem iuris naturæ, & diuini, non autem de iure merè Eccleſiaſtico, quia in eo textu fit tantum declaratio iuris naturalis, & diuini, præcipuè, cum ibi agatur de pretio, cuius receptio importat iniuſtitiam, & vlterius additur expreſſio iuris Eccleſiaſtici ad maius robur, & ad agendum etiam in foro externo.

Eſt potius ius declaratoriū, quam diſpoſitiuum

3 Secunda pars ſic probatur, quià nullus eſt aſſignabilis textus hanc obligationem inducens ante ſententiam declaratoriam, & cum talis obligatio inducatur tanquam pæna exigens ad ſui executionem miniſterium hominis, non poteſt ante tale miniſterium, ſeù ſententiam dici, quod ſit exequenda, ſeù ſoluenda, quinimmò cum *Vrbanus IV. in extrauag. ſane ſuprà relata* permiſſerit, vt acceptum hoc pacto retineatur, modo non applicetur ad priuatum vſum Abbatis, videtur ex eodem iure poſitiuo ſic permittente non eſſe onus reſtitutionis ante ſententiam, & quidem hoc pro pretio recepto pro ingreſſu in Religionem.

Non reperitur textus obligās ad reſtitutionē ante ſententiam.

Ad rationes, quæ per Vgolinum afferebantur, facile eſt reſpondere, & quidem ad primam *ex cap. de hoc de ſimonia* patet reſponſio ex ijs, quæ dicta ſunt in probatione primæ partis aſſertionis. Ad ſecundam *ex cap. veniens de ſimonia* dico, nobis non aduerſari, ſed potius fauere ſecundæ parti eiuſdem reſponſionis; quandòquidem ibi Pontifex mandat, vt compellatur Abbas ad reſtituendum, quod certè exigit ſententiam. Ad tertiam *ex cap finali* potius recipiens eximitur ab obligatione reſtituendi, quam compellatur recipiens pretium ad ipſum reſtituendum, vt textum legenti ſit manifeſtum.

Satisfit rationibus Vgolini.

PRÆNOTIO VII.

Cui facienda ſit reſtitutio pretij ſimoniaci recepti.

SVMMARIVM.

Quandò pretium reſtituendum eſt ex vi iuris naturalis, & diuini reſtituendum eſt ei, à quo fuit acceptum 1.

Pretium receptum pro collatione beneficij ex iure poſitiuo non eſt reſtituendum ei, à quo acceptum eſt, ſed Eccleſiæ, in cuius ignominiam facta fuit illa ſolutio 2.

Excipe tamen primò, niſi fuerint tot Pauperes ſub tali Eccleſia, quibus aliundè ſubueniri non poſſet 3.

Excipe ſecundo, ſi ipſa Eccleſia fuerit in culpa talis ſolutionis ſimoniaca, quià tunc Eccleſiæ non eſſet facienda reſtitutio 4.

Excipe tertiò, niſi facta fuerit compoſitio cum Sacra Pœnitentiaria, ſi crimen fuerit occultum, vel cum Dataria, ſi publicum 5.

Pretium, quod monaſterium ſoluit eximia perſona, vt in idem ingrediatur, non eſt eidem monaſterio reſtituendum, ſi illud ingreſſus ante profeſſionem conſumpſerit 6.

Si retinuerit poſt profeſſionem monaſterio cedit non iure reſtitutionis, ſed conſcientionis. Ibid.

Si monachus ſoluit monaſterio pretium, vt in ipſo recipiatur, & nondum profeſſus receſſerit à monaſterio, eidem ex quadam pietate eſt reſtituendum, ſi aliundè non habeat, quo viuere poſſit, vel aliam Religionem velit ingredi 7.

Si aliunde habeat, quo commodè viuere poſſit congruentiùs illud pretium eſt diſtribuendum in pauperes 8.

Si verò fuerit profeſſus, & ex diſpenſatione adhuc perſeuerat in eodem monaſterio, monaſterium ipſum non tenetur pretium reſtituere 9.

Si eiiciendus eſt à primo monaſterio, in quo eſt profeſſus, ſi omnes primi monaſterij conſenſerint in ſimoniam, tunc pretium eſt erogandum monaſterio, ad quod tranſit 10.

Si vero ſolus Prælatus primi monaſterij conſenſerit in ſimoniam, tunc datum, ſi conſiſtat in immobilibus, quoad vſumfructum pertinebit ad ſecundum monaſterium, & proprietas ad primum; ſi verò in vſu conſumptibilibus tranſit cum pleno iure ad ſecundum 11.

Simo-

Si ſimoniacus non expectata ſententia ſpontè ad aliud Monaſterium transfeat, tunc, ſi collatum conſiſtat in immobilibus, proprietas ad primum, vſusfructus tranſibit ad ſecundum 12.

Pretium ſimoniacè receptum pro collatione ordinum reſtituendum eſt Eccleſia, pro alijs rebus ad arbitrium Iudicis condemnantis 13.

Et quidem pretium pro collatione ordinum illi Eccleſia, ad cuius titulum eſt ordinatus, ſin minus Eccleſia Cathedrali 14.

Eſt alia pœna duplicatæ reſtitutionis contrà Epiſcopos, qui decedentibus Eccleſiarum rectoribus Eccleſias ipſas ſubijciunt interdicto, donec pecunia perſoluatur 15.

Hæc pœna non habet locum, niſi poſt ſententiam 16.

DIctum eſt ſuprà, quod quandò pretium eſt anticipatè traditum ei, qui debet conferre beneficium, ſeù rem ſpiritualem ante collationem eiuſdem rei ſpiritualis ſit reſtituendum ipſi, qui illud contulit, quandòquidem illud non contulit, niſi ſub conditione, ſi per alterum adimpleatur conuentio per actualem traditionem. Id, quod ſub preſenti titulo controuertitur, eſt primò, an quandò ex vtraque parte conuentio completa eſt, id, quod reſtituendum ex diſpoſitione iuris naturalis, & diuini independentèr ab inſtitutione Eccleſiæ ſit reſtituendum eidem, qui illud contulit, an Eccleſiæ, an verò pauperibus. Secundò cuinam ſit reſtituendum id, quod debet reſtitui ex diſpoſitione Eccleſiæ etiam ante ſententiam declaratoriam. Tertiò, quid ſentiendum ſit, quandò non eſt reſtituendum, niſi poſt ſententiam, cuinam ſcilicet adiudicari debeat. Quartò ſingularitèr, an receptum pro ingreſſu in Eccleſiam, & Monaſterium poſſit detineri per eandem Eccleſiam, ſeù monaſterium, an verò alteri ſit reſtituendum, & cui. Quintò ex ſuppoſitione, quod ille, qui ſimoniacè profeſſus eſt per ſententiam tranſire debeat ad aliud Monaſterium, receptum pretium ad idem ſecundum monaſterium transferendum ſit, & an ad ipſum pertinere debeat tàm quoad vſumfructum, quam quoad proprietatem, an verò tantum quoad vſufructum, ſi conſiſtat in immobilibus, & fructiferis

Varij ſenſus ſcitundum quos poteſt examinari ti tulus.

1 Aſſertio I. Quandò ſimoniacè receptum reſtituendum eſt ex vi iuris naturalis, & Diuini præcisè reſtitutio ei facienda eſt, à quo fuit ſimoniacè extractum, non Eccleſiæ, nec alteri. *Bannes ſecunda ſecundæ quæſt. 32. art. 7. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 59. num. 23. Nauarrus in manuali cap. 17. num. 30. Bonacina de ſimonia quæſt. 7. puņct. 3. difficult. 1. num. 22.*

Bannes. Suarez. Nauarrus. Bonacina.

Probatur aſſertio, quià lex naturalis exigit, vt ille, in cuius bonis facta fuit læſio contrà ordinem iuſtitiæ ſit compenſandus, ſiquidem reſtitutio eſt actus commutatiuæ iuſtitiæ conſtituens æqualitatem inter lædentem, & læſum, ſed nec Eccleſia, nec Pauperes læſi ſunt, ſed dumtaxat ille, qui talem fecit ſolutionem, quam facere non tenebatur, ergo ex ſola lege naturali, & diuina reſtitutio facienda eſt ſolummodò eidem ſolutori.

Reſtitutio eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ.

Probatur ſecundò, quià nulla eſt aſſignabilis ratio, ob quam reſtitutio facienda ſit alteri ab eo, qui ſoluit ſiſtendo in ſolo naturæ iure, & diuino, ergo &c. Antecedens probatur, quià primò non eſt aſſignabilis læſio, nec res iniuſtè accepta, nec iniuſta acceptio, quià alter a ſoluente non eſt læſus, nec ab eo res aliqua accepta, nec per conſequens reſpectu eiuſdem modus aliquis iniuſtæ acceptionis appoſitus, & ſi aliqua adhoc vrget, eſt poſitiua, & per modum pœnæ propter irreuerentiam præſtitam rei ſacræ, non ſecundò ius aliquod naturale, cum non poſſit aſſignari nec in ſe, nec in fundamento, cui innititur, ergo &c.

Alius ab eo, qui pretium ſoluit, non habet rationem læſionis.

Dices primò, quod, quamuis reſtitutio eſſet facienda læſo propter iniuriam eidem præſtitam, diſponente tamen naturæ ordine iure ad illam conſequendam priuetur propter iniuriam præſtitam Deo, rebuſque ſacris. Ad quam inſtantiam confirmandam poteſt adduci textus *in cap. cum ſit de Iudæis*, vbi dicitur, quod bona per ipſos acquiſita, vtpotè turpiter acquiſita, reſtituenda ſint pauperibus, ergo etiam bona ſimoniacè acquiſita, vtpotè ob turpem cauſam acquiſita, erunt pauperibus reſtituenda, vel Eccleſiæ. Sed contra, quia nullibi reperitur talis pœna impoſita propter irreuerentiam præſtitam Deo, rebuſque ſacris; ſaltem loquendo de iure naturæ; nam ſi eſt lex Eccleſiaſtica ad hoc obligans, non facit contra hanc aſſertionem, quæ procedit tantum de iure naturali, & diuino. Ad id, quod ſubditur *ex cap. cum ſit de Iudæis* dicendum eſt, non facere ad rem noſtram, quandòquidem hæc lex eſt merè Eccleſiaſtica poſitiua, & pœnalis. Deinde, vel id, quod per Iudæos exercentes publica officia cum poteſtate, & iuriſdictione ſuprà Chriſtianos exactum eſt, erat iuſtum, vel iniuſtum; ſi primum eodem priuantur in pœnam per legem poſitiuam, per quod nihil contra nos; ſi ſecundum, dicendum eſt ideò præcipi fieri pauperibus, quia regularitèr domini, à quibus huiuſmodi turpia lucra fuerunt extorta, ſunt incerti, vndè ex interpretatiua voluntate eorúdem Dominorum Eccleſia præcipit, vt in vſus pauperum conuertantur, & ſic ipſi pauperes ex tali voluntate rationabilitèr præſumpta

Ius naturæ nullibi præcepit ſoluentem priuandū eſſe pretio ſoluto propter irreuerentiam præſtitam Deo.

ſumpta

ſumpta ſubſtituuntur in locum eorundem Dominorum.

Dices ſecundò, per ſimoniacam prauitatem eum, qui pretium contulit, conſtitutum fuiſſe indignum beneficio reſtitutionis, vndè iure merito emanauit prohibitio talis reſtitutionis per textum *in l. ſi ob turpem ff. de condition. ob turpem cauſam*, quæ certe lex innititur naturali rationi, quandòquidem iura ſubalternantur morali Phyloſophiæ per ea, quæ tradit *Silueſter verb. ſimonia quæſt.* 20. Sed contrà aſſero, ſimoniacum, qui pretium contulit pro beneficio, eſſe quidem dignum, vt priuetur iure illud recuperandi in pœnam ſimoniacæ prauitatis, non tamen intelligi de facto priuatum ob illud crimen illo iure ante Iudicis ſententiam, ſi ſiſtamus in ſolo iure naturali, quamobrem præſcindendo à iure poſitiuo non eſt, cur illi non debeat reſtitui. Ad id, quod ſubditur in textu *in l. ſi ob turpem* idem ferè reſpondeas, ſiquidem talis lex prohibens inſtitutionem eſt merè poſitiua, & pœnalis, quæ quamuis ſubalternatur Phyloſophiæ morali, præſuponit propterea culpam, non tamen inditam talem pœnam, quæ per ius poſitiuum apponitur ſuppoſito tali delicto.

Silueſter.

Eſt dignus, vt priuetur, nõ tamen intelligitur ipſo iure priuatus.

Dices tertiò, eum, qui dedit pecuniam pro beneficio ſpirituali, voluntarie dediſſe, & intentionem habuiſſe verè dandi, & abdicandi à ſe dominium talis rei transferendo illam in conferentem beneficium, ergo, qui illam recepit, ſaltem quantum eſt de iure naturæ, non tenetur reſtituere illi, qui dedit. Sed contrà, quia præterquamquod ſuperius dictum fuit ſoluentem pecuniam pro beneficio non ſoluere omninò liberè, & voluntariè, ſed inuoluntariè mixtè, adeòque non habere voluntatem abſolutam transferendi dominium, adhuc poteſt reſponderi cum Scoto, quod licet ſimoniacus collator beneficij pro pretio acquiſierit dominium eiuſdem pretij ex voluntate dantis, teneatur tamen de iure naturæ ad illius reſtitutionem, quia illud obtinuit per iniuriam, & ratione iniuriæ res illa manet reſtitutioni ſubiecta. Secundò reſponderi poteſt, ſimoniacum non acquirere dominium pretij ſimoniaci, quia voluntas illud dantis non fuit ad donationem, ſed ad dandum, prout iuſtitiæ ratio poſtulat, cum autem iuſtitia non poſtulet, vt detur pro ipſo beneficio Eccleſiaſtico, hinc eſt &c.

Collator beneficij recepit pretiũ per iniuriam.

Aſſertio II. Pretium receptum pro collatione beneficij, quod de iure poſitiuo reſtituendum eſt etiam ante ſententiam iuxtà ſuperius dicta in præcedenti prænotione, iuxta poſitiuam diſpoſitionem Eccleſiæ non eſt reſtituendum ei, qui illud tradidit, ſed regularitèr Eccleſiæ, in cuius ignominiam facta fuit illa conuentio, & traditio pecuniæ *D. Thomas ſecunda ſecunda quæſt. 62. art. 5. ad ſecundum, Caietanus verb. ſimonia. Victor part. 2. relect. nu. 6. Couarruuias reg. peccatum ſecunda parte §. 2. nu. 6.* aduerſus *Sotum lib. 9. de iuſtitia quæſt. 8. art. 1. & Bannes ſecunda ſecundæ quæſt. 32. art. 7. dub. 2.* volentes reſtituendum eſſe illi, qui tradidit, vel ſaltem licitè eidem poſſe reſtitui.

D. Thom. Caietanus. Victor. Coaruu. Sotus. Bannes.

Probatur prima pars, quià quamuis dominium pecuniæ traditæ per emptorem venditori ſimoniaco non transferatur in eundem venditorem ex præciſa voluntate eiuſdem tradentis, cum talis voluntas ſit inuoluntaria mixtè per ea, quæ ſupra tradidimus, ex diſpoſitione tamen Eccleſię quaſi in pœnam delicti tale dominium abdicatur ab eodem emptore, & illa actualis traditio ſupplente Eccleſia defectum tituli, & voluntatis tradentis habetur pro virtuali abdicatione, & ipſa Eccleſia non reſiſtens tali abdicationi, ſed potius illam in ſe ipſa aſſumens, & acceptans poſteà applicat non recipienti, qui nullum ius habet, nullumque titulum acquirendi illius rei, ſeù pretij dominium, ſed Eccleſiæ, in qua beneficium eſt, circa quod ſimonia commiſſa eſt *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 60. num. 8.* quæ quidem omnia conſona rationi ſunt, quandòquidem Eccleſia diſponens tradi Eccleſiæ, vt infra dicemus, intendit punire tradentem, cui propterea, ſi reſtitueretur, violaretur mens eiuſdem Eccleſiæ in pœnam delicti priuantis eundem iure talis pecuniæ modo aſſignato abdicatæ.

Ex diſpoſitione Eccleſia quaſi in pœnã delicti priuatur emptor iure ad pretiũ ſolutum.

Suarez.

Probatur ſecunda pars *ex d. cap. de hoc de ſimonia*, vbi, eum dictum fuerit, compellendum eſſe receptatorem pecuniæ ad illam reſtituendam ſine vlla prorſus diminutione ſubditur, quod conferatur Eccleſiæ Oxonienſi, ergo clarè liquet ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici reſtitutionem pretij ſimoniaci pro collatione beneficij Eccleſiaſtici faciendam eſſe Eccleſiæ &c. in cuius iniuriam initus fuit contractus ſimoniacus.

Diſpoſitio iuris canonici quoad hoc

Dixi, *regularitèr*, nam quandòque poſſunt caſus contingere, ſecundùm quos non expediat eidem Eccleſiæ fieri reſtitutionem, & primò, ſi tot eſſent Pauperes ſub tali Eccleſia, vt illis aliundè difficilè poſſet ſubueniri, nec incongrua ſane ratione, quandòquidem bona Eccleſię ad illos quodamodò pertinent per ea, quæ ſcribit *D. Thomas ſecunda ſecunda quæſt. 32. art. 7. ad 2. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 60. nu. 8.*, verum tamen eſt, quod diſpenſatio illius pretij in pauperes congruentius facienda eſſet per Prælatum illius Eccleſiæ, vt rectè, & ordinatè procedatur. *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 6. ad tertium.* 3

D. Thomas. Suarez.

Secundò, ſi illud pretium acceptum ſit pro Eccleſia, vel beneficio non debet eidem

eidem Eccleſiæ, ſeù beneficio applicari, ſi ipſa Eccleſia fuerit in culpa, puta, ſi totum Collegium conſenſit ſimoniæ, quia tunc debet erogari pauperibus, ne Eccleſia de malo reportet lucrum; in hoc caſu aſſerit *Raimondus*, quod ex quadam æquitate, & miſericordia poſſet reddi ei, qui dedit, ſi tranſire vellet ad Religionem, vt cum ipſa tranſiret, & *Hoſtienſis in d. cap. de hoc de ſimonia* ſuſtinet, quod eidem, qui dedit reſtitui poſſit, ſi dedit ex ignorantia, quæ tamen vix præſumi poſſe videtur, cum ſit ignorantia iuris.

Raimundus. Hoſtienſis.

5 Tertiò, non eſt reſtituendum pretium Eccleſiæ, ſi facta fuerit compoſitio cum ſacra Pœnitentiaria, ſi crimen ſit occultum, vel cum Dataria Apoſtolica, ſi crimen ſit publicum, vel reſtitutio iam facta fuerit Cameræ Apoſtolicę, *Sotus lib. 9. de iuſt. quaſt. 8. art. 1. ad quartum. Vgolinus tab. 4. cap. 2. §. 1. nu. 7.* quibus etiam adhæret *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 60. num. 8. in fin.* & ratio eſt, quia tunc ſaltèm præſumptiuè adeſt mens Summi Pontificis, qui eſt caput totius Eccleſiæ, quique poteſt iura, vel quæſita, vel quærenda ab vna in aliam Eccleſiam transferre *Bonacina tract. de ſimon. quaſt. 7. punct. 3. difficul. 1. num. 19. verſ. reſtitutio ergo.*

Sotus. Vgolinus. Suarez. Bonacina.

Aſſertio III. Pretium, quod non eſt reſtituendum per legem Eccleſiaſticam, niſi poſt ſententiam pro receptione in Religionem, ſeù Monaſterium in ordine ad diuerſas perſonas, & circunſtantias diuerſimodè eſt diſtribuendum. Singulas circunſtantias, & modos in particulari aſſigno.

6 Primò, ſi Monaſterium dedit pretium alicui eximiæ perſonæ, vt in ipſum ingrederetur, non tenetur hic, qui recepit illud monaſterio, in quo recipitur, reſtituere *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 60. num. 9.* quià illud, vel eſt ſimpliciter donatio, vel eſt pretium locationis, quatenùs ingreſſurus quodamodò ſuam perſonam locauerit ad obſequia Religionis, ſeù Monaſterij *Bonacina tract. de ſimonia quaſt. 7. punct. 3. diffic. 1. num. 2. in princip.* Quamobrem, vel ingreſſurus Religionem illud pretium, quod recepit ante ingreſſum, conſumpſit, vel alteri donauit, & in vtroque hoc caſu non tenetur ad reſtitutionem; cum potuerit de illo pro ſua libertate diſponere, cum factus fuerit illius dominus, vel illud adhuc retinet, & tunc cum perſona ipſius tranſit ad ipſum monaſterium non titulo reſtitutionis, ſed iure conſecutionis, quatenùs omnia ipſius bona, de quibus prius non diſpoſuit, ſemper ipſum comitantur, & cum ipſo tranſeunt *Suarez. loc. cit.* & licet ipſum monaſterium, ſeù Religio quodamodò ſimoniam commiſſerit erogando illud pretium, non propterea factum eſt incapax ad ſuccedendum in illo pretio per ſe tradito, ſicuti ſuccedit in reliquis bonis eiuſdem poſt ingreſſum, & profeſſionem, ſi ante de illis non diſpoſuerit, & licet in iure poſitiuo Eccleſiaſtico diſpoſitum ſit, quod pretium receptum per Monaſterium ab ingreſſo ſit reſtituendum, vt ſuprà, & infrà etiam videbimus, non propterea ſequitur, quod pretium receptum per ingreſſurum à Monaſterio ſit etiam reſtituendum, quandòquidem de hac ſecunda hypotheſi nihil reperitur diſpoſitum, & pœnalia vltrà expreſſa non ſint extendenda ad ſimilia, vt ſunt vulgata iura.

Suarez. Bonacina. *Vt pretiũ quodamodò locationis propria perſona ad munera monaſterij.* Suarez. *Pœnalia non ſunt extendenda ratione ſimilitudinis.*

7 Secundò, ſi ipſe Monachus, ſeù Religioſus tradidit pretium monaſterio, vt in ipſo reciperetur; tunc diſtingue, vel enim ille, qui ingreſſus eſt monaſterium in eodem Profeſſionem emiſit, vel adhuc in eodem Nouitius exiſtit. Rurſus, ſi profeſſionem in eodem emiſit, vel totum Monaſterium concurrit ſimoniacè ad præbendum conſenſum pro ingreſſu, vel Prælatus tantùm, vel aliquis monachus in particulari, & non omnes; Si adhuc eſt Nouitius, tunc etiam, ſi omnes de capitulo ad illam ſimoniam concurrerint, deducunt plures *Doctores ex cap. veniens de ſimonia* illud pretium ipſi Nouitio eſſe reſtituendum, quandòquidem ibi dicitur, vt compellantur *Abbates, & Monaci ad reſtituendam pecuniam præfato fratri tam indignè acceptam*, & præcipuè ſic ſentire videtur *Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 85. ſect. 4. num. 118.* Nihilominus, vt bene notat *Suarez d. cap. 60. num. 11.* illa deductio non eſt conformis, nec accomoda textui, ſiquidem ibi præcipitur, vt ille Frater compellatur ingredi aliud monaſterium, & ibi Religioſam vitam degere, quod certè eſſe non poſſet, ſi adhuc eſſet Nouitius, cum poſſit ante profeſſionem emiſſam ſtatum Religioſum deſerere, & in ſæculo viuere, vt laicus. Quamobrem diſpoſitio illius textus non eſt in hoc ſenſu de Nouitio intelligenda, in ordine ad quem propterea dico, quod ſi nõ habeat aliundè, quo poſſit viuere, vel ſi aliud monaſterium velit ingredi ex quadam pietate poſſit eidem reſtitui per ea, quæ notat *Silueſter verb. ſimonia quaſt. 20. prop. med.* ſi verò habeat aliundè, quo poſſit viuere, & nolit Religionem aliam ingredi, nec fuerit per monaſterium deceptus in illa pretij ſolutione, tunc congruentiùs pretium illud videtur pauperibus diſtribuẽdum iuxta generalem regulã, quod pretium ſimoniacè acceptum reſtituendum eſt Eccleſiæ, & in ipſius defectum ob cauſam pauperibus, nec poteſt dici, quod cum non adimpleta fuerit cauſa talis traditionis pretij per ſubſequentem profeſſionem videatur eidem, qui dedit, reſtituendum pretium per ea, quæ dicta ſunt in principio huius prænotionis, & *Prænot. 5. aſſert. 2.*

Textus in c. veniẽs de ſimonia nõ eſt intelligendus de Nouitio. Silueſter.

8

aſſert. 2. ſub hoc eod. tit., non, inquam, dici poteſt, quin in primis ſimonia completa

Nec vide-tur poſſe ſuffragari, quod non fuerit cauſa adimpleta.

eſt per formalem receptionem, & actualem ingreſſum, & ſi vlteriùs non conſumetur per profeſſionem, eſt ex cauſa eiuſdem recepti, non monaſterij, ſicuti ex eo, quod, qui beneficium Eccleſiaſticum, quod emit, non poſſit retinere, nec in illo perſeuerare, non tollitur, quin fuerit completa ſimonia, & pretium pro beneficio ſolutum non amiſerit; ſi verò in tali ſolutione ſimoniaca fuerit per Monaſterium ille, qui ſoluit, deceptus, quatenùs idem Monaſterium dixerit *hoc eſſe de conſuetudine Monaſterij*, vt explicat *Coaruuias reg. peccatum 2. parte* §.2. *num.*8. tunc, ſi conſtet de deceptione, & de bona fide eiuſdem, qui ſoluit, certè pretium illud eſt eidem reſtituendum per ea, quæ tradunt *Suarez d. cap. 60. num. 10. Coaruuias loc. cit. Ognate d. tract. 23. diſp. 85. ſect. 4. num.* 118., & ad hoc in fortioribus terminis videtur vrgere textus *in d. cap. veniens de ſimonia*, ſi enim, quandò profeſſus eſt, & deceptus, eidem reſtituẽdum eſt pretium, vt in aliud Monaſterium tranſeat, non videtur deneganda etiam reſtitutio ipſi, quandò non eſt profeſſus, & fuit deceptus, vndè merito dixit *Hoſtienſis* apud *Silueſtrum d. verb. ſimonia quæſt. 20. prope med.* quod danti pretium eſt reſtituendum, quandò dedit ex ignorantia.

Coarun.
Suarez.
Ognate.
Hoſtienſis.
Silueſter.

Si verò, qui dedit pretium, verè fuit poſteà profeſſus, & ex diſpenſatione adhuc perſeueret in eodem Monaſterio, Monaſterium ipſum non tenetur illud pretium reſtituere. Ratio eſt, quia iuxta ſupradicta in ſimonia in ingreſſu Religionis non eſt obligatio reſtituendi pretium in conſcientia, priuſquam per ſententiam a Religione excludatur *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 60. num. 9. Ognate d. tract. 23. diſp. 85. ſect. 4. num.* 117. *Silueſter verb. ſimonia quæſt. 20. in fin. Bonacina d. tract. de ſimonia quæſt. 7. punct. 3. difficul. 1 num.* 20, quia facta diſpenſatione ſuper principali videtur etiam facta ſuper acceſſoria, & pretium illud intelligitur traditum ob congruam ſuſtentationem Religioſi profeſſi; Si verò eſt eijciendus a primo Monaſterio, in quo profeſſus eſt per ſententiam juxta diſpoſitionem textus *in d. cap. veniens de ſimonia, & in cap. quoniam eod. tit.*, & tunc adhuc diſtinguendum eſt, vel enim omnes primi Monaſterij, in quo dictus Religioſus profeſſus eſt, conſenſerunt, & concurrerunt ad ſimoniacam prauitatem, vel ſolus Prælatus, ſeu aliquis particularis Religioſus talis Monaſterij; Si omnes conſenſerunt, tunc illud pretium tradendum eſt Monaſterio, ad quod tranſit, quia illud pretium eſt pro congrua ſuſtentatione eiuſdem Monaci, & ratio naturalis, & æquitas ſuadet, vt potiùs

Suarez.
Ognate.
Silueſter.
Bonacina.
22

Diſpenſatio ſuper principali ſupponitur etiam pro acceſſorijs.

23

in eum transferatur, à quo ſuſtentetur, & quod non concurrit ad ſimoniam, quam in alios; nec obeſſe poteſt textus *in d. cap. veniens de ſimonia*, vbi præcipitur, quod reſtitutio fiat ei, qui dedit; non, inquam, obeſſe poteſt, quin potius fauet noſtro ſenſui, quandòquidem præcipitur quidem, vt ipſi conferatur ad finem, vt ipſe conferat ſecundo Monaſterio, vt textum legenti fit manifeſtum, vnde vltimata reſtitutio reſoluitur in idem ſecundum Monaſterium. *Ognate d. tract. 23. de ſimonia diſp. 85. ſect. 4. num.* 119. ſi verò ſolus Prælatus conſenſerit in ſimoniam, aut alius particularis Monachus, tunc illud pretium, ſi conſiſtat in immobilibus, quoad vſumfructum pertinebit ad ſecundum Monaſterium, ad quod tranſit, & quoad proprietatem ad primum, adeò vt, ſi Monachus moriatur cum pleno iure poſtea ad ipſum primum perueniat *Gloſa in d. cap. de hoc, & ibi Hoſtienſis, & Angelus de ſimonia, Silueſter verb. ſimonia quæſt. 20. in fine*, ſi verò in vſu conſumptibilibus tranſit cum pleno iure ad ſecundum Monaſterium, ad quod Monachus tranſit per ſententiam *Archi Diaconus in d. cap. de hoc de ſimonia*. Ratio primæ partis eſſe poteſt, quia ex regula generali pretium ſimoniacum conferri debet illi Eccleſiæ, in cuius præiudicium contracta eſt ſimonia, nec ex vnius, vel alterius iniquitate debet illo priuari, & cum ex alio capite congruum non ſit, vt ſecundum Monaſterium onus ſuſtineat ſuſtentationis eiuſdem Monaci, & alterum habeat commodum, ideò per onere illius congruæ ſuſtentationis æquum eſt, vt ſecundum gaudeat iure ad vſumfructum illorum bonorum, qua ſuſtentatione ceſſante per mortem eiuſdem Monaci exigente ſic iuſtitiæ ordine, æquum etiam eſt, vt dominium vtile conſolidetur cum directo, quod, cum maneat penès primum Monaſterium, trahit etiam ad idem vtile, cum non ampliùs vigeat ratio, qua permanere debeat penes ſecundum. Ad magis corroborandam hanc primam partem maximè facit id, quod aſſerit *Miranda in manual. Prælat. Reg. quæſt.* 31. *art. 24. concl. 2.* bona ſcilicet Religioſi tranſeuntis ex aliqua diſpoſitione ad aliam Religionem, non poſſe cum ipſo transferri, & *Silueſter verb. Religio 4. quæſt.* 10. clarius ad rem noſtram procedens dicit, quod, ſi cum licentia, vel inuitus ex aliqua cauſa vadit ad aliud Monaſterium, vſusfructus rerum, quas contulit primo Monaſterio, debeatur ſecundo, quamdiu vixerit, ne ſit illi oneroſus *gratis. cap. cognouimus 16. quæſt. 6. & cap. ſi quis rapuerit 27. quæſt. 1.* Ratio autem ſecundæ partis eſt, quia cum illa bona ſint vſu conſumptibilia, quamuis in iis vſus facti diſtinguatur a dominio per ea, quæ

Ognate.
21
Gloſa.
Hoſtienſis.
Angelus.
Archi-Diacon.

Æquum non eſt, vt ſecundum Monaſterium ſuſtineat onus ſuſtentationis ſine commodo.

Miranda.
Silueſter.

latè docent Theologi in ſecundam ſecundæ D. Thomæ in quæſtionibus de iuſtitia, & iure, nihilominus ex præſumpta voluntate concedentis quibus conceditur vſus res ipſa intelligitur ſecundum ſe conceſſa.

12 Tertiò, ſi Monachus, ſeù Religioſus non expectata adhuc ſententia, ſecundum quam compellatur tranſire ad aliud Monaſterium, ſpontè ſua ad illud tranſeat, ſeù velit tranſire ob ſimoniacam crimen commiſſum in ingreſſu, & profeſſione in primo Monaſterio, tunc etiam vſufructus illius pretij, ſi conſiſtet in rebus immobilibus, tranſibit ad ſecundum Monaſterium manente proprietate apud primum, ſi ſolus Abbas in tali receptione ſimoniacè deliquerit, ſi verò omnes primi Monaſterij in recipiendo ſimoniacè deliquerint, pretium cum pleno iure tranſibit ad ſecundum.

Radij rationes militãt, quo pro ſuperiori illatione.

Ratio deducitur ex mox dictis, quia ſcilicet ex iuris conceſſione regularitèr pretium ſimoniacum pertinet ad illam Eccleſiam, in cuius infamiam ſimonia inducta eſt, quæ per vnius delictum non debet illo iure fraudari; quia tamèn illud intelligitur quaſi alimentum talis perſonæ, & honeſtè facit à primo Monaſterio tranſeundo ad ſecundum, non incongruè per talem tranſitum transfert ſecum vſumfructum in ſecundum Monaſterium, vtpotè congruum ſuſtentationi talis perſonæ *Siluester verb. ſimonia quaſt.10. & verb. Religio IV. quaſt.10.* cui in parte adhærere videntur *Suarez. lib. 4. de ſimonia cap.60. num. 12. Ognate d. tract. 23, diſp. 85. ſect. 4. num. 119.* licet iſti ſentiant abſolutè, pretium illud tranſire ad ſecundum Monaſterium, quos ea de cauſa ſic ſentire exiſtimo, quia fortaſsè nomine pretij intelligunt ſolummodò res vſu cõſumptibiles; Neque quoad vſumfructum transferendum in ſecundum Monaſterium obſtare poſſunt ea, quæ ſupra dicebamus, nempè huiuſmodi pretium per primum Monaſterium non deberi ſecundo ante ſententiam; in hac autem hypotheſi nullà ſententia interuenit, ergo &c. Non, inquam, obſtare poſſunt, nam intantum requiritur ſententia, in quantum per illam expellitur receptus à tali Monaſterio, quod per conſequens, cum poſt talem expulſionem non habeat onus alendi ipſum Religioſum, non debet habere aliquod commodum ex ſua peruerſitate. Cæterum cum ipſe Monachus, ſeù Religioſus per ſuum tranſitum ad aliud Monaſterium remoueat illud onus à primo, & tranſeundo ſe conformet diſpoſitioni iuris, non eſt, cur non debeat cum ſuo tranſitu transferre etiam, quo poſſit compenſare onera ſe alendi, quæ transfert in ſecundum. Reliqua, quæ continentur ſub hac vltima dictione poterunt deduci ex ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti.

Siluester.
Suarez.
Ognate.

Sententia tunc tantum requiritur, quãdo eſt eiiciendus.

Aſſertio IV. Reſtitutio pretij ſimoniacè accepti pro collatione ordinum ex communi, & magis recepta tùm Canoniſtarum, tùm Theologorum ſententia facienda eſt Eccleſiæ, reſtitutio verò pretij ſimoniaci pro alijs rebus ſpiritualibus, quandò facienda eſt in pœnam per ſententiam coactiuam, facienda eſt ad arbitrium Iudicis in vſus pios, vel Eccleſiæ, vel pauperum, vel &c. *Suarez lib.4. de ſimonia cap. 60. num. 3. Siluester verb. ſimonia quaſt. 20.*

Suarez. Siluester.

Probatur prima pars huius aſſertionis ex quadam congruentia, non enim reperitur lex aliqua hoc ſtatuens, quia cum talis collatio ordinum ſimoniaca fit in ſpretum eorundem ordinum, quorum exercitium pertinet ad Eccleſiaſtica munera, videtur reſtauratio non aptiùs fieri poſſe, quam eidem Eccleſiæ, ſicuti ex eo, quod beneficiorum ſimoniaca collatio fit in ſpretum Eccleſiæ, ad quam pertinet idẽ beneficium, ſtatutum eſt, vt pretium eidem reſtituatur, vt patet *ex cap. ſi quis in actu 17. quaſt. 4.* vndè meritò dixit *Siluester verb. ſimonia quaſt. 20. prope medium*, quod, ſi pretium in collatione ordinum acceptum eſt ab ordinato ad nullum titulum, reſtituendum ſit Eccleſiæ Cathedrali, ſi ab ordinato ad titulum alicuius Eccleſiæ, vel beneficij reſtituendum ſit tali Eccleſię, ad cuius titulum ordinatus eſt.

Ratio deducitur ex quadã congruentia, non ex aliquo iure ità diſpoſita.

Siluester

14

Reſtitutio facienda eſt Eccleſiæ, ad cuius titulũ eſt ordinatus.

Probatur ſecunda pars, quià, cum nihil in iure poſitiuo circa pretium aliarum rerum ſpiritualium ſtatutum ſit, & per ſolam ſententiam vrgeat onus reſtitutionis, videtur arbitrarium iudici decernere, ad quam cauſam debeat adiudicari, dummodò talis cauſa ſit pia, & quamuis commodiùs videatur poſſe fieri in ordine ad vſus Eccleſię, nihilominus, cum iura hoc non ſtatuant, non videtur res ita reſtringenda, quin in ordine ad alios vſus pios; quos Eccleſia reſpicit in alijs ſimilibus iuditijs condemnatorijs poſſit extendi.

Cauſa debet eſſe pia, vel Eccleſiæ, vel pauperum.

Aſſertio V. Vltra aſſignata onera reſtitutionis pretij ſimoniaci in præcedentibus aſſertionibus ex diſpoſitione iuris poſitiui Eccleſiaſtici pro cauſis allegatis, impoſita etiam eſt pœna duplicatę reſtitutionis contra Epiſcopos, qui decedentibus Eccleſiarum Rectoribus Eccleſias ipſas ſubijciunt interdicto, nec permittunt aliquos in eiſdem inſtitui, donec pecunia perſoluatur, item qui impediunt Monachos profiteri, niſi prius ſibi pecunia erogetur. Tandem, qui contra eligentes ſepulturam apud Religioſos difficultates ingerunt, & malitias, donec aliquid muneris manus contingat eorum. Huiuſmodi pœna non habet locum, niſi poſt ſententiam, vndè benè aduertit *Leſſius lib.2. cap. 35. de ſimonia dub. 31. num. 171. verſ. contraria tamen*, quod, cum Epiſco-

15

Specialis quadam pœna contrà Epiſcopos.

16

Leſſius.

Epiſcopus ordinariè non habeat Iudicem, per quem condemnetur, regulariter hæc conſtitutio ſit inutilis; non poteſt tamen dici abſolutè talis, quandoquidem per recurſum ad Romanam Curiam omnibus ſuperiorem poſſet compelli. Hæc pœna poſt ſententiam inflicta contra Epiſcopos applicanda eſt in vtilitatem loci, in cuius diſpendium id factum eſt; vndè ſi per interdictum impedierint clericos inſtitui in aliqua Eccleſia, donec aliquod pretium ſibi fuerit perſolutum, duplicatum pretium ab illo, quod eſt receptum, erogandum eſt tali Eccleſiæ; ſi Monachos profiteri prohibuerint, vel laicos in Monachorum ſepulcris humari, duplicatum eidem Monaſterio, ſeù Eccleſiæ, in qua eſt illa ſepultura, debent erogare.

Poſt ſententiam hec pœna applicāda eſt in vtilitatem loci, in cuius diſpendiū id factum eſt.

Colligitur hæc aſſertio *ex cap. audiuimus de ſimonia*, vbi expreſsè hoc totum continetur. Non debet tamèn hæc pœna vltra recenſitos caſus extendi, quamuis ſimilitudinem aliquam præferant cum ipſis, quia in pœnalibus non fit extenſio ad caſus etiam ſimiles, & quandòque etiam deformiores, niſi exprimantur iuxtà vulgata iura.

PRÆNOTIO VIII.

An beneficium Eccleſiaſticum ſimoniacè receptum prævia pecunia, & fructus ab eodem percepti ſint reſtituendi etiam ante ſententiam, & cui.

SVMMARIVM.

Beneficium Eccleſiaſticum ſimoniacè acquiſitum non eſt iure naturæ, & diuino dimittendum, ſed tantum Eccleſiaſtico 1.

Fructus acquiſiti per beneficiarium ſimoniacum ſunt ipſo iure reſtituendi 2.

Nomine fructuum, qui ſunt reſtituendi, veniunt illi omnes, qui percipiuntur, ſeù fuerunt percepti ratione tituli; licet mediante aliquo miniſterio, non illi, qui percipiuntur occaſione tituli per perſonalem laborem 3.

Fructus, qui acquiruntur ratione tituli, ſunt fructus præbendæ, fructuſque prædiales, ſiuè ſint naturales, ſiue artificiales 4.

Huiuſmodi fructus, ſiuè ſint prædiales artificiales, ſiuè prædiales naturales non ſunt reſtituendi in integrum, ſed cum diminutione ratione laborum, & expenſarum 5.

Non ſunt reſtituendi fructus, qui correſpondent ſtipendijs miſſarum beneficiario commendatarum, quamuis ſine beneficio non fuiſſet illos conſecuturus 6.

Nec illi, qui percipiuntur ratione anniuerſariorum. Ibid.

Diſtributiones etiam perceptæ ſunt reſtituendæ 7.

Fructus beneficij ſimoniacè accepti ſunt ipſo iure reſtituendi, quamuis ſimonia ſit occultiſſima 8.

Fructus ex beneficio ſimoniacè percepti ſunt reſtituendi, quantumuis ſimonia fuerit commiſſa non per ipſum, ſed per alium, ſiuè ipſe fuerit ſciens, ſiuè ignorans 9.

Excipe tamen in caſu, quo ſciens alterum pro ſe ſoluturum pecuniam pro beneficio contradiceret, & poſteà reciperet beneficium in bona fide exiſtimans pretium, non eſſe ſolutum 10.

Si beneficiarius contradixerit, & poſteà fuerit dubitans opinatiuè, an pretium fuerit perſolutum, non tenetur reſtituere, ſi dubium opinatiuum fuerit de nō ſolutione 11.

Si verò fuerit dubitans ſuſpenſiuè tenetur dimittere beneficium cum fructibus 12.

Niſi dubium inceperit poſt captam poſſeſſionem 13.

Si beneficiarius contradixerit, & bona fide beneficium receperit ſuperueniente poſteà notitia ſimoniæ non tenetur beneficium cum fructibus dimittere 14.

Beneficiarius contradicens ſimoniæ, & bona fide recipiens beneficium tenetur illud cum fructibus dimittere, ſi poſteà ſoluat promiſſum, aut reddat ſolutum 15.

Satisfit rationibus in contrarium 16.

Beneficiarius, qui contradixit, & recepit bona fide, ſi poſteà approbat reſtituendo ſolutum non tenetur ad reſtitutionem fructuum antecedentèr perceptorum 17.

Beneficiarius ignarus ſimoniæ per alterum commiſſæ circà proprium beneficium habita notitia tenetur omnes fructus tum antecedentes, tum conſequentes reſtituere 18.

Intellige quoad antecedentes, niſi fuerint bona fide conſumpti. Ibid.

Promotus ſimoniacè licet ignorantèr ad canonicatum habita notitia non tenetur fructus antecedentes correſpondentes reſidentiæ reſtituere 19.

Promotus ſimoniacè ignorantèr ad beneficium redditur inhabilis ad illud 20.

Fructus beneficij ſunt reſtituendi, quamuis ſimonia fuerit tantum Eccleſiaſtica 21.

Promotus ſimoniacè ignorans, quantumuis per trienium illud pacificè poſſederit, poteſt ſuper illo moleſtari 22.

Fructus reſtituendi ſunt, vel Eccleſiæ, vel ſucceſſori iuxtà morem 23.

RECta agendi ſeries poſtulat, vt poſtquam de pretio ſimoniacè recepto pro beneficij collatione egerimus, ſermonem ſubſtituamus de eodem beneficio, & fructibus ab eodem perceptis, an ſcilicet, ſicuti pretium pro eodem reſtituendum eſt non ſolum iure naturæ, & diuino, ſed etiam Eccleſiaſtico, ita etiam beneficium pro pretio acquiſitum, & fructus eiuſdem

ſint.

1 ſint Immediatè dimittendi, & cuinam, & quidem beneficium ipſum non eſſe de iure naturæ, & diuino, nec fructus ipſius dimittendos clarè liquet ex præcedentibus *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. Prænot. 4. aſſert. 4. in probat. quoad ius naturale*; dimittendum autem eſſe de iure Eccleſiaſtico clarè innoteſcit ex ibi dictis, licet ibi facta fuerit exceptio quoad alias res ſpirituales à beneficijs ſimoniacè acceptas, quæ etiam de iure canonico non ſunt dimittendæ, niſi poſt ſententiam. Suppoſito igitur, quod de iure canonico beneficia ſimoniacè accepta ſint ipſo iure dimittenda, & reſignanda nulla hominis expectata ſententia id, quod potiſſimum controuertendum modo eſt, in eo conſiſtit, an fructus, qui per ſimoniacum beneficiarium à tali beneficio ante reſignationem eiuſdem fuerunt percepti, ſint etiam reſtituendi, & cuinam; vlterius in ſuppoſitione, quod huiuſmodi fructus ſint reſtituendi, quinam fructus intelligantur venire ſub hac diſpoſitione, & quinam non. Vlterius, an huiuſmodi fructus ſint reſtituendi, quantumuis crimen ſimoniæ ſit occultiſſimè contractum. Item, an ſint dimittendi, etiam ſi ipſe beneficiarius ſimoniam non commiſerit, ſed alter in fauorem ipſius, & ipſe ignorauerit ſimoniam. Item, an beneficiarius promotus ad beneficium ſimoniacè ſimonia per mediatorem exercita, quam tamen ipſe ignorabat, teneatur fructus reſtituere non obſtante regula de triennali poſſeſſore, ſi per triennium, & vltra gauiſus fuit in bona fide beneficio, eiuſque fructibus, & his ſimilia.

Non iure naturæ, ſed tantū Eccleſiaſtico beneficiū ſimoniacè acquiſitū eſt dimittendum.

Rationes præcipuæ dubitandi circà propoſitū titulum.

2 Aſſertio I. Fructus acquiſiti per beneficiarium à beneficio ſimoniacè acquiſito in conſcientia reſtituendi ſunt nulla expectata Iudicis ſententia *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art. 6. ad tertium. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 25. Ognate tract. 23. diſp. 85. ſect. 1. dub. 5. num. 38.*, & eſt communis apud omnes Theologos, & Canoniſtas.

D. Thomas. Suarez. Ognate.

Probatur primò, quia ipſa collatio beneficiorum ſimoniaca eſt ipſo iure nulla, & irrita per ea, quæ latè tradidimus *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. Prænot.* 4. ergo fructus, qui dependentèr ab eodem fuerunt recepti, vtpotè ſine vllo titulo erunt inutilitèr, inanitèr, & inualide recepti, adeòque obnoxij oneri reſtitutionis. Conſequentia probatur; quia nemo validè poteſt percipere fructus ex re non ſua, ſed aliena; cum igitur illud beneficium ex diſpoſitione Eccleſiæ irritantis, & annullantis collationem eiuſdem non ſit beneficiarij, ſequitur quidem, quod ipſe non poſſit validè illos percipere, quia perciperet ex re aliena, ex quibus fas erit deducere cum *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 25.* quod onus illud reſtitutionis huiuſmodi fructuum ex beneficio perceptorum non ſolum ſit de iure poſitiuo, ſed etiam de iure diuino, & naturæ prohibente ex re aliena, & non ſua percipi fructus non quidem abſolutè, ſed ex ſuppoſitione ſcilicet irritationis, ſeu annullationis collationis beneficij ſimoniacæ inductæ per Eccleſiam, in qua ſolummodò ſuppoſitione locum habet onus reſtitutionis huiuſmodi fructuum, nam ſi nullum eſſet præceptum poſitiuum irritans, cum ex ſuperius dictis de iure naturæ, & diuino non ſit onus beneficium ſimoniacè receptum reſignandi, ſeu reſtituendi, nec eſſet onus reſtituendi fructus inde perceptos, cum fuiſſent percepti non ex re aliena, ſed ex ſua.

Nemo poteſt percipere, & retinere fructus ex re nõ ſua.

Suarez.

Procedit ex ſuppoſitione irritationis per ius Eccleſiæ.

Probatur ſecundò ex Extraug. 2. de ſimonia, vbi dicitur *Cuiquam ius nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus ſuos, ſed ad illorum omnium, quæ percepit reſtitutionem ſub animæ ſuæ periculo ſit adſtrictus*. Quibus conſonat communis omnium tàm canoniſtarum, quam Theologorum conſenſus, qui maximum robur, & auctoritatem addit aſſertioni.

Aſſertio II. Nomine fructuum, qui ſimul cum beneficio ſimoniacè recepto ſunt reſtituendi veniunt illi omnes, qui percipiuntur, vel fuerunt percepti ratione tituli licet mediante aliquo miniſterio, non illi, qui percipiuntur occaſione tituli per perſonalem operam, & laborem *Caſſadorus decis. 6. de præbendis. Nauarrus conſ. 9. de ſimonia. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 26. Bonacina quæſt. 7. punct. 2. prop. 2. nu. 12.* 3

Caſſadorus. Nauarr. Suarez. Bonacina.

Probatur prima pars, quia quæ percipiuntur ratione tituli in beneficio, quamuis concurrente aliquo beneficiarij miniſterio, propriè dicuntur fructus eiuſdem beneficij, ſicuti quæ percipiuntur ex aliquo fundo, quamuis interueniente agricolarum labore, & induſtria, dicuntur propriè fructus eiuſdem fundi, ſed fructus fundi non debentur ei, qui non eſt dominus fundi, ſed vero domino, ergo neque fructus beneficij debentur non beneficiario, ſed ex eo, quod ex diſpoſitione iuris collatio beneficij ſimoniaca ſit irrita, ipſo iure acquirens beneficium non eſt propriè beneficiarius, ergo fructus eiuſdem beneficij illi non debentur, ergo neque illi, qui percipiuntur ratione tituli in eodem beneficio, cum iſti ſint propriè fructus eiuſdem beneficij.

Dicuntur propriè fructus beneficij, ſicuti, quæ colliguntur ex fundo dicuntur fructus fundi.

Probatur ſecunda pars, quia ea, quæ percipiuntur ex beneficio non ratione tituli, ſed dumtaxat occaſione eiuſdem non ſunt propriè fructus beneficij, ſed potius perſonalium laborum, & induſtriæ, ſicuti ea, quæ acquiruntur occaſione depoſiti non ſunt propriè fructus pecuniæ depoſitæ, quæ

ſecundum ſe infructifera eſt, ſed laboris, & induſtriæ ipſius depoſitarij, ſed fructus laboris, & perſonalis induſtriæ pertinent ad ipſum laborem, & induſtriam applicantem, ergo fructus perceptiex tali labore, & induſtria non ſunt reſtituendi, quamuis beneficium, & fructus eiuſdem ſint dimittendi,

Quæ acquiruntur occaſione depoſiti nõ dicuntur fructus depoſiti.

4 Ex ijs, quæ dicta ſunt in prima parte fas erit deducere primò in particulari, quod fructus præbendæ per ſimoniacum beneficiarium ſint reſtituendi, quia in omni rigore huiuſmodi fructus ſunt fructus beneficij; Secundò illi omnes fructus, qui percipiuntur ex fundis beneficij ipſi aſſignatis ſimul cum beneficio, quique dicuntur prædiales ſiuè ſint naturales, ſiuè induſtriales, quoſque percipit beneficiarius intuitu beneficij, quod acquiſiuit,

Fructus prædiales, alij naturales, alij artificiales.

Hic oritur immediatè difficultas, an in reſtitutione huiuſmodi fructuum teneatur illos in integrum ſine vlla diminutione ratione expenſarum, laboris, & induſtriæ in illis colligendis reſtituere, an verò poſſit detrahere, quantum inſumpſit pretij, & quantum laboris, & induſtriæ. Pro quo confer te ad communem diuiſionem fructuum aſſignatam a iuris peritis, & mox à nobis attactam in fructus prædiales naturales, & fructus prædiales artificiales, qui, vt benè notauit *Coarruuias lib. 1. var. cap. 3. num. 6. cum Gloſa in l. diuortio verſ. fructus ff. ſolut. matrim.* non ideo diſtinguuntur adinuicem, quia in prioribus nulla ſit neceſſaria induſtria, & in poſterioribus nihil operetur natura, ſed quia in illis plurimum facit natura, & modicum induſtria, in iſtis verò plurimum induſtria, & modicum natura *Suarez. tom. primo de Religione lib. 1. de diuino cultu neceſſario ex præcepto cap. 9. nu. 4.* Inter fructus primi generis enumerantur per *Bartolum in l. ex diuerſo C. de rei vendic.* fructus arborum, foetus animalium &c. Inter fructus ſecundi generis fructus ſegetum, oleum *Bartolus vbi ſuprà*, vinum *l. ſi eius ff. de leg. 1.* & ſimilia. Vltra huiuſmodi aſſignatos fructus aſſignantur fructus ciuiles, quales ſunt penſiones domorum, annui reditus ex cenſibus, vel iure Emphyteuticо, vel libellario, & ſimiles. Quibus pro claritate ſuppoſitis ad propoſitum dubium

Coarruu. Gloſa

Quid propriè ſint fructus prædiales naturales, & quid artificiales.

Suarez.

Bartolus.

Dantur etiã fructus ciuiles.

5 Reſpondeo, ſiuè fructus fuerint prædiales naturales, ſiuè prędiales induſtriales modo explicato non reſtituendos in integrum, ſed cum diminutione ratione expenſarum laboris, & induſtriæ in ipſis percipiendis ad proportionem earundem expenſarum, laboris &c. Sic ſentire videtur *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 20. quæſt. 5. verſ. quæres*. Ratio ex eo deducitur, quod huiuſmodi expenſæ, labor, & induſtria, quæ beneficiarius ſimoniacus impendit in exigendis talibus fructibus fuiſſent etiam impendenda, vel per beneficiarium verum, & realem, ſi fuiſſet, vel per Eccleſiam, ergo iuſtè, & congruè in reſtitutione huiuſmodi fructuum poteſt detrahere valorem expenſarum, laboris, & induſtriæ &c. Conſequentia probatur, quia, quamuis nullam vtilitatem poſſit percipere ex collatione ſimoniaca beneficij, non tamen ex ea debet aliquod damnum ſubire, niſi in pænam exprimatur, ſed huiuſmodi pæna, nec eſt impoſita, nec expreſſa, ergo non eſt, cur debeat illis expenſis priuari, adeòque damnum illius priuationis ſubire. Confirmatur, quia etiam iniquus detentor rei alienæ non tenetur reſtituere eandem rem, niſi ſecundum eos fructus, quos fuiſſet dominus percepturus, ſi iniuſtè res illa non fuiſſet detenta, ſed beneficiarius verus, & realis, ſi fuiſſet, non fuiſſet percepturus fructus, niſi cum illa diminutione, quandòquidem, & ipſe expenſas, laborem, & induſtriam debuiſſet impendere in illis colligendis, ergo &c. Nec obſtare poteſt, ſi afferatur, quod beneficiarius ſimoniacus debeat ſibi imputare, quod illas expenſas, & laborem impenderit, ſiquidem ex eo, quod ſciret beneficium ſe iniquè detinere, ſcire etiam debuit, quod non ſibi, ſed alijs ſerebat, arabat, & metebat, adeòque &c. Non, inquam, obſtare poteſt, quia ex quo detinebat, tenebatur ſerere, arare, metere, & quamuis Eccleſia præſumatur rationabilitèr inuita quoad illam iniquam detentionem, non præſumi tamen debet rationabilitèr inuita ſuppoſita detentione, quod beneficiarius illa munera obierit, cum eſſent neceſſaria; quinimmò ex eo, quod beneficiarius ſimoniacus non ſolum teneatur reſtituere fructus perceptos, ſed etiam eos, quos ex ſua incuria non percepit, ſed percipi potuiſſent à poſſeſſore diligenti per ea, quæ docent *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 20. quæſt. 5. verſ. Quæres. Suarez. lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 25. Bonacina tract. de ſimon. quæſt. 7. punct. 2. prop. 2. num. 11. & alij magis communitèr* conſequentèr deducitur, quod debuerit illa munera obire, cæteroqui incongruè coarctaretur ad reſtituendos fructus, quos non percepit ex ſua incuria, ſeù, quod melius eſt, æquiualens eiſdem; ex quibus omnibus infertur, quod non ex libertate illa munera obierit, adeòque non eſſe, cur compenſationem illorum non poſſit exigere, cum cæteroqui fuiſſent aliundè illa munera obeunda, &, cum ſint pretio ſecundum ſe digna, non eſt, cur non ſint compenſanda.

Azorius.

Huiuſmodi expenſæ faciẽda etiã fuiſſent per beneficiarium verum, ſiuè per Eccl.

Eccleſia, debet quidem præſumi inuita quo ad detentionem, nõ tamẽ ſuppoſita detentione, quod detines præſtiterit neceſſaria.

Azorius, Suarez. Bonacina.

Non obijt illa munera ex libertate, ſed ex neceſſitate.

6 Ex ijs, quæ dicta ſunt in ſecunda parte fas eſt deducere primò, non eſſe illos fructus compenſandos, nec reſtituendos, qui correſpondent ſtipendijs miſſarum com-

men-

mendatarum tali perſonæ occaſione beneficij, quod poſſidebat, quamuis ſine tali beneficio non fuiſſet illa conſecuturus *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 57. nu. 29.* Secundo, nec illos, qui recipiuntur ratione anniuerſariorum, vel celebratione miſſarum, vel concionum *Bonacina de ſim. quæſt. 7. punct. 2. prop. 2. num.* 12.

Bonacina.

Hic immediatè ſuboritur difficultas, an diſtributiones etiam perceptæ veniant appellatione eorum fructuum, qui dicuntur beneficij, an verò eorum, qui ſunt ſtipendium operæ, & aſſiſtentiæ perſonalis, & an propterea ſint reſtituendi, nec ne, *Suarez lib. 3. de ſimonia cap. 57. num. 39. Bonacina d. quæſt. 7. punct. 2. prop. 2. num.* 12. citatis pro aduerſa parte *Caſſiodoro deciſ. 6. de præbendis, Nauarro conſ. 90. de ſimonia* exiſtimant eſſe propriè fructus beneficij, adeòque eſſe obnoxios reſtitutioni ſimul cum beneficio, & fructibus eiuſdem. Sed quam-
7 uis pro contraria ſententia citentur Caſſiodorus, & Nauarrus, vt ſuprà, hoc tamen abſolutè non aſſerunt, ſed cum quadam reſtrictione, & limitatione, prout infrà, Adhæreo in caſu propoſito ſimoniacæ prauitatis Suarez, & Bonacinæ. Ratio eſt, quia huiuſmodi diſtributiones non debentur, niſi beneficiarijs, vndè ſi alius non beneficiarius intruſus aſſiſteret, illas non poteſt legitimè conſequi; beneficiarius autem ſimoniacus, & intruſus quoad effectum, paria ſunt, quia ſimoniacus eſt a iure reprobatus, & qui eſt reprobatus perindè eſt, ac ſi eſſet ſine iuris fomento *l. nulla ff. de auctor. tut. & cap. tua de cler. non reſid.* ad quod facit etiam textus *in cap. conſtitut. de Procur.*, vbi dicitur idem eſſe, quod quis non ſit conſtitutus Procurator, vel quod contra iuris diſpoſitionem ſit conſtitutus *Abbas in d. cap. conſtit. de Procur.*, ſicque negari non poteſt, quin ex re aliena fructus perceperit ex perceptione talium diſtributionum furtum quodamodò committendo, vel rapinam, nec excuſari poteſt ratione ignorantiæ, quandòquidem, cum ipſe ſimoniam commiſerit, non præſumitur illam ignorare, & quæ de iure ex illa conſequuntur, cum ignorantia iuris non releuet *l. leges C. de legibus*; Neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, quod diſtributiones non debeantur ratione tituli, ſed dumtaxat occaſione illius ratione aſſiſtentiæ perſonalis, nam, ſi quis beneficiarius quantumuis legitimè promotus non aſſiſtat, non conſequitur, nec conſequi poteſt iuſtè ipſas; non, inquam, obſtare poteſt, quià quamuis diſtributiones dentur intuitu aſſiſtentiæ perſonalis, non tamen intuitu eiuſdem relatiuè ad quamcunque perſonam, ſed ad perſonas dumtaxat beneficiatas, vt dictum fuit de intruſo, in quo non conſideratur, quod

Suarez. Bonacina. Caſſiodorus. Nauarrus.

Diſtributiones nõ debentur, niſi beneficiarijs.

Beneficiarius intruſus nõ poteſt illas recipere.

Abbas.

inſeruierit, laborauerit, & quod vt os bouis triturantis ligari non debeat *cap. exter pande poſt princip. de præbendis*; non inquam, conſideratur, quia labor attenditur a iure dumtaxat in habentibus legitimum ius, & reſidentibus in caſibus, locis, & temporibus permiſſis, non in prohibitis *cap. vnicum de eo qui mit. in poſſeſ. & l. 2. cum ſi C. de indic. vidu. coll.* hic autem verſamur in prohibitis, quia occupans ſimoniacè beneficium non legitimè ſe intrudit ad exercenda onera illius, quæ propterea, ſi exerceat, debet ſibi imputare, quod mercedem illorum non conſequatur.

Quamuis detur intuitu perſonalis aſſiſtentiæ dãtur tamen comparatiuè ſolum ad perſonam beneficiariam.

Dices primò, Impetrans beneficium à Romano Pontifice tenetur facere mentionem de infecta poſſeſſione, & de fructibus male perceptis, adeò vt, ſi ſolum mentionem faciat de infecta poſſeſſione, & non de fructibus, non teneat impetratio ad not. per *Hoſtienſem, & Ioannem Andream in cap. dudum el 2. de elect.* & tamen, ſi impetret non facta mentione de diſtributionibus quotidianis indebitè, & ſine titulo perceptis valida eſt impetratio *Caſſiodorus deciſ. 6. de præbendis num.* 5. per ea, quæ ibi allegatis iuribus probat, ergo quia diſtributiones quotidianæ non computantur in fructibus beneficij ſecundum *Rot. 7. in nou. de Præbendis Old. conſ.* 118. *& Felin. in cap. ad aures 13. concl. de reſcriptis*, adeòque non videntur ſubiectæ oneri reſtitutionis. Sed contra dici poteſt, quod teneatur facere mentionem tam de infecta poſſeſſione, quam de fructibus malè perceptis, quandò tàm poſſeſſio, quàm fructus pertinent ad Papam; quod non euenit in hypotheſi, de qua loquimur, in qua diſtributiones applicantur capitulo, ſeu dantur deſeruientibus pro abſentibus iuxta varias Eccleſiarum conſuetudines, & ſic non irritatur prouiſio, cum remaneat actio ijs, quibus debentur. Deindè poteſt eſſe ſufficiens mentio non poſita diſtributionum perceptarum ad nullitatem gratiæ fugiendam, non autem ad vitandam reſtitutionem, quandòquidem gratia, vtpotè ex natura ſua amplianda non debet coarctari, niſi per ea, quæ ex diſpoſitione iuris expreſsè coarctant, & in toto rigore ſunt talia, qualia requiruntur ad irritandam talem gratiam, nec aliqua tergiuerſatione poſſunt à tali ratione irritante egredi; quamuis igitur ipſæ quotidianæ diſtributiones ſint quodamodò fructus beneficij, quia tamen ſunt tales non ſimpliciter, ſed cum ordine ad beneficiarij ſudorem, & perſonalem aſſiſtentiam, hinc eſt, quod in regula de exprimendis fructibus, eorumque valore pro validitate gratiæ, ſi non computentur, in rigore non inualident eandem gratiam, quæ ſolummodò exigit expreſſionem fructuum

Hoſtienſis. Ioannes Andreas.

Caſſiodorus.

Rot. Rõ. Oldrad. Felinus.

Impetrãs beneficiũ à Rom. Põtifice tenetur facere mentionem de infecta poſſeſſione, & de fructibus perceptis, quandò fructus ſpectant ad eundẽ Põtif.

ctuum

ctuum in eo rigore, quo ſunt propriè, & in omni parte fructus. Hinc tamen non ſequitur, quod excuſetur etiam à reſtitutione eorundem fructuum, quandòquidem, ſicuti acquiſitioni eorum reſiſtit diſpoſitio iuris nolentis, vt quis recipiat fructus ex re non ſua, ità reſiſtit detentioni eorum poſtquam capti ſunt.

Ius, quod reſiſtit acquiſitioni, reſiſtit etiam detentioni.

Dices ſecundò, huiuſmodi diſtributiones, quandòque dici manualia, quandòque victualia, cum ſint ſolummodò compenſatiua ſollicitudinis diuinorum officiorum *cap. de cætero de Cler. non reſident. in 6. & cap. licet de præbendis. Felinus in cap. cum olim in princ. de re iudic.* nec de eis ſoluitur annata *Caſſiodorus deciſ. 6. de præbend. num. 7.* qui multa ibidem allegat iura. Sed contra fateor poſſe dici manualia, victualia, quià dantur pro oneribus quotidianis aſſiſtendi diuinis officijs, & non dantur, ſi huiuſmodi onera non ſubeantur; non dantur tamen pro oneribus huiuſmodi quomodocunque, ſed pro oneribus exercitis per habentem titulum, & ſine titulo non conferrentur, vndè ipſe titulus eſt ratio conferendi ſuppoſito perſonali labore, & ſine tali titulo non tenet collatio, vt patet in intruſo, ſicque non habens titulum comparatur, vt violentus, ſi exigat ipſas diſtributiones, adeòque tenetur etiam ad fructus, quos alij, ſi non facta fuiſſet collatio beneficij, percipere potuiſſent, nam ſicuti, ſi non facta fuiſſet abſolutè collatio, vel huiuſmodi fructus aſſiſtentiæ perſonalis fuiſſent diſtribuendi inter alios reales beneficiarios habentes legitimum titulum, vel erogandi Eccleſiæ, in qua eſt titulus, ita facta tali collatione ſimoniaca, quæ perindè eſt, ac ſi non fuerit facta fructus diſtributionum, vel ſunt etiam inter alios beneficiarios diuidendi, vel conferendi Eccleſiæ iuxta regionum, ſeù locorum conſuetudines, quibus præiudicare non potuit ſimoniacus per ſui intruſionem. Ad id, quod dicitur de annata, quæ quoad diſtributiones non eſt ſoluenda, dicendum verum eſſe, quia annata non debetur, niſi de fructibus merè realibus, nec præſumendum eſt Pontificem imponentem onus eiuſdem reſpexiſſe etiam ad onera perſonalia, ſeù ad ea, quæ percipiuntur ratione talium onerum quamuis ſupponentium titulum, quià pro manualibus non ſoluuntur, nec annatæ, niſi exprimantur, nec decimæ, niſi ſint impoſitæ pro quibuſcunque prouentibus Eccleſiaſticis, quia nomen prouentus valdè generale eſt, & comprehendit omnem reditum vndecunque nobis obuenientem *l. annonam ibi-uberes prouentus ff. de extraord. crim. Boer. deciſ. 224. Altiacus in l. frugem ff. de verb. ſignif. & ibi latius Rebuffus verſ. prouentus vero, & in concord. Gall. rub. de coll. §. volumus §. reditus.*

Felinus. Caſſiodorus.

Quomodò diſtributiones dicãtur iccirca manualia, & victualia.

Ipſe titulus eſt ratio conferendi ſuppoſita perſonali aſſiſtentia.

Annata non debetur, niſi de fructibus merè realibus.

Boerius. Altiacus. Rebuffus

Dices tertiò, ex ſuperius dictis non ſunt compenſandi illi fructus, qui correſpondent ſtipendijs miſſarum, anniuerſariorum, mortuariorum, & ſimilium, quamuis hæc obtigerint intuitu beneficij, ſeù canonicatus, quæ non obtigiſſent, ſi beneficiarius non fuiſſet adſcriptus tali beneficio, ſeù præbendæ, ergo neque ſunt reſtituendi illi, qui percepti ſunt per quotidianas diſtributiones. Conſequentia tenet, quia in tantum dicitur, quod diſtributiones quotidianæ ſint reſtituendæ, in quantum non debentur, niſi beneficiarijs, & quis eos non conſequeretur, niſi eſſet in tali beneficio, ſed etiam fructus correſpondentes ſtipendijs miſſarum, anniuerſariorum &c. quis non conſequeretur, niſi eſſet &c. ergo vel dicendum eſt, quod in vtroque caſu ſit reſtituendi, vel in neutro. Sed contra diſpar omninò eſt ratio inter diſtributiones quotidianas, & fructus extraordinarios correſpondentes anniuerſarijs, celebrationi miſſarum &c. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod diſtributiones ſunt ratione tituli, & computantur in ratione beneficij per ea, quæ habentur *in Extrauag. vn. verſ. & quia non occurrit ſermo de decimis*; fructus autem illi extraordinarij non ſunt ratione tituli, nec computantur in valore beneficij *Rota deciſ. 8. de præbendis in nouiſſimis. Ioannes Andreas rub. de conceſſ. præbend. verſ. demum quærebatur, & Oldr. conſ. 206. incip. An obuentus*, immò neque veniunt nomine reddituum, fructuum, iurium, prouentuum, aut emolumentorum Canonicatus *Nauarrus conſ. 13. ſub tit. de cleric. non reſid. vol. 1.*, adeòque &c. Cur autem diſtributiones dicantur eſſe ratione tituli, illi autem fructus dumtaxat occaſione, non ratione illius, ideo eſt, quia beneficium, cum exigat ſecundum ſe reſidentiam, debet ex natura ſua habere annexum ius ad diſtributiones, non habet autem annexum ex natura ſua onus ad illa munera, quæ per accidens obueniunt, adeòque ſunt extra rationem beneficij, & fructuum illius, & per accidens obuenientia.

Diſtributiones ſūt ratione tituli. anniuerſaria tantū occaſione eiuſdem.

Rota. Ioannes Andreas. Oldrad.

Nauarrus.

Dices quartò, beneficiarius ſimoniacus, de quo loquimur, quamuis non habeat titulum realem, habet tamen titulum coloratum, & præſumptum, qui ſuppoſita reſidentia, ratione cuius dantur diſtributiones, videtur ius conferre ad validè exigendum ſtipendium earundem diſtributionum; & per hoc contradiſtinguitur beneficiarius ſimoniacus ab intruſo, quod hic nullum habet titulum; ille verò habet titulum, ſi non realem, ſaltem coloratum. Sed contra, quia talis titulus eſt in ipſa ſua radice infectus, qui ex diſpoſitione iuris nullam habet ſecundum ſe vim conferre, nam, vt

Titulus coloratus in iuriſdictionalibus quâdoque facit ius, non ſic in alijs

infra

infrà videbimus, nullitas collationis beneficij ipſo iure conſurgit, quamuis ſimonia ſit occultiſſimè contracta, & licet titulus coloratus, & error communis quandòque in ijs, quæ iuriſdictionis ſunt, ingerat ius, non tamen confert ius ad exigendum, ſeu detinendum id, quod non eſt debitum, cum hoc ſpectet ad iuſtitiam commutatiuam, quæ fundatur in iure reali exiſtente, non in apparenti non exiſtente.

8 Aſſertio III. Fructus beneficij ſimoniacè accepti ſunt ipſo iure reſtituendi, quantumuis ſimonia ſit occultiſſimè contracta. *Suarez lib. 4. de ſimon. cap. 57. num. 27. Bonacina tract. de ſimon. quæſt. 7. punct. 2. prop. 2. num. 14. Gloſa in cap. Matthæus de ſimon, & alij magis communiter.*

Suarez. Bonacina. Gloſ.

Ratio potiſſimum huius aſſertionis deducitur *ex d. cap. Matthæus de ſimonia*, vbi Pontifex conſultus de ſimonia quadam occulta reſpondit, *Quid igitur conſilium requiſiſti quid tibi ſit faciendum, reſpondemus, quod multum tibi conſulis, ſi adminiſtrationem celeritèr, ac ſpontè dimittas illius verbi memor exiſtens. Nil prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur &c*, nec poteſt obeſſe illa particula poſita in textu *Conſulis*, quaſi quod importet ſolum conſilium, non præceptum; non, inquam, obeſſe poteſt, quia vt bene notat *Gloſ. ibid.* dicitur *Conſulis*, quia peccatum illud occultum erat, nec decens erat, quod conſultus in foro conſcientiæ, illud prohiberet in foro externo, ne perſeueraret in aſſumpto beneficio ſimoniacè, ſed tantum, vt conſuleret beneficium dimittendum, nec propterea excludit neceſſitatem dimittendi, quia niſi renunciet ſaluari non poteſt, vt patet ex textu. Deducitur etiam *ex Extrauag. 2. de ſimonia*, vbi dicitur, *& eorum quemlibet tum manifeſtum, tum occultum*, quod idem expreſsè confirmat *Coaruuias in reg. peccatum part. 2. relect. §. 8. num. 7.* ex definitione Concil. Conſtantienſis, & Pauli Veneti ſtatuentium ſimoniacum etiam occultum nullum ius ab initio acquirere in beneficio, quod per ſimoniam habuit; ex quibus omnibus iuxta ſuperius prænotata efficax argumentum ad rem noſtram ſic deducitur. Ex re non ſua nequit quis iuſtè fructus percipere, nec iuſtè retinere, ergo, ſi per ſimoniam quantumuis occultam beneficium non fit beneficiarij quantumuis occulti reſiſtente iure legitimæ acquiſitioni eiuſdem, non poterit hic nec fructus acquirere, nec iuſtè retinere.

Adducitur, & explicantur iura contraria inuictè.

Coaruu.

Beneficium non fit beneficiarij, quando confertur per ſimoniam

Dices ex ſuperius dictis *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. Prænot. 3. aſſert. 3. verſ. probatur ſecunda pars*, vbi iuxta textum *in cap. tua nos de ſimonia* dicitur *Nobis datum eſt de manifeſtis tantummodò iudicare*, & *in cap. in tuis eod. tit.* expreſſius dicitur, *Si exceſſus eſſet Eccleſiæ manifeſtus, qua non iudicat de occultis, pœna eſſent canonica feriendi*, ergo, ſi ſimonia fuerit occulta, non poterit Eccleſia irritare collationem, nec propterea reddere iniuſtam fructuum detentionem. Sed contra primò, quia loco cit. erat ſermo de occultis non quomodocunque, ſed de occultis internis purè mentalibus, quæ certè non cadunt ſub diſpoſitionibus pœnalibus Eccleſiæ, hic autem eſt ſermo de opere externo conſumato, quod dicitur occultum, quia non eſt pluribus manifeſtum, vndè occultum hic ſumitur, prout opponitur notorio, non prout contradiſtinguitur ab opere externo, quod certè quoad validitatem, & inualiditatem poteſt ſubeſſe diſpoſitioni eiuſdem Eccleſiæ. Secundò occulta non poſſunt ſubeſſe diſpoſitioni Eccleſiæ quoad forum iudiciale, ſecundum quod debet procedere ſecundum allegata, & probata, poſſunt autem ſubeſſe quoad diſpoſitionem quoad contrahendam noxam impoſitam ab eadem Eccleſia, vel quoad inualiditatem contractus ſecundum ſe, ſi talis inualiditas imponatur, ſeu ſtatuatur contractui ſuppoſitis talibus, vel talibus circunſtantijs. Quot enim ſunt, quæ quamuis occulta, ſi tamen ſint opere externo conſumata, ſubiacent diſpoſitioni Eccleſiæ? Certè caſus plurimi quantumuis occulti reſeruantur Pontifici, & ordinarijs. Tertiò concluſio procedit potiſſimum de iure naturæ, ſecundum quod, vt optimè aduertit *Suarez, lib. 4. de ſim. cap. 57. num. 27.* præſcindendo etiam a diſpoſitione Eccleſiæ ſunt huiuſmodi fructus reſtituendi, & ratio eſt, quia talis irritatio fit quidem per legem Eccleſiaſticam, lex autem eſt abſolutè, & ſine diſtinctione irritans; ex collatione verò irrita, quomodocunque ſit irrita intrinſecè, & ex natura ſua, conſurgit onus reſtitutionis rei collatæ, & quorumcunque fructuum, qui ratione eiuſdem fuerunt percepti.

Eſt ſermo non de pure mentali, ſed de opere externo conſumato.

Aſſertio IV. Fructus percepti ex beneficio ſimoniacè collato ſunt etiam reſtituendi, quamuis ſimonia non fuerit commiſſa per ipſum beneficiarium, ſed per alium, ſiuè ipſe beneficiarius fuerit ſciens contractus ſimoniaci pro ſe per alium initi, ſiuè fuerit ignorans. In hac tamen hypotheſi ignorantiæ nonnulli excipiuntur caſus, in quibus, vel non tenetur abſolutè reſtituere, vel ſolummodò exiſtentes, & nō alios, ſi fuerunt conſumpti. In hanc aſſertionem propendent *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 28. & ſeqq. Abbas in cap. penul. de elect. Rota deciſ. 191. num. 5. part. 1. diuerſ. Garzias de benef. part. 8. cap. 1. num. 6. Molfeſius tract. 7. cap. 15. num. 79. Valentia tom. 3. diſp. 6. quæſt. 16. Reginaldus lib. 23. num. 178.* 9

Suarez. Abbas. Rota. Garzias. Valentia. Reginaldus.

Pro-

Probatur primò quoad primam partem, ſi ſcilicet beneficiarius fuerit ſciens commiſſæ ſimoniæ pro ſe, quià ſciens, & non contradicens ſimoniacæ prauitati, quæ in ſui fauorem per alium committitur, præſumitur conſentire, ergo ſubit omnes diſpoſitiones pænales, quæ contra ſimoniacos beneficiarios ipſo iure irrogantur. Antecedens probatur, quia taciturnitas, cum vrget neceſſitas loquēdi, habetur pro conſenſu, maximè, ſi id, quod agitur ſit vtile illi, pro quo alius agit *Bartolus poſt Gloſ. in l. quo enim in princip. ff. rem rat. hab. no. in l. ſi filius ad Maced.* & tacens ſibi præiudicat, niſi proteſtetur contra actum, quia videtur conſentire *l. 1. C. de fil fam. & quemadmodum Pater lib. 10. l. 3. l. ſi in venditione, & ibi Bartolus quib. mod. pig. ſol.* Conſequentia autem primi argumenti etiam tenet, quia beneficiarius ſimoniacus ſubiacet diſpoſitionibus legalibus contrà ſimoniacos, eo autem ipſo, quod ſciens conſentit in ſimoniam pro ſe per alium preſtitam contrahit eandem labem ſimoniacam, adeòque &c. neq; ipſum extrahit a tali labe, nec ab onere reſtitutionis illa conſideratio, quod ipſe non erogat pecuniam, quandòquidem id, ratione cuius Eccleſia irritat ſimoniacam collationem, eſt erogatio pretij pro beneficiò ſpirituali, quæ vtique interuenit, licèt per alterum erogetur. Facit ad hoc maximè textus *in cap. ſuis de ſimonia*.

Bartolus. Gloſa.

Probatur ſecundo quoad idem, quià non præbere conſenſum ſimoniæ per alium exercitæ in ſui fauorem, ratione cuius ſibi confertur beneficium, non eximit ipſum beneficiarium a pæna nullitatis contractus, nec ab onere reſtitutionis beneficij, & fructuum ex eodem collectorum, ergo multo minus eximet a tali onere, ſi ſciens acceptauerit quodamodò conſentiens, ex eo quod non contradicat, cum teneatur contradicere. Antecedens patet *ex cap. ſicut tuis de ſimonia*, vbi Pontifex habet. *Quamuis ſecundum ſacrorum canonum inſtituta etiam paruuli, qui cupiditate parentum Eccleſias per pecuniam ſunt adepti, eas dimittere teneantur, quid tamen longè diuerſum eſt non prebere conſenſum, & expreſsè aliquod prohibere &c.* Confirmatur *ex eod. cap. ſicut tuis de ſimonia*, vbi declaratur inualida collatio, & beneficium cum fructibus reſtituendum, ſi ille, pro quo alter ſimoniacè contraxit erogando pecuniam in principio contradixerit tali ſimoniacæ prauitati, & poſtea conſenſerit pecuniam ſoluendo promiſſam, aut reddendo ſolutam, ergo a fortiori erit inualida, & beneficium dimittendum cum fructibus, ſi a principio non contradixerit, quin potius conſenſerit acceptando ſine contradictione.

Etiam paruuli, qui cupiditate parentum ſimoniacè beneficia ſunt aſſecuti, tenentur illa cum fructibus dimittere.

10 Limitanda eſt hæc pars aſſertionis in eo caſu, quo ſciens alterum à ſe intentare pro ſe collationem beneficij ſimoniacè expreſſè contradiceret, & poſtea reciperet beneficium in bona fide arbitrans ſibi gratis conferri, & ratione prohibitionis expreſsè per ſe ipſum factæ mediatorem deſtitiſſe a ſimoniaca prauitate, & nihil præſtitiſſe *Gloſ. in d. cap. ſicut tuis de ſimonia, Suarez lib. 4. de ſimon. cap. 57 nu. 29. Bonacina tract. de ſimon. quaſt. 7. punct. 2. prop. 2. num. 17.* ſecus verò, ſi contradiceret, ſciens tamen non obſtante contradictione pretium fuiſſe collatum, nihilominus ipſum beneficium reciperet. Doctores præallegati *contrà Vgolinum tab. 4. cap. 6. num. 3.* qui videtur ſentire ad euitandam pænam nullitatis, & oneris reſtitutionis tùm beneficij, tùm fructuum ſufficere, ſi contradixerit, quamuis poſtea recipiat. Ratio primæ partis eſt fundata *in d. cap. ſicut tuis de ſimonia*, vbi Abbas promotus ad dignitatem per ſimoniacam prauitatem per alios exercitam, quam ipſe expreſsè prohibuit, cuique contradixit, abſoluitur a Pontifice a quacunque culpa, & pæna, & ratio ibidem adiungitur, quia aliud eſt non præbere conſenſum, aliud expreſsè contradicere, nam qui expreſsè contradicit, & recipit arbitrans contradictionem ſuum effectum ſortitam fuiſſe, non poteſt propriè dici ſimoniacus, nec decens eſt, vt ob alienam prauitatem, cui nedum non præbuit aſſenſum, ſed etiam expreſsè contradixit, ipſamque non poſitam credidit, priuetur iure, quod conſecutus eſt, cæteroqui, vt benè notant Doctores, poſſet quicunque in odium prouidendi, ſeù promouendi pecuniam erogare ad finem, vt prouiſus, ſeù promotus priuaretur iure, quod bona fide conſecutus fuit. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſciens largitionem factam eſſe, quamuis ipſe eidem contradixerit, & nihilominus recipit ſaltem quoad executionem cenſetur cooperari ſimoniacæ prauitati, & communicare cum ſimoniacè largiente, & conferente quoad effectum, quia ſciens tali collationi ineſſe ſimoniam, illam recipit. Confirmatur primò *ex d. cap. in ſuis*, vbi ad eximendum ab onere reſtitutionis requirit Pontifex copulatiuè, quod collatio pretij fiat contra voluntatem recipientis, & prohibitionem eiuſdem, & eodem penitus ignorante. Ibi *contrà prohibitionem, & voluntatem tuam te penitus ignorante*, ergo ſi defecerit ignorantia copulatiuè requiſita non eximetur ab onere reſtitutionis, cum de ratione propoſitionis copulatiuæ requiratur, quod verificetur quoad omnia in ipſa contenta. Confirmatur ſecundò, quia ſi recipiens beneficium per ſimoniam ab altero commiſſam contradixerit, & poſtea à contradictione ante actualem collationem

Gloſa. Suarez. Bonacina.

Vgolin.

Aliud eſt nõ præbere conſenſum, aliud expreſsè contradicere.

Pontifex requirit copulatiuè, quod collatio pretij fiat contrà expreſſam voluntatem beneficiarij, & eo ignorante.

receſ-

receſſerit non eximitur ab onere reſtitutionis *d. cap. in tuis* Ibi-*d quia poſtmodum omnimè receſſiſti*, ex quo ſequitur, quod, ſi receſſerit, minimè eximatur propter regulam, quod exceptio per expreſſa firmet regulam quoad non expreſſa, ſed recipiens beneficium actualitèr ſciens, poſitam eſſe largitionem illam ſimoniacam, recedit ab illa contradictione, quam prius poſuerat, ergo &c. Minor probatur, quià ſciens ſimoniacam prauitatem collatoris nolentis conferre ſine illa pecunia, & proteſtans de non poſitione illius pro beneficio ſibi conferendo, & nihilominus illud recipiens videtur proteſtari contra factum, & aliud dicere, aliud facere, cum ſciat non poſſe recipi beneficium cum illa ſimonia, quantumuis per alium commiſſa, ergo &c.

Contradicens, & poſteà à contradictione recedens an ex collatione teneatur reſtituere.

Videtur proteſtatio contrà factum.

Hinc nonnullæ ſuboriuntur difficultates, quas mox profero, & expendo. Prima eſt, an, ſi ille, qui beneficium recepit, non ſit quidem abſolutè ſciens, nec ignorans, quod pretium fuerit perſolutum pro beneficio ſibi conferendo non obſtante contradictione, quam appoſuit, quod non perſolueretur, ſed ſolummodò dubitans, & poſtea poſt beneficium receptum cognouerit fuiſſe perſolutum, teneatur idem beneficium deponere cum fructibus indè perceptis. Videndum eſt iuxta alibi dicta, an dubium ſit merè opinatiuum, ac verò ſuſ-

Quid dicendum, ſi beneficiarius fuerit dubius.

11 penſiuum. Quo poſito dico, quod ſi fuerit dubitans merè opinatiuè, & inclinauerit in partem, quod non fuerit pretium perſolutum, non teneatur nec ad reſignationem beneficij, nec ad fructuum reſtitutionem; ſi verò fuerit dubitans ſuſpenſiuè tenetur, & beneficium reſignare, & fructus reſtituere, niſi dubium incæperit poſt captam poſſeſſionem eiuſdem beneficij. Conſonat hæc concluſio cum ijs, quæ alibi ſparſim dicta ſunt de ſimilibus dubijs in alijs materijs, & præcipuè *tom. primo ſub tit. Contractus I. de contractibus vt ſic Prænot. 2. num. 12. & ſeqq.* & fusè etiam dicentur *tom. 1. ordine alphabetico congeſto ſub tit. Abſolutio Prænot. 2. aſſert. 4. per totum.* Ratio primæ partis in eo conſiſtit, quia dubium opinatiuum cum inclinatione opinantis ad vnam partem poteſt ſimul compati cum bona fide, ergo beneficium acquiſitum contradicente beneficiario, & proteſtante, ne pro eo pretium aliquod perſoluatur, & cum tali dubietate opinatiua, quod ſtante tali contradictione, & proteſtatione non fuerit perſolutum, non erit ex neceſſitate cum fructibus reſtituendum. Hæc conſequentia tenet ex mox dictis in limitatione, ſiquidem, ſi quandò contradixit, & credit non eſſe ſolutum legitimè poſſidet iuxta citatum textum *in cap. ſicut quis*, legitimè etiam poſſidere dicendus eſt, quandò contradixit, & eſt in bona fide, quod contradictio ſuum fuerit ſortita effectum. Antecedens autem probatur, quià qui operatur cum ratione probabili innixa fundamentis rationabilibus prudentèr, & ſanè operatur, cum agat iuxta dictamen prudentis rationis, ſed bona fides compatitur cum dictamine prudentis rationis,

Dubium opinatiuũ compatitur cum bona fide.

ergo &c. Ratio ſecundæ partis eſt, quia 12
dubium ſuſpenſiuum, cum in neutram partem inclinet, non inducit prudentem credulitatem, nec compatitur cum bona fide, ſed quaſi hæret in medio inter bonam, & malam fidem, vndè merito, diximus *d. tom. primo ſub tit. Contractus I. de contractibus vt ſic Prænot. 2. num. 12.* quod dubium ſuſpenſiuum excludat bonam fidem requiſitam ad præſcriptionem, ergo etiam in hypotheſi, de qua loquimur, erit incompatibile cum bona fide requiſita ad legitimam poſſeſſionem beneficij collati.

Dubium ſuſpenſiuũ excludit bonam fidem.

Dixi, *niſi dubium incæperit poſt captam* 13
poſſeſſionem, quandoquidem dubium ſuperueniens legitimæ poſſeſſioni acquiſitæ non priuat eadem poſſeſſione, cum in dubio ſemper melior ſit conditio poſſidentis, & ipſa legitima poſſeſſio acquiſita tribuat ius perſeuerandi, vndè merito dici poteſt perſeuerantem in poſſeſſione acquiſita cum bona fide accedente dubietate, quamuis non habeat bonam fidem ſpeculatiuè habere bonam fidem practicè propter fundamentum iuris, quod poſſeſſor in dubio ſit in poſſeſſione manutenendus.

In dubio melior eſt conditio poſſidentis.

Secunda difficultas eſt, an, ſi beneficia- 14
rius ſciens per tertium intentari pro ipſo ſimoniacam acquiſitionem beneficij contradixerit, & poſtea bona fide, & rationabilitèr arbitrans ſimoniacam largitionem factam non fuiſſe receperit ipſum beneficium, teneatur ipſum cum fructibus indè acquiſitis dimittere, ſi poſtea superuenerit certa notitia, quod ſimoniaca prauitas in effectu per mediatorem pro illo fuerit inita. Sentio per ſuperuenientem notitiam quantumuis certam non teneri ad dimiſſionem beneficij nec ad reſtitutionem fructuum *Suarez. lib. 4. de ſimon. cap. 57. num. 32. Bonacina d. tract. de ſimon. quæſt. 7. punct. 2. num. 18. Adrianus quodl. 9. art. 3. Panormitanus in cap. ſicut tuis de ſimonia.* Ratio eſt, quia in ſui origine ipſa collatio beneficij pleno iure ſubſiſtit per ea, quæ dicta ſunt in præcedenti difficultate, ergo non eſt, cur debeat inualidari per ſubſequentem notitiam, quæ ſuperuenit. Conſequentia probatur, quia ſuperueniens notitia ad ſummum poteſt ſupponere inualiditatem contractus, non autem ſecundum ſe inducere, ergo cum ſupponatur in ſua origine valida, & ſubſiſtens collatio non poteſt per ſubſequentem notitiam præciſè

Suarez. Bonacina. Adrian. Panorm.

Superueniens notitia non reddit inualidũ id, quod in ſua origine eſt validum.

Digitized by Google

Irritari. Confirmatur, quia, qui recipiens beneficium contradicit intentatæ ſimoniacæ largitioni exiſtimans eam non eſſe factam non acquirit illud per ſimoniam per ea, quæ latè dicta ſunt, ergo ſuperueniente etiam cognitione poſt ipſum acquiſitum de tali largitione poſita non conſtituitur beneficium ſimoniacè acquiſitum. Conſequentia probatur, quia illa notitia non retrotrahitur ad tempus inductæ collationis, nec habet ſecundum ſe inducere ſimoniam, ſi per aliud non fuerit inducta. Confirmatur ſecundò, quia *in d. cap. ſicut tuis de ſimonia* eximitur ab onere reſtitutionis ille, qui recepit beneficium contradicens prauitati ſimoniacæ, & bona fide arbitratus fuit talem prauitatem non eſſe executam, *niſi poſteà conſenſerit pecuniam ſoluendo promiſſam, aut reddendo ſolutam*, ſed per ſuperuenientem notitiam non ſequitur, quod ponat conſenſum, nec quod promiſſum ſoluat, aut reſtituat ſolutum, vt per ſe patet, ergo per talem notitiam ſuperuenientem non ſubijcitur oneri reſtitutionis. Hæc conſequentia tenet, quia exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis, ſed in iure poſt contradictionem, & bonam fidem, quod largitio ſimoniaca non fuerit facta ſolum excipitur à iure non reſtituendi, qui poſtea conſenſerit ſoluendo promiſſum, aut reddendo ſolutum, ergo non debet fieri extenſio ad eum, qui ſolummodò poſtea cognouit, & non conſenſit ſoluendo promiſſum, aut reddendo ſolutum. Neque dicas, qui rem poſſidet exiſtimans poſſe poſſidere, quam tamen non potuit acquirere, ſuperueniente notitia tenetur illam reſtituere, vt videre eſt in poſſidente rem ex contractu omninò inualido, ergo etiam qui beneficium recipit per ſimoniam ignoratam per alterum intentatam, licet eidem contradixerit, cognita poſtea eadem ſimoniaca prauitate tenebitur ipſum reſignare; contra enim impugnaberis, nam caſus antecedentis ſupponit inualiditatem contractus in ipſa origine reſiſtente iure validitati eiuſdem, caſus autem conſequentis ſupponit validitatem collationis iure eandem approbante, adeòque &c.

Per ſuperuenientem notitiam nec conſenſit, nec ſoluit promiſſum, nec reddit ſolutum.

Non eſt inualida collatio, & recepto beneficij in ſua origine.

Tertia difficultas eſt, an ſi recipiens poſt contradictionem, & receptionem in bona fide beneficij cognita poſtea prauitate per alium exercita, conſenſerit ſoluendo promiſſum, aut reddendo ſolutum ſubiaceat oneri reſtitutionis tùm beneficij, tùm fructuum inde perceptorum. Abbas, *& Gloſa in d. cap. ſicut tuis de ſimonia* arbitrantur per poſtmodum conſentientem non incurri ſimoniam, nec induci onus reſtitutionis beneficij, & fructuum, quia ipſe beneficiarius reſtituens pecuniam ſolutam, ſeù ſoluens promiſſam non emit beneficium, ſed conſentit venditioni iam factæ, & cum ſimonia non facta fuerit nomine, & ex commiſſione beneficiarij, ſed potius ipſo contradicente, & ignorante fieri, conſenſus ſubſequens eiuſdem beneficiarij non videtur poſſe retrotrahi, Suàrez *lib. 4. de ſimon. cap. 57. num. 31. Bonacina quæſt. 7. punct. 2. num. 13.* diſtinguunt, vel enim beneficiarius, qui prius contradixit, ne fiat, & ignorauit factam eſſe, reſtituit ſolutum, vel ſoluit promiſſum, non intendens approbare factum illius, ſed liberalitèr illam pecuniam donare, ne ille qui ſoluit, ſeù promiſſit damnum ſua cauſa patiatur, & ſic exiſtimant, nec ſubeſſe culpæ, nec pœnæ, nec oneri reſtitutionis; vel reſtituit ſolutum, ſeu ſoluit promiſſum quaſi approbando, ſeu ratificando factum, & ſic arbitrantur non ipſo iure priuari beneficio, & fructibus, eſſe tamen priuabilem officio iudicis.

Abbas, Gloſa.

Opinio aſſerens nō eſſe beneficij cum fructibus dimittendum.

Suarez. Bonacina.

Opinio diſtinguens, & quaſi media.

Nihil ominus abſolutè exiſtimo ſine vlla 13
diſtinctione ſaltem quantum eſt in foro externo in hac hypotheſi, & beneficium dimittendum eſſe, & fructus reſtituendos. Colligitur expreſſe *ex d. cap. ſicut tuis de ſimonia, nihil tibi debet ad pœnam, vel culpam, ſicut credimus, imputari, niſi poſteà conſenſeris pecuniam ſoluendo promiſſam, aut reddendo ſolutam*, vbi nota, quod eximitur ab onere reſtitutionis qui contradixit ſimoniacæ prauitati, & recepit ignorans eam eſſe commiſſam, a qua exemptione poſtea excipitur, ſi poſtea conſenſerit ſoluendo promiſſum, ſeù reddendo ſolutum, quod eſt idem ac dicere, quod non teneatur reſtituere, ſi contradixit largitioni, & ignorauit eam factam eſſe, teneatur verò, ſi non obſtante tali contradictione poſtea conſenſit ſoluendo &c, quod idem Pontifex repetit dicens *A qua poſtmodum non receſſiſti*; per conſenſum autem quantumuis poſteriorem fit receſſus a priori contradictione. Vel nota illas particulas vtroque loco poſitas, *Poſteà*, &, *poſtmodum*, quæ præcisè non referuntur ad contradictionem, ſed ad beneficium collatum, & receptum, & ad largitionem illam ſimoniacam, quod colligitur tùm ex præcedentibus, tùm ex verbis ſubſequentibus, ex præcedentibus quidem, quatenus in d. capite erat ſermo de iam promoto, & gaudente beneficio iam acquiſito, circa quem conſulebatur Pontifex, ex ſubſequentibus, quatenus dicitur, *aut reddendo ſolutum*, quod certè dicit ſolutionem iam poſitam, & beneficium iam acquiſitum; nec obeſſe poteſt huic explicationi, quæ eſt ad literam textus, ſi dicatur hoc non eſſe contrahere ſimoniam, ſed ad ſummum approbare iam contractam, cui propterea non videtur congruè eadem pœna, quæ ſimoniæ eſt,

Colligitur ex textu expreſſ.

In textu fit extenſio etiam ad caſum ſimoniæ poſt receptū beneficium bona fide.

affixa,

affixa, imponenda, ſed alia ad ſummum arbitrio iudicis, quandòquidem a diuerſis non congruè fit illatio, & in pœnalibus fieri non debeat extenſio; non, inquam, obeſſe poteſt, quià vbi eſt expreſſio, quamuis caſus ſit quoquo modo diuerſus, pœna etiam ad eundem extenditur; In hypotheſi autem, de qua loquimur Pontifex loquitur de dimiſſione beneficij, & fructuum Ibi *Quamuis autem ſecundum ſacrorum canonum inſtituta etiam paruuli, qui cupiditate parentum Eccleſias per pecuniam ſunt adepti, eas dimittere teneantur* a qua licet eximat contradicentem, & non approbantem, ſubijcit tamen eum, qui quidem contradixit, & poſtea receſſit a contradictione, eumque qui poſita contradictione poſteà conſenſit ſoluendo promiſſum, aut reddendo ſolutum, ergo, cum Pontifex fuerit conſultus quoad pœnam dimiſſionis, & reſponderit in eo caſu talem pœnam non eſſe imputandam, niſi poſteà receſſerit, aut reddiderit ſolutum rectà conſequentia deducitur, quod talis pœna dimiſſionis ſit irroganda iuxtà diſpoſitionem iuris, non alia arbitraria à Iudice decernenda, ſi receſſerit à contradictione, & poſtea conſenſerit reddendo ſolutum; in quo conſentit *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 6. *ad tertium*.

D. Thom.

16 Neque obeſſe poteſt id, quod ex *Suarez, & Bonacina* adducebatur, quod ſcilicet potuit beneficiarius promotus per ſolutionem promiſſi, & reſtitutionem ſoluti non approbare, ſeù nolle approbare factum alterius ſimoniacum, ſed velle ſolum liberaliter illam pecuniam donare, ne ille, qui ſoluit, damnum ſua cauſa patiatur. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia non eſt præſumptio donationis, vbi viget titulus compenſationis, ſine quo ille, qui dicitur donare, non erogaret, vndè appoſitè, & conſulto dixi, *ſaltem quantum eſt in foro externo*, & ſi talem ſolutionem præſtat, ne ſua cauſa damnum patiatur, euidens eſt, quod intendit reparationem talis damni, quod obueniret ſua cauſa, quod ſubinfert motiuum iuſtitiæ, non gratuitæ donationis. Deindè, quamuis concederetur, quod ille tribueret animo donandi, de quo tamen non poteſt eſſe præſumptio, ille, qui recipit, non tali animo reciperet, ſed reciperet ſub titulo compenſationis per ſe ipſum pro illo ſoluti, quod deſtruit naturam donationis, & quamuis talis animus recipientis non videatur poſſe officere tradenti animo gratuito, quia tamen, vbi viget titulus debitæ compenſationis, præſumitur, quod vtriuſque animus, & voluntas conformetur tali titulo, ideò in foro ſaltem externo illa ſolutio cenſenda eſt facta in compenſationem, non in donationem.

Suarez. Bonacina.

Non eſt præſūptio donationis, vbi viget titulus cō penſationis.

Fateor tamen, quod, ſi re vera animus retribuentis pro ſoluto eſſet dumtaxat ad liberam donationem nullo modo ad compenſationem titulo, & ex onere iuſtitiæ, quod non ſit in foro conſcientiæ reſtitutio fructuum, & beneficij facienda, cum non prohibeatur donatio, & liberalitatis affectus, & gratitudinis &c.

Si conſtaret de donatione non eſſet fructus reſtituendo.

Quarta difficultas eſt, an in ſuppoſitione, qua beneficiarius poſt contradictionem, & receptionem beneficij cum ignorantia, quod largitio pro eodem fuerit ficta, reddiderit (quodammodò approbando ſolutionem ſic factam) ſolutum mediatori, ſecundum quam ſuppoſitionem diximus teneri ad dimiſſionem beneficij, & fructuum, teneatur etiam ad reſtitutionem fructuum perceptorum ante talem approbationem. Ratio dubitandi in eo conſiſtit, quod ſupra attigimus in difficultate ſecunda, nempe ipſam collationem in ſui origine pleno iure ſubſiſtere, vndè nullitas non videtur vim habere, niſi a tempore approbationis, per quam inducitur, adeòque fructus antecedentèr percepti videntur legitimè percepti tanquam a Domino, ſeù ab habente ius in tali beneficio; ex alio capite videtur huiuſmodi approbatio quamuis ſubſequentèr poſita, retrotrahi ad tempus collationis, & fundari in eo, quod illi fructus fuerint percepti ex re non ſua, vel in diſpoſitione iuris quodamodò ſtatuentis in pœnam talis approbationis, quod onus reſtitutionis habeat vim a die collati beneficij. Crediderim non teneri ad reſtitutionem fructuum antecedentèr perceptorum propter rationes, quæ afferebantur pro prima parte rationis dubitandi, ſiquidem in ſua origine illa collatio ſubſiſtit, adeòque illam obtinens verè poſſedit beneficium, & fructus fecit ſuos; Quamobrem ad rationem, quæ in contrarium afferebatur, dicendum eſt falſo inniti fundamento illius retrotractionis, cum pro illo tempore beneficium ipſum eſſet ipſius beneficiarij, nec vllum reperiatur ius ſpeciale poſitiuum, quod de tali reſtitutione diſponat, vt notauit *Nauarrus conſ.* 95. *de ſimonia num.* 3. §. *quarto*. Redeamus iam ad alias probationes aſſertionis ſupra poſitæ. 17

Pro tempore ante approbationem beneficium ſuit eiuſdem beneficiarij.

Non eſt fundamentum ponendi illā retrotractionem.

Nauarrus.

Probatur igitur tertio quoad ſecundam partem, quod ſcilicet teneatur beneficium dimittere, & fructus reſtituere, quamuis fuerit ignorans ſimoniacæ prauitatis per alium in ſui fauorem commiſſæ, & primò *ex cap. ſicut tuis de ſimonia*, vbi collatio beneficiorum facta paruulis ex auiditate Parentum erogantium pecuniam pro illis declaratur irrita; & beneficia ipſa ipſo iure reſtituenda. Ibi - *Quamuis ſecundum ſacrorum canonum inſtituta, etiam paruuli, qui cupiditate parentum Eccleſias per pecuniam*

ſunt adepti, eas dimittere teneantur; vbi nota, quod paruuli ſemper, & regulariter præſupponuntur ignorantes, & tamen beneficiorum dimiſſio facienda eſt; nec valet dicere, quod in caſu paruulorum dimiſſio facienda ſit, quia largitio illa ſimoniaca facta eſt per ipſius parentes, quod ſpecialiter per iura videtur expreſſum, & præcipuè *in d. c. ſicut tuis de ſimonia*. Ibi *Præſertim cum ei nulla ſit tibi conſanguinitate coniunctus*; non, inquam, valet dicere, quin illa particula, *præſertim*, non eſt excluſiua abſolutè, ſed ampliatiua *cap. ex literis 2. de ba. mi.*, & ponit ibi expreſſa tanquam fortius concludentia, non autem excludit non expreſſa, ſed potius includit. Deindè dicit, *præſertim cum nulla tibi ſit conſanguinitate coniunctus*, eo quia excludit quamcunque præſumptionem, quod fuerit facta illa ſimoniaca largitio ex condicto, ſeù conuentione inuicem habita, quæ præſumptio quandòque poteſt eſſe, quandò fit per conſanguineos, & parentes, per hoc tamen non tollitur, quod, ſi etiam fuerit conſanguineus, & cum ipſis non habuerit beneficiarius conuentionem de eroganda illa pecunia, ſed potius contradictionem, non poſſit detinere, & ſi non habuerit contradictionem teneatur dimittere, ſiuè fuerit conſanguineus, ſiuè non. Secundo probatur eadem ſecunda pars quoad idem *ex cap. ex inſinuatione de ſimon.* vbi cum quis per ſimoniam fuiſſet promotus ignorans ad canonicatum, & cum illum factus conſcius ſimoniacæ prauitatis dimiſiſſet, & cum ex Indulgentia iterum fuiſſet aſſumptus ad eundem cum hac tamen conditione, vt vltimum locum teneret inter canonicos intuitu huius ſecundæ aſſumptionis, non primæ, quæ intelligitur in irritum reuocata, Pontifex decreuit, quod ratione primæ receptionis nihil audeat in ipſa Eccleſia vindicare, ergo ſignum eſt, quod prima collatio ſimoniacè facta concurrente per pretium mediatore, & ignorante eo, cui fit, fit ipſo iure irrita, nulliuſque roboris, quandòquidem ratione eiuſdem nihil poteſt promotus in tali Eccleſia vindicare. Hoc clarius euincit *Gloſa in d. cap. ex inſinuatione verbo reſignaſt; de ſimon.*, vbi ſic habet. *Reſignauit, poſtquam intellexit ſimoniam fuiſſe commiſſam, quod adhuc tenebatur, & ſic factum alterius ei præiudicat, & ſic punitur ſine culpa, quod eſt contrà illud generale in cap. 2. de conſtit., rem, qua culpa caret &c. ſed hoc eſt ſpeciale in caſu in odium ſimoniacorum, quia ſi non punirentur, nimis frequentaretur illud crimen*. Ratio autem fundamentalis horum omnium eſt, quia Eccleſia in pœnam ſimoniacorum impedit, ne beneficium, quod confertur ratione pecuniæ, quamuis per mediatorem collatæ ignorante eo, cui conſerri debet ex conuentione eiuſdem mediatoris, tranſeat in ipſum, & ſic, ſi detinet, non poſſidet propriè, ergo tenetur immediatè, ac cognouerit, reſtituere, & ſi non reſtituat vſurpator erit, non poſſeſſor; ex quibus ſequitur, quod teneatur omnes etiam fructus reſtituere tanquam perceptos ex re non ſua.

Nō ſolum eſt irrita collatio beneficij ſi pecunia fuerit ſoluta per conſanguineos, ſed etiam per alios.

Alia Pontificis declaratio quoad id præſertim.

Eccleſia ſua poteſtate impedit ne beneficiū tranſeat.

quamuis pretium erogetur per aliū.

Hinc etiam aliquæ ſuboriuntur difficultates, quas breuiter expendo. Prima eſt, an teneatur etiam omnes fructus, quos 18
percepit antecedenter ad habitam notitiam prauitatis commiſſæ, reſtituere, an verò perceptos ſolummodò ſubſequenter ad talem notitiam. Reſpondeo, teneri ad omnes, ſi extiterint tùm antecedentes, tùm ſubſequentes ad talem notitiam, hoc tamen habito reſpectu, quod ſi præexiſtentes ad talem notitiam fuerint conſumpti ad illorum reſtitutionem non teneatur; ſi verò ſubſequentes ad ipſam fuerint conſumpti, teneatur adhuc ad illorum compenſationem *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 6. Nauarrus conſ. 90., 91., 97. Caſſadorus deciſ. 6. de præbendis, Vgolinus tab. 4. cap. 7. §. 2. Couarruuias in reg. peccatum 2. part. §. 8. num. 7. & 8. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 36.* qui teſtatur de communi. Ratio primæ partis deducitur ex ſuperius dictis, quia ipſo iure, quo poſita eſt, ex diſpoſitione iuris collatio eſt irrita, ergo fructus non parit ei, cui collata eſt. Conſequentia tenet, quia nemo facit fructus ſuos ex re non ſua, ergo quantum eſt ex ſe nequit illos retinere, ſed tenetur reſtituere. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia detentor beneficij ante habitam notitiam ſimoniacæ collationis, ſi quos fructus percepit, bona fide percepit, ergo ſi eoſdem conſumpſit ante talem notitiam habitam non tenebitur ipſos reſtituere. Conſequentia tenet, quia radix reſtitutionis eſt, vel ratione rei acceptæ, quæ ſemper clamat pro domino, vel ratione iniuſtæ acceptionis, ſed nec tenetur ratione rei acceptæ, quandòquidem huiuſmodi fructus non amplius exiſtunt, & propterea non clamant pro domino, non ratione iniuſtæ acceptionis, cum ipſe acceperit bona fide, ergo ſi eoſdem conſumpſerit, non tenebitur amplius ad illorum reſtitutionem. Ratio tertiæ partis eſt, quia in ordine ad fructus perceptos poſt habitam notitiam ſimoniaci ingreſſus ſe habet, vt poſſeſſor malæ fidei, adeòque vt iniuſtus receptor, ergo ſiuè illi extiterint, ſiuè non extiterint, ſi non ratione rei acceptæ, ſaltem ratione iniuſtæ acceptionis illos tenebitur reſtituere.

Onus reſtituendi omnes fructus habita notitia ſimoniacæ prauitatis.

D. Thomas. Nauarra. Caſſadorus. Vgolin. Couarru. Suarez.

Secunda difficultas eſt, an in hypotheſi 19
præcedentis difficultatis teneatur promotus ignoranter ad canonicatum v. g. fructus

ctus perceptos antecedenter ad habitam notitiam ſimoniæ reſtituere, ſi adhuc extiterint non ſolum reſpondentes præbendæ, ſed etiam reſpondentes reſidentiæ, nempè quotidianis diſtributionibus ratione perſonalis aſſiſtentiæ. Ex ſuperius dictis videtur dicendum, & fructus correſpondentes reſidentiæ, ſi adhuc exiſtant, eſſe reſtituendos, quandòquidem, & ipſi ſunt fructus beneficij per ea, quæ ſupra diximus. Nihilominus huiuſmodi fructus perceptos antecedentèr ad habitam notitiam ſimoniæ, prout correſpondent reſidentiæ, ſentio non eſſe reſtituendos *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 36. Bonacina quæſt. 7. punct. 2. num. 19. verſ. quarto ex communi Doctorum*, Ratio eſt, quia huiuſmodi fructus ſunt ſtipendium perſonalis aſſiſtentiæ ſuppoſito titulo, & quamuis in hac hypotheſi titulus non exiſtat, bona tamen fides ſupplet defectum talis tituli, quantum ad effectum ſibi adaptandi huiuſmodi fructus, quod ſic euincitur, quia ratio formalis exigendi tales diſtributiones eſt perſonalis aſſiſtentia, quæ vtique ſupponitur poſita, & licet ad validè exigendum talis aſſiſtentia debeat eſſe titulata, bona fides tamèn facit ſufficientem titulum ad acquirendos fructus *Baldus in l. final. in 15. opp. 5. col. ità quoad bonam fidem C. de edic. D. Adrian. tol.* vndè benè dicitur, quod bonæ fidei poſſeſſor deducat etiam debitum naturale *Bartol. in l. ſi quid poſſeſſor §. ſed & ipſi in fin. ff. de petit. hered.* & acquirat fructus, quod dependentèr a re aliena poſſeſſa bona fide percipit per perſonalem laborem, & induſtriam, quamuis ille labor, & induſtria non ſit remunerabilis ſine titulo in tali re, quia titulus ſuppletur per bonam fidem *Alexander in l. ſi me ff. ſi certum pet. Cinus in l. non eſt C. fam. erciſ. Baldus in l. 2. C. de fruct. & lit. exp.*

Suarez. Bonacina.

Quià bona fide ſupplet defectum ſimuls.

Baldus.

Bartolus.

Alexander. Cinus. Baldus.

20 Tertia difficultas eſt, an ignorans recipiens beneficium ſimoniacè non ſolum teneatur cognita ſimonia immediatè illud dimittere, vt dictum eſt in præcedentibus, ſed etiam reddatur inhabilis ad illud imposterum obtinendum per nouam, & liberam collationem. Ratio dubitandi potiſſimum conſurgit *ex cap. ex inſinuatione de ſimonia*, vbi cum quis fuiſſet promotus ſimoniacè ad canonicatum, dum ipſe ignoraret, cumque factus conſcius ſimoniacæ prauitatis commiſſæ ipſum reſignaſſet, fuit iterum liberè per collatores promotus, & Pontifex illam ſecundam promotionem poſitis aliquibus conditionibus tanquam legitimè factam approbauit. Nihilominus verius eſt, quod reddatur inhabilis ad illud obtinendum impoſterum, niſi diſpenſetur. Colligitur expreſsè *ex cap. penult. de elect. poteſt.* vbi manifeſtis verbis hæc inhabilitas inducitur, niſi fiat diſpenſatio ibi *Cum eo ſuper prælatione, ad quam per ſimoniam fuerat electus illa vice non poteſt Epiſcopus diſpenſare, quamuis circà eum, qui ignoranter recipit ſimplex beneficium per ſimoniacam prauitatem poſt liberam reſignationem Epiſcopi diſpenſatio toleretur*, ergo ſi in caſu electionis ſimoniacæ ad prælationem non ſufficit pro illa vice Epiſcopi diſpenſatio, ſed requiritur Pontificia, & in caſu electionis ad ſimplex beneficium toleratur diſpenſatio Epiſcopi, dicendum eſt, quod per ſimoniacam electionem inducatur inhabilitas, ad quid enim requireretur diſpenſatio, ſi nulla inhabilitas eſſet inducta? Ad rationem dubitandi deſumptam ex textu *in cap. ex inſinuatione de ſimonia* dicendum eſt, quod ille, qui poſt liberam reſignationem fuit de nouo prouiſus, cum ageretur non de beneficio curato, fuerit per capitulum diſpenſatus in illa inhabilitate contracta, vt benè *Gloſa in d. cap. ex inſinuatione verbo elegerunt* ibi *& ità habes, quod capitulum diſpenſat cum ſimoniaco, vel ſi capitulum non diſpenſat, eligat tamen per diſpenſationem Epiſcopi, nam Epiſcopus de conſenſu capituli cum talibus diſpenſat*, vt habetur in textu *in cap. præſentium 1. quæſt. 5. & in d. cap. penult. de elect. & elec. pot.* vbi quoad hoc genus diſpenſationum præſcribitur, vt in beneficijs curatis ſaltem pro prima vice non diſpenſet, niſi Romanus Pontifex, in ſimplicibus verò etiam Epiſcopus.

Vbi requiritur diſpenſatio præſuponitur inhabilitas.

Gloſa.

Diſpenſatio quoad beneficia curata fit per Pontificem quoad ſimplicia per Epiſcopū.

Aſſertio V. Fructus beneficij ſimoniacè collati, & accepti ſunt ipſo iure reſtituendi, quantumuis ſimonia fuerit ſolummodò contra ius Eccleſiaſticum, non contra diuinum, ſeù vt alij loquuntur, quantumuis ſimonia ſit tantum mala, quia prohibita, non prohibita, quia mala. *Abbas in cap. cum vniuerſorum de rer. permut. nu. 6. Præpoſitus in cap. ordinationes 1. quæſt. 1. nu. 34. Rebuffus in praxi tit. de ſimonia in reſign. num. 14. Redoanus 3. part. cap. 8. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 42.* qui etiam citatis prædictis teſtatur de communi. 21

Abbas. Præpoſitus. Rebuffus. Redoan. Suarez.

Probatur primo *ex cap. cum olim de rer. permut.*, vbi dicitur beneficia ſua perdere, qui ea propria permutant auctoritate. Ibi *Cum ergo nobis conſtaret, quod ipſe præſtiterit ſuum permutationi conſenſum, prædictus autem Magiſter ſuum publicè fateatur errorem, & hunc præpoſitura, & illum Archidiaconatu curauimus ſpoliare ſuper hoc diffinitiuam contrà eos ſententiam proferentes*, vbi nota, quod in ea hypotheſi erat ſermo de permutatione duorum beneficiorum ad inuicem propria auctoritate, quæ redolet ſolummodò ſimoniam prohibitam iure Eccleſiaſtico; neque dicas Pontificem in hoc textu non aſſerere, ipſam permutationem fuiſſe irritam in ſua origine, ſed ſolummo-

Permutatio beneficiorū eſt tantum prohibita iure Eccleſiaſtico.

dò

dò eam reprobare per ſententiam definitiuam. Ibi *Couarruuias ſpoliare*; contra enim impugnaberis, quia illa definitiua ſententia eſt dumtaxat declaratiua criminis, & executio pœnæ per ius impoſitæ; quod ſi dixerit. *Couarruuias ſpoliare* eſt, quia alter ex beneficiarijs illis ſimoniacis prauitate innixus ſimoniam, quam commiſerat, denegabat aſſerens, ſe libere ſine vlla conuentione reſignaſſe beneficium manibus ſuperioris, & deindè aliud etiam liberè obtinuiſſe. Ibi *Idem tamen eam officiabatur omnino proponens, quod ipſe præpoſituram ſine conditione qualibet reſignauit, & poſt reſignationem Archidiaconatum fuerat conſecutus*; vndè id, quod ſponte nolebat deponere illo falſo fundamento innixus, debuit compelli per ſententiam ad deponendum.

Probatur ſecundo *ex extr. vag. 2. in communibus de ſimonia*, vbi irritantur omnes prouiſiones, collationes ſimoniaca labe infectas non diſtinguendo inter ſimoniacas de iure diuino, & ſimoniacas de iure Eccleſiaſtico, qui autem omnia dicit, nullum excludit iuxta vulgata iura, & quod ius non diſtinguit nec nos diſtinguere debemus; neque dicendum eſt, quod interpretatio iurium, maximè, vbi agitur de pœnalibus, debeat ſemper fieri in mitiorem partem; mitius autem eſt, ſi interpretentur contrà committentes ſimoniam prohibitam ſolummodò de iure diuino, eo quià illa ſolummodò eſt propriè, & rigoroſè

Pariſienſis. Reginaldus.

ſimonia *Pariſienſis lib. 4. conſ. 29. & 30. Reginaldus lib. 23. num. 184.*, non, inquam, dicendum eſt, quia tunc ſolummodò facienda eſt mitior interpretatio, quandò lex non generalitèr loquens non omnia comprehendit, vndè ex modo loquendi in tali lege oritur dubietas circa ea, quæ comprehendit, vel non comprehendit; ſecus autem quandò lex per quandam generalitatem omnia attingit ſine vlla diſtinctione, tunc enim, cum omnia ſint incluſa, nulla facienda eſt interpretatio, quæ circa ſolummodò non expreſſa admittitur. Ratio autem fundamentalis horum omnium

Lex præſens per quandam generalitatem omnia attingit ſine diſtinctione.

Gloſſ.

iurium ea eſt, quam aſſignat *Gloſſa in d. cap. cum olim de rer. permut.* nempè, quia beneficium non poſſidetur per beneficiarium tanquam proprietas, quia nullus dicitur habere dominium ſui beneficij, cum quaſi vſuario clerici beneficiarij comparentur, ſed Eccleſia benè poteſt poſſideri ab alia Eccleſia tanquam proprietas, ſed non poteſt contrahere permutationem, qui rem non poſſidet quoad proprietatem *l. 1. §. vlt. ff. de rer. permut.* ergo beneficiarius non poteſt permutare propria auctoritate beneficium cum alio beneficio, ſed dumtaxat Eccleſia, adeòque ob hanc rationem Eccleſia induxit in pœnam irritationem contra permutantes propria auctoritate.

Obiectio aduerſus dicta, & ſolutio.

Aduerſus hæc, quæ hactenùs dicta ſunt circa hanc aſſertionem militare videtur textus *in cap. conſtitutus de tranſact.* vbi cum facta fuerit inter duos Clericos tranſactio ſuper vna capella, circa quam erat inter ipſos controuerſia, declarata fuit per Pontificem illa tranſactio ſimoniaca, nec tamen Clericus, qui illam capellam acquiſiuit, fuit depoſitus, quin potius fuit contrà fidem ſuam admiſſus ad audientiam circa pristinam cauſam. Sed huic obiecto reſpondet in primis *Gloſ. ibid.*, quod de gratia tantum auditur, quia de iure deponi debuit, cum ipſe confiteretur peccatum, & turpitudinem ſuam, immò audiri non debuit contra factum ſuum *cap. cum ſuper de conceſ. prabend. & cap. inter dilectos de donat.* Congruentius reſpondet *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 43.* non fuiſſe in illa hypotheſi deponendum, eo quia per ſimoniam ibi nullum beneficium fuerat acquiſitum, ſed ſolummodò ex vi illius tranſactionis lis ſopita; iura autem tantum irritant beneficia ſimoniacè acquiſita.

Gloſa.

Suarez.

Aſſertio VI. Promotus ſimoniacè ad beneficium, cum ipſe eſſet ignorans ſimoniacæ prauitatis per alium commiſſæ pro ſe, ſi per triennium bona fide in pacifica poſſeſſione eiuſdem perſeuerauerit, poteſt adhuc per eodem moleſtari *Ludouicus Gomez in reg. Cancellaria quaſt. 12. contrà Vgolinum de ſimon. tab. 4. cap. 6. §. 9. Garziam de beneficijs punct. 8. cap. 1. num. 14. Suarez lib. 4. de ſimon. cap. 57. num. 39.* 22

Ludouic. Gomez. Vgolinus Garzias. Suarez.

Probatur aſſertio primò, ex regula Cancellariæ de triennali poſſeſſione, qua cautum eſt, vt qui adeptus beneficium per triennium illud poſſederit ſuper eo moleſtari non poſſit excipiendo tantum caſum, quo per ſimoniam illud obtinuerit. Ibi *Item ſtatuit, & ordinauit idem Dominus noſter, quod ſi quis quacunque Eccleſiaſtica beneficia qualiacunque ſine abſque ſimoniaco ingreſſu ex Apoſtolica, vel ordinaria collatione, aut electione, aut electionis huiuſmodi confirmatione, ſeù præſentatione, ſeù inſtitutione illorum, ad quos beneficiorum huiuſmodi collatio, prouiſio, electio, præſentatio, ſeù quauis alia diſpoſitio pertinet per triennium pacificè poſſederit ſuper eiſdem beneficijs taliter poſſeſſis moleſtari nequeat*, vbi nota illam particulam, *abſque ſimoniaco ingreſſu*, ergo ſi adepti fuerint, ſeù ingreſſi per ſimoniam regula illa de triennali poſſeſſione non poterit illis prodeſſe argumento ſumpto a contrario ſenſu, quod efficax eſt *l. 1. ff. de officio &c.*

Exceptio à triennali regula quoad ſimoniam.

Dices primò, hæc quidem valere, quandò ingreſſus ſimoniacus in beneficium ſit conſcio, & concurrente beneficiario ad ſimoniacam prauitatem, ſecus autem

quan-

Vgolin.

quandò ſit eo inſcio, & ignorante per mediatores *Vgolinus d. tab. 4. cap. 6. §. 9. num. 2. verſ. excipitur tamen primo, & alij prællegati Doctores*, nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem qui poſſedit pacificè per triennium beneficium cum ignorantia ſimoniaci ingreſſus habet titulum coloratum *Abbas in cap. niſi num. 6. verſ. ex his infertur* Ibi-*Si autem commiſiſti ſimoniam de renunt.*, & iura excludunt a tali regula ſimoniacum ingreſſum, quia ſupponunt ipſum eſſe ſine quocunque titulo ſiuè reali, ſiuè colorato, ergo ſi, quandò eſt per ſimoniacum ingreſſum ignorante beneficiario, habet titulum coloratum, non eſt excludendus à tali regula. Sed contra; quia gratis omninò dicitur, quod reſpiciat ſolummodò prohibitio ſimoniacum ingreſſum quoad talem regulam de triennali poſſeſſione, quandò eſt per ſimoniam commiſſam conſcio, & concurrente ipſo beneficiario, ſecus quandò eſt ipſo ignorante; quandòquidem Pontifex loquitur abſolutè de ſimoniaco ingreſſu, qui æquè eſt, ſiuè ſit conſcius beneficiarius, ſiuè ignorans per ea, quæ latè dicta ſunt, & ſicuti beneficiarius ſimoniacus ignorans æquè comprehenditur in iure ipſo facto priuante beneficio, ac priuetur ſciens, eo quia lex priuans abſolutè loquitur ſine vlla reſtrictione, ita æquè comprehenditur in iure priuante priuilegio triennalis poſſeſſionis ignorans, ac ſi fuerit ſciens, cum lex priuans etiam abſolutè loquatur; Atque hoc ità debet intelligi, quandoquidem ſimoniaca peruerſitas ita odioſa eſt iuribus, vt ipſam etiam puniant quamuis ſit ſine culpa ingreſſi per ea, quæ latè ſupra diximus.

Abbas.

Æquè eſt ſimoniacus ingreſſus, ſiuè ſimonia fuerit cõmiſſa per ipſũ beneficiarium, ſiuè per alium pro ipſo.

Ad id, quod ſubditur de titulo colorato dicendum eſt in primis, quod Pontifex non excluſit ſimoniacum a priuilegio regulæ triennalis poſſeſſionis ob id præcisè, quod titulum non habeat coloratum, ſed ob criminis grauitatem, & ad tollendam facilitatem ſimoniacæ prauitatis, quæ paſsim irreperet, vel concurrente ipſo beneficiario, vel alijs ab ipſo procurantibus, quam propterea voluerunt Pontifices eradicare quoad omnem circumſtantiam per declarationem nullitatis per onera impoſita de reſtitutione, quæ omnia videtur conſideraſſe *Vgolinus d. tab. 4. cap. 6. §. 9. num. 2. verſ. hoc autem dictum in fin.*, cuius propterea inconſequentiæ non poſſum non mirari, dum hic dixit Pontificem non excepiſſe ſimoniacum ob id, quod titulum non habeat, dum poſteà *in verſ. excipitur tamen primo* aſſerit ſimoniacum promotum ipſo non concurrente, ſed alio ab ipſo iuuari regula triennalis poſſeſſionis, quia quandiù ignorat, titulum habet coloratum; ſi

Vgolin.

Argumentum deſumptum cõtra Vgolinum in principijs eiuſdem

enim titulus coloratus non iuuat in præcedenti caſu, in quo loquitur de ſimonia conuentionali, cur talis titulus debet iuuare in præſenti? Deindè ſi excludit a regula triennalis poſſeſſionis nedum ſimoniacum realem, ſed etiam conuentionalem, & quia eadem lex triennalis excipit ſimoniacum ingreſſum ſine vlla reſtrictione, vt ipſe fatetur *in d. num. 2. verſic. hoc autem dictum in princip.*, & quod lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debeamus *arg. l. de pretio ff. de publ. in rem act.*, cur non excludit etiam ſimoniacum ingreſſum ſimonia per alium intentata ipſo ignorante? Certè hic ſimoniacus ingreſſus cadit ſub iuribus ſtatuentibus nullitatem collationis, & præfinientibus reſtitutionem, & lex ipſa triennalis poſſeſſionis non diſtinguit inter hunc ſimoniacum ingreſſum, & illum, qui fit concurrente ad ſimoniam ipſo beneficiario; cur igitur ipſe vult diſtinguere, & excipere? Deindè, vt optimè conſiderauit *Caſſadorus ſuper reg. Cancellariæ dec. ſ. 7. n. 3.* titulum coloratum non dicitur habere ille, qui fuit prouiſus a non habente poteſtatem conferendi *Abbas in cap. cum noſtris vlt. col. de conceſ. praben. & Lap. alleg. 16. & Cal. conſ. 13. de verb. ſignif.* ſimoniacè autem promotus quamuis ignorans altero pro ipſo concurrente propriè eſt promotus a non habente poteſtatem conferendi tali modo, cum non ſolum ius diuinum hoc vetet, ſed etiam Eccleſiaſticum; quod abſolutè, & ipſo iure irritat talem collationem, ergo &c.

Caſſiodorus.

Abbas; Lapus.

Dices ſecundò, qui poſſidet beneficium ſimoniacè acquiſitum ignoranter, cum fuerit ſimonia per alium perpatrata, ratione bonæ fidei, quæ ſupplet defectum tituli per ea, quæ diximus ſupra *in hac ead. Prænot. ſub aſſert. 4. in probat. ſecundæ partis difficul. 2.* facit fructus ſuos correſpondentes quotidianis diſtributionibus ratione perſonalis reſidentiæ, ergo etiam ignorans ſimoniacè promotus ratione eiuſdem bonæ fidei ſupplentis, ſeù conferentis titulum poterit per triennalem pacificam poſſeſſionem ſibi acquirere ius gaudendi regula eiuſdem triennalis poſſeſſionis; ſi enim bona fides confert ſufficiens ius ad faciendos fructus ſuos correſpondentes diſtributionibus, cur non poterit, ſi fuerit continuata vltra triennium, conferre etiam ius ad priuilegium triennale? Sed contra neganda eſt abſolutè conſequentia, quia bona fides poteſt quidem ad ſummum ſupplere defectum quoad ea, quæ ſpectant, & debentur ratione perſonalis aſſiſtentiæ, cum congruum non ſit, vt quis laboret exiſtimans habere ſufficientem titulum, & poſtea priuetur fructibus laboris, præcipuè cum.

Diſpar ratio de fructibus correſpondentibus diſtributionibus, & de triennali poſſeſſione.

Digitized by Google

cum ipſæ diſtributiones ſint propter aſſiſtentiam, & perſonalem laborem licet ſuppoſito titulo; non autem poteſt ſupplere defectum quoad ea, quæ dantur præciſè ratione beneficij præcindendo a quocunque labore, nam ſicuti ipſum beneficium ex diſpoſitione iuris ipſo facto irritum eſt, quamuis collatum ignoranti, ità eodem iure irrita ſunt ea omnia, quæ vt fructus proprij illius ad ipſum conſequuntur, vndè ſicuti in ſuperioribus non obſtante ignorantia, & bona fide diximus fructus præbendæ beneficij ſimoniacè collati eſſe reſtituendos, ita dicimus in præſenti, quod non obſtante ignorantia, & bona fide perſeuerante per triennium beneficium ſit dimittendum obſtante retentioni exceptione ſimoniaci ingreſſus à regula triennalis poſſeſſionis, nec incongrua ſanè ratione, quia iura abſolutè abhorrent à ſimoniaca prauitate, quam in omni caſu abolere intendunt, & ſicuti non obſtante ignorantia annullant ipſo iure collationem, ita abſolutè prohibent continuationem, etiam in regula illius triennalis.

Probatur ſecundò, quia regula triennalis eſt quoddam priuilegium, quod vtpotè ſtricti iuris ita debet interpretari, vt, quominùs poſſit diſcordet à iure communi *Ioannes de Immola in l. etiam ff. ſolut. matrim. per l. in ius ſingulare ff. de legibus Clem. 1. & ibi Card. de conſib. Clem. 2. §. fin. & ibi Card. de Priuilegijs*, ſed de iure communi eſt, quod beneficium ſimoniacè collatum quamuis ignorante beneficiario abſolutè dimittatur cum fructibus cognita ſimoniaca prauitate, nec regula triennalis aliquid expreſse decernit circà ipſum, ergo &c. Confirmatur, quia ex quo in regula triennalis poſſeſſionis ſecernitur ſimoniacus ingreſſus ſine vlla exceptione, & reſtrictione relinquuntur iura quoad ipſum in ſuo robore, quod habebant independentèr à tali regula, ſed independentèr à tali regula beneficia ſunt abſolutè dimittenda, quamuis fuerint collata ignoranti per ea, quæ ex allegatis iuribus ſuprà dicta ſunt, ſine vlla temporis reſtrictione, vel extenſione, ergo &c.

Priuilegia contrà ius commune ſunt ſtricti iuris. Immola. Cardinalis.

Relinquuntur iura in ſuo robore.

23 Aſſertio VII. Fructus, qui ſunt reſtituendi ex beneficio ſimoniacè accepto, ſunt conferendi, vel Eccleſiæ, in qua ſitum eſt beneficium, vel ſucceſſori in eodem beneficio, vel diſtribuendi, ſi fuerint fructus diſtributionum inter alios canonicos iuxtà conſuetudinem regionum, niſi fiat compoſitio cum ſacra pœnitentiaria, ſi ſimonia fuerit occulta, vel cum Dataria, ſi crimen fuerit manifeſtum *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 6. ad quartum. Nauarrus lib. 5. conſ. 6. de ſimonia, Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 31. num. 174.* Hæc aſſertio innititur conſuetudini, quæ conſtituit legitimum ius, cui propterea incumbendum, nec vlteriùs hac in re immorandum.

D. Thomas. Nauarrus. Leſſius.

PRONOTIO IX.

An penſiones ſimoniacè collatæ, aliaque officia ſint irrita.

SVMMARIVM.

Quomodò differant inter ſe beneficium, officium, perſonatus, & dignitas 1.

Penſiones in rigore non ſunt beneficium, niſi erigantur in titulum 2.

Collatio penſionis ſimoniacè facta non eſt ipſo iure irrita 3.

Electio ſimoniaca ad officia Religionum, Abbatis, Prepoſiti, Guardiani, Prouincialis, & Generalis non eſt ipſo iure irrita 4.

Collatio Auditoratus, & Clericatus Cameræ Apoſtolicæ ſimoniacè facta non eſt ipſo iure irrita 5.

Nec eſt irrita electio Inquiſitoris, nec Vicarij Generalis ſimoniacè facta 6.

Praſtimonia ſimoniacè collata ſunt ipſo iure irrita, ſi propriè, & rigoroſè ſumantur 7.

POſtquam egerimus de beneficijs recto ordine ad inueſtiganda ea procedimus, quæ quodamodò ſimoniacè concurrunt ad penſiones, aliaque officia, de quibus poteſt eſſe controuerſia, an ſint materia ſimoniæ, & primò erit diſputatio, an collatio penſionum ſimoniaca ſit irrita, & an ſit onus reſtitutionis eiuſdem, ſicuti eſt onus dimittendi, ſeù reſignandi beneficium Eccleſiaſticum, prout ſupra. Secundò, an valida ſit collatio Auditoratus, & Clericatus Cameræ Apoſtolicæ ſimoniacè facta. Tertiò, an item valida electio Inquiſitoris, & Vicarij Generalis Epiſcopi. Quartò, an valida collatio ſpiritualium officiorum Religionum, vt Prioratus, Abbatiæ, Generalatus, Prouincialatus, & ſimilium &c. Pro claritate

Proponuntur ea, circà quæ verſatur titulus.

1 Aduerte primò beneficium Eccleſiaſticum, officium, perſonatum, & dignitatem differre aliquomodò inter ſe; beneficium etenim eſt *ius per petuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis propter aliquod officium ſpirituale auctoritate Eccleſiæ conſtitutum.* Colligitur *ex Innocentio, & Hoſtienſi in cap. relatum 9. de prabendis. Ioannes de Silua de beneficijs quæſt. 1.* officium verò licet quandòq; ſit ius adminiſtrandi res Eccleſiaſticas cum iuriſdictione, vt videre eſt in Abbate, aliſque ſuperioribus Regularibus, eſt tamen quandòque ſine iuriſdictione, cum non coniungatur cum dignitate,

Innocentius. Hoſtienſis. Ioannes de Silua.

Vt

vt videre eſt in Sindicis, Procuratoribus, Gaſtaldis, de quibus eſt ſermo *in cap. ſaluator 1. quæſt. 2.* Perſonatus eſt quædam prærogatiua in Eccleſia ſine iuriſdictione, vt habere ſtallum honorificum in choro, in optionibus, proceſſionibus, & ſimilibus

Silueſter *Silueſter verb. Beneficium primo quæſt. 1.* Dignitas importat prærogatiuam cum iuriſ-

Archi-Diacon. dictione *c. Archi Diaconus cap. 1. de conſuetudinibus lib. 6.*

2 Aduerte ſecundò, quod ex eo, quod dictum fuerit beneficium Eccleſiaſticum *eſſe ius perpetuum percipiendi fructus ex rebus Eccleſiaſticis &c.* videatur propriè nomine

Penſio nõ eſt propriè beneficiũ. beneficij venire etiam penſio, quandoquidem etiam hæc confert ius percipiendi ex bonis Eccleſiaſticis &c. vnde ex hoc capite ea, quæ dicta ſunt de beneficijs, videntur hic congruè adaptanda; nihilominus, quia communior tùm Canoniſtarum, tùm Theologorum conſenſus a iuribus beneficiorum excludit penſiones, niſi fuerint in

Nauarrus. Vgolinus Suarez. Filliuc. titulum erectæ, *Nauarrus cap. 23. nu. 111. & conſil. 60. & 63. de ſimon. Vgolinus tab. 4. cap. 5. Suarez cap. 57. nu. 45. Filliucius tract. 45. cap. 13. quæſt. 8. nu. 23. verſ. 5. vt locum habeat*, ideo tribuit ſpecialem rationem controuertendi, an eadem penſiones cadant ſub diſpoſitione iuris irritantis beneficia, prout præcipuè habetur *in Extrauag. 2. in communibus de ſimonia.* Pro qua ſit

3 Aſſertio I. Collatio penſionis ſimoniacè facta non eſt irrita ipſo iure. Eſt communis omnium ferè Doctorum vltra præ-

Garzias. citatos in ſecundo notabili aduerſus. *Garziam de beneficijs in addit. ad primam part. cap. 5. num. 26.*

Probatur primò, quia lex irritans collationem beneficiorum, & inducens nullitatem præſcindendo a nullitate prouenien-

Leges pænales non ſunt extendendæ vltrà expreſſa. te ex natura rei propter iniuſtitiam, vt ſupra, eſt merè pænalis, ſed leges, ſeù diſpoſitiones pænales non extenduntur vltrà expreſsa, & in expreſſis comprehenduntur ſolum beneficia, ex quorum genere non ſunt penſiones quantumuis Eccleſiaſticæ, ſeù ex bonis Eccleſiaſticis, ergo &c.

4 Minor quoad ſecundam partem, in qua ſolummodò eſt difficultas, ſic euincitur, quia penſiones Eccleſiaſticæ ſecundum ſe, niſi ſint erectæ in titulum, non ſunt beneficia per ea, quæ ex allegatis Doctoribus ſupra notauimus, ergo non comprehenduntur ſub iuribus pænalibus irritantibus. Neque obeſſe poteſt id, quod afferebatur

Nõ quodlibet ius percipiendi fructus Eccleſiaſticos eſt beneficiũ. in ſecundo notabili, quod ſcilicet penſio conferat ius percipiendi fructus ex rebus ſpiritualibus, quod propriè indueit rationem beneficij; non, inquam, obeſſe poteſt, quandoquidem beneficium Eccleſiaſticum non ſolum importat ius percipiendi fructus ex rebus Eccleſiaſticis, ſed etiam, quod proueniat ex officio ſpirituali auctoritate Eccleſiæ conſtituto, quod non euenit in ſimplici penſione collata, vt per ſe patet.

Dices in iure non ſolum expreſſa eſt pæna irritans pro beneficijs collatis, ſed etiam pro quibuſcunque rebus Eccleſiaſticis ſimoniace collatis per ea, quæ haben-

Reſponſio ad text. in cap. ea, quæ 1. quæſt. 3. tur in textu *in c. ea, quæ 1. quæſt. 3.* ibi *Quidquid ergo vel in ſacris Ordinibus, vel in Eccleſiaſticis rebus, vel data, vel promiſſa pecunia acquiſitum eſt nos irritum eſſe, & nullas unquam vires habere cenſemus*, ergo &c. Sed

Bonacina. contra reſpondet primò *Bonacina quæſt. 7. punct. 2. num. 8. in reſp. ad obiectionem tertiam* adductum textum non intelligi de quibuſlibet rebus Eccleſiaſticis, ſed duntaxat de officijs Eccleſiaſticis habentibus adnexam adminiſtrationem ſpiritualem, quod idem

Suarez. ſentit *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 31. nu. 14.* Secundò, quia ſi ita latè ille textus eſſet in-

Garzias. terpretandus, vt contendit *Garzias d. cap. 5. n. 26.* non ſolum collatio penſionis eſſet irrita, vt ſimoniaca, ſed etiam quæcunque collatio rei ſpiritualis, quod eſt contrà ſuperius latè probata, vnde meritò dicit

Nauarrus. *Nauarrus in manuali cap. 23 num. 111.* quod quodamodò lata illa expreſſio *in d. cap. ea, quæ 1. quæſt. 3.* innitatur, & reſtringitur ad terminos *extrauag. 2. communis de ſimonia*, quæ ſolum loquitur de ſimoniaco in ordine, & in beneficio. Tertiò, quia vt teſtatur idem *Bonacina loc. cit. in tertia reſponſione ad tertiam obiectionem* ille textus *in d. cap. ea quæ* non eſt generalitèr quoad omnia in eo contenta vſu receptus.

Probatur ſecundò. Per ſimoniam commiſſam circa penſiones non incurritur ex-

Vgolin. Nauarr. Suarez. communicatio *Bartholomæus Vgolinus de ſimon. reali tab. 4. cap. 1. num. 3. Nauarrus lib. 5. de ſimonia conſ. 60. num. 2. Suarez lib. 4.*

Reginaldus. *de ſimonia cap. 57. num. 45. Reginaldus lib. 23. num. 181. Bonacina de ſimon. quæſt. 7. punct. 2. num. 22.* quæ incurritur per collationem ſimoniacam beneficiorum Eccleſiaſticorum, vt habetur *in extrauag. cum*

Silueſter. *deteſtabile de ſimonia, Silueſter in verb. ſimonia num. 19. quæſt. 19. verſic. tertia eſt excom-*

Tabiena. *municatio, Ioannes Tabien. eod. verb. num. 74. verſ. ſeptuageſimo tertio*, qui de communi ſententia teſtatur *in ſua ſilua opin. 724 nu. 5. & ſeqq.* ergo per eandem commiſſam circa

Simonia commiſſa circà penſiones non inducit excõmunicationẽ, quam tamẽ inducit ſimonia circa beneficia. penſionem quantumuis Eccleſiaſticam, non etiam redditur irrita illius collatio *ex vi d. extrauag.* Conſequentia probatur, quia, vt optimè aſſerit *Suarez loc. cit.* non eſt cenſenda penſio beneficium quoad vnam clauſulam pænalem, & non quoad aliam, nam vtraque hæc pæna excommunicationis ſcilicet, & irritationis eſt contrà collationem ſimoniacam beneficiorum Eccleſiaſticorum, ergo ſi non cenſetur bene-

ficium quoad excommunicationem, neque erit cenſenda tale quoad irritationem. Vlterius non immoror quoad hanc pænam excommunicationis, quia de ipſa ſermo erit infra vberius.

4 Aſſertio II. Electio ſimoniaca ad officia Religionum Abbatis, Prioris, Guardiani, Generalis, Prouincialis, & ſimilia non eſt irrita, nec inualida, *Nauarrus cap. 23. num. 111. verſ. 7. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 25. num. 437. Azorius tertia parte lib. 12. de ſimonia cap. 21. quæſt. 6. ad finem verſ. qua res, Bonacina de ſimon. quæſt. 7. punct. 2. num. 24. & ſeqq.* aduerſus *Caietanum verb. Excommunicatio cap. 72. Armillam eod. verb. cap. 59. Suarez d. lib. 4. de ſimon. cap. 57. num. 47. Reginaldum lib. 23. num. 181.* Sed immeritò pro noſtra ſententia citatur Leſſius à Bonacina, cum contrarium expreſſè aſſerat, vt patet legenti.

Nauarr. Leſſius, Azorius. Bonacina, Caietanus, Armilla, Suarez, Reginaldus.

Probatur, quià huiuſmodi officia non ſunt propriè, & in rigore beneficia Eccleſiaſtica, ergo, ſi ſimoniacè conferantur, non ſubſtant pænis, & nullitatibus, quibus ſubſunt beneficia ſimoniacè collata. Antecedens probatur, tùm quia beneficium debet eſſe cum perpetuitate reſpectu eius, cui confertur *cap. Sanctorum diſt. 70. cap. præcepta diſt. 85.* vt colligitur etiam ex definitione eiuſdem beneficij, qua dicitur *ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis &c.* cuiuſmodi non ſunt ex natura ſua officia regularia, vt per ſe patet, tùm quia illa officia Regularia non tribuunt ius percipiendi fructus, ſed ſolummodò de illis diſponendi in commodum Monaſterij licet ſimul, & ſemel importet commodum eiuſdem Prælati, tùm etiam quia Doctores contrariæ opinionis non renuunt concedere non eſſe propriè, & in rigore beneficia Eccleſiaſtica, ſed dumtaxat quoddam munus ſpiritualis regiminis *Caietanus verbo Excommunicatio cap. 75. Suarez tom. 5. de cenſuris diſp. 22. ſect. 5. num. 24. & diſp. 31. ſect. 4. nu. 45. Filliucius tract. 5. cap. 4. quæſt. 7. num. 87.* Conſequentia autem probatur, quia ſimonia ſolum inducit nullitatem in ordine, & beneficio, & cum huiuſmodi leges ſint pænales non ſunt extendendæ vltra expreſſa.

Officia Religionum non ſunt propriè beneficia Eccleſiaſtica.

Caietanus, Suarez, Filliuc.

Dices primò *in d. extrau. 2. inter communes de ſimonia,* mentionem etiam haberi de officijs Eccleſiaſticis in ordine ad has pænas, ergo, quamuis huiuſmodi officia non comprehendantur propriè ſub nomine beneficij Eccleſiaſtici, adhuc tamen ſub tali diſpoſitione nullitatis continentur. Sed contra, quia ſi habetur mentio etiam de officijs ſpiritualibus, nomine talium officiorum ſumpta latè ſignificatione veniunt ſolummodò beneficia per ea, quæ notant *Vgolinus tab. 4. cap. 5. Nauarrus in manu. cap. 23. num. 111. verſ. ad decimum tertium,* nec quidem gratis hoc aſſeritur, quandòquidem, vt bene notat *Bonacina quæſt. 7. §. 2. num. 4. verſ. ad primum* ex antecedentibus, & ſubſequentibus conijcitur, quod mens Pontificis aliò non collimarit, quam ad infringendam beneficiorum collationem, quod, ſi vſus fuerit nomine generico beneficiorum, hoc fuit, quia voluit comprehendere omnia beneficia in quocunque genere, ſiuè fuerint ſimplicia, ſiuè curata, ſiuè ſæcularia, ſiuè Regularia, cum aliquibus in locis huiuſmodi beneficia dicantur officia.

Nomine officiorum veniunt ſolummodò beneficia in illo textu.

Vgolin, Nauarrus, Bonacina.

Dices ſecundò textum *in d. extrauag. 2. de ſimonia* loqui generaliter ibi *Per electiones verò, poſtulationes, confirmationes, prouiſiones, ſeu quaſuis alias diſpoſitiones, quas ſimonia contigerit labe fieri, & quæ viribus omninò careant in Eccleſijs, Monaſterijs, dignitatibus, prioratibus, officijs Eccleſiaſticis, & quibuſuis beneficijs &c.* vbi nota, illud verbum, *in Monaſterijs, Prioratibus,* quæ certè indicant officia regularia, ergo &c. Sed contra, quia omnia ea, quæ ibi dicuntur, & numerantur, referuntur ad beneficia propriè, & in rigore ſumpta, quod clarè liquet ex vltimis allegatis verbis *officijs Eccleſiaſticis, & quibuſuis beneficijs,* vbi, cum vltimò loco ponantur beneficia, quæ ſtrictiora ſunt, quam officia, certum eſt, quod nomine officiorum ibi veniant ſolummodò reſtrictiuè ad rationem beneficij, cæteroqui verba vltimo loco poſita, ſcilicet *quibuſque beneficijs* non eſſet ampliatiua, quod eſt contra rectum loquendi ordinem. Ad id, quod aſſerebatur ex illis verbis. *In Monaſterijs, Prioratibus,* dicendum eſt importare beneficia regularia, quæ certè eſſe poſſunt in Regularibus, non quatenùs dicunt præciſè Rectoratum, Præpoſituram &c. ſed quatenus beneficia propriè ſumpta poſſunt eſſe aſſignata Regularibus, prout latè *Bonacina quæſt. 7. punct. 2. num. 24. verſ. Prior tamen ſententia.*

Verba vltimo loco poſita reſtringūt præcedentia.

5 Aſſertio III. Collatio Auditoratus, & Clericatus Cameræ Apoſtolicæ ſimoniacè facta non eſt irrita, nec inualida *Bonacina tract. de ſimonia quæſt. 7. punct. 2. num. 23. Abbas in cap. 1. Ne prælat. vic. ſuas, & ibi quoque Mar. Soc. Sen. Angelus in verb. ſimonia 2. num. 25. verſ. vndecimus caſus, Vgolinus de ſimonia tab. 1. §. 6. num. 3.* quibus in parte adhærere videtur *Suarez d. quæſt. 57. num. 48.*

Bonacina. Abbas. Socinus Sen. Angelus, Vgolin, Suarez.

Probatur primò eodem ratione, qua probata fuit præcedens aſſertio, huiuſmodi enim officia propriè, & in omni rigore beneficia non ſunt, quandòquidem licet conferant ius ad percipiendos aliquos fructus, illi tamen fructus non ſunt ex bonis Eccleſiaſticis, ſed ex alijs bonis per Pontificem aſſignatis per ea, quæ notat *Suarez*

Suarez.

lib. 4.

lib. 4. de ſimonia cap. 26. num. 28. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod huiuſmodi officia ſint dignitates primariæ in Romana Curia, & iuriſdictionem Eccleſiaſticam habeant, cum Auditores, & Clerici huiuſmodi excommunicent, abſoluant &c. non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem etiam prælaturæ Regulares præſeferunt illas prærogatiuas, nec tamen ſunt beneficia Eccleſiaſtica propriè ſumpta, quandòquidem non inſtituta ſunt, niſi in adiutorium Romani Pontificis aſſignatis per eundem certis ſtipendijs, vndè licet imitentur quodamodò rationem beneficij ratione iuriſdictionis annexæ per ea, quæ habet *Card. in Clem. auditor 3. col. de reſcriptis. Hoſtienſis in ſumma tit. de offic. ord. poſt princip. Specul. eod. tit. §. 1. num. 3. Gloſa in cap. Auditor de reſcript. in Clem. & Gloſa in cap. ne Romanus §. eod. in ver. expirare de elect. in clem.* propriè tamen talia non ſunt, quia, vt aſſerebam, emolumenta eorum non ſunt ex proprijs Eccleſiaſticis redditibus, ex quibus inſtituta ſunt beneficia, ſed ex alijs ſtipendijs, vel ſalarijs à Pontificibus deſignatis, ergo propter eandem rationem qua pænæ nullitatis non ſunt extendendæ vltrà beneficia propriè ſumpta arguitur, quod non ſint extendendæ ad huiuſmodi officia. Confirmatur ex communi Eccleſiæ praxi, ſecundum quam huiuſmodi officia conſueuerint vendi, nec tamen venduntur beneficia propriè ſumpta, ergo quia propriè, & in omni rigore beneficia non ſunt.

Ratio, cur clericatus, & Auditoratus non continentur inter beneficia.

Cardinalis. Hoſtienſis. Gloſa. Speculator.

Probatur ſecundò, quià collatio huiuſmodi officiorum quantumuis fiat mediante pretio non eſt propriè ſimoniaca, niſi ad ſummùm apparenter, ergo non eſt, cur debeat eſſe irrita. Antecedens probatur, quia in huiuſmodi officijs æquè ſunt ſeparabilia auctoritate Romani Pontificis iura à titulo, ſeù officio ſpirituali à iuribus ad temporalia emolumenta, ac ſint ſeparabilia in beneficijs propriè ſumptis, quæ ſeparatio præſumitur in huiuſmodi officiorum venditionibus, adeò vt pecunia, quæ pro ipſis præſtatur, non pro iuriſdictione Eccleſiaſtica collata exigatur, ſed pro emolumentis temporalibus, quæ ex ipſis dignitatibus percipiuntur, quod licitum aſſerit *Abbas in tit. cap. primo ne Prælati vices ſuas, & Angelus in verb. ſimonia 2. nu. 25.* Dixi, *auctoritate Romani Pontificis,* quià ſolus Pontifex has duas rationes poteſt ab inuicem ſeparare, non autem alius inferior ab ipſo iuxta textum *in c. cum pridem; & in c. fin. de pactis, & in d. cap. 1. ne Prælati vices ſuas,* nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem officia Eccleſiaſtica de iure communi ſunt conferenda ſine vlla diminutione, cui iuri inferiores ſubiecti ſunt, non autem ſummus Pontifex, qui poteſt eidem derogare iuxtà *cap. 1. & cap. fin. de conſtit. iunct. cap. propoſuit de conceſ. præb.* & per ea, quæ nos etiam ſuperius diximus.

Auctoritate Romani Pontificis ſeparantur ius ad prouentus à iure ad ſpiritualia.

Abbas. Angelus.

Aſſertio IV. Non eſt irrita electio Inquiſitoris, nec Vicarij Generalis ſimoniacè facta *Bonacina d. quæſt. 7. punct. 2. num. 23. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 49.*, & quidem de electione Vicarij Generalis Epiſcopi vix videtur eſſe poſſe ratio dubitandi, quandòquidem declinat propriè à ratione beneficij, cum non ſit, niſi quędam commiſſio pendens ex arbitrio delegantis, & per conſequens non eſt beneficium, cum hoc importet ex ſuo conceptu ius perpetuum percipiendi fructus &c. quidquid dixerit *Nauarrus d. cap. 23. num. 111. verſ. ad decimum tertium*, qui multa quidem, ſed meo videri inconſequenter congerit, & quidem primo aſſerit, quod ipſo iure talis contractus eſt nullus, & conſequentèr non acquirit talem vicariam, & ita tenetur illam relinquere, vt iuſtè pœniteat *arg. cap. ſi res 14. quæſt. 6.* Sed quomodò hæc, quæ hic dicit, cohærent cum præcedentèr dictis, quod ſcilicet talis vicaria beneficium non ſit, & quod nullitas ſolum inducatur per collationem beneficij ſtrictè ſumpta? Argumentum, quod deducit *ex cap. ſi res 14. quæſt. 6.* nihil euincit, quandòquidem ibi non eſt ſermo de vicaria temporali ſimoniacè collata, ſed de re aliena reſtituenda, quod non militat in collationibus omnibus ſimoniacis per ea, quę ſupra latè dicta ſunt. Secundò aſſerit, quod quamuis inualidè acquirat, ſeù potius non acquirat, non contrahat tamen excommunicationem latam *in d. extrauag. 2. inter communes de ſimonia*. Sed merito in hoc redarguitur à *Suarez d. quæſt. 57. num. 50.*, quià, ſi illud officium vicariæ temporalis non ſubiacet excommunicationi latæ *in d. extrauag. 2. de ſimonia*, ergo neque nullitati impoſitæ ex vi eiuſdem, quandòquidem propter id, propter quod infertur excommunicatio, fertur etiam nullitas; & ſi eſt beneficium quoad pænam annullationis, non poteſt non eſſe tale quoad pænam etiam excommunicationis, cum tam excommunicatio, quàm nullitas ſit propter ſimoniacam beneficij collationem. Quod ſi dicat *Nauarrus loc. cit.* irritationem conſurgere ex eo, quod contractus ſimoniacus ſit nullus propter textum *in cap. vlt. de pactis*; ſtatim impugnabitur; quià quamuis contractus ſit nullus in ratione emptionis, & venditionis, ſeù in ratione talis contractus, non ſequitur tamen, quod res collata non teneat, cum dependeat à voluntate conferentis, quæ quamuis ſit peccaminoſa, quià tamen eſt abſoluta in electione ad conferendum non eſt, cur vim non conferat col-

6

Bonacina. Suarez.

Vicariatus pēdet ab arbitrio Epiſcopi.

Nauarrus.

Confutātur nonnulla dicta Nauarri cōtrà aſſertum.

lationi quouſque non retractetur, nec a iure irritatur, quandòquidem hoc non loquitur, niſi de beneficijs propriè ſumptis; cæterùm ſi vim aliquam haberet inſtantia per Nauarrum adducta quælibet collatio rei ſpiritualis eſſet irrita, quod tamen à nullo admittitur. Tandem ad hominem contra eundem Nauarrum ſic inſurgo. In collatione ſimoniaca Vicariæ perpetuæ inducitur non ſolum excommunicatio, ſed etiam irritatio, quia eſt propriè beneficium per ea, quæ habet *in d. cap. 23. num. 111. verſ. ad decimum tertium in fine*, ergo ſi in collatione ſimoniaca Vicariæ temporalis non incurritur excommunicatio, quià non eſt beneficium, nec dicendum eſt incurri irritationem, vel ſi incurritur irritatio, quia eſt beneficium, dicendum etiam eſt incurri excommunicationem, quæ æquè lata eſt contrà committentes ſimoniam in beneficio, ac ſit lata irritatio.

Officium Inquiſitoris non habet annexam iuriſdictionem ordinariam.

Probatur iam aſſertio quoad primam partem, quia officium Inquiſitoris nec eſt propriè beneficium, nec habet annexam iuriſdictionem ordinariam, ſed tantum delegatam, ergo non cadit ſub iuribus irritantibus beneficiorum ſimoniacam collationem. Antecedens quoad primam partem probatur, tùm propter communem acceptionem beneficij, in qua ex communi vſu non comprehenditur officium Inquiſitoris; tùm quia ſecundum ſe non confert ius ad percipiendos fructus ex bonis Eccleſiaſticis, ſed ad ſummum per accidens; quoad ſecundum verò late admittitur ab *Emerin. in tertia parte directorij quaſt. 4.* cuius ſententia communis eſt apud omnes, vt fatetur *Penna comment. 57.* atque idem afferit *Suarez. d. lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 49. in fin.* Deindè dato etiam, quod annexam haberet iuriſdictionem ordinariam, non propterea ſequitur, quod eſſet propriè beneficium, quandò quidem etiam Prælaturæ Regularium habent annexam iuriſdictionem ordinariam, nec tamen ſunt propriè beneficium per ea, quæ ſuprà diximus, quia ſunt amouibiles, & licet Inquiſitorum munus ſæpiùs ad vitam perduret, non eſt tamen tale, quin poſſit ad vitam reuocari.

Excluditur officiũ Vicarij Generalis Epiſcopi.

Probatur quoad ſecundam partem, quià Officium Vicarij, quantumuis Generalis eſt commiſſio dependens ſolummodò ex voluntate delegantis, eſtque ex natura ſua remouibile, ergo non eſt propriè beneficium, de cuius natura eſt, vt ſit cum perpetuo iure conſequendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis. Deindè emolumenta, quæ ipſi aſſignantur per Epiſcopum eligentem, ſeù delegantem non eſt ex bonis Eccleſiaſticis, ſed ex ſtipendijs, ſeù ſalarijs aliundè ipſi deputatis, ergo, cum non ſit propriè beneficium non comprehenditur ſub pænis *d. Extrauag. 2. de ſimonia*.

7 Aſſertio V. Præſtimonia ſimoniacè collata ſunt ipſo iure nulla, ſi propriè, & rigoroſè ſumantur *Suarez. lib. 4. de ſimonia cap. 25. Bonacina d. tract. de ſimon. quaſt. 7. punct. 2. num. 23. & alij magis communiter*. Dixi, *ſi propriè, & rigoroſè ſumantur*, nam ſunt quædam, quæ non ſunt propriè præſtimonia, niſi denominatiuè, cuiuſmodi ſunt illa, quæ quandòque aſſignantur Laicis, quæ potius ſunt dicenda penſiones laicales, quam præſtimonia Eccleſiaſtica. Rurſus adhoc, vt ſint propriè talia, debent eſſe coniuncta cum aliquo titulo ſpirituali, non quatenus præcisè conferantur, & ſint conferenda habentibus ſaltem primam tonſuram, quia hæc ſolummodò eſt conditio requiſita ad hoc, vt præſtimonia poſſint illi conferri, non autem titulus, ratione cuius illi conferantur, vt videre eſt in eo, qui inſtituerat certas penſiones ad alendos pauperes Clericos in ſtudio, vt poſſint poſtea Eccleſijs commodè inſeruire, quæ certè penſiones, quamuis ex diſpoſitione inſtituẽtis non eſſent aſſignabiles, niſi Clericis tonſuratis, non propterea tranſirent in natura præſtimoniorum propriè ſumptorum, cum non perciperentur ratione alicuius tituli, ſeù officij ſpiritualis. Meritò igitur dicet *Suarez. lib. 4. de ſimonia cap. 25. num. 3.*, vt propriè ſint talia debere coniungi cum aliquo titulo ſpirituali, qui conſtituitur ex obligatione, quam aſſumunt ij, quibus talia præſtimonia præſtantur, recitandi canonicum officium, vndè merito dixit D. Thomas, quod præſtimonia dantur habenti clericale officium, quod importat quid magis, ac importet hoc, quod eſt habere clericalem tonſuram

Bonacina. *quid propriè ſint præſtimonia, & quid requirant, vt ſint talia.* *Suarez.*

Probatur, quia præſtimonia iuxta ſenſum expoſitum accepta ſunt ſimpliciter beneficia *Hoſtienſis in cap. poſtulaſti de reſcriptis num. 9. & 10. Oldrad. conſ. 81. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 25. num. 2. & ſeqq.*, & conſonat ratio, quandòquidem inuoluit ius perpetuum percipiendi fructus dependenter à clericali officio, ergo propriè comprehenduntur *in d. Extrauag. 2. de ſimonia*, quæ loquitur de omnibus, & quibuſcunque beneficijs quantumuis ſimpliciſſimis Ibi *In Eccleſijs, Monaſterijs, Dignitatibus, Prioratibus, officijs Eccleſiaſticis, & quibuſuis beneficijs*, quod autem dicit omnia in tali genere nullum excludit.

præſtimonia propriè ſumpta ſunt beneficia. *Hoſtienſis.* *Oldrad.*

PRÆ-

PRÆNOTIO X.

An pæna irritationis in collatione beneficij ſimoniaca locum habeat in conuentione ſimoniaca ſemireali ex parte beneficij conſecuti, non pretij traditi.

SVMMARIVM.

Collatio per ſimoniam conuentionalem non eſt ipſo iure irrita, nec inualida 1.

Verificatur ſiuè non fuerit completa conuentio ex parte collatoris beneficij, ſiuè ex parte promiſſoris pretij 2.

Collato beneficio, & nondum pretio conuento perſoluto, ſi poſteà hoc perſoluatur irritatur collatio 3.

Per complementum ſimoniæ factum poſteà per ſolutionem pretij non redditur irrita collatio ab initio, nec retrotrahitur ad diem collationis, quantum eſt ex rigore iuris 4.

Si beneficiarius acquiſito beneficio per ſimoniam conuentionalem nondum perſoluto pretio aliud beneficium acquiſierit vitè, & poſteà ſoluerit pretium pro primo ſtando in rigore iuris. ſecundum non amiſit, quin immò nec ſtante ſtilo Curiæ Romanæ 5.

HActenus locuti fuimus de ſimonia reali in beneficijs ex vtraque parte completa. Nunc de ſimonia conuentionali, & ſemireali ſolummodò eſt agendum, quatenùs quidem facta fuit conuentio de traditione pretij pro beneficio, cuius conuentionis vigore beneficium quidem collatum eſt, non autem pretium in conuentione deductum perſolutum. Iuxta hunc ſenſum igitur in hac prænotione diſcutietur primò, an talis collatio etiam actualitèr pretio non interueniente ſit ipſo iure nulla. Secundo ex ſuppoſitione, quod non ſit nulla, an poſtea irritetur, ſi proceſſu temporis pretium promiſſum in conuentione collationis poſtea perſoluatur. Tertiò item ex ſuppoſitione, quod poſteà irritetur per ſolutionem pretij primo promiſſi, an irritatio retrotrahatur ad punctum conuentionis, & collationis ſimoniacæ, an verò dumtaxat incipiat vim habere à puncto, ſeù die ſolutionis poſitæ.

Variæ rationes dubitandi circà expoſitũ titulum.

Procedit difficultas non de iure naturæ, de quo latè ſuprà dictum eſt, ſed dumtaxat de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, & præcipuè ex vi *d. extrauag. 2. inter communes de ſimonia*, quæ videtur irritare quamcunque prouiſionem ſimoniacam, & quidem principaliùs videtur reſpexiſſe ad ſimoniacam prauitatem ex parte beneficij collati, quæ vtique in data ſuppoſitione completa ſupponitur, nec certè fuiſſet poſita, ſi pretium illud in ſimonia conuentionali non fuiſſet promiſſum; nec excuſari poſſe videtur ex eo, quod actu externo ex parte recipientis non ſit conſummata, quandòquidem collatio fuit poſita per conuentionem externè, non purè mentalitèr poſitam, quæ vtique punibilis eſt per Eccleſiam. Nihil ominus ſit

Procedit difficultas de iure Eccleſiaſtico.

Aſſertio I. Illa collatio per ſimoniam conuentionalem modo expoſito non eſt ipſo iure irrita, nec inualida. *Nauarrus cap. 23. num. 104. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 51. Caſſadorus deciſ. 5. de conſtit. Gomez in reg. de triennali quæſt. 12. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 27. num. 149. Vgolinus de ſimonia tab. 1. cap. 5. Couarruuias reg. peccatum ſecunda part. §. 8. num. 7.* aduerſus *Sotum lib. 9. quæſt. 8. art. 1. Caietanum, Paludanum, & alios.* 1

Nauarr. Suarez. Caſſadorus. Gomez. Leſſius. Vgolin. Couaruu. Sotus.

Probatur primò, quià leges pænales conſtitutæ contrà aliquod delictum non intelliguntur afficere delinquentes, niſi delictum ſit conſummatum, vbi aliud non exprimatur iuxtà regulam generalem, quod odia ſint reſtringenda, non amplianda, ſed ſimonia conuentionalis non completa per traditionem pretij conuenti non eſt ex omni parte conſumata, nec *in d. extrauag. 2. de ſimonia*, nec alibi reperitur expreſſum, quod irritatio etiam incurratur delicto ſimoniaco non completo ex vtraque parte, ergo irritatio, quæ ex ſuperius allegatis inducta eſt per ius canonicum in pænam ſimoniacæ prauitatis, non eſt extendenda ad ſimoniam conuentionalem, quantumuis in beneficio non completam per actualem pretij traditionem.

Pæna ſtat cõtra delictũ conſummatũ.

Probatur ſecundò, quià per ſimoniam conuentionalem in beneficio non completam ex parte eius, qui pecuniam promiſit non incurritur excommunicatio lata *in d. extrauag. 2.* per ea, quæ latè admittunt, & probant *Nauarrus in cap. 23. num. 104. Leſſius d. cap. 35. cap. 27. & alij omnes ſuprà citati in aſſertione*, ergo nec incurritur irritatio ipſo iure. Conſequentia probatur, quià eodem iure inducitur excommunicatio, ac irritatio; & eodem modo exprimitur, non enim dominij irritatio ſolo iure diuino inducitur, ergo, ſi non incurritur excommunicatio, quandò ſimonia ex vtraque parte completa non eſt, nec incurretur irritatio eadem non completa. Confirmatur, quià *in d. extrauag. 2.* exprimitur actualis datio, & acceptio, non conuentio præcisè de dando, & accipiendo ibi: *Qui conuentione facta quomodolibet dando, vel accipiendo ſimoniam commiſerint*, ergo per ſolam actualem traditionem, & receptionem incurruntur pænæ ibi latæ; Neque dicas, potius per allegatum textum

Per ſimoniam conuentionalem non completã, nõ incurritur excommunicatio.

Nauarrus. Leſſius.

expri-

exprimi incurri ſimoniam, & nullitates, pœnaſque ex ea conſequentes etiam ipſa completa ex vna tantum parte, quandoquidem ibi dicitur, quod incurrantur huiuſmodi pœnæ *facta conuentione dando, vel accipiendo*, quod non importat vtrumque copulatiuè, ſed vnum, vel alterum ſub diſiunctione, quod certè verificatur in caſu, de quo loquimur, in quo ſupponitur, quod beneficiarius beneficium receperit; contrà enim impugnaberis, quia per allatas particulas ſolum infertur, quod vterque contrahens ſub illis diſpoſitionibus pœnalibus comprehendatur, ſi fuerit delictum ex vtraq; parte conſummatum, vndè dicitur, quod, vel dando, quod ſe tenet ex parte ſoluentis pretium, & recipientis beneficium, vel accipiendo, quod ſe tenet ex parte recipientis pretium, & conferentis beneficium, pœnæ huiuſmodi incurrantur, quod eſt idem, ac dicere vno verbo, quod ſiue ſit recipiens, ſiuè tradens incurrat pœnas ibi comminatas; nec per ea verba inducitur, quod æque contrahatur excommunicatio, & nullitas, ſiuè ſit completa ſimonia per vnam tantum partem, vel per alteram, tantum, non per vtramque.

Reſpicit vtrumq; contrahentem.

Probatur tertiò, ex ſtilo Curiæ Romanæ, qui facit ius *cap. ex literis de conſtit. cap. quam graui de crimin. falſ. Nauarrus in cap. ſi quando de reſcript. in except. 4. num. 3.* de quo ſtylo planè teſtantur *Caſſadorus in deciſ. 5. de conſtit. Gomez in reg. Cancellariæ de triennali quæſt. 12. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 57. num 51. Bonacina quæſt. 7. punct. 2. num. 25.* quod non intelligantur huiuſmodi pœnæ appoſitæ, quandò ſimonia eſt dumtaxat ſemirealis.

Nauarrus. Caſſadorus Gomez. Suarez. Bonacina.

Hic non poſſum acquieſcere Caietano *ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 6. ad ſextum, & in ſumma verb. ſimonia, & Soto lib 9. quæſt. 9. art. primo de iuſtitia, & iure* aſſerentibus, quod, quandò ſimonia completa eſt ex parte transferentis pretium, & non ex parte conferentis beneficium, non incurrantur huiuſmodi pœnæ; incurrantur autem, quandò eſt completa ex parte transferentis beneficium, & non ex parte contribuentis pretium, qui multiplici ad id aſſerendum ratione mouentur, & primò, quia iuxta mentem D. Thomæ ſimonia eſt conferre beneficium cum onere obſequiorum futurorum, adeòque etiam cum onere pretij in futurum ſoluendi. Secundò, quià ſimonia eſt contractus in genere emptionis, & venditionis, cum propriè definiatur, *quod ſit ſtudioſa voluntas emendi pro pretio temporali rem ſpiritualem*, ſed emptio, & venditio eſt perfecta tradita re empta, quamuis pretium nondum ſit perſolutum, ergo &c. Non, inquam, poſſum acquieſcere, ſiquidem, cùm contractus hic ſit vltrò, citroque obligatorius, ſi non eſt completus, quandò traditum eſt pretium ex parte ſoluentis, non collatum ex parte recipientis beneficium, nec videtur completus, quandò non eſt traditum pretium, quamuis ſit collatum beneficium, pręcipuè cum verſemur in diſpoſitionibus pœnalibus, quæ exigunt ex omni parte complementum delicti. Ad primam rationem, quæ adducitur ex D. Thoma non renuo concedere eſſe ſimoniacam illam collationem beneficij cum onere futurorum obſequiorum, quandòquidem etiam eſt ſimoniaca collatio purè mentalis per ea, quæ latè ſupra diximus paritate deſumpta ab vſura purè mentali, & infrà vberius dicemus, nego tamen illam eſſe per allegatas pœnas punibilem, cum non perueniat ad illud complementum, ad quod reſpiciunt iura in inflictione huiuſmodi pœnarum. Ad ſecundam dico, admitti poſſe, quod ſimoniaca conuentio ſit in genere emptionis, & venditionis, quamuis ex ſuperius dictis in prima prænotione poſſit committi in alio genere contractus, ſcilicet permutationis. Sed quid inde? Ex hoc potius infero, quod, ſicuti dicitur emptio, & venditio completa, quandò res eſt tradita, & pretium nondum perſolutum, ità etiam ſit completa, quandò eſt perſolutum pretium, & res nondum tradita, & ſic vt optimè infert *Nauarrus d. cap. 23 num. 104.* aduerſus *Sotum loc. cit.* vel in vtroque caſu incurrentur pœnæ, vel in neutro, quod eſt contra præcitatos doctores. Quod, ſi vlterius pro ipſis inſtes, quod contractus emptionis, & venditionis ſit ex illis, qui ſolo conſenſu perficiuntur, adeòque, quod a fortiori ſit perfectè completus, quandò ex altera parte facta fuit traditio; ſtatim impugnaberis primò, quia hoc pacto etiam incurrerentur omnes pœnæ contra ſimoniacos in beneficio comminatæ, quamuis ex neutra parte per traditionem eſſet completus contractus, quod eſt contrà ipſam mentem aduerſariorum. Secundò, quià quamuis ſit completus contractus per conſenſum, dominium tamen non intelligitur translatum, niſi per traditionem, quia traditionibus, & vſucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur, pœnæ autem, vt exequantur, non ſolum exigunt complementum intrinſecum contractus per conſenſum, ſed etiam extrinſecum per translationem dominij rerum cadentium ſub contractum. Fateor tamen, principalius compleri ſimoniacam prauitatem ſuppoſita conuentione de pretio conferendo per traditionem beneficij ſine actuali pretio, ac per traditionem pretij ſine actuali collatione beneficij; quia tamen ſine vtriuſque traditione actuali non eſt vſque-

Æquè nõ eſt cõpleta ſiuè nõdum fuerit beneficium collatũ, ſiuè non traditũ pretium.

Principalius completur ſimoniaca prauitas per traditionẽ beneficij.

qua-

quæque completa non inducit pænas, quæ exigunt complementum adæquatum nihilo referente, quod vel per vnum, vel per alterum ſit magis, vel minùs principalitèr completum, quotieſcunq; etenim contractus non eſt ex omni parte completus, non eſt obnoxius pænis impoſitis contrà ipſum.

Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, patet quid reſpondendum ſit ad id, quod afferebatur in principio prænotionis *verſ. procedis difficultas*; patet, inquam, quia quamuis ſimoniaca prauitas per illam conuentionem non ſit purè mentalis, cum per illam fiat externa, arguitur quidem, quod ſit punibilis per Eccleſiam, non autem, quod actu fuerint, vel ſint inductæ pænæ contrà illam, vndè optimè aduertit *Nauarrus in d. cap. 23. num.* 104. quod grauiſſimum Rotæ Pretorium propter talem ſimoniam conuentionalem ſemirealem in beneficio quandòque ipſum beneficiarium ſimoniacum priuauerit, non tamen declarauerit ipſo iure priuatum ex diſpoſitione iuris, cum ius hoc non exprimat, nec de tali expreſſione alicubi conſtet.

Nauarr. Simonia conuentionalis eſt quidem punibilis, hactenus tamen no ſunt inductę pænę.

§ Aſſertio II. Si beneficium per ſimoniam conuentionalem ſemirealem fuerit collatum, & non traditum pretium conuentum, & hoc poſt lapſum temporis iuxtà conuenta poſtea perſoluatur, redditur per talem pretij traditionem irrita, ſeù irritatur collatio beneficij, adeò vt tunc incipiat obligari in conſcientia, & ipſo facto ad dimittendum beneficium nulla expectata condemnatione. In hanc aſſertionem propendent ferè omnes Doctores tùm Theologi, tùm Canoniſtæ *Suarez lib. 4. de ſimonia cap.* 57. *num.* 53, qui teſtatur de communi.

Suarez.

Probatur primò, quià collatio beneficij ſimoniacè facta, & ex vtraque parte completa eſt ipſo iure irrita ex diſpoſitione *dicta Extrauag. 2. inter communes de ſimonia*, vt latè ſupra probauimus, ſed quandò ſimoniaca collatio conuentionalis adimpleta per vnam tantum partem completur etiam per aliam partem per ſolutionem ſcilicet pretij ſit propriè realis, & vſquequaque conſumata, ergo &c. Minor probatur, quià tunc propriè eſt ſimonia realis, vt diſtincta a conuentionali, quandò ex vtraque parte id, quod conuentum eſt, traditur, ſeù traditum eſt per ea, quæ ſupra dicebamus, dum de diuiſione ſimoniæ *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimonia Prænot. 1. & ſecunda*; importat enim ſolummodò traditionem ſupra conuentionem.

Per collationē pretij poſtea factam ſimonia conuentionalis tranſit in realē.

Dices, contractus validus in ſua radice non poteſt per ſubſequentèr aduenientia irritari, ergo per pretium ſubſequentèr ad tempus collationis ſolutum, ſi antecedentes contractus ex vi collationis talis tenebat, non redditur inualidum. Antecedens probatur varijs exemplis, & inductionibus, & primò in matrimonio contracto ſine vllo impedimento in celebratione ipſius, cui, ſi ſuperueniat aliquod impedimentum ſecundum ſe irritans, puta impedimentum impotentiæ, non redditur irritum. Secundo in contractu emptionis, & venditionis, qui, ſi fuerit validus in ſui origine, non deprauatur quoad ſubſtantiam, quamuis rei venditæ ſuperueniat vitium quoad ſubſtantiam, & ſic de alijs. Conſequentia probatur, quia antecedentèr ad ſolutionem pretij ex dictis in præcedenti aſſertione collatio quantumuis conuentionalitèr ſimoniaca ſubſiſtebat, ergo per ſuperueniens pretium non debet reddi irrita. Sed contra reſpondet in primis Nauarrus, talem collationem conuentionalem ante ſolutionem pretij in ſua origine nec fuiſſe validam, nec inualidam, ſed remanere pendentem à futuro euentu, adeò vt, ſi poſteà ſoluatur pretium conuentum, ſit inualida, ſi non ſoluatur, ſit valida. Sed non facile acquieſco huic reſponſioni; nam accipio v.g. primum inſtans collationis poſitæ beneficij, & quæro, an pro illo inſtanti fuerit valida, nec ne? non enim poteſt præſcindere ab vtroque, cum ex duabus propoſitionibus contradictorijs pro eodē inſtanti de eodem obiecto ſecundum eaſdem circūſtantias altera debeat eſſe determinatè vera, altera determinatè falſa, nec vtraq; poſſit eſſe ſimul vera, & ſimul falſa per ea, quæ communitèr docent Phyloſophi in lib. Perjermenias Ariſtotelis, & Theologi in primam partem D. Thomæ in quæſtionibus de præuio concurſu Dei ad actus liberæ voluntatis humanæ, & in quæſtionibus de prædeſtinatione; ſi dicatur, quod fuerit valida adhuc viget inſtantia; ſi verò dicatur, quod fuerit inualida; iam corruunt ea, quæ diximus in præcedenti aſſertione ex mente eiuſdem Nauarri. Ad id, quod ſubditur de illa pendentia à futuro euentu omninò gratis aſſeri dicendum eſt, nec vim aliquam habere ad infrigendam inſtantiam; nam vel illa collatio pendere dicitur a conditione futuri euentus quoad ſubſtantiam, & tunc antecedentèr ad euentum talis conditionis perinde eſt, ac ſi non eſſet facta, ac proindè eſt inualida; collatio enim non facta, & inualida quoad effectum idem ſunt, vel pendere dicitur à tali conditione quoad effectum, quatenus eſt obnoxia nullitati, ſi pretium poſteà ſoluatur, & tunc quidem à principio erit valida, ſed infirma, quatenus poſteà eſt retractabilis ipſo facto interueniente complemento per ſolutionem. Quamobrem reſpondeo, ſolutionem huius inſtantiæ potiſſimum pendere ex ijs, quæ dicentur in

Refellitur dictū Nauarri aſſerentis pro tempore, pro quo pretium non eſt ſolutū, collationem, nec validam eſſe nec inualidā.

ſub-

Google

ſubſequenti aſſertione. Interim dicatur eſſe quidem validam antecedentèr ad talem ſolutionem, ſed ab ipſa ſua origine habere hanc infirmitatem inditam ratione ſimoniacæ prauitatis, vt ſit irritabilis ipſo iure, ſi ponatur complementum ex parte recipientis, per quod tranſeat in eſſe reale. Exempla, quæ adducuntur in confirmationem inſtantiæ non ſunt ad rem, quia non habent in ſua origine illam infirmitatem, nec rationem retractabilitatis, cum fiant abſolutè, nec vlla inſit peruerſitas in tali contractu ex parte contrahentium, cui ex diſpoſitione iuris ſit annexa talis retractabilitas.

Ab initio eſt valida, ſed habet annexum, vt ſit irritabilis, ſi ponatur complementum.

Probatur ſecundò ex communi ſtilo, & conſueto Curiæ Romanæ, qui habet eaſdem collationes per ſuperueniens pretium, vt irritas, prout teſtatur *Nauarrus d. cap. 23. num. 104. Suarez. lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 53. & alij magis communitèr*, qui ſtilus per ea, quæ ſupra allegauimus ex iuribus, & Doctoribus ibi citatis habet vim legis.

Nauarrus. Suarez.

4 Aſſertio III. Per complementum ſimoniæ realis inductum per ſolutionem pretij conuenti nec irritatur ab initio collatio, nec, quantum eſt ex rigore iuris, retrotrahitur irritatio, quæ ſuperuenit, ad diem commiſſi delicti, donec condemnetur *Nauarrus d. cap. 23. num. 104. verſ. non ignoro, Bonacina d. quæſt. 7. punct. 2. num. 25. verſ. hinc ſequitur*, & Suarez *d. cap. 57. num. 6.* aſſerit graues modernos Doctores docere hunc ſimoniacum conuentionalem, quamuis proceſſu temporis ſoluat pretium conuentum, non teneri in conſcientia ad reſtituendos fructus ante ſolutionem pretij perceptos.

Nauarrus. Bonacina. Suarez.

Probatur aſſertio primò, quià ex ſuperius dictis prouiſio ſimoniaca non irritatur, niſi per ſimoniam realem ex vtraque parte completam, ſed antecedentèr ad ſolutionem pretij factam per ſimoniacum beneficiarium ſimonia non erat realis ex vtraque parte completa, ergo pro illo tempore prouiſio illa non redditur irrita, ſed dumtaxat pro tempore ſubſequenti. Maior clarè liquet ex ſupradictis. Minor etiam non indiget probatione, quià ſimonia tunc tantum eſt realis, quando ſupra conuentionem addit traditionem ex vtraque parte, nec ſufficit, quod ordinetur ad traditionem, quandoquidem verificaretur, quod quæcunque collatio ſimoniaca conuentionalis ſemper eſſet realis, cum ſecundum ſe ſemper ordinetur ad complementum conuentum. Confirmatur quoad idem, quià beneficiarius ille pro tempore antecedenti actualem ſolutionem pretij per ſe ipſum factam tuta conſcientia beneficium illud retinet per ea, quæ ex communi ſententia ſuprà dicta ſunt, ergo verè poſſidet tanquam ſuum, quia rem non ſuam non poteſt tuta conſcientia retinere, adeòque valida fuit collatio, cum quis non faciat beneficium ſuum, niſi per collationem. Rurſus pro illo tempore antecedenti facit fructus ſuos, illudque beneficium, quod recepit, poteſt in manus Pontificis reſignare in fauorem alterius, ergo quia per talem collationem validè percepit; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod cum illa collatio fuerit in ſua radice infecta propter ſimoniacam prauitatem, qua facta fuit, non conferat, nec conferre poſſit ius ad detinendum beneficium, & ad faciendos fructus ſuos; non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem ex ſupra dictis ex communi conſenſu illa ſimoniaca prauitas non reddit illam collationem inualidam, licet retractabilem ipſo iure adueniente caſu ſolutionis, & ſic licet inficiat, non tamen perimit in ſua origine.

Non eſt ſimonia realis, niſi quando adimpleta eſt ex vtraque parte.

Simonia conuentionalis inficit, quando complementum ponitur, non irritat in ſua origine.

Probatur ſecundò quoad illam negationem retroactionis, quia ex vno capite illa collatio in ſua origine ſubſiſtens eſt, nec perimitur, niſi adueniente caſu ſolutionis pretij, ex alio nullus adeſt textus aſſignabilis, per quem inducatur illa retroactio irritationis, & nullitatis, ergo, cum verſemur in diſpoſitionibus pænalibus, non debemus huiuſmodi penam vltrò extendere ad id, ad quod iura non extendunt.

Non eſt ratio, nec ius, cur debeat retrotrahi irritatio.

Dices ex ſuperius dictis, quandò collatio facta eſt ſimoniacè quidem, ſed ignorante beneficiario, quatenùs alius ab ipſo pro ipſo ignorante ſimoniam commiſit refundendo pretium in collatorem, inualiditas collationis non incipit præcisè a die cognitionis commiſſi delicti, ſed retrotrahitur ad diem eiuſdem collationis per ea, quæ fusè ſuperius dicta ſunt, adeò vt beneficiarius teneatur fructus reſtituere, quos percepit etiam antecedentèr ad tempus cognitionis, ergo etiam quandò collatio facta eſt ſolummodò ſimoniacè conuentionalitèr, ſi poſtea fiat realis per ſolutionem pretij conuenti, inualiditas eiuſdem collationis retrotrahenda eſt ad diem eiuſdem collationis, non reſtringenda ad diem ſolutionis pretij. Sed contra, neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod collatio beneficij in primo caſu, cum in ſua origine ſit realis, eſt etiam ex diſpoſitione iuris expreſſi inualida, & omnino irrita ipſa Eccleſia in eadem origine ſuſpendente translationem dominij, vndè in eo caſu ſimoniacus beneficiarius non dicitur beneficium poſſidere, ſed dumtaxat detinere, cum aliud ſit poſſidere, aliud detinere per ea, quæ diximus *tom. primo ſub tit. Contractus I. Prænot. 2. num. 16.* in ſecundo autem caſu, de quo hic loquimur,

Argumentum contra aſſertum, eiuſque impugnatio.

colla-

collatio in ſua origine, cum non ſit realis, non eſt irrita, adeòque non eſt, cur irritatio ad illud tempus retrahatur, cum pro illo tempore antecedenter ad ſolutionem poſitam non ſolum beneficium detinuerit, ſed etiam legitimè poſſederit per ea, quæ antecedenter dicta ſunt. Dici etiam poteſt, & fortè clarius, quod in primo caſu ſit expreſſa diſpoſitio iuris irritantis ab initio, ſeù retrotrahentis irritationem ad illud tempus collationis; in ſecundo autem nullibi eſt expreſſio talis diſpoſitionis, adeòque &c.

Varia rationes, & paritates, quas adducit Leſſius.

Ad euincendam talem irritationis retrotractionem multa congerit exempla *Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 27. num. 152. verſ. hoc explicari poteſt*; & primò in contractu Emphytheutico, in quo lata eſt pœna delicti commiſſi, ſi penſio per triennium non fuerit perſoluta, & tamen eodem elapſo triennio, & nondum perſoluta penſione perſeueret emphytheuta in dominio vtili, quouſque directus ſe declararit velle eum recidiſſe in commiſſum, & tunc ipſa pœna caducitatis non ſolum vim habet à die declarationis, ſed etiam à die commiſſi delicti immediatè poſt triennium per ea, quæ latè à nobis etiam dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus IV. de emphyt. & cenſib. Prænot. 7. nu. 10. ex alterum planto*. Secundò in excommunicatione lata contra beneficiarium non ſoluentem penſionem ipſi impoſitam tempore conuento, quæ tamen non incurritur, niſi penſionarius ſe declararit, eum velle incidiſſe, quæ declaratio, ſi poſtea ponatur, facit excommunicationem vim habere non ſolum à die declarationis, ſed etiam à die ſolutioni[illegible]endæ, & non poſitæ *Nauarr[illegible] [illegible]p. 23. num. 104.* [illegible] *penſionibus*. Tertiò in *Gigas quæſt. 77* [illegible]gati, quod, ſi venditum fuerit venditio[illegible] [illegible]de, & legatarius ipſum repudiet ab h[illegible] [illegible]et venditio, ſi verò legatarius illud ve[illegible]it ſibi tradi, non tenet ab initio venditio, ac ſi non fuerit facta *l. quadam ſunt ff. de reb. dub.* Sed facilè ab his omnibus poſſem me expedire, aſſerens, quod ſi dicta in allatis exemplis ſubſiſtant, habeant expreſſam diſpoſitionem in iure, quæ expreſſio non eſt in pœna irritationis quoad collationem conuentionalem beneficij, quæ proindè non eſt extendenda, quod ſatis eſt ad illudendam mentem Leſſij. Deinde id, quod primo loco aſſerit de contractu Emphytheutico non eſt abſolutè verum per ea, quæ latè dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus IV. de Emphytheuſi, & Cenſibus Prænot. 7. num. 11.*, quæ ibi recole. Id, quod ſecundo loco dicit, eſt longè quid diuerſum à caſu, de quo hic loquimur, quandòquidem ipſa excommunicatio, cum ſit latæ ſententiæ, afficit non ſoluentem à tempore, pro quo non ſoluit; nullitas autem collationis ſimoniacæ non eſt inducta, niſi à tempore, quo ex conuentionali fit realis per ea, quæ ſuprà diximus, adeòque &c. Illud, quod tertio loco apponit, non facit etiam ad rem, quià venditio illa in ſua origine non eſt ſubſiſtens, cum ſit venditio rei alienæ contrà voluntatem Domini, quæ tunc dignoſcitur, quandò petit rem legatam ſibi tradi; beneficium autem in ſua origine eſt validum, adeòque &c.

Solutiones earumdem.

Nauarrus.

Dixi, *quantum eſt ex rigore iuris* propter *Nauarrum d. cap. 23. num. 104. Suarez d. quæſt. 57. num. 56. & alios* volentes ex ſtilo Curiæ Romanæ talem irritationem retrotrahi ad diem ſimoniacæ collationis conuentionalis, in qua ſuppoſitione eidem ſtandum eſſe non renuo, cum, vt aſſerebam, huiuſmodi ſtilus vim habeat quodammodò legis.

Nauar. Suarez.

Excipitur, ſi ex ſtilo Curia Romana retrotrahatur.

Ex dictis inferas, quomodò ſit ſoluenda illa difficultas, quam proponit *Suarez d. l. 4. de ſimonia quæſt. 57. num. 54.* an ſcilicet, ſi beneficiarius pro tempore intermedio inter ſimoniam conuentionalem, qua beneficium collatum eſt, & non perſolutum pretium, & inter realem, qua pretium promiſſum perſoluitur, conſecutus fuerit legitimè aliud beneficium, conſtituta poſteà ſimonia reali prioris beneficij per ſolutionem pretij commiſſa etiam illud beneficium legitimè acquiſitum amittat, ſeù amiſerit. Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod ſimoniacæ prauitati in collatione beneficiorum non ſolùm annexa eſt pœna nullitatis, ſed etiam excommunicationis ipſo facto per ea, quæ habentur *in d. extrauag. [illegible] inter communes de ſimonia*, ſicq; ex ſuppoſitione, quod ille per priorem beneficij receptionem ſimoniacam conuentionalitèr inciderit in excommunicationem videtur ex incapacitate per ipſam excommunicationem inducta illud [illegible] illud non recepiſſe beneficium alioqui legitimè acquiſitum non amittere certum eſt, & clare liquet ex ſupra dictis, nam ſicuti pro illo tempore intermedio legitimè poſſidet illud beneficium, quantumuis ſimoniacè conuentionalitèr collatum, ità non incidit in excommunicationem, cum eodem modo, & propter idem vtraque pœna inferatur, & ſic vel vtraque incurritur, vel neutra; & ſic titulus excommunicationis non poteſt officere legitimæ acquiſitioni illius ſecundi beneficij alioqui ritè collati, nec ſubſequens excommunicatio, quæ ponitur per ſolutionem pretij pro primo, irritat collationem ſecundi legitimè poſitam, quandòquidem ſubſequens excommunicatio non priuat beneficijs ritè antea poſſeſſis per ea, quæ infrà vberius dicentur.

§ Suarez;

Pro illo tēpore intermedio nō incurrit excommunicationem, nec amittit fructus.

Maior difficultas eſt extante illo Curiæ Romanæ ſtil o, ſecundum quem, ſicuti pena nullitatis retrotrahitur ad tempus collationis, ita & pæna excommunicationis retrotrahenda eſſe videtur propter eandem rationem, qua dictum fuit vtramque eodem modo, & propter idem impoſitam, adeòque eodem modo reſtringendam, & ampliandam. Nihilominus exiſtimo etiam in data ſuppoſitione, beneficium ſecundum legitimè receptum non amitti per illam ſolutionem pretij pro primo. Rationem à paritate deduco ex ijs, quæ docet *Nauarrus in d. cap. 23. nu. 104. verſ. ſuccedit tamen*, qui quamuis antecedenter docuerit per ſolutionem pretij ſimoniacè conuenti nedum pænam nullitatis collationis, ſed etiam pænam excommunicationis retrotrahi ad diem præfatæ collationis beneficij, nunc aſſerit, quod ſi dictus ſimoniaceus beneficiarius pro illo tempore intermedio celebrarit, non incurrat, ſeù incurrerit in irregularitatem, quod multis rationibus ibi probat, quas tu ibi recole, ergo, quamuis ex ſtilo Curiæ Romanæ illa etiam pæna excommunicationis æquè, ac pæna nullitatis retrotrahatur ad diem collationis talis beneficij, non propterea incurretur nullitas alterius beneficij legitimè recepti independentèr à ſimoniaca prauitate commiſſa in prima collatione primi. Conſequentia probatur, quia ratio, quæ excuſat, ſeù excuſare poteſt à contractione irregularitatis, excuſare etiam poteſt ab incurſu nullitatis beneficij alioquè ritè recepti. Ratio autem fundamentalis excuſans tùm ab irregularitate in caſu Nauarri, tùm ab incurſu nullitatis in caſu noſtro quoad illud beneficium legitimè collatum in eo principalitèr ſita eſt, quod illa retrotractio eſt ſolummodò vnde aliàs poſita illa ſolutione pretij, quo tempore legitimè talem ſolutionem, dum beneficium collatum eſt, nec inualida collatio realitèr loquendo, nec illata excommunicatio. Igitur cum pro illo tempore, quo beneficium collatum eſt, idem beneficiarius eſſet capax illius, non eſt, cur per quandam iuris fictionem retrotrahentis ad illud tempus excommunicationem, quæ verè pro illo tempore contracta non erat, ſpoliari debeat illis beneficijs, quæ legitimè, dum erat capax, recepit; nec arduum hoc debet apparere, quandòquidem ad incurrendas graues pænas delicti, quales ſunt excommunicationis, & irritationis, requiritur delictum ex omni parte conſummatum ſecundum ſe, non ſola iuris fictione, ſeù præſumptione.

Nauarrus.

Retractatio eſt ſolummodò per fictionem iuris.

PRONOTIO XI.

An irritatio collationis Simoniacæ extendatur etiam ad Epiſcopalem, Cardinalitiam, & Pontificiam dignitatem.

SVMMARIVM.

Electio ſimoniaca in Epiſcopum, & Cardinalem eſt ipſo iure irrita 1.

Conſtitutio Iulij II. quoad electionem ſimoniacam Romani Pontificis per extenſum 2.

Probabilius eſt perſiſtendo in iuxium definitione electionem Romani Pontificis ſimoniacam nullam eſſe 3.

Soluuntur obiecta per Suarez, & Ognate 4.

1 De electione ſimoniaca in Epiſcopum, & Cardinalem vix videtur eſſe poſſe ratio dubitandi, quandòquidem *in d. extrauag. 2. inter communes de ſimonia* comprehenduntur ſub talibus pænis quæcunquè dignitates, officia, & beneficia, nec ibi vlla ſit alicuius exceptio, quinimmò cum *in cap. vbi periculum de electionibus in 6.* videatur ſpecialitèr excipi a generali regula irritante, & irrogantie indiſinitè omnibus tales pænas ſolus Romanus Pontifex ex ſpeciali quadam ratione ibi attacta, ne ſcilicet Eccleſia exponatur ſchiſmatum periculis, videntur per conſequens includi in illa diſpoſitione reliqui omnes quacunque dignitate Eccleſiaſtica, ſiuè Epiſcopali, ſiuè Cardinalitia præfulgentes iuxta regulam, quod exceptio firmat regulam in non [illegible], & ratio, quæ militat pro exceptione Rom[ani] Pontificis, non militet pro alijs. Reducitur [illegible] difficultas ad Romanum Pontificem, cuius electio quantumuis ſimoniaca, quamuis videatur immunis ab illis pænis propter citatum textum *in cap. vbi periculum*, quia tamen extant alia iura, & Pontificum declarationes eidem oppoſita, ideò non leuem extat controuertendi rationem, an re verà ipſius ſimoniaca electio cadat ſub tali diſpoſitione pænali irritante, & quidem ſub eadem cadere videtur expreſsè indicare textus *in cap. ſi quis pecunia 79. diſt.* vbi Pontifex ſimoniacè promotus aſſeritur potius Apoſtaticus, quam Apoſtolicus, quod idem repetijt Iulius II. *in ſua Conſtit. edita 19. Kalendis Februarij* 1505. *Incip. cum tam diuino*, quam, quia continet propoſitiones valde ſalubres, & piam Pontificis mentem excandeſcentem] in tam horribile ſcelus explicat placuit ad literam in hoc loco, & per extenſum referre.

Eſt electio in Epiſcopum, & Cardinalem ipſo iure irrita.

Pontifex ſimoniacè electus dicitur potius Apoſtaticus, quàm Apoſtolicus.

IVLIVS

IVLIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

2 *CVM tàm diuino, quàm humano iure in ſpiritualibus præcipuè deteſtabilitèr ſit ſimoniæ labes prohibita, & longè magis in electione Rom. Pontificis Vicarij Ieſu Chriſti Domini Noſtri abominabilis ſit, & Vniuerſali Eccleſiæ pernicioſa, Nos, qui regimini eiuſdem vniuerſalis Eccleſiæ, meritis licèt imparibus, annuente Domino præſidemus, cupientes quantum cum Deo poſſumus in præmiſſis pro tanta rei neceſſitate, ac periculi magnitudine, vt tenemur, impoſterum ſalubritèr ſubuenire de Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & vnanimi conſenſu hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione Apoſtolica auctoritate, & de poteſtatis noſtræ plenitudine ſtatuimus, ordinamus, decernimus, & definimus, quod ſi (quod Deus pro ſua clementia, & ineffabili bonitate auertat) contigerit poſtquam nos, vel ſucceſſores noſtros ſucceſſiuè, ipſe Deus ab huiuſmodi vniuerſalis Eccleſiæ regimine abſoluerit humani generis inimico procurante, & ambitione, vel cupiditate adhoc inclinante, ſeù impellente electionem Rom. Pontificis ab eo, quem eligi contigerit, vel ab aliquo, ſeù ab aliquibus de cætu Cardinalium quomodolibet votum dantibus per ſimoniacam hæreſim (in dando, promittendo, vel recipiendo pecunias, bona cuiuſcunque generis, caſtra, officia, vel beneficia, ſeù promiſſiones, & obligationes) commiſſam per ſe, vel alium, ſeù alios quomodocunque, & qualitercunque (etiam in duarum partium, vel omnium Cardinalium vnanimi concordia quomodolibet etiam per viam aſſumptionis vnanimitèr nemine diſcrepante etiam ſine ſcrutinio facta) celebrari, vel fieri non ſolum huiuſmodi electio, vel aſſumptio eo ipſo nulla exiſtat, & nullam eidem ſic electo, vel aſſumpto adminiſtrandi in ſpiritualibus, & temporalibus facultatem tribuat, ſed etiam contrà dictum ſic electum, vel aſſumptum, de ſimoniaca labe à quocunque Cardinali, qui eidem electioni interfuerit, opponi, & excipi poſſit, ſicut de vera, & indubitata hæreſi, ità quod à nullo pro Romano Pontifice habeatur, quinimmò ipſe ſit à priori ſuo Cardinalatu, & alio quocunque honore Eccleſijs Cathedralibus etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, Monaſterijs, & dignitatibus, & alijs quibuſcunque beneficijs, & penſionibus, quas tunc obtinebat in titulum, vel in commendam, aut alias quomodocunque eo ipſo abſque alia declaratione, priuatus exiſtat, & idem electus non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus, & tanquam ſimoniacus, & Hæreſiarcha, & ad prædicta omnia, & ſingula perpetuò inhabilis habeatur, & ſit. Nec huiuſmodi ſimoniaca electio per ſubſequentem ipſius intronizationem, ſeu temporis curſum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem, ſeù obedientiam vllo vnquam tempore conualeſcat. Liceatque omnibus, & ſingulis Cardinalibus etiam illis, qui huic ſimoniacæ electioni, ſeù aſſumptioni conſenſerint etiam poſt intronizationem, & adorationem, ſeù obedientiam, ac etiam vniuerſo Clero, Populo Romano, nec non ſubditis, & Sancti Angeli de Vrbe, aut quarumuis aliarum Romanæ Eccleſiæ arcium præfectis, Caſtellanis, Capitaneis, & alijs officialibus (quocunque homagio, ſeù iuramento, vel cautione præſtitis non obſtantibus) à talis electi etiam intronizati obedientia, & deuotione impunè, & quandocunque diſcedere (ipſis fidei Romanæ Eccleſiæ, & obedientiæ futuri Romani Pontificis canonicè intrantis nihilominus adſtrictis permanentibus) & eum, vt Magum, Ethnicum, Publicanum, & Hæreſiarcham euitare. Ad cuius quoque confuſionem poſſint Cardinales, qui præfatæ electioni ſe opponere voluerint, ſi præſumpſerit ſe regimini vniuerſalis Eccleſiæ prætextu talis electionis ingerere, auxilium brachij ſæcularis contrà eum implorare. Nec tales ab eius obedientia diſcedentes tanquam tunicæ Domini ſciſſores, aliquarum propter dictum diſceſſum pœnarum, ſeù cenſurarum vltioni ſubiaceant.*

Bulla Iulij II. per extenſum.

Hæc ibi Pontifex; qui poſteà continuando materiam declarata nullitate Romani Pontificis ſimoniacè electi procedit ad pœnas, quas iniungit tùm contra Cardinales ſimoniacè eligentes, tùm contra alios mediatores, quæ quia parum videntur facere ad rem præſentem per expreſſum hic non referuntur. Quid igitur concludendum? Iura pro vtraque parte vrgent? Auctores pro vtraque diſſident, & rationes.

3 Aſſertio. Probabilius eſſe perſiſtendo in iurium definitione Pontificis electionem ſimoniacam abſolutè eſſe ipſo iure irritam. *Leſſius lib. 2. de ſimon. cap. 35. dub. 25. n. 145. Bonacina quæſt. 7. punct. 2. num. 16.* aduerſus *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 57. Ognate tract. 23. de ſimon. diſp. 85. ſect. 1. num. 57.* Leſſius. Bonacina. Suarez. Ognate.

Probant aliqui aſſertionem *ex d. cap. ſi quis pecun. 79. diſtinct.* vbi ſic promotus dicitur Apoſtaticus, non Apoſtolicus. Sed hunc textum abſolutè non euincere intentum contendit idem Suarez loco, quo ſupra, quia non dicitur Apoſtaticus propter ſimoniacam duntaxat prauitatem, ſed quia electus fuerat *ſine concordia, & canonica electione Cardinalium*; Sed hoc Suarez

Subterfugiũ Suarez omninò inaneſt.

ſubterfugium modicum roboris habere dicitur, nam non extante tali Cardinalium concordia, vel duæ partes eorundem conuenerunt ad promoti electionem, vel non; ſi conuenerint, parum referre poteſt alterius tertiæ partis diſcordia per ea, quæ habentur in textu, quem ſiniſtrè, & quoad locum, & quoad ſubſtantiam allegat pro ſe Ognate contentus apud Suarez vidiſſe, non in fonte; in textu, inquam, *in c. licet 6. de electione, & elect. poteſt.*, vbi dicitur, *Statuimus ergo vt, ſi forſitan Cardinales de ſubſtituendo Summo Pontifice non poterit eſſe plena concordia, & duabus partibus concordantibus pars tertia concordare noluerit, ille abſque vlla exceptione ab vniuerſali Eccleſ. Rom. Pontif. habeatur, qui à duabus partibus concordantibus fuerit electus, & receptus*, &

Non eſſet propter negationem cõcordiæ, ſed propter ſimoniam.

ſic non propter talem negationem concordiæ Apoſtaticus eſſet cenſendus, adeòque propter ſolam ſimoniacam prauitatem; ſi duæ ex tribus partibus non conuenerint iam electio ex ſe eſſet irrita, & ſic fruſtra diceretur, *ſi quis pecunia, vel gratia humana*, quandòquidem etiam ſine pecunia, & gratia humana non ſubſiſteret, &, ſi hæc lex non eſſet propter ſimoniacam prauitatem, eſſet ſuperflua, nam ſine votis eligentium ſufficientibus, & requiſitis ad electionem ipſo iure non tenet electio; ne igitur adſtruatur ſuperfluitas refundendum eſt ius ad motiuum pecuniæ, aut gratiæ humanæ datæ, & receptæ.

Probatio clarior, & efficacior deducitur ex præcitata Bulla Iulij II., quæ adamuſſim exprimit talem nullitatem, vndè non eſt, cur in ipſa vlterius immoremur;

Suarez.

Nec dicendum eſt cum *Suarez loc. cit.* hanc Iulij Bullam non eſſe vſu receptam; Non, inquam, dicendum; Ex quo enim coniectat Suarez non eſſe vſu receptam? An ipſe nouerit aliquandò ſimoniacè factam fuiſſe Pontificis electionem, & non reprobatam?

Non conſtat de nõ vſu conſtitutionis Iulianæ.

Quandò etiam quandòque contigiſſet, quod Deus auertat, nec eſt credendum, certe non ita patentèr facta fuiſſet, vt ipſi innoteſcere potuiſſet; Neque vlterius repetendum eſt, præfatam conſtitutionem Iulij II. reuocatam fuiſſe per Paulum IV. in ſua conſtitutione octuageſima quinta, prout refert Suarez loco citato; non, inquam, repetendum, quandòquidem de tali reuocatione non conſtat, nec præcitata Bulla Pauli IV. hac de re loquitur, vt legenti ſit manifeſtum. Non negauerim tamen, quod ſi re verâ, vel idem Paulus IV. vel alius Pontifex expreſsè reuocauerit dictam Conſtitutionem Iulij II. propriè teneat reuocatio, cum ea, quæ iuris merè poſitiui ſunt, cadant ſub Pontificis poteſtate.

3. Nunc reſpondendum eſt ad textum allegatum per Suarez, & Ognate *in cap. vbi periculum de elect. in 6.* reſpondendum, *Suarez. Ognate.*

inquam, eſt incongrue talem textum allegari ad euincendum, quod teneat ſimoniaca Pontificis electio; quandòquidem ibi non eſt ſermo de hac re, vt legenti ſit manifeſtum. Potius hoc videtur indicari *in cap. licet 6. de election.* iuxta ſuperius appoſita in probatione prima; nihilominus cum conſtitutio Iulij II. fuerit ſubſequens eidem textui in primis derogat, Deindè talis textus loquitur comparatiuè ad exceptionem propter diſcordantiam aliorum, qui non concurrerunt, non comparatiuè ad exceptionem ob electionem non canonicam ob ſimoniam irritantem.

PRÆNOTIO XII.

An per receptionem ſimoniacam beneficij, vel ordinis ipſo iure oriatur priuatio beneficiorum priùs ritè obtentorum, & inhabilitas ad futura.

SVMMARIVM.

Per receptionem ſimoniacam beneficij, vel ordinis non priuatur regularitèr loquendo recipiens beneficijs antea ritè obtentis 1.

Soluuntur rationes in contrarium 2.

Excipiuntur tres caſus, in quibus irritantur beneficia ante ritè obtenta 3.

Quamuis per receptionem ſimoniacam non irritentur beneficia antè legitimè obtenta irritantur tamen omnes actiones ordinatæ ad perfectam eiuſdem beneficij conſecutionem 4.

Proponuntur argumenta aduerſariorum, & ſoluuntur 5.

Nonnulla correllaria ex dictis inferuntur 6.

Per ſimoniacam beneficij receptionem recipiens redditur inhabilis ad alia obtinenda 7.

PRocedit titulus de pæna priuationis quoad beneficia prius ritè obtenta, & inhabilitatis ad futura, non vt infligenda poſt commiſſum delictum ſimoniacæ prauitatis per ſententiam Iudicis, ſed de eodem, vt ipſo iure, & facto afficit proſcripta etiam quacunque ſententia delinquentem, & poſſidentem talia beneficia, adeò vt eadem in conſcientia nullo Iudicis miniſterio ſtatim teneatur deponere. Diſſident non modicum Doctores inter ſe circa hanc controuerſiam, dum aliqui volunt huiuſmodi pænas ipſo facto afficere ſimoniacum, vel ex eo, quod crimen ſimoniæ comparatur hæreticæ prauitati, vt ex allegatis iuribus latè ſupradiximus; pænas autem hæreticos ipſo iure afficiunt nulla

Simonia dicitur hæreticæ prauitas.

etiam

etiam interueniente ſententia, & ſi expectetur ſententia fortaſsè ad probandum delictum, pæna tamen retrotrahitur ad tempus eiuſdem commiſſi delicti, vel ex
4 eo, quod *in d. extrauag. 2. de ſimonia* innouantur omnia iura antiqua contra ſimoniacos, & decernitur, quod ipſo facto incurrantur; inter iura autem antiqua potiſſimum habetur *cap. presbyter, c. de cætero cap. erga 1. quæſt. 1.* quæ diſponunt, vt ſimoniaci beneficijs priuentur, & licet huiuſmodi iura non exprimant, quod huiuſmodi pænæ ipſo facto incurrantur, ſed potius videantur ſecundum ſe requirere, quod per Iudicem infligantur cognita cauſa, vt explicat *Suarez. lib. 4. de ſimonia cap. 58. nu. 2.* nihilominus, quia *in d. extrauag. 2.* fit ampliatio huiuſmodi iurium, ità vt afficiant de facto, ſeù ipſo iure, ex noui iuris diſpoſitione non videntur amplius exigere in conſcientia talem Iudicum declarationem, ſed immediatè delinquentes afficere.

Quemodo per extrauag. 2. de ſimonia *innouantur iura antiqua.*

Suarez.

Alij è contrà nolunt huiuſmodi pænas quoad priuationem beneficiorum ritè anteà obtentorum afficere ipſo iure delinquentes, ſed vbi ciuiliter agitur, eſſe beneficio, & adminiſtratione priuandos; atque pro hac ſecunda ſententia citantur *Abbas in cap. cum clericis de pactis num. 2. Felinus in cap. inſinuatum de ſimonia, Anton. in cap. niſi cum pridem de renuntiatione num. 6. Suarez. lib. 4. de ſimonia cap. 58. num. 4.* qui teſtatur hanc eſſe communem canoniſtarum opinionem, qui omnes ea potiſſimum mouentur ratione, quià, cum verſemur in diſpoſitionibus pænalibus, non debemus pænas extendere, niſi ad id, quod iura exprimunt, nullum autem ius expreſsè loquitur de incurſu huiuſmodi pænarum ipſo facto, adeòque &c. Quid igitur concludendum? Pro ſolutione

Sententia non extendens pænas ad priuationem beneficij prius acquiſiti.
Abbas. Felinus. Suarez.

Aduerte, hanc controuerſiam procedere tàm in ordine ad priuationem beneficiorum prius ritè obtentorum, tùm in ordine ad inhabilitatem ad alia impoſterum obtinenda, an ſcilicet vtraque per ſimoniam in beneficio, & ordine ipſo iure incurratur, vel neutra, vel inhabilitas ipſo facto, priuatio autem non niſi per ſententiam. Rurſus controuertitur, an in quocunque caſu priuatio huiuſmodi beneficiorum incurratur ipſo iure, vel non incurratur per ſimoniam, an verò incurratur in aliquibus, & in quibus, in reliquis verò non incurratur. Tandem, an controuerſia locum habeat non ſolum in ordine ad beneficia prius ritè obtenta, ſed etiam in ordine ad alios actus ordinatos ad beneficia obtinenda, & quomodò

Rationes dubitandi circà propoſitum [*dubium*].

1 Aſſertio I. Per receptionem ſimoniacam beneficij, vel ordinis non priuatur regulariter loquendo recipiens beneficijs ritè anteà obtentis. Ità prææallegati Doctores aduerſus *Rebuffum de pacif. poſſeſ. num. 265. Bernardum Diaz in cap. 131.*

Rebuffus. Bernard. Diaz.

Probatur argumento communi, quod nullibi ſit expreſſa huiuſmodi pæna, ipſo facto in iuribus antiquis, & licet in nouo *per d. Extrauag. 2. de ſimonia* omnia antiqua innouentur addito vlterius, quod ipſo facto incurrantur, illud additamentum non refertur, niſi ad beneficia ſimoniacè recepta, non autem ad legitime adepta per ea, quæ in hac hypotheſi explicant *Vgolinus tab. 4. cap. 6. §. 6. num. 3. Nauarrus conſ. 92. de ſimonia, Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 58. num. 6. in fine*, nec incongrua ſane ratione, quia pæna priuationis iam anteà legitimè obtentorum ipſo iure eſt ex grauiſſimis pænis iuris, quæ non debet intelligi illata per generalem impoſitionem, niſi ſpecialitèr, & in indiuiduo exprimatur, ergo &c.

Extrau. 2. de ſimonia *nō extenditur, niſi ad beneficia ſimoniacè recepta.*

Probatur ſecundò, quià ſtrictius obligat Conſtitutio *Pij V. Incip. cum primum lata anno Domini* 1566. *Kalendis Aprilis Pontificatus ſui anno primo*, quam dicta *Extrauag. 2. de ſimonia inter communes*, quandòquidem illa refertur ad omnia præcedentia ante legitimè lata, vt colligitur ex ipſa Pij V. conſtitutione, ſed in illa inhabilis fit, & ad beneficium ſimoniacè acquiſitum, & ad alia acquirenda, ad acquiſita verò ante ſimoniam legitimè non redditur inhabilis, vt optimè obſeruat *Vgolinus d. tab. 4. cap. 6. §. 6. num. 3.* ergo nec debet intelligi inhabilis ad eadem legitimè iam obtenta *ex vi d. extrauag.* Confirmatur, quià irregularitas ſuperueniens beneficio iam acquiſito non inducit vacationem eiuſdem ipſo facto, ſed iudicis ſententia neceſſaria eſt *Innocentius in cap. cum noſtris in princip. de conceſ. præb. Abbas ibi nu. 22. Nauarrus conſ. 92. num. 2. de ſimon. lib. 5.* vbi teſtatur de communi conſenſu iuxta textum *in l. parte furioſo ff. de iis qui ſunt ſui, vel alteri iur. & cap. quemadmodum de iu. iuran.*, ergo nec ſimonia ſuperueniens beneficijs legitimè acquiſitis facit eadem beneficia ipſo iure vacare.

Strictior eſt conſtitutio Pij V. quam extrauagans 2. quæ tamē non extēditur ad acquiſita

Innocentius. Abbas. Nauarrus.

Ad rationes iam, quæ in contrarium afferebantur, dicendum eſt, & quidem ad primam, quod ſimoniaca prauitas æquiparatur hæreſi ſolummodò ſecundum quandam analogiam, & ſimilitudinem apparentem, non autem ſecundum grauitatem delicti, cum longè grauior ſit hæreſis in ratione culpæ, quàm ſimonia, vndè non eſt, cur eiſdem pænis debeat ſubiacere, quibus ſubiacet hæreſis. Deindè aſſerit *Suarez. loc. cit. num. 3. in fin.* quod hæreticus non priuatur ipſo iure ſuis bonis ante ſententiam declaratoriam, cui tamen dicto non facilè acquieſcerem propter textum

Solutio obiectorum.

Suarez.

in

in c. ſecundum leges de hæret. in 6. tùm quià licet hæreticus non priuetur ipſo iure ante ſententiam rebus ſuis, priuatur tamen beneficijs Eccleſiaſticis. Tandem, quià in pænalibus, quantumuis eſſet omnimoda ſimilitudo, non ſit regularitèr extenſio, niſi fiat expreſſio. Ad ſecundam iam patet ex dictis quid ſit reſpondendum.

3 Aſſertio II. A regula generali expoſita in præcedenti aſſertione excipiendi ſunt tres caſus, in quibus ipſo iure contrahitur per receptionem ſimoniacam priuatio beneficiorum prius ritè obtentorum, & primo in ſimonia confidentali per ea, quæ latè infra habebimus iuxta extrau. Pij IV., & Pij V. Secundo in collatione, ſeù receptione ſimoniaca Pontificatus. Tertiò in ſimonia commiſſa per Examinatores Sinodales in examine ad beneficia Eccleſiaſtica, propter quos caſus dixi in præcedenti aſſertione *regularitèr loquendo*. Non immoror in probatione huius limitationis, quandòquidem exceptio primi caſus clarè innoteſcit ex præfatis extrauag. Pij IV., & Pij V.; exceptio ſecundi ex conſtitutione Iulij II., *cum tam diuino*, vbi ſimoniacè promotus ad Pontificatum non ſolum ſpoliatur dignitate Papali ſimoniacè acquiſita, ſed etiam Cardinalitia, alijſque omnibus, quibus antecedentèr legitimè gaudebat. Ibi. *Quinimmo ipſe ſit à priori ſuo Cardinalatu, & alio quocunque honore, Eccleſijs Cathedralibus etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, Monaſterijs, & dignitatibus, & alijs quibuſcunque beneficijs, & penſionibus, quas tunc obtinebat in titulum, vel commendam eo ipſo abſque alia declaratione priuatus exiſtat*; Neque ex his inferas, quod argumento a paritate deducto etiam alius quilibet beneficiarius ſimoniacè promotus ipſo iure priuandus eſſet beneficijs antecedentèr quantumuis legitimè poſſeſſis, cum non ſit ratio, cur Pontifex ſimoniacè promotus priuetur ipſo iure Cardinalatu, alijsque beneficijs prius rite poſſeſſis, & cur alius ad aliud beneficium ſimoniacè item promotus ipſo iure non ſit priuandus alijs beneficijs &c. non, inquam, hoc inferas, nam in primis in diſpoſitionibus pænalibus non valet extenſio ad caſus ſimiles, vt ſæpe repetij. Deindè potior eſt ratio in aſſumptione ſimoniaca ad Pontificatum, ac in aſſumptione ad alia inferiora beneficia tùm propter eminentiam dignitatis, tùm propter ſcandala potiora, quæ ibi gignuntur, tùm propter grauiora damna, quæ inde poſſunt prouenire &c. Exceptio tertij colligitur *ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. de reform.*, vbi ſic legitur. Caueant ne quidquam prorſus ratione huius examinis nec ante, nec poſt accipiant, alioqui ſimoniæ vitium tam ipſi, quam alij dantes incurrant, à qua abſolui nequeant, niſi dimiſſis beneficijs, quæ quomodòcunque etiam antea obtinebant, & ad alia impoſterum inhabiles reddantur.

Primus caſus exceptionis in ſimonia confidentali.

Secundus in receptione ſimoniaca Pontificatus.

Tertius in ſimonia commiſſa per examinatores ſinodales in examine ad beneficia Eccl.

Tridentinum.

4 Aſſertio III. Quamuis per receptionem ſimoniacam beneficij regularitèr loquendo, vt ſupra, non irritentur ipſo iure alia beneficia, quibus antecedentèr legitimè gaudebat, irritantur tamen omnes rationes præcedentes ordinatæ ad perfectam eiuſdem beneficij aſſecutionem *Felinus in cap. ſicut tuis de Simonia, Vgolinus tab. 4. cap. 6. num. 4. §. ad quid* aduerſus *Suarez d. cap. 58. nu. 7. Bonacinam d. quæſt. 7. punct. 2. difficult. 1. num. 2.*

Felinus. Vgolin. Suarez. Bonacina.

Probatur primò ad hominem aduerſus Bonacinam. Quia omnis actus iuriſdictionis, quæ ordinatur ad obtinendam beneficij prouiſionem eſt iure Eccleſiaſtico ipſo facto irrita, ſi fiat per ſimoniam, per ea, quæ docuit *d. quæſt. 7. punct. 2. prop. 2. nu. 10.* ergo irritantur omnes actus præcedentes ordinati ad perfectam eiuſdem beneficij conſecutionem. Confirmatur ex toties decantata *Extrauag. 2. cum deteſtabile de ſimonia*, vbi Pontifex irritat non ſolum beneficij collationem, ſed etiam quamcunque prouiſionem, electionem, præſentationem, & etiam quamcunque aliam ſimoniacam diſpoſitionem, ſed poteſt contingere, quod electio, ſeù præſentatio non ſit ſimoniaca, vt quandò patronus præſentat liberè nullo habito reſpectu ad pretium, collatio autem ſit ſimoniaca, quatenus Epiſcopus conferens pretium recipiat, vel receperit, ergo ex vi talis extrauagantis non ſolum irritantur ipſæ collationes, ſed omnes actiones præcedentes ad ipſas ordinatas; Neque dicas, quod Pontifex, ea omnia irritauerit, ſi omnia fuerint ſimoniacè perpatrata, non autem, ſi præcedentia ad Simoniacam collationem, ſeù confirmationem fuerint legitimè facta, contrà enim impugnaberis, quià, cum ea omnia ordinentur ad perfectam conſecutionem eiuſdem beneficij, irritata ipſius collatione, ſeù confirmatione non eſt, cur ex eiuſdem iuris diſpoſitione irritari non debeant in odium ſimoniacæ prauitatis ea omnia, quæ ad ipſam tendebant. Accedit, quod acquirens beneficium ſimoniacè inhabilis ipſo facto efficitur ad ipſum tam iure antiquo, quàm iure nouo, ergo per ſimoniacam prauitatem circà ipſum commiſſam non ſolum irritatur ipſa collatio, ſed omnes actus præcedentes, qui aliquod ius conferebant, quantumuis legitimè facti. Antecedens probatur quoad ius antiquum latè per Vgolinum *tab. 4. cap. 6. §. 6. num. 2.* quem tu recole; quoad ius nouum euincitur *ex Conſtit. Pij V. Incip. cum primum*. Ibi. *Qui dignitates Eccleſiaſticas ſimoniacè acqui-*

Irritantur nō ſolum collationes, ſed etiam electiones, præſentationes.

Diſpoſitiones canonica iuris noui per Pium V.

fuerit illis ſit ipſo iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quaſcumque alias obtinendas. Ruſus ibi: *Qui beneficium, aut officium Eccleſiaſticum ſimoniacè adeptus, fuerit illis ſimiliter ſit ipſo iure priuatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, reſtitutionem teneatur, & perpetuò ſit inhabilis ad ea, & quæcumque alia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda;* atque per hæc verba expreſſa excluditur explicatio *Suarez loc. cit.* aſſerentis Pelinum, & Vgolinum loqui quoad actus præcedentes ſimoniacam collationem, ſeu confirmationem de pœna nullitatis imponenda per ſententiam, non de impoſita ipſo iure; excluditur, inquam, nam per dicta verba Pij V. inducitur inhabilitas ipſo iure, vt legenti ſit manifeſtum; ſi igitur inhabilitas importat nullitatem quoad actus præcedentes conferentes ſecundum ſe aliquod ius, vt mox probabo, ex directo infertur, quod talis nullitas actuum præcedentium ipſo iure inducatur. Probatur iam conſequentia, quia inhabilitas abſoluta, & perpetua ad aliquod beneficium demit quodcunque ius ad illud; quomodò enim poteſt habere quis ius ad id, quod reſiſtente iure nullo vnquam tempore poteſt conſequi, immò ad illud eſt inhabilis? ergo eodem iure, quo inducitur inhabilitas, inducitur nullitas cuiuſcunque iuris præcedentis ad illud.

Diſpoſitiones canonicæ in vis nomi per Pij V.

Nō poteſt eſſe ius ad id, quod iure reſiſtente non poteſt conſequi.

5 Aduerſus hanc noſtram aſſertionem multa congerunt Aduerſarij argumenta, vel in iuris diſpoſitione fundata, vel in naturali ratione, quibus nunc reſpondendum, & quidem primò afferunt textum *in cap. ſi confirmationem de Elect. lib. 6.* vbi dicitur. *Si confirmationem electionis propter debitam iuris ſolemnitatem in confirmatione ipſa omiſſam, vel ex eo, quid ipſe, qui confirmauit, non habuit poteſtatem caſſari, ſeu caſſam, & irritam nuntiari contingat, non propter hoc præcedens electio (ſi alias ſit canonica) intelligitur infirmari*, ergo etiam, ſi electio, ſeu præſentatio fuerit canonicè facta ſine vlla labe ſimoniæ non irritabitur per ſubſequentem collationem, ſeu confirmationem ſimoniacam. Sed facilè occurro huic inſtantiæ aſſerens, nullitatem actuum præcedentium inductam tantum eſſe ob crimen ſimoniæ, non autem ob aliam cauſam, niſi exprimatur *Baldus in l. quadam §. ſed cum veteres C. de neceſſ. hæred. inſtit. Ioannes de Anan. in cap. ſicut tuis verſ. nota, quod dolus de ſimonia*, nec hoc gratis aſſeritur, quandòquidem in caſu, de quo procedit textus *in d. cap. ſi confirmationem* perſona ſuo ſe vitio non reddit inhabilem, in caſu verò, in quo procedit aſſertio, beneficiarius ob commiſſam ſimoniacam prauitatem ſuo ſe reddit crimine inhabilem.

Baldus. Ioannes de Anan.

Secundò procedunt à paritate quoad alia beneficia prius ritè accepta, quæ non irritantur per ſubſequentem ſimoniacam receptionem alterius beneficij, per ea, quæ in prima aſſertione dicta ſunt, ergo nec actus præcedentes legitimè facti, & iura per eoſdem canonicè acquiſita irritari debent per ſubſequentem receptionem beneficij, ad quod illi actus, & iura ordinabantur. Conſequentia probatur, quia in tantum beneficia prius obtenta non irritantur, in quantum per ſubſequentia non irritantur iura legitimè antea acquiſita, ſed etiam in caſu, de quo loquimur iura per electionem, & præſentationem fuerunt canonicè acquiſita, ergo &c. Sed huic etiam argumento facilè occurro aſſignans diſparitatem inter beneficia prius ritè accepta, & actus præcedentes ordinatos ad eiuſdem beneficij perfectam conſecutionem; quia illa, ſicuti ſunt omninò independentia, & non connexa cum collatione ſimoniaca poſtea inducta, ideò non eſt, cur per illam debeant irritari, maximè cum ius de tali irritatione nihil diſpoſuerit, iſta verò, ſicuti quoad ſuum perfectum eſſe, & completam acquiſitionem dependent à collatione, & confirmatione, ità infirmata eadem collatione, ſeu confirmatione propter ſimoniacam prauitatem, & reddito ſubiecto inhabili ad eandem impoſterum habendam, non eſt, cur non debeant propter eandem ſimoniam infirmari, ſeu irritari.

Ratio cur nō irritentur beneficia prius ritè obtenta, infirmentur verò actiones præcedentes collationem.

Ad hæc omnia corroboranda, quæ hactenus dicta ſunt in confirmationem huius tertiæ aſſertionis non multum roboris affert id, quod habetur *in cap. tuis de ſimonia;* vbi Abbas legitimè electus, ſed ſimoniacè confirmatus erogata per alios confirmanti pecunia ipſo ignorante, & contradicente etiam lata ſententia excommunicationis dicitur, quod nullam pœnam mereatur, quia ipſe ignorans, & contradicens fuit, & ſic redditur valida tam confirmatio, quam electio, qui tamen, ſi poſteà receſſerit à contradictione, & conſenſum præbuerit ſoluendo &c. tunc beneficium illud redditur irritum quoad omnia, & eſt ſimpliciter dimittendum, ac ſi non fuerit ad illud electus, nec ipſum fuiſſet collatum, ergo ſi ſciens ſimoniam commiſerit, & ſimoniacè fuerit ipſi ſcienter beneficium collatum, & confirmatum, in irritum reddenda ſunt omnia, quæ concurrerunt &c.

Argumentum à iure deductum efficax ad rē noſtram.

6 Ex dictis infero primò, quod ſi beneficiarius ſimoniacus in vno beneficio fructus perceperit ex alijs beneficijs prius legitimè obtentis, non teneatur illos reſtituere, quinimmò poſſit in illorum perceptione perſeuerare, donec per ſententiam beneficijs illis, & fructibus eorum priuetur; nec

diſ-

Fructus beneficio rum antè vitè obtẽtorum no tenetur reſtituere.

difficilitèr ſuadetur, quandòquidem ex ſupra dictis iuſtè detinet ante ſententiam, & facit ex beneficio legitimè percepto fructus ſuos, nec vllum ius obligat ad dimittendum idem beneficium, & fructus, antequam illis per ſententiam priuetur. Hic immediatè ſuboritur difficultas, an per ſententiam poſſit priuari etiam fructibus antecedentèr perceptis ex illis beneficijs prius legitimè obtentis. Qua in re reſpondendum exiſtimo per ſententiam præcisè, qua quis declaratur ſimoniacus, & in pœnam priuatur prioribus beneficijs, non priuari fructibus ex illis antecedentèr perceptis; per ſententiam verò ratione grauitatis delicti poſſe puniri in tot pecunijs, qui correſpondeant illis fructibus perceptis, non tamen propriè illis priuari.

Ratione grauitatis delicti poteſt per ſententiam vedemnari in pecunijs.

Ratio primæ partis eſt, quia nullum ius extat, quod obliget ad illos fructus reſtituendos, nec ſententia priuans prioribus beneficijs ea reddit irrita in ſua origine, ſed ſolummodò à tempore, pro quo lata eſt, ergo licet ratione beneficij, quo priuat, priuet etiam fructibus ſubſequentibus, non priuat tamen præcedentibus, qui legitimo iure fuerunt percepti, cum talis ſententia incipiat ſolummodò obligare à tempore, pro quo lata eſt. Ratio ſecundæ partis eſt, quia Iudex per ſententiam in pœnam ſimoniacæ prauitatis, quæ vnum eſt ex grauioribus delictis, poteſt non ſolum delinquentem vltra pœnas iuris punire in pena pecuniaria, ſed etiam in corporali per ea, quæ ſtatuta ſunt per Sanctiſſimum Pium Quintum in ſua Conſtitut. præællegata, ergo vtique poterit in tot pecunijs punire, quot correſpondeant fructibus antecedentèr perceptis. Dixi, *non tamen propriè illis priuari*, quia iam legitimè illos percepit, nec ſententia extenditur ad irritanda ea pro tempore, quo pleno iure ſubſiſtebant.

Poteſt imponi pœna pecuniaria, & corporalis.

Infero ſecundò, quod, ſi quandòque quis poſt electionem ſic approbante conſuetudine fructus beneficij, ad quod fuerit electus, perceperit ante confirmationem, & deindè confirmationem conſecutus fuerit ſimoniacè, fructus medio tempore percepti non ſint reſtituendi, vbi electio præcisè conferat ius ſecundum ſe ad illos percipiendos. Dixi, *vbi electio conferat ius &c.* quandòquidem regularitèr non eſt ius ad illos acquirendos, niſi poſt collationem, & confirmationem. Ratio autem illationis ea eſt, quia electio, quamuis per ſubſequentem ſimoniacam collationem, ſeù confirmationem irritetur, non irritatur tamen ab initio, cum antecedentèr ad illas fuerit valida, vt ſupponitur, ſi igitur ipſa electio conferat ius ad illos fructus ſecundum ſe, & fuerit valida, non eſt, cur illi antecedentèr ad irritationem acquiſiti non poſſint detineri. Neque obſtare poſſunt ea, quæ ſupra dicebamus *Prænot.* 8. ex diſpoſitione iuris *in cap. ex inſinuatione de ſimonia* nempè, ſi collatio ſimoniacè facta fuerit alicui quantumuis ignoranti, eo quià ſit perparata per alium, adhuc ipſum teneri cognita ſimonia beneficium dimittere cum omnibus fructibus licet bona fide antecedentèr perceptis, adeòq; quod idem militare videatur in præſenti hypotheſi; non, inquam, obſtare poſſunt, quandòquidem ex diſpoſitione iuris in primo caſu ſimoniaca collatio quantumuis ignorata eſt ipſo iure irrita, non ſic electio in ſecundo, licet per ſuperuenientem ſimoniacam collationem, ſeù confirmationem irritetur, nec vllum ius expreſsè diſponit, quod talis irritatio ſubſequentèr poſita debeat antecedentem electionem prius validam in ſua radice, & origine irritare.

Vbi electio confert ius percipiendi fructus, ſi fuerint percepti antè ſimoniacã collationẽ non ſunt reſtituendi.

Aſſertio IV. Per ſimoniacam beneficij 7
receptionem recipiens ipſo iure redditur inhabilis ad alia beneficia obtinenda *Vgolinus de ſimon. tab. 4. cap. 6. §. 6. Filliutius tract. 45. cap. 13. quæſt. 9. num. 26. Ognate d. tract. 23. de ſimon. diſp. 85. ſect. 2. num. 67.* qui tamen aſſerit hanc inhabilitatem ipſo facto non eſſe receptam vſu, ſeù iura diſponentia ipſo iure incurri eſſe per contrarium vſum ab olita.

Vgolin. Fillius. Ognate.

Clarior, & efficacior probatio huius noſtræ aſſertionis fundatur in Conſtit. Pij V. vbi ſic legitur. *Illis ſit ipſo iure priuatus, & perpetuo ſit inhabilis ad ea, & quæcunque alia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda*; ex quibus ſic argumentor. Quotieſcunque in iure diſponitur, quod aliqua pœna ob aliquod delictum ipſo facto, & iure incurratur, & ad illius executionem non eſt neceſſarium hominis miniſterium, ipſo delicto commiſſo, non eſt, cur ipſo facto non incurratur per ea, quæ communitèr docent *Theologi in primam ſecunda D. Thomæ in quæſt. de Legibus*, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, in iure, per quod contra delinquentes ſtatuitur talis pœna inhabilitatis dicitur *ipſo iure*, nec ad ipſius executionem requiritur hominis miniſterium, quod regularitèr non requiritur in ijs, quæ conſiſtunt in mera ſuſpenſione, priuatione &c. ergo &c. Dicere deindè hoc ius inducens talem inhabilitatem non eſſe vſu receptum eſt dicere quid omninò gratis, & ſine fundamento, quandòquidem iura ſemper præſumuntur in ſuo robore, & viridi obſeruantia, niſi contrarium probetur. Quomodò autem probari poteſt non eſſe in viridi obſeruantia? ius ipſum eſt in poſſeſſione ex quo inductum eſt, nec per ſimplex aſſertum debet eadem ſpoliari.

Colligitur reſpõſio ex diſpoſitione Pij V.

PRÆNOTIO XIII.

De pœnis contrà Simoniacos tùm in beneficijs, tùm in alijs rebus ſpiritualibus.

SVMMARIVM.

Quid ſit ſimonia confidentialis 1.

Per intentionem in mente retentam, & ſpem non inducitur confidentia ſaltim ad pœnas 2.

Confidentia non ſolum committitur in beneficijs, quandò cum pacto ſiuè explicito, ſiuè implicito reſignatarius debet beneficium reſignare, ſed etiam cum pacto, vt reſignatarius ſoluat penſionem alteri à reſignante 3.

Etiam ſi eidem reſignanti ſoluere debeat penſionem 4.

Simonia confidentialis vnde dicta 5.

Quinam finis, & quanam cauſa 6.

Aſſignantur coniecturæ, præſumptiones, & probationes ſimoniæ confidentialis 7.

Conſtitutio Pij V. de ſimonia confidentiali per extenſum 8.

Reaſſumitur tenor eiuſdem quoad modos, quibus committitur, quoad coniecturas, quibus euincitur, quoad teſtes, quibus probatur, quoad pœnas, quibus afficitur 9.

Quamuis non ſufficiat ſimplex intentio ad incurrendam excommunicationem, non requiritur tamen pactum expreſſum, ſed ſufficit expreſſio intẽtionis ex parte reſignantis, & non reluctantia reſignatarij 10.

Excommunicatio lata contrà ſimoniam confidentialem in beneficijs afficit ſolummodò beneficiarios recipientes, non autem reſignantes, nec mediatores ad ipſam 11.

Pœna excommunicationis lata contrà recipientes extenditur etiam contrà Cardinales, nec per ipſam ceſſat pœna interdicti 12.

Prææallegata pœna incurruntur per delinquentes ſtatim, ac beneficium confidentialitèr recipiunt, etiam antequam confidentia exequatur 13.

Excommunicatio, & interdictum incurruntur ipſo facto poſt receptionem beneficij cum plena poſſeſſione, non tamen cum incompleta præciſa quacunque ſententia 14.

Non incurritur excommunicatio lata contrà ſimoniam confidentialem, quandò recipiens recipit cum animo illud poſtea reſtituendi danti, reſignans autem non confert illo animo, & è contrà 15.

Proponuntur omnes rationes dubitandi circà pœnas ſimoniæ realis 16.

Excommunicatio contrà ſimoniacos reales in beneficio eſt latæ ſententiæ, & afficit tùm conferentes, tùm recipientes, & etiam mediatores 17.

Non afficiuntur hac pœna excommunicationis ratam habentes ſimoniacam collationem poſt receptum beneficium, ante autem ignorantes 18.

Beneficiarius, qui ignorans recepit beneficium ſimoniacè cognita ſimonia, ſi non dimittat, non contrahit excommunicationem 19.

Scientes ſimoniam commiſſam in beneficijs, & non reuelantes regularitèr non afficiuntur excommunicatione, etiam ſi fuerint ex Curia Romana ex vi extrauag. 2. 20.

Excommunicatio afficit vtrumque contrahentem, etiam ſi conuentio ſimoniaca per vtramque partem ſtatim non adimpleta fuerit, ſed tantum poſt 21.

Poſito complemento ſimoniacæ prauitatis excommunicatio contrahitur, non tamen retrotrahitur ad tempus collationis 22.

Per ſimoniam realem in beneficio ſiuè occultam, ſiuè manifeſtam non incurritur ſuſpenſio ipſo facto 23.

Per ſimoniam realem in beneficio licet non inducatur ſuſpenſio propriè ſumpta, inducitur tamen lato modo, & quomodò 24.

Contrà ſimoniacos reales in beneficio inducta eſt etiam pœna depoſitionis 25.

Depoſitio eſt de omni officio, & beneficio 26.

Depoſitio à beneficio differt à ſuſpenſione per hoc, quod illa dicat priuationem proprietatis, iſta verò tantum ab vſu, depoſitio verò ab ordine differt à ſuſpenſione, quod illa ſit indiſpenſabilis, hæc diſpenſabilis 27.

Pœna hæc depoſitionis non eſt latæ, ſed ferendæ ſententiæ 28.

Hæc pœna non eſt imponenda, niſi delinquens fuerit confeſſus delictum in iudicio 29.

Ob ſimoniam realem in beneficio non incurritur directè pœna irregularitatis 30.

Per ſimoniam commiſſam in beneficio incurritur pœna infamiæ, non ipſo iure, ſed poſt ſententiam, ſi criminalitèr procedatur 31.

Infamia hæc eſt infamia iuris, cui eſt annexa canonica 32.

Notatur tali infamia tàm conferens, quàm recipiens 33.

Tàm conferentes, quàm recipientes ſimoniacè ordines ipſo facto excõmunicati ſunt 34.

Extenditur hæc pœna tàm in ordine ad ordines ſacros, quàm in ordine ad minores, & primam tonſuram 35.

Quoad conferentes extenditur ad quoſcunque, quacunque dignitate præfulgentes etiam Cardinalitia 30.

Afficit hæc excommunicatio quoſcunque conferentes ſiuè pretium receperint antè, ſiuè poſt collationem 37.

Conferentes ordines per ſimoniam realem primò ſunt ſuſpenſi à collatione quorumcunque ordinum, ſecundò ab executione omnium Pontificalium, tertiò ab ingreſſu in Eccleſiam 38.

Hæc ſuſpenſio, & interdictum ab Eccleſia eſt lata ſententia, non ferenda 39.

Conferentes ordines ſimoniacè, & ex vi præcedentium iurium ſuſpenſi, & interdicti, ſi contrà ſuſpenſionem, & interdictum veniant, contrahunt ſuſpenſionem à regimine, & adminiſtratione ſua Eccleſia, fructuumque perceptione 40.

Recipientes ordines ſimoniacè ipſo iure ab ordinum executione, quos ſimoniacè receperint, ſuſpenſi ſunt 41.

Illa ſuſpenſio eſt perpetua ex Bulla Sixtina 42.

Suſpenſio non ſolum eſt ab executione ordinum ſimoniacè ſuſceptorum, ſed etiam à ſuſceptione aliorum 43.

Suſpenſio ab executione ordinum afficit ordinatum etiam occultum 44.

Suſpenſio non afficit ordinatum, ſi ſimonia ſit commiſſa ab alio ipſo ignorante 45.

Suſpenſio non afficit mediatores 46.

Præſentans ſimoniacè ad ordines ſuſpenditur per triennium ab executione ordinum 47.

Ordinatus per ſimoniam ex vi eiuſdem non fit ipſo iure irregularis 48.

Contrà ſimoniacos in ordine eſt etiam pæna depoſitionis 49.

Simoniacus in ordine fit infamis infamia iuris, & canonica 50.

Abſolutio ab excommunicatione, & ſuſpenſione eſt Papalis 51.

Abſolutio ab irregularitate ob exercitium ordinum, & diſpenſatio inhabilitatis pertinet ad Rom. Pontificem 52.

Contrà ſimoniam in ingreſſu in Monaſterium lata eſt excommunicatio tàm contrà dantes, quàm recipientes 53.

Contrà recipientes, ſi ſit Monaſterium, eſt pæna ſuſpenſionis 54.

Non ſufficit datio, & receptio quomodocunque, ſed debet eſſe cum præſumptione 55.

Ad incurrendam hanc pænam requiritur pactum ſaltem implicitum 56.

Quando illud pretium recipitur formalitèr pro ingreſſu incurritur ipſo facto excommunicatio per ingreſſum non expectata profeſſione 57.

Suſpenſio, quæ eſt contrà Monaſterium recipiens aliquem ſimoniacè eſt ipſo facto 58.

Nomine ſuſpenſionis in hoc caſu venit impedimentum, ne alios in Monaſterium recipiat 59.

Singulares Religioſi recipientes ſimoniacè aliquem in Monaſterium ſuſpendi debent ab officio, ſi procedatur per viam Inquiſitionis 60.

Receptus ſimoniacè per pretium in Monaſterium eſt ab eodem eiciendus, & in arctius transferendus non ipſo iure, ſed per ſententiam 61.

Si procedatur per viam accuſationis, & conuincatur non ſolum eſt eijciendus à Monaſterio, ſed etiam deponendus 62.

Recipientes ſimoniacè aliquem in Monaſterium nedum ſuſpendi debent ab officio, ſed etiam à Monaſterio expelli, ſed etiam deponi, ſi procedatur per viam accuſationis 63.

Vbi criminalitèr agitur poteſt tàm contrà dantes, quàm contrà recipientes inuri pæna infamia 64.

Per ſimoniam commiſſam in quocunque alio genere ab aſſignatis nulla pæna ipſo iure incurritur 65.

Solus Rom. Pont. poteſt per quandam ſpeciem diſpenſationis efficere, vt beneficia ſimoniacè collata poſſint iuſtè retineri 66.

Non obſtante, quod beneficium fuerit receptum ignorante beneficiario adhuc requiritur diſpenſatio Papæ 67.

Etiam, ſi beneficiarius ratam non habuerit ſimoniam 68.

Etiam, ſi delictum fuerit occultum 69.

Etiam, ſi beneficium fuerit ſimplex, ſi ipſe ſimoniam commiſerit, ſecus ſi alter ipſo ignorante 70.

Solus Pontifex quoad pretium poteſt diſpenſare, vt detineatur 71.

Exponuntur nonnulla dubia, & explodantur 72.

Simoniacus conuictus, & frequens poteſt pæna corporali puniri 73.

VLtrà pœnas nullitatis, inhabilitatis ſiuè ipſo iure, ſiuè poſt ſententiam, de quibus hactenùs egimus, plures alię contrà ſimoniacos ſunt pœnæ iniunctæ, puta excommunicationis, ſuſpenſionis, depoſitionis, interdicti, irregularitatis, & infamiæ, de quibus ſermo inſtituitur in præſenti, quæ quidem pœnæ, quià in ordine ad diuerſas ſimonias poſſunt quandòque eſſe diuerſæ, vel diuerſo modo afficere ſubiectum, ideò in ordine ad ſingulas ſingillatim placet titulum diſcutere; vel etenim ſimonia eſt confidentialis, vel purè mentalis, vel conuentionalis, vel realis. Rurſus, ſi eſt conuentionalis, vel realis, vel eſt talis in ordine, in beneficio, vel in ingreſſu in Monaſterium, vel in alijs rebus. Tandem, vel huiuſmodi pœnæ afficiant delinquentem, vel delinquentes ipſo iure, an tantum poſt ſententiam Iudicis condemnatoriam, vel declaratoriam. Singula ex profeſſo ſunt expendenda, ſed quià ob prolixitatem materiæ, ob varietatem ſubiectorum, ob diuerſas factorum ſeries, ob difficultatum numerum prolixa nimis, & implexa euaderet prænotio, ideò maioris claritatis gratia placuit eandem in plures ſectiones diuidere ſingula ad ſua propria capita referendo.

SECTIO I.

Quas pænas inducat ſimonia confidentialis, & quid propriè ſit.

PLura de ſimonia confidentiali attigimus ſub hoc titulo Prænot.2. ex occaſione, nunc ex profeſſo in toto rigore examinanda eſt tam quoad ſui ſubſtantiam, quàm quoad pænas, quibus ex diſpoſitione iuris afficitur. In hac igitur ſectione diſcutietur primò, quid ſit, & quandonam propriè, & in rigore committatur. Secundò quænam ſint pænæ contra delinquentes in tali genere ſimoniæ impoſitæ. Tertiò, an huiuſmodi pænæ, vt incurrantur exigant expreſſum pactum ex parte vtriuſque. Quartò, an huiuſmodi pænæ incurrantur, quandò quis recipit beneficium, an verò, quandò exequitur confidentiam. Quintò, an huiuſmodi pænæ ipſo iure afficiant delinquentes, an verò exigant ſententiam. Sextò, an afficiant Cardinales, alioſque Prælatos, & quomodò, & alia plura his ſimilia, & dependentia ab iſtis.

Rationes, quæ examinabuntur ſub hoc titulo.

1 Exordiamur iam a primo, ex cuius declaratione facilius poſtea innoteſcet, quandonam incurrantur, vel non incurrantur pænæ impoſitæ contra ſimoniacos confidentiales. Dico igitur, ſimoniam confidentialem eam eſſe, qua quis beneficium Eccleſiaſticum, aut conferendo alicui, aut in eius fauorem reſignando, aut ad illud eundem præſentando, eligendoue, aut aliquid prædictorum, vt fiat, curando conuenit, aut paciſcitur tacitò, expreſſeuè cum eo, cui beneficium vult conferre, aut in eius fauorem reſignare, vel quem vult præſentare, eligere &c. vt illud idem beneficium aut ſibi, aut alteri reſignet, vel penſionem ex eo, fructus, eorumque partem alteri præſtet. Hæc ſimonia confidentialis locum tantum habet in beneficijs per ea, quæ notat *Vgolinus de ſimon. tab. 1. cap.22. §.1. num.2. ex Bullis Pij IV. & Pij V.* de quibus infra, & propterea nos hic dicimus *qua quis beneficium Eccleſiaſticum, aut conferendo alicui &c.* Ex eo autem, quod dictum fuerit, *conuenit, aut paciſcitur tacitè, expreſſeuè cum eo &c.* ſuboritur difficultas, an ſolummodò hæc ſimonia confidentialis committatur per pactum, ſeù conuentionem ſiue expreſſam, ſiuè implicitam, an verò etiam per intentionem in mente retentam, vt reſignatarius beneficium reſignatum ſibi iterum, vel amico reſignet, vel per ſpem, quatenus reſignando ſperat illud idem ſibi, vel alteri renuntiatum iri ab eodem.

Quid ſit ſimonia confidentialis.

Locũ tantum habet in beneficijs.

2 Qua in re ſentio per illam intentionem in mente retentam, & per illam ſpem non induci ſimoniam confidentialem ſaltem quoad pænas contra ipſam inductas *Gloſa in cap. ordinationes 1. quæſt.1. Nauarrus conſ. 80. de ſimonia, Vgolinus d. tab.1. cap.22. §.1. num.5. & 6.* aduerſus *Bonacinam de ſimonia quæſt.7. §.1. nu.4. Ognate tract.23. de ſimonia diſp.85. ſect.6. num.152.* Ratio eſſe poteſt, quia in tali reſignatione, & beneficij receptione nec vlla modica apparet ratio, qua confidentia illicita inducatur; nullus enim contractus oneroſus per illam initur, nec voluntas illum faciendi interuenit per ea, quæ notat *Nauarrus in manuali cap.23. num.109. ad duodecimum*, nec talis reſignatio, & receptio cum illa intentione iure naturali, nec Diuino, nec Eccleſiaſtico per extrauag. Pij IV., & V. interdicitur tanquam confidentia ſimoniaca, non naturali, quandòquidem naturæ inditum eſt, vt ab ijs, quibus beneſecimus, gratiam expectemus *arg. l. ſi non ſortem §. libertas iunct. gloſ. ff. de condit. indeb.* non diuino, quia non damnat quamcunque confidentiam, ſed dumtaxat inordinatam, qualis non eſt illa, de qua loquimur; non Eccleſiaſtico per illas extrauag. eo quia illæ nihil prohibent, quod antea non fuerit prohibitum, non enim prohibent confidentiam beneficialem quomodòcunque, ſed tantum confidentiam illicitam, & ſimoniacam, vt patet ex proemio Extrauag. Pij IV. Ibi *Sanè licet dudum cum certam ſimoniacæ prauitatis ſpeciem, quam beneficiorum confidentiam vocant*, & ex principio colligitur intentio diſponentis *l. fin. ff. de hæred. inſtit.* Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, vtramque illam Extrauag. comprehendere illam intentionem, ſeu ſpem iterum per reſignationẽ reaſſumendi idem beneficium, quandòquidem in illa Pij V. dicitur *Etiam ſola dimittentis intentione reſeperit*. Rurſus *conſcientia tantum vnius partis*. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ibi ſolummodò dicitur, quod illa intentio, ſi probetur, faciat præſumi ſimoniam confidentialem, non propriè ſecundam ſe inducat, vt optimè notauit *Nauarrus d. cap. 23. num. 110. verſ. ſexto, quod hæc Extrauag.* Non negauerim tamen, quod, ſi illa intentio fuerit cum extrinſeca manifeſtatione aliqua, licet non per modum pacti expreſſi, ſed tali, vt indicet animum reſignantis eſſe ad obligandum ad iterum reſignandum in fauorem illius, vel alterius intuitu ipſius, qui prius reſignauit, & ſub tali obligatione primus reſignatarius acceptarit, eſſet propria ſimonia confidentialis ſaltem mentalis coniuncta cum opere externo eo modo, quo *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris* dicebamus de mutuo præſtito cum intentione vſuraria aliquid accipiendi vltra ſortem, licet non cum pacto ſiuè explicito, ſiuè impli-

Gloſa. Nauarrus. Vgolinus Bonacina. Ognate.

Nauarrus.

Damnatur tantum confidentia inordinata.

Eſt ad ſummum interna præſumptio, non realis confidentia.

Nauarrus.

implicito, quod ſi acceptatur cum tali intentione, licet non expreſſa per modum pacti, & conuentionis per mutuatarium, conſtituitur propriè vſurarium.

3 Committitur non ſolum confidentia damnabilis in reſignatione, & receptione beneficij, quandò fit cum pacto, & conuentione ſiue explicita, ſiue implicita, quod reſignatarius poſt aliquod temporis teneatur iterum reſignare in fauorem primi reſignantis, ſed etiam, quandò fit cum pacto, & conuentione, vt reſignatarius ſoluat penſionem, fructus, eorumq; partem alteri ab ipſo reſignante, vt clarè colligitur ex definitione ſimoniæ conuentionalis mox poſitæ, & *ex d. extrauag. Pij V.* Hic tamen oritur difficultas, an, ſi eſſet conuentio, quod penſio, fructus, eorumque pars reſeruaretur non alteri a reſignante, ſed ipſi, eſſet propriè ſimonia confidentialis, an ſimonia ſimplex. *Nauarrus in conſ. 32. & conſ. 33. num. 4. & alibi* docuit conformitèr *ad d. Extrauag. Pij V.*, quod, quandò reſignans, vel penſionem, vel fructus, vel partem eorum ſibi reſeruarit, non ſit propriè ſimonia confidentialis, ſed ſimplex, quandòquidem in d. Extrauag. dicitur *Alij, vel alijs*, quæ dictiones important ex ſuo conceptu alietatem à reſignante, & cum verſemur in odioſis, non debemus rem extendere vltrà proprietatem, & expreſſionem formalem verborum; Nihilominus, quidquid ſit de tali ſimonia in terminis Bullæ Pij V., manifeſtè comprehenditur ſub ſimonia confidentiali in terminis Bullæ Pij IV. (cuius non eſt correctiua poſterior Pij V. ſed potius ampliatiua) vbi dicitur: *Ac ſibi propterea penſiones &c.* Deindè attento fine, & cauſis, propter quas inducta eſt ſimonia confidentialis, de quibus mox ſubdam, clarè liquet etiam talem reſeruationem penſionum, fructuum, ſeù partis eorundem pro ſe in talibus iuribus comprehendi, vndè illæ dictiones *Alij, & alijs* poſitæ à Pio V. non ſunt reſtrictiuæ, ſed ampliatiuæ ad illud, quod prius dixerat Pius IV. *Ac ſibi propterea penſiones &c.*

Eſt etiam confidentia, ſi per reſignatarium ex pacto etiã implicite eſſet ſoluẽda penſio alteri à reſignãte.

Nauarrus,

4

Eſt etiam confidentia, ſi ex pacto reſignatarius ſoluere debeat penſionẽ ipſi reſignanti.

5 Ne autem aliquid deſit, quod ad plenam notitiam ſimoniæ confidentialis requiratur, neue alibi tenear exponere, quod opportunè hic poteſt examinari, placet hic diſcutere, vndè ſimonia confidentialis ſit dicta, vndè ortum habuerit, & ob quas cauſas fuerit introducta. Quoad nominis igitur Ethimologiam dicta eſt ſimonia confidentialis a confidentia, quam reſignans habet, quod reſignatarius iterum beneficium in ſui fauorem, vel ſoluturus penſionem, vel fructus ipſi, vel alijs iuxtà conuenta, vel explicitam intentionem ſimoniacam ea proportionali ratione, qua fideicommiſſa dicuntur talia à fide illius, cui committuntur, vt non alienet in alios vſus diſtinctos ab illis, quos intendit fideicommittens *§. fin. Inſtit. de fideicom. hered.* Quoad finem, & cauſas reſignationis fiducialis, ſeù confidentialis tres, vel quatuor communitèr aſſignant Doctores, ob quas potiſſimum damnatur. Prima eſt ad effugiendum onus ſoluendi aunatam, aliaque onera, quæ Apoſtolicæ Sedi debentur, quandòquidem multoties fit reſignatio perſonis priuilegiatis, quæ talibus oneribus ex priuilegio non ſubiacent, prout clarè colligitur in Bulla Pij IV. verſus principium, & in illa Pij V. *verſ. præſertim ab illis.* Secunda eſt ad vitandam pænam priuationis eiuſdem beneficij, quod reſignat propter delictum ab eodem reſignante commiſſum, vel committendum. Hoc euenit in beneficiario, qui cum commiſerit delictum aliquod, ob quod rationabilitèr timet ſe tali beneficio priuandum in pænam auctoritate Superioris ad euitandam talem pænam illud reſignat alteri eo pacto, & conditione, vt poſt abſolutionem habitam delicti iterum beneficium reſignatum ſibi reſtituat, quod idem contingit, quandò nondum commiſit delictum, ſed intendit committere; tunc etenim etiam confidentialitèr reſignat, ne per delictum, quandò commiſſum fuerit, priuetur appoſita poſteà eadem conditione, vt poſtquam fuerit abſolutus ſibi, idem beneficium reſtituatur. Tertia eſt ad effectum faciendi perſeuerare idem beneficium in eadem familia quantumuis pro aliquo tempore in illa nullus ſit habilis ad idem, vel propter delictum, vel propter ætatem. Sit exemplum. Eſt ſenex aliquis beneficiarius in aliqua familia, qui cupiens beneficium, quo gaudet, perſeuerare in ſua familia, nec aliquem habens habilem ad illud, vel quia, ſi qui eſt in illa irregularis eſt, vel nundum quis natus eſt, ſperatur tamen naſciturus, reſignat tertiæ perſonæ capaci cum eo onere, vt facto aliquo capaci, & idoneo ex ſua familia teneatur illud eidem reſtituere, ſeù reſignare in fauorem illius, & interim ſibi ſoluere certam penſionem, vel fructuum quantitatem. Alias alij aſſignant cauſas, quæ tamen omnes coincidunt cum aliqua ex enumeratis, in quibus propterea non immoror.

Confidentialis ſimonia vnde dicta.

6

Finis, & cauſa dãnationis ſub pænis, & cauſa, ob quas fuerit inuenta, & inducta.

Exemplũ ſimoniæ confidentialis.

Agunt hic fusè aliqui de coniecturis, probationibus, & præſumptionibus, quibus cognoſci poſſit, an ſimonia propriè confidentialis interuenerit, quando ex expreſſis pactis euidentèr de illa non conſtat. Plures congruentias, & modos, ex quibus poſſit præſumi, apponit Pius V. in ſua Bulla am allegata, ex quibus nonnullas deduco; cæteras in proceſſu quæſtio- 7

num

Prima congruentia eruta ex conſtitutione Pij V.

num attingentur. Prima eſt, quandò beneficium aliquod ex reſignatione receptum eſt, ſed cum circuitu retroceſſionis cum regreſſu, vel acceſſu, quod, vt percipias, attende quid propriè ſit regreſſus, ingreſſus, & acceſſus. Regreſſus eſt, quandò inter reſignantem, & reſignatarium facta eſt conuentio, vt, ſi reſignatarius præmoriatur reſignanti, beneficium reſignatū redeat ad eundem reſignantem; Ingreſſus verò, quandò ille, cui beneficium primo collatum eſt ante adeptam poſſeſſionem eiuſdem alteri reſignat appoſito pacto ſimili præcedenti. Acceſſus verò eſt, quandò quis confert beneficium alicui ea appoſita conditione, vt illud deinceps alteri cedat, quandò v.g. peruenerit ad talem ætatem, vel factus fuerit capax illius.

Quid ſit regreſſus, ingreſſus, acceſſus.

Secunda congruentia ex eadem eruta.

Secunda eſt, quandò beneficium alteri confertur cum eo onere, vt poſtea in fauorem alterius ad arbitrium collatoris reſignet, vel vt penſionem, vel fructus, vel partem eorundem ſoluat. Reliquas omnes congruentias, & modos præſumendi, & probandi hanc ſimoniacam prauitatem confidentialem excipe ex præcitata Bulla Pij V., quam, quia non ſolum continet modum probandi, præſumptiones, ſed etiam ſalubres ſanctiones maximè ad plenam notitiam eorum omnium, quæ ad hanc materiam ſpectant, conferentes, & penas &c. placuit per extenſum ſaltem quoad eas partes, quæ ad præſens inſtitutum conferre poſſunt, referre, & eſt huiuſmodi.

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Bulla Pij V. per extenſum.

8 *INtolerabilis multorum peruerſitas &c. Veruntamen præter improbas multorum cupiditates prædicta, quæ ad purgandam hac pernicie Eccleſiam, & animarum ſalutem ab ipſo Prædeceſſore, edita ſunt in multis deprendimus viam aperuiſſe grauius delinquendi &c.* Hic numerantur grauiora, quæ Pontifex deprehendit obueniſſe ex præcedeſſoris ſui conſtitutione. *Quare nos volentes periculoſam talium audaciam noui iuris ſubſidio cohibere præſentium auctoritate ſtatuimus, vt ſi quis quacunque auctoritate Eccleſiam, vel Monaſterium, aut aliud beneficium Eccleſiaſticum qualecunque ex reſignatione, vel ceſſione cuiuſcunque perſonæ ſimpliciter, aut cum circuitu retroceſſionis cum regreſſu, vel acceſſu etiam ſola dimittentis intentione receperit, vt illa, vel illud etiam in euentum regreſſus, vel acceſſus eidem dimittenti, vel alteri poſteà conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alij, ſeù alijs concedantur, vel penſiones ſoluantur ex eiſdem, hæc confidentia cenſeatur. Itidem ſi ordinarius, vel alius collator contulerit ante hac, aut conferat in futurum beneficium Eccleſiaſticum quouiſmodo vacans ea conditione tacita, vel expreſſa, vt poſteà in alterum pro arbitrio collatoris, ſeù alterius cuiuſcunque contrà iuris communis ordinationem diſponatur, ſiuè vt de eo promiſſus fructus illius, vel partem ad vtilitatem, vel libitum conferentis, vel decedentis, aut alterius relinquat, & dimittat, ſeù penſionem illi, vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per ſe, vel alium ſcripto, aut verbo iuſſerit, ſeù ſignificauerit, perſoluat, & pariter ſi à Patrono etiam laico, vel alteri præſentatori, ſeù electori contigerit, aut contingat id fieri. Adhac, ſi Clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alius à ſolutione iurium eiuſdem Cameræ, vel etiam Cancellariæ Apoſtolicæ exemptus poſt reſignationem, vel ceſſionem alicuius extranei de Eccleſia, Monaſterio, vel alio beneficio Eccleſiaſtico in ſe Apoſtolica, vel alia auctoritate factam, & admiſſam illam, ſeù illud etiam confectis literis Apoſtolicis, & poſſeſſione aprehenſa in eundem reſignantem, vel cedentem modo ſpacio interiecto veluti duorum, aut trium menſium retroceſſerit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retroceſſione fructus Eccleſiæ, ſeù Monaſterij, aut beneficij, vel eorum pars, ſeù penſio, ſeù quid aliud ſuper illis reſeruatum, aut regreſſus, ſeù acceſſus, & ingreſſus ad illum, ſeù illud ipſi Clerico, vel Cardinali, aut alij exempto ſit, vel fuerit conceſſus. Poſtremò, ſi quis crimine aliquo abſolutus, aut cum quo ſuper irregularitate diſpenſatum eſt denuo receperit quacunque auctoritate Eccleſiam, Monaſterium, vel aliud beneficium Eccleſiaſticum, quod ante, vel poſt commiſſum delictum, aut contractam irregularitatem dimiſſeris, in quibus horum caſuum confidentiæ prauitas ſit contracta, caſuſque huiuſmodi literis prædictis comprehendantur, ac ſi illis ſpeciatim expreſſi fuiſſent, licet ipſum confidentiæ crimen alterius tantum partis conſcientia ſit admiſſum. Ad probandum verò planè confidentiarum abuſum inter alias etiam hæ præſumptiones, & coniecturæ habeantur legitimæ, videlicet ſi quis poſt ceſſam ab ſe Eccleſiam, vel Monaſterium, aut beneficium, & publicatam reſignationem, ſeù ceſſionem, captamque à ſucceſſore poſſeſſionem ſeſe in illa, vel illo, ſeù rebus illius per ſe, vel alium, ſeù alios de facto ingeſſerit, aut fructus perceperit, aut quicunque ſucceſſor illi, vel eius propinquis ipſos, aut partem aliquam remiſſerit eorundem. Si recipiens beneficium conſtituerit dimittentem, vel eius parentes, aut propinquos Procuratores ad percipiendum, vel locandum*

fructus

fructus beneficij dimiſſi, & illi, vel illis de fructibus perceptis, ſeu percipiendis donationem fecerit. Si vel ſola Procuratoris depoſitione, vel libris rationalibus menſariorum ex parte dimittentis expeditio, quæ perſonam recipientis concernit, proſecuta ſit, ſimulque expenſa pro ea neceſſaria ab illo facta fuerint. Denique ſi quis pro conceſſione alicui facta quacunque auctoritate de beneficio Eccleſiaſtico per ſe, vel alium, ſeu alios interceſſeris, vel alias in negotio conceſſionis ſeſe immiſcuerit quoquomodo, deinde aliquid de fructibus talis beneficij de facto etiam per manus poſſeſſoris, ac etiam ſimplicis donationis titulo perceperis, ſeu de illo poſtmodum ad voluntatem interceſſoris fuerit diſpoſitum quandocunque. Teſtes autem de quaque re ſingulares ſingulas probare valeant præſumptiones, & coniecturas, pluresque huiuſmodi præſumptiones, & coniectura plenam probationem faciant in prædictis. Cæterum criminoſi, & cæteri omnes, qui ad perhibendum in caſibus ſimoniæ teſtimonium, recipi poſſunt, ad prædicta omnia admittantur. Sed ne quiſquam etiam vana fiducia fretus non intendendi contrà ſe iudicij in crimine perſeueret, vtque hoc malum grauioris cenſuræ ſtimulo vſquequaque prohibeatur omnes, & ſingulos, qui hucvſque Eccleſias, Monaſteria, beneficia, fructus, penſiones, aliaſue res intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, niſi ſtatim ad ſe reuerſi, & reſipiſcentes ſceleris admiſſione ſibi proſpexerint, & qui quid tale admiſerint in futurum etiam omnibus, & ſingulis alijs Eccleſijs, Monaſterijs, Dignitatibus, Adminiſtrationibus, Officijs, & beneficijs obtentis, quæ pariter ſub dicta reſeruatione comprehendi volumus, nec non fructibus, penſionibus, ac alijs rebus Eccleſiaſticis, ac etiam Romana Curia, & alijs officijs temporalibus præſentium auctoritate priuamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in iuris ſubſidium excommunicationis ſententia innodamus, à qua nullus, niſi in mortis articulo conſtitutus ab alio, quam à Romano Pontifice abſolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim aduocatione cauſarum huiuſmodi, & reſeruatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium nobis, & prædictis ſucceſſoribus, vt prædictum eſt, facta (cauſis illis dumtaxat exceptis, quæ iam coram nobis pendere noſcuntur, ac etiam ijs, quæ ratione Eccleſiarum, & Monaſteriorum, quorum diſpoſitio in conciſtorio fieri conſueuit, aut debet, itemque contrà Ordinarios, collatores, Epiſcopos, & alios Superiores Prælatos etiam Cardinales habere contigerit, vti iam alijs noſtris literis ſtatutum eſt, audiendis, decidendis, & terminandis harum ſerie prorſus relaxata decernimus, ità deinceps quoſcunque Iudices Ordinarios, Delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac prædictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, ac ipſorum cuicunque quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbique iudicari, interpretari, & definiri debere, nec non irritum, & inane quidquid ſecus in prædictis per quoſcunque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocircà omnibus locorum ordinarijs diſtrictius iniungimus, vt in ſuis quiſque Eccleſijs, Ciuitatibus, Diœceſibus, & locis etiam exemptis ad prædicta ſtudioſè attendant, & quatenus illis relaxauimus, in delinquentes ſeuerè animaduertant, ſi Diuinæ Maieſtatis iudicium, dictæque Sedis cenſuram voluerint euitare. In cæteris verò cauſis, & negotijs (nobis, & prædictis ſucceſſoribus exceptis) eoſdem locorum ordinarios præſentium auctoritate delegamus, vt gratia, & fauore poſtpoſitis per ſe quiſque cum venerit vſus contrà prædictos omnes ſub ipſa exceptione comprehenſos diligenter inquirant, ſuoque Inquiſitiones omnes Sigillo obſignatas ad prædictam Sedem, quam primum tranſferant, vt nos, & prædicti ſucceſſores in cauſis huiuſmodi procedentes, quod iuſtum fuerit, decernamus. Nos enim ſingulis ordinarijs, & delegatis, alijſque perſonis quibuſcunque, ne prædictorum executionem quoquo modo impediant, vel alias in illis ſeſe interponant etiam per ſimile edictum inhibendi, eoſdemque, ac alios contradictores, & rebelles quoſcunque per cenſuras, ac pœnas Eccleſiaſticas, ac alia omnia iuris, ac facti remedia opportuna compellendi, auxilium bracchij ſæcularis, quandocunque opus erit, inuocandi, cæteraque vi prædictis omnibus, & ſingulis neceſſaria faciendi, & exequendi plenam, & liberam tenore præſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus &c.

9 Ex cuius Bullæ tenore iam habes primò, quot modis committatur ſimonia confidentialis, *verſ. quare nos volentes*, & *verſ. item ſi ordinarius* verſ. *ad hæc ſi Clericus*, & verſ. *poſtremo eod.* & verſ. *ſi recipiens beneficium*. Habes ſecundò coniecturas, per quas ex diſpoſitione Pontificis poteſt argui, & probari talis ſimonia *eiſd. verſ.*, & vlterius verſ. *ſi vel ſola Procuratoris*, & verſ. *denique ſi quis*. Habes tertiò probata vna coniectura ex enumeratis per Pontificem non intelligi plenè probatam ipſam ſimoniam confidentialem, habet enim ibi. *Teſtes autem de qua re ſingulares ſingulas probare valeant præſumptiones, & coniecturas, pluresque huiuſmodi coniectura, & præſumptiones plenam probationem faciant in prædictis*, ex quo ſequitur, quod vna præſumptio non plenam faciat probationem *l. cum Prætor ff. de iudic.*, & *cap. nonne de præſumptionibus*. Non negauerim tamen ex explicita diſpoſitione Pontificis in vno caſu

Enumerantur coniecturæ.

Probata vna coniectura nō eſt plenè probata confidentia.

caſu probata vna coniectura ſufficientèr intelligi probatam eandem ſimoniam, vt ſi v. g. ordinarius pacto tacito, vel expreſſo conferret alicui beneficium, vt ad libitum de illo poſſit diſponere; hoc enim in ead. Conſtit. cautum eſt, non autem extendendum ad alias coniecturas propter diſpoſitionem eiuſdem Pontificis - Ibi - *Teſtes autem de qua re ſingulares*. Habes quartò, quod teſtes ſingulares in hoc iudicio probant, & admittantur etiam criminoſi; ſi enim teſtes ſingulares probant coniecturas, & duæ coniecturæ ſimul plenè euincunt delictum, ergo ſi vnus vnam coniecturam euincit, & alter alteram, hæ duæ ſimul probatæ per teſtes ſingulares probabunt plenè ſimoniam. Habes quintò pænas, quæ contrà ſimoniacos confidentiales in beneficijs in huiuſmodi conſtitutione iniunguntur, ſed quia aliæ pænæ præter illas, quæ in præcitata Bulla irrogantur per Pium V. ſunt, quæ per Pium IV. imponuntur, nec licet per extenſum eiuſdem conſtitutionem referre, ne paginas tot Bullis impleamus, ideò ſingulas vtriuſque Pontificis hic ſummatim refero. Prima eſt nullitas collationum beneficiorum, regreſſus, fructuum, & reſeruationum penſionum. Secunda onus reſtitutionum fructuum inde perceptorum. Tertia priuatio beneficiorum etiam, quæ anteà legitimè poſſidebat. Quarta inhabilitas ad ipſa, aliaque impoſterum obtinenda. Atque de ijs fusè egimus ſuprà, dum de ſimonia ſimplici reali, quæ à fortiori verificantur in confidentiali, quæ ex genere ſuo grauior eſt, pro qua propterea etiam ipſo iure iniuncta eſt pæna priuationis beneficiorum iam antè legitimè obtentorum, quæ pæna non eſt impoſita contrà ſimoniacam collationem, & receptionem ſimplicem realem per ea, quæ ſuprà probauimus. Vlterius iniuncta eſt contrà Cardinales, alioſque Eccleſiæ Antiſtites priuatio ingreſſus Eccleſiæ ipſo iure, & contrà alios pæna excommunicationis. De his duabus poſtremis potiſſimum erit difficultatis ratio, quandoquidem de alijs iam fusè actum eſt, & quidem vigore conſtitutionis Pij IV. pæna excommunicationis non videtur afficere, niſi inferiores Cardinalibus, alijſque Eccleſiæ Antiſtitibus, nihilominus ex vi Bullæ Pij V. videtur etiam ad illos extendi in iuris ſubſidium - Ibi - *Sed ne quiſquam &c. in iuris ſubſidium &c.*

Probatio quoad teſtes.

Enumerãtur pænæ contrà ſimoniam confidentialem.

Et ecce iam progredimur ad ea, quæ ſecundo loco in titulo propoſita ſunt, vt diſcutiantur, examinare, pro quibus non ſolum expendendæ ſunt difficultates in explicatione eiuſdem tituli relatæ; ſed etiam aliæ occaſione ipſarum inde emanantes. Interim ſit

Aſſertio I. Quamuis non ſufficiat ſimplex intentio tradentis ad incurrendam excommunicationem, non requiritur tamen pactum expreſſum ex parte vtriuſque, ſed ſufficit expreſſio intentionis reſignantis cum illo animo, vt iterum ſibi, vel alteri, quem ipſe nominauerit, reſignetur, vel ſibi, vel alteri ſoluatur ex illo beneficio reſignato penſio, fructus, ſeù pars fructuum, ſine quo animo non reſignaretur, & acceptatio reſignatarij non reijciendo illam intentionem expreſſam. *Nauarrus cap. 23. de ſimonia num. 109. Bonacina quæſt. 7. §. 1. num. 4. Vgolinus de ſimon. in genere tab. 1. cap. 22. §. 1. num. 4.* neque quoad vltimas has particulas aduerſatur ijs, quæ ſupra dicebamus *in hac ead. Prænot. hac ead. ſect. 1. verſ. exordiamur*, quandoquidem ibi erat ſermo ſolummodò de illa intentione præſcindendo ab animo reſignantis obligandi ad implementum illius ſpei, ſeù intentionis, vndè ſubdidimus *in verbo non negantis tamen*; quod, ſi ille animus obligandi fuerit expreſſus, licet non per modum pacti, adhuc tamen inducat confidentiam ſimoniacam. 10

Nauarrus. Bonacina. Vgolin.

Probatur quoad primam partem ex expreſſis verbis Conſtitutionis Pij V. - Ibi - *etiam ſola dimittentis intentione*, & vlterius *licet ipſum confidentiæ crimen alterius tantum partis conſcientia ſit admiſſum*, quæ quidem excludunt tanquam neceſſarium pactum ad incurrendam hanc labem, & onera, quæ eidem ſunt annexa, ſiquidem pactum ex ſuo eſſentiali conceptu importat duorum, aut plurium in idem placitum, aut conſenſum *Vulpianus in l. 1. in principio ff. de pactis*; non eſt autem duorum placitum, vbi vnius dumtaxat eſt intentio, ergo etiam ſine expreſſo pacto dicendum eſt contrahi huiuſmodi labes, adeòque etiam pæna excommunicationis eidem affixa.

Expreſſa mens Pontificis.

Vulpian.

Probatur quoad ſecundam partem, quià mutuatio cum intentione expreſſa recipiendi aliquid ſuprà ſortem, quamuis illa expreſſio non ſit appoſita per modum pacti, ſeù conuentionis expreſſæ inducit vſurariam prauitatem, ſi non repugnando tali intentioni mutuatarius acceptet mutuum per ea, quæ latè ſupradiximus *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 13.*, & ſubdit ſic mutuantem quibuſcunque pænis iuris, ergo etiam reſignatio beneficij, illiuſque receptio cum illa intentione expreſſa per reſignantem, & non retractata per reſignatarium induit propriè labem confidentiæ ſimoniacæ, & reſignatarium ſubdit pænis iuris contra ſimoniam confidentialem illatis, præcipuè cum hoc exprimatur in iure dictæ Extrauag. Pij V. *ſola dimittentis intentione*. Confirmatur, quià præcitata verba, cum ſint amplia-

Argumentum deſumptum à paritate mutui.

ampliatiua ad aliquem effectum debent eſſe appoſita ſuprà id, quod importat pactum expreſſum, ſed noo poſſunt eſſe appoſita ad comprehendendam præciſè intentionem reſignantis ſiue animo aliqualitèr manifeſtato obligandi, & ad pactum expreſſum nequeunt referri, quandòquidem eſſent ſuperflua, cum tale pactum jam ſit appoſitum, ergo debent referri ad illam intentionem expreſſam cum animo obligandi, licet non ſit appoſita per modum pacti, ſeù conueotionis. Minor quoad primam partem, in qua ſolum eſt ſita diſſiculkas, prçterquamquod ex ſuperius enuntiatis probata eſt, ſic euincitur, quia huiuſmodi Piana diſpoſitio reſpicit ſolummodò confidentiam illicitam, & ex genere ſuo ſimoniacam, vt clarè colligitur tùm ex Proemialibus Bullæ Pij IV. -Ibi- *Sanè licet dudum, cum certam ſimoniacæ prauitatis ſpeciem, quam beneficiorum confidentiam vocant*, & ex verbis Pij V. -Ibi- *Contrà iuris communis ordinationem*, ſed illa confidentia cum ſola intentione tradentis ſine animo obligandi, non eſt nec illicita, nec ſimoniaca, quandòquidem confidentia ex genere ſuo non importat aliquam prauitatem, niſi annectatur conditionibus, per quas deturpetur, ſicuti ſpes in mutuo aliquid acquirendi ſuprà ſortem non ex iuſtitia, ſed ex beneuolentia mutuatarij non eſt illicita, nec vſuraria, ergo &c.

Verba illa cum ſint ampliatiua debent ad aliquẽ effectũ eſſe appoſita.

Debet eſſe cum intẽtione obligandi.

Probatur ſecundò quoad eandem ſecundam partem. Contrarietas iurium præcipuè quoad eandem diſpoſitionem eſt abſolutè vitanda, quantumuis verba eſſent in impropriam ſignificationem deflectenda *Bartolus in l. omnes populi in 6. quaſt. princip. ff. de iuſt. & iur. & in l. ſanctio in ſecunda col. in fin. verſ. circà hoc quæro ff. de pœnis, Baldus in l. executorem in 6. col. magna verſ. vt redeo ad materiam C. de execut. rei iud.* vndè debent reduci ad concordiam, & ita interpretari, vt prima dicta trahantur ad vltima, & vltima ad prima *Baldus poſt Pe. & Cyn. in l. cum falſa in vlt. col. verſ. ſed ponamus C. de iur. & fact. ignorantia*, ſed in hac conſtitutione Piana, de qua modo loquimur, niſi illa verba *ſola dimittentis intentione tradatur* in expoſitum noſtrum ſenſum deflectantur poneretur cõtrarietas ad alia verba ſubſequentia, videlicet *ea conditione tacita, vel expreſſa*, quæ important ex ſuo conceptu vtriuſque contrahentis conſenſum ſaltem implicitum, & ſimul obligationem, cum conditio in conuentionibus appoſita obliget, ergo ad declinandum ab hac cootrarietate debemus præcedentia verba: *Sola dimittentis intentione* ſecundum ſenſum expoſitum interpretari. Confirmatur, quia illa reſignatio cum intentione illa dimittentis notificata cum animo obligandi, & acceptata per reſignatarium ſine contradictione ad illam intentionem notificatam æquiualet implicitæ conditioni, ſeù tacitæ conuentioni, ſiquidem illa acceptatio habetur pro conſenſu, ergo iuxtà hunc ſenſum habetur pro conditione implicita requiſita ex diſpoſitione Pij V. ad incurrendas pœnas appoſitas, ſicque fit euidens concordia talium iurium, & cum concurrat voluntas ſaltem implicita reſignatarij, concurrit quantum requiritur ad incurrendam excommunicationem, quæ non incurritur ſine voluntate eius, qui ipſam dicitur contrahere.

Eſſet contrarietas in iuribus, niſi ſecundum hunc ſenſum fieret interpretatio.

Bartolus.

Baldus. Cinus.

Æquiualet implicitæ conuentioni.

Aſſertio II. Huiuſmodi Excommunicatio lata contrà ſimoniam confidentialem in beneficijs afficit ſolummodò beneficiarios recipientes, non autem reſignantes, nec mediatores ad illam, quidquid quoad reſignantes dixerit *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 35. de ſimonia dub. 26. num.* 147. qui tamen, quod dicit, ſupponit, non probat, & quoad mediatores aſſeruerit *Quaranta verb. ſimonia fol. penul. verſ. eſt, & alia pœna, & Nauarrus cap. 23. num.* 110. *verſ. adde*. Stant pro aſſertione *Suarez de cenſuris diſp. 22. ſect. 6. num.* 15. *Azorius tertia parte lib.* 12. *cap.* 10. *Filliutius tract.* 15. *cap.* 5. *quaſt.* 9. *num.* 122. *Bonacina de ſimon. quaſt.* 7. §. 1. *num.* 3. & *num.* 11. II

Leſſius. Quaranta. Nauarrus. Suarez. Azorius. Filliuc. Bonacina.

Probatur io vniuerſum, quià pœnæ latæ contrà aliquod delictum non extenduntur, niſi ad eas perſonas, quas exprimunt iura imponentia tales pœnas juxta vulgata iura, quod odia non ſint extendenda, ſed in præfatis conſtitutiooibus tàm Pij IV. quam Pij V. non exprimuntur, niſi reſignatarij recipientes, & quidem Pius IV. aſſerit *recipere præſumant*, & Pius V. *Sola dimittentis intentione receperint*, nec ibi vllum verbum eſt, quod comprehendat reſignantes, ergo &c. Nec incongrua ſane ratione, vt aſſerit *Bonacina d. quaſt.* 7. §. 1. *prop.* 1. *num.* 3. Pontifex ſpecialius contrà recipientes hanc pœnam impoſuit ob maiorem procliuitatem ad recipiendum, quam ad dandum.

Maior procliuitas ad recipiendum, quam ad dandum.

Probatur ſecundò ſpecialitèr quoad Mediatores contrà Nauarrum, quia pœnæ impoſitæ contra factores, non extenduntur ad conſulentes, & procurantes &c. niſi exprimantur *Bartolus in l. furtiua cum l. ſequenti, quæ incipit prouidè per illum text. ff. de condit. furt. Felinus in cap. ſicut dignum num. 7. de Homic.* ſed iura imponentia talem pœnam Excommunicationis ſolum exprimunt recipientes, nullatenus mediatores, aut conſulentes, ergo &c. Neque obſtare poteſt id, quod aſſerit idem *Nauarrus d. cap. nu. 23. 110. verſ. adde nonò vndecimò* nempè per Extrauag. eorundem Piorum prohiberi quamcunque confidentiam, quæ ſit ſimo-

Bartolus. Felinus. Nauarrus.

niaca

Iura non exprimũt, niſi recipientes, nõ autẽ mediatores.

niaca beneficialis, & cum omnis mediator ſimoniæ in beneficio, & ordine ex vi *Extrau. 2. inter communes de ſimonia* ſit ipſo facto excommunicatus, videri hanc pænam mediatorem in ſimonia confidentiali ipſo facto incurrere; Non, inquam, obſtare poteſt, quia non eſt facienda in pænalibus extenſio de caſu in caſum, quamuis inter vtrumque ſimilitudo inueniatur, & ſicuti quamuis inter reſignantem, & reſignatarium, quantumuis intercederet ſimonia, ſi de iure nouo ex vi conſtitutionum dictorum Piorum IV., & V. non eſſet inducta excommunicatio, eadem non incurreretur per eundem reſignatarium, quia pænæ in ſimoniacos reales ſimplices comminatæ non extenduntur ad fiduciales, ſeu confidentiales, ita quamuis in tali reſignatione confidentiali intercedat ſimonia, cum in mediatores ex vi talium conſtitutionum non ſit inducta excommunicatio, cum hæc ſolum afficiat confidentialitèr recipientes, per eoſdem mediatores non debet dici incurri; nec alia contra ſimoniacos reales ſimplices illata debet extendi ad mediatores in ſimonia beneficiorum confidentiali, cum illa ſecundum ſe ad confidentiam non amplietur.

Iura ad remouendum quãdoq. grauius puniunt id, ad quod eſt maior proclinitas, quam maior grauitas.

Aduerſus ea, quæ hactenùs in hac aſſertione dicta ſunt videtur militare, quod grauior culpa afficiat reſignantem, quam recipientem, ſiquidem tota diſpoſitio eſt in fauorem ipſius, & ab ipſo talis ſimonia ſumit denominationem, cum confidentia ſit penes reſignantem, non reſignatarium; incongruum autem videtur, quod pro eodem delicto magis puniatur minùs delinquens, ac grauiùs delinquens. Sed hæc nullatenus vrgent, quandoquidem iura ad remouenda ſcelera quandoque grauiùs puniunt id, ad quod homines ſunt procliuiores ad delinquendum, quam id, quod grauius eſt, ſic alicubi ex diſpoſitione Edictorum Epiſcopalium pæna reſeruationis afficit delinquentes in genere ſodomiæ, non in genere beſtialitatis, quantumuis ex genere ſuo grauius ſit delictum in iſto, ac ſit in illo genere; non niſi, quia procliuiores ſunt homines ad delinquendum in iſto, ac in illo, cum natura ipſa magis a vitio beſtialitatis abhorreat. Cum igitur faciliores ſint homines ad recipienda, quam ad reſignanda beneficia, ideò non incongruè iura grauiùs recipientes, quam reſignantes puniunt, quantumuis delictum illorum videatur eſſe grauius. Deindè, quamuis quoad hanc pænam excommunicationis grauius puniantur recipientes, quam reſignantes, in alio tamen pænarum genere ſcilicet nullitatis, & priuationis beneficiorum videntur grauius puniri reſignantes, quam recipientes, ſiquidem

Puniuntur deindè grauius in alio genere reſignãtes, quam reſignatarij.

amittunt illud ius, quod habebant in talibus beneficijs ſine vlla ſpe illa impoſterum repetendi, recipientes verò licet amittant illud ius poſſeſſionis in talibus beneficijs, quia tamen hoc ius non eſt ità plenum, cum ſit ſolummodò in via, cum redire debeat ad eundem reſignantem, vel ad alterum ex ipſius placito, ideò &c. Tandem in pænalibus ſtandum eſt expreſſioni iuris, non identitati rationis, vel maioritati.

Aſſertio III. Probabiliùs eſt pænam excommunicationis latam contra recipientes beneficia ſimoniacè confidentialitèr extendi etiam contra Cardinales, nec per ipſam ceſſare pænam interdicti ipſo iure ingreſſus in Eccleſiam latam per extrauag. Pij IV. Ita quoad primam partem *Pariſius in tract. de confidentia, Auctor lib. Excommun. in Archiepiſ. Bonon. cap. 2. nu. 5.* quam etiam probabiliorem exiſtimat *Bonacina d. quaſt. 7. §. 1. prop. 2. num. 12. verſ. alij tamen in fine* aduerſus *Nauarrum c. 23. num. 109. & 200. Sairum lib. 3. cap. 21. nu. 6. & alios apud eundem Bonacinam*. Quoad ſecundam partem eſt conformis Conſtitut. Pij V. 12

Pariſius. Bonacina. Nauarrus. Sairus.

Probatur prima pars ex apertis verbis eiuſdem Pij V., qui vniuerſalitèr loquitur de omnibus, & ſingulis recipientibus Ibi. *Omnes, & ſingulos*; Ex vulgaris autem iuribus, qui omnes ſine alicuius exceptione dicit, nullum penitus excludit. Deindè clarius etiam, & ſine vlla hæſitandi ratione hoc idem exponitur in alia Bulla ſubſequenti eiuſdem Pij V. Incip. *Hodie in Conſiſtorio* qua expreſsè declarauit omnes pænas contentas in Extrauag. extendi etiam ad Cardinales, & hinc excluduntur rationes, quæ in contrarium afferuntur, nempè, quod idem Pius V. cum mentionem non fecerit expreſsè de Cardinalibus, alijſque Eccleſiæ Præſulibus videtur ſe remittere diſpoſitioni Pij IV. imponentis contrà eoſdem duntaxat interdictum ingreſſus in Eccleſiam. Item idem Pius V. extendit pænam excommunicationis etiam ad eos, qui antea ſimoniam confidentialem in beneficijs commiſerant, ergo non afficit Cardinales, alioſque Eccleſiæ Prælatos, cum antea tali pænæ non ſubiacerent, cum excommunicatio ad præterita non extendatur; Excluduntur, inquam, quia vbi eſt clara mens Pontificis non eſt ambigendum de dubietate ipſius intentionis; cum igitur in ſubſequenti Bulla expreſsè dicat, quod velit comprehendi ſub præfata excommunicatione etiam Cardinales, non eſt, cur &c. Ad id, quod ſubditur dicendum eſt Pontificem extendiſſe pænam excommunicationis etiam ad eos, qui antea &c. non quatenus præciſè pro eo tempore antecedenti dictam Bullam Pij V. contraxerint,

Expreſſè habetur per diſpoſitionem Pij V.

[illegible] comprehē dere.

ſed quatenus ſtatim poſita dicta Conſtit. & [illegible] beneficia, quæ receperant, non dimiſerint, potuit enim Pontifex id, quod prædeceſſores ipſius non ſtatuerant, vel non expreſſerant in ordine ad aliquas perſonas, ſtatuere, vel exprimere, eaſque priuare, & in pænam, ſi non dimiſerint pæna excommunicationis afficere, vt de facto præſtitit *Omnes, & ſingulos, qui huc vſque Eccleſias, Monaſteria, Beneficia &c. intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, & retinent, niſi ſtatim ad ſe reuerſi, & reſipiſcentes celeri dimiſſione*, ſicque hæc non eſt pæna præciſe receptionis antecedentèr poſitæ, ſed retentionis poſt poſitam conſtitutionem prohibentem talem retentionem. Vel dicas Pontificem extendiſſe quidem alias pænas nullitatis &c. ad eos, qui ante commiſerant, adeò vt modò declaret, & ſtatuat irritum eſſe, quod ante factum eſt, non autem pænam excommunicationis, adeò vt afficiat etiam delinquentes etiam pro tempore antecedenti, ſed tantum pro ſubſequenti, pro quo continuatur delictum, & ſic non trahitur ad præterita, ſed duntaxat ad futura.

Pius V. nõ tollit pænas appoſitas per Pium IV., ſed potius cõfirmat.

Probatur ſecunda pars, quia Pius V. per ſuam conſtitutionem ſubſequentèr poſitam non limitat, nec corrigit, nec demit pænas per Pium IV. prædeceſſorem ſtatutas, ſed potius confirmat, roborat, & auget. Ibi. *Literis prædeceſſoris huiuſmodi nihil eminus in ſuo robore duraturis*, ergo cum velit Pontifex omnia per Pium IV. prædeceſſorem in ſuo robore remanere, & in ijs contra Cardinales, alioſque Eccleſiæ Antiſtites impoſitum ſit interdictum ingreſſus in Eccleſiam, & vlterius addat pænam excommunicationis per hanc non debet dici illi fuiſſe derogatum, ſed pænas pænis ſuperadditas; Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, hoc nimis rigidum eſſe, vt pro vno, eodemque delicto intelligatur contra Cardinales hæc duplex pæna impoſita, cum contrà alios, non niſi excommunicatio ſit illata. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia vt præfertur in proemio Conſtitutionis Pij IV. grauius videtur ipſorum delictum, tùm ob eorum præeminentiam, tùm quia ſunt euocati in Apoſtolicæ ſollicitudinis partem. Ibi. *Hanc illicitam beneficentia exercenda, ſeù amicitia colenda viam à tanto ſaltem Collegio prorſus eliminare cupientes*, & paulo ante, *vt qui cæteros illuſtris officij ſublimitate antecelluns, eoſdem priſca etiam illa morum integritate præſtare dignoſcantur*, adeòque nil mirum, ſi contrà ipſos grauior pæna imponatur. Accedit primò, quod ipſorum auctoritas pleniorem, & faciliorem aperit viam confidentijs, cum vt præfertur in eadem Conſtitutione Pij IV. *Confidentes decimarum Apoſtolicarum, vel communis dicti Collegij, & annata, aliorumque iurium dictæ Cameræ, debitorum ſolutionem eludant*, adeòque ſtrictionibus pænis debuit impediri. Accedit ſecundò, quod ipſi difficiliores ſe exhibuerunt Apoſtolicis obedire mandatis fortaſſis freti auctoritate, qua funguntur. *Quare nos hanc Cardinalium eorundem in monitionibus noſtris parendo in curiam, & tàm illorum, quàm cæterorum Prælatorum, etiam Clericorum, & aliorum quorumcunque indignam fallaciam conniuentibus oculis diutius minimè diſſimulandam*, adeòque debuerunt ſtrictioribus iuris remedijs à reſiſtentia amoueri, & à delicto.

Ob grauiorem qualitatẽ delicti nõ eſt mirandũ grauiorẽ pænam imponere.

Eſt plenior, & facilior via in Cardinalibus; quã in alijs, & quare.

Cardinales ſe difficiliores præbuerũt ad parẽdũ ideò &c.

Aſſertio IV. Præallegatæ penæ incurruntur per delinquentes ſtatim, ac beneficium confidentialitèr per ipſos recipitur, etiam antequam confidentia exequatur. *Ognate tract. 23. diſp. 85. ſect. 6. num. 153. Bonacina quæſt. 7. §. 1. prop. 1. num. 8.* qui teſtatur de communi. 3

Ognate. Boſacina.

Clarior, & efficacior probatio huius aſſertionis haberi non poteſt, quam ab expreſſa mente eiuſdem Pij V., ſine qua potius contrarium eſſet ſtatuendum tum attenta natura pænalium diſpoſitionum, quæ non debent extendi, niſi ad delictum plenè conſummatum; tùm ex ſuperius dictis de nullitate impoſita in ſimonia ſimplici reali quoad beneficia, vbi dictum eſt, quod, ſi ſimonia non fuerit ex vtraque parte completa, non ſubeat pænas iuris, adeò vt, ſi pretium fuerit receptum per collatorem, & per ipſum beneficium non fuerit collatum idem pretium ſoluenti, ſit reſtituendum, & ſi beneficium ſit receptum, & non ſolutum pretium ipſo iure beneficium ipſum non ſit dimittendum, quæ omnia videntur etiam conferre vim in ſimonia confidentiali, niſi fuerit completa per confidentiam executam. Nihilominus aſſertio per expreſſam diſpoſitionem dicti Pontificis euincitur ex illis verbis *Omnes, & ſingulos qui beneficia penſiones &c. hoc intercedente vitio receperunt*, & ex illis alijs Pij IV. *Ne deinceps vllo vnquam tempore, aliquas Eccleſias, Monaſteria, Dignitates, vel alia beneficia etiam de iure patronatus, vt præfertur, exiſtentia recipere præſumant*, & ſtatim ſubduntur pænæ contra eoſdem recipientes; & vlterius ex illis præcedentibus verbis per dictum Pium IV. *Ea, quæ cuſtodienda receperant beneficia nondum tamen dimiſiſſe*, quæ certè verba indicant confidentiam non conſumatam, cum beneficium adhuc remaneat penes cuſtodientem; atque horum omnium ea ratio eſt, quia Pontifices eliminare voluerunt eandem confidentiam tanquam maximè perniticioſam è ſua radice, maximè, cum tunc compleatur confidentia, quandò res traditur, & propterea à Pio V. dicitur *Sola*

Non currit paritas de ſimonia ſimplici, & de confidentiali.

Iura eũ cententia in[illegible] ſonum.

tra-

tradentis intentione receperit.

14 Aſſertio V. Huiuſmodi cenſuræ Excommunicationis, & interdicti ingreſſus in Eccleſiam ipſo facto incurruntur etiam proſcripta quacunque ſententia per receptionem huiuſmodi beneficiorum, ſeù penſionum completam per acquiſitionem poſſeſſionis eorundem, non tamen incompletam antecedentèr ad captam poſſeſſionem ipſorum. Quoad primam partem, quoad excommunicationem etiam antè ſententiam eſt communis apud omnes tùm Theologos, tùm Canoniſtas. Quoad eandem non niſi poſt completam acquiſitionem poſſeſſionis eſt contrà *Bonacinam dicta quaſt. 7. §. 1. prop. 1. num. 9.*

Imponitur per verba importantia latam ſententiam, non ferendam.

Prima pars non indiget probatione, quandòquidem Pius IV. habet. *Cardinalibus, & alijs Prælatis huiuſmodi in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, reliquis verò ſub maioris excommunicationis latæ ſententiæ pænæ, per contrafacientes eo ipſo incurrenda &c.* quod idem repetit Pius V. ſub his terminis. *Priuamus, decernimus, innodamus*, quæ ſecundum ſe important latam ſententiam, non ferendam, pænamque ipſo iure impoſitam, non imponendam per ea, quæ habent *Stephanus de Auila de cenſuris ſecunda part. cap. 2. diſp. vnica. Silueſter verbo excommunicatio I. num. 22. Tabiena d. verb. Excommunicatio II. num. 6.*

Stephan. de Auila. Silueſter. Tabiena.

Secunda pars ſic euincitur, quià antè captam poſſeſſionem non eſt perfecta receptio, ergo pænæ contra recipientes impoſitæ non extenduntur ad recipientes ante acquiſitionem poſſeſſionis. Conſequentia tenet, quia pænæ ſunt interpretandæ ſecundum formalem, & rigoroſam verborum ſignificationem, per quæ ſunt impoſitæ, & ſecundum completum delictum, ſub ea ratione, ſub qua per legislatorem ſtatuitur, vt eſt in confeſſo apud omnes. Antecedentes probatur, quià antè captam poſſeſſionem propriè non dicitur poſſeſſor, nec habere ius in re, ſed tantum ad rem, & antè ipſam non eſt iuris officium quoad acquiſitionem fructuum *Ludouicus in l. 1. §. ſi vir. de acquir. poſ.* nec obeſſe poteſt id, quod aſſerit *Bonacina loc. cit.* beneficiarium ſcilicet dici recipere beneficium per ſolam collationem, adeòque etiam ante captam poſſeſſionem ſubiacere pænis recipientium; non, inquam, obeſſe poteſt, quia per collationem dicitur quidem recipere, non tamen completè, ſed dumtaxat incohatè, & plura requiruntur ad completam receptionem, quam ad ſimplicem collationem, & ipſa collatio eſt in ordine ad poſſeſſionem acquirendam tanquam ad vltimum complementum, vndè non niſi per ipſam perficitur; neque item obeſſe poſſunt ea, quæ in præcedenti aſſertione dicta ſunt, ſcilicet per receptionem præcisè contrahi huiuſmodi pænas, quantumuis confidentia non fuerit completa, adeòque etiam, quod videantur contrahi per eandem receptionem, quamuis non fuerit completa per actualem poſſeſſionem; non, inquam, obeſſe poſſunt, quià pænæ huiuſmodi imponuntur ex expreſſa legislatoris intentione contra recipientes præcisè, qui poſſunt eſſe completè tales, quamuis non compleant confidentiam; non poſſunt autem eſſe complete recipientes ſine actuali capta poſſeſſione, adeòque &c.

Non eſt perfecta receptio ante captam poſſeſſionem.

Ludouicus. Bonacina.

Per collationē quis recipit, nō tamen cōpletè.

Poſſunt eſſe completè recipientes, quamuis non compleant cōfidētiam.

Aſſertio VI. non incurritur hæc excommunicatio lata contra ſimoniam confidentialem in beneficio, quandò recipiens recipit cum animo illud poſtea reſtituendi danti, reſignans autem non confert illo animo, nec quandò reſignans confert illo animo, ſed recipiens non intendit illud recipere in confidentiam, ſeù cum animo illud reſtituendi. Prima pars eſt *Bonacina d. quaſt. 7. §. 1 num. 4. verſ. ex dictis.* Secunda eſt contra *eundem loc. cit. num. 5.* 15

Bonacina.

Probatur prima pars, quia quamuis huiuſmodi pænæ ſint potiſſimùm contra recipientes, delictum tamen originem trahit à reſignante, cuius eſt confidentia, ergo, ſi reſignans conferat ſine illo animo, ſeù confidentia, recipiens non contrahet excommunicationem. Conſequentia probatur, quià in delictis reſpectiuis, quæ ſcilicet reſpiciunt dualitatem perſonarum, quarum altera ſit actiua, altera paſſiua non ſupponitur idem delictum perfectum, & conſumatum, niſi concurrente vtraque perſona, & præcipuè ea, ex cuius actione delictum ſpecialitèr denominatur, ergo, cum non niſi delicto completo per ſuperius allegata pænæ intelligantur impoſitæ, non eſt dicendum, quod recipiens in eaſdem incurrerit non concurrente reſignante. Antecedens autem primi argumenti patet, quia confidentia eſt in confidente, ſicuti reſignatio eſt in reſignatario; Neque obeſſe poteſt dictum Pij V., quo aſſeritur delictum confidentiæ haberi, quamuis vnius tantum partis conſcientia ſit admiſſum; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia vtſuprà aſſerebamus, illa verba referuntur ſolummodò ad præſumptiones commiſſæ ſimoniæ confidentialis, non exiſtentiam realem eiuſdem. Deindè dici poteſt, quod vnius dumtaxat conſcientia habeatur quoad culpam ipſius talem conſcientiam habentis, non autem quoad pænas præcipuè cenſurarum.

In delictis reſpectiuis no ſupponitur delictū perfectū, niſi concurrēte vtraq; parte.

Confidentia eſt in confidente ſicut reſignatio in reſignatario.

Probatur ſecunda pars ex ijs, quæ dicta ſunt ſuperius *aſſert. 1. in probatione ad ſecundam partem.*

SECTIO II.

De Pœnis contrà ſimoniacos reales in beneficijs.

EX ſuperius dictis iam ſatis liquet per ſimoniam præciſe conuentionalem non incurri pœnas nullitatis, inhabilitatis ipſo iure, ex quibus propter eandem rationem ſequitur, quod nec incurratur excommunicatio, nec alia cenſura, cum hæ requirant delictum ex omni parte completum, niſi aliter exprimatur. Difficultas igitur ſolummodò reducitur ad ſimoniam realem, & quidem, vt recto, & diſtincto ordine procedamus, in præſenti eandem difficultatem reducimus ad ſimoniam in beneficijs; de ſimonia etenim in ordine infrà in ſequenti ſectione differemus.

16 Primum igitur, quod erit circa hunc titulum dubitandum, erit de excommunicatione, circa quam inueſtigabitur primò, an ſit latæ ſententiæ, an ferendæ; Secundò, an afficiat conferentes beneficium pro pretio, an verò recipientes beneficium pro eodem, an verò etiam mediatores, cooperatores, & an ſcientes, & non reuelantes. Tertiò, an afficiat etiam recipientes ignorantes. Quartò, an afficiat tam conferentem, quam recipientem, ſi ſtatim ſimonia adimpleta non fuit, ſed poſt multum temporis. Quintò, an in ſuppoſitione, quod afficiat etiam quandò poſt multum temporis completur ſimonia, afficiat ab initio collationis, an verò poſtquam ab vtroque fuerit adimpleta. Sextò, an, ſi alter eorum interim Miſſæ Sacrificium celebrat, fiat irregularis, ſi poſteà adimpleatur, ſeu compleatur ſimonia.

Rationes dubitandi circà excommunicationem.

Secundum erit in ordine ad ſuſpenſionem, circà quam diſputabitur primò, an per talem ſimoniam in beneficio incurratur. Secundò ex ſuppoſitione, quod non incurratur, quandò ſimonia eſt occulta, incurratur tamen, quandò eſt publica, & manifeſta, & in hoc caſu, an reſpectu vtriuſque contrahentis, an reſpectu neutrius. Tertiò, an ſi ſimoniacus non remanet ſuſpenſus ea ſuſpenſione, quæ cenſuræ Eccleſiaſticæ ſpecies eſt, remaneat ſuſpenſus ea ſuſpenſione, quæ oritur ex mortifero peccato, ex quo prouenit impedimentum non celebrandi, & quomodo, & his ſimilia

Rationes dubitandi circà ſuſpenſionem.

Tertium erit in ordine ad depoſitionem, an ſcilicet hæc ſit contrà ſimoniacos in beneficio intentata, an, ſi verè impoſita eſt, ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ, & an hæc depoſitio conſiſtat in perpetua ſuſpenſione, & generali, an verò in aliqua alia ratione.

Rationes dubitandi circà depoſitionẽ.

Quartum erit in ordine ad irregularitatem, an ſcilicet contrahatur tam per conferentem, quam per recipientem ſimoniacè beneficium, an, ſi non immediatè, ſaltem mediatè, & quomodò.

Quintum erit in ordine ad infamiam iuris, an ſcilicet hæc per ſimoniacam prauitatem contrahatur tàm reſpectu conferentis, quam reſpectu recipientis, & an ipſo facto incurratur, an verò ſolummodò per ſententiam. Accedamus iàm ad primum, pro quo ſit

Rationes dubitandi circà infamiam iuris, & irregularitatem.

Aſſertio I. Excommunicatio contrà ſimoniacos reales in beneficio eſt latæ ſententiæ, & non ferendæ, & afficit tam conferentes beneficium pro pretio, quam recipientes, tum etiam mediatores, & procurantes. *Vgolinus tab. 4. de ſimonia reali cap. 6. §. 4. in princip. Nauarrus cap. 23. num. 111. Caietanus in ſumma verb. excommunicatio, Suarez lib. 4. cap. 56. num. 5. Reginaldus lib. 23. num. 175. Leſſius cap. 35. dub. 25. num. 137. Ognate cap. 23. de ſimonia diſp. 85. ſect. 6. num. 154.* 17

Vgolin. Nauar. Caietanus. Suarez. Reginaldus. Leſſius. Ognate.

Probatur primò per extrauag. Martini in Conc. Conſtantienſi, quæ incipit *Sacro*, vbi electiones, poſtulationes, confirmationes, & quaſuis prouiſiones Eccleſiarum, Monaſteriorum, dignitatum, perſonatuum officiorum, & beneficiorum declarantur ipſo iure nullæ, & dans, & accipiens ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrit, etiam ſi Pontificali, & Cardinalatus præfulgeat dignitate. Secundò ex toties decantata Extrauag. 2. inter communes de ſimonia. Ibi. *Qui quomodolibet dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerint, aut quod illa fiat mediatores extiterint, ſeu procurauerint ſententiam excommunicationis incurrant, à qua niſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente non poſſint abſolui.* Quæ quidem verba important incurſum ipſo facto, non appellant ſententiam, per quam poſtea debeat incurri, & non ſolum quoad ipſos contrahentes, ſed etiam quoad mediatores, & procuratores.

Adducitur ſuro nã vũ experimento.

Hic ſuboritur difficultas, an hae pœna excommunicationis afficiantur etiam ratam habentes ſimoniacam collationem beneficiorum ſibi factam, cuius vitium tempore collationis ignorarunt, & poſt aliquod temporis cognouerunt, poſt quod ratam habent. Communior opinio eſt negatiua, qua ſequitur *Coaruuias reg. peccatum ſecunda parte §. 8. num. 7. & alij plures apud Bonacinam quaſt. 7. §. 2. num. 13.* nec difficilis eſt huius rei probatio, quandòquidem in iure nullibi expreſſum eſt, quod ratihabentes ſimoniam commiſſam poſt delictum conſummatum, ad quod in radice ipſi non concurrerunt, afficiantur tali pœna excommunicationis, nec debent pœnæ exten- 18

Coarũ. Bonacina.

Ratihabentes ſimoniacã collationẽ factã ipſis ignorantibus non contrahũt excõmunicationẽ.

extendi etiam propter paritatem rationis, & quamuis ſuperiùs dictum fuerit, quod pæna nullitatis ab initio collationis aſſiciantur ſimoniacè recipientes, quantumuis pro illo tempore ignorauerint ſimoniacam prauitatem commiſſam; nihilominus in hoc genere aliud eſt loqui de nullitate, quæ poteſt contrahi etiam ſine culpa contrahentis, aliud de pæna excommunicationis, quæ non contrahitur ſine culpa, & iura exprimunt nullitatem, non autem excommunicationem; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ratihabitio æquiparetur mandato *Gloſ. in l. hoc iure §. deceeit ff. de reg. iur. Gloſ. in l. 1. §. deieciſſe, alias §. & ſi eum quis in verb. mandatum ff. de vi. & vi armat. & in cap. ſciant cuncti de election. in 6. in verb. alios, Abbas in cap. mulieres num. 8 de ſent. excommun.* adeòque, quod ſicuti, ſi ipſe fuiſſet mandans per alium ſolui pecuniam pro beneficio ſibi collato incurreret pænam excommunicationis, ità etiam incurrat, ſi ratam habeat talem ſolutionem pro tali beneficio ſibi collato per alium præſtitam, & à fortiori, ſi illam eidem ſolutori poſtea ſoluat; non, inquam, obeſſe poteſt, quia ad ſummum ratihabitio æquiparatur mandato per fictionem iuris *Bartolus in l. is, qui pro emptore ff. de vſucap. nu. 4. Coaruuias in ſecunda part. relect. §. 1. nu. 5. verſ. nos autem*; ea autem, quæ ſolummodò ſunt talia per fictionem non ſunt eadem pæna punibilia, qua ſunt punibilia delicta formalitèr talia *Decius in l. ſemper qui non prohibet in fin. ff. de reg. iuris, Alexander conſil. 78. lib. 5. num. 21. Coaruuias loc. cit.* quod præcipuè verum eſt in ordine ad pænas excommunicationis, aliarumque cenſurarum, quæ exigunt culpam delinquentis tempore commiſſi delicti, prout notant *Doctores in cap. cum quis de ſentent. excommun.* Deindè ratihabitio æquiparatur mandato quoad præſumptionem, & probationem delicti, non autem ſecundum veritatem.

Gloſſ. Abbas, Bartolus. Coaruu. *Ratihabitio ad ſummum æquiparatur mandato per fictionem iuris.* Decius. Alexander. Coaruu.

Ex ijs etiam alia ſuboritur difficultas, an talis pæna excommunicationis afficiat etiam beneficiarium ſimoniacum, qui tempore collationis ignorauit vitium, ſi poſteà eodem cognito iuxtà diſpoſitionem iuris beneficium ipſum non dimittat, ſed potius perſeuerat in ipſo, & pecuniam, quam mediator ſoluit pro tali collatione, reſtituat. Beneficium ipſum eſſe ſimul cum fructibus dimittendum cognita ſimoniaca prauitate per alium exercita iam ſatis, ſuperque liquet ex dictis fusè ſuperius, quinimmò, ſi etiam contradixerit tali ſolutioni, & poſtea per reſtitutionem ſoluti conſenſerit, adhuc tenetur per ea, quæ dicta ſunt; an autem per non dimiſſionem beneficij, quinimmò per reſtitutionem ſoluti contrahat talem labem id eſt, quod controuertitur in præſenti, & quidem quod eandem contrahat, videtur ex eo clarè deduci, quod detinendo, & ſoluendo nouam quodamodò, ſi primò non contraxit, contrahat per propriæ voluntatis arbitrium ſimoniam, ſiquidem iniqua detentio propter ſimoniacam prauitatem comparatur quoad effectum iniquæ collationi propter eandem ſimoniam, & ſicuti, ſi ipſe beneficiarius tempore collationis ſciret alium ſimoniam intentare, & annueret cum animo ſolutum reſtituendi, non eximeretur à tali pæna excommunicationis, ita ſi poſt collationem ſibi ſimoniacè factam, ſed cum ignorantia propria, cognoſceret eandem ſimoniam, & onus reſtitutionis eiuſdem propter nullitatem a iure ſtatutam, & nihilominus non dimitteret, ſed potius approbaret factum reſtituendo ſolutum non dicendus eſſet eximi a tali pæna, cum hoc ſit quædam ſpecies nouæ ſimoniæ. Nihil 19
ominus *Suarez de cenſuris diſp. 22. ſect. 5. num. 26. ad finem, Henriquez lib. 13. cap. 37. num. 4. Saurus lib. 4. cap. 14. num. 6.*, & alij plures exiſtimant etiam per talem retentionem poſt cognitum ſimoniæ vitium beneficiarium illum non contrahere excommunicationem, quibus non inuitus adhæreo propter illam rationem toties decantatam, quod ſcilicet hoc in iure expreſſum non eſt, nec æquiualentia, ſi qua eſſet, in pænalibus confert idem onus, quinimmò adhuc detinens in data hypotheſi non dicitur propriè committere ſimoniam, ſed in iam commiſſa perſeuerare, quod quidem inducit peccatum, cum ſit contra iuris diſpoſitionem, & onus reſtitutionis per ſuperius allegata, non tamen pænam excommunicationis, cum hæc in iure expreſſa non ſit. Ex quibus facilè erit reſpondere ad rationem, quæ in contrarium propoſita eſt, licet enim illa continuatio in beneficio contra iuris ordinem æquiualeat ſecundum quid actuali receptioni ſimoniacæ, æquiualentia tamen non ſufficit ad ſubeundas pænas, quæ pro formali delicto impoſitæ ſunt, niſi exprimatur in iure, quod non militat in hypotheſi, de qua loquimur, cum nullibi talis expreſſio reperiatur.

An beneficiarius, qui beneficium recepit bona fide, ſi poſtea cognoſcat labem ſimoniacam, contrahat excommunicationem, ſi non dimittat.

Suarez. Henriq. Saurus. *Æquiualentia non ſufficit ad inducēdas pænas cōtra formale delictum, niſi exprimatur.*

Aſſertio II. Scientes ſimoniam commiſſam in beneficijs, & non reuelantes non afficiuntur regularitèr loquendo huiuſmodi pæna excommunicationis, etiam ſi fuerint ex Curia Romana quantum eſt *ex vi d. Extrauag. 2. de Simonia.* Sic ſentit *Suarez de cenſuris diſp. 22. ſect. 5. num. 27. Ognate d. tract. 23. diſp. 85. ſect. 6. num. 181. Fillincius tract. 45. cap. 4. quæſt. 7. num. 82.* 20

Suarez. Ognate. Fillinc.

Ratio huius aſſertionis ex eo deducitur, quod nullibi expreſſè reperitur hæc pena

impo-

impoſita contrà huiuſmodi non reuelantes, & licet in d. extrauag. dicatur, quod

Reſeruatio abſolutionis non inducit ſecundũ ſe excõmunicationem.

ſic non reuelantes non poſſint abſolui, donec reuelauerint, eiſdemque præcipiatur in virtute Sanctæ Obedientiæ, vt denuntient, & reuelent, hæc tamen reſeruatio, & præceptum obedientiæ ſecundum ſe non importat excommunicationem ad notata per *Suarez tom. 5. de cenſuris d ſp. 22. num. 5. Bonacinam d. quæſt. 7. §. 2. num. 16.* Quinimmò rectè quoad eandem Extrauag. adnotauit *Silueſter verb. ſimonia num. 19.* quod, quamuis hæc pæna impoſita eſſet, non reſpiceret, niſi Curiales, & quod neque quoad eoſdem hæc pæna ſit vſu recepta, ſed per non vſum abrogata.

Suarez. Bonacina. Silueſter.

Dixi, *quantum eſt ex vi d. Extrauag. 2. de ſimonia*, propter id, quod aſſerit *Silueſter verb. ſimonia quæſt. 19. num. 19.* duas alias ſcilicet reperiri Extrauag. Martini, & Eugenij, quibus percipitur ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ omnibus cuiuſcunque dignitatis, aut ſtatus, qui ſciunt aliquos commiſiſſe ſimoniam, aut procuraſſe, vel fuiſſe mediatores, qui, ſi ſint præſentes in Romana Curia, teneantur reuelare Papæ, vel Sedis Apoſtolicæ Camerario, aut cui ipſe duxerit committendum in vnius, vel duorum teſtium præſentia, quam citius poſſunt, nec poſſint abſolui, donec reuelauerint. Sed incongruè per Silueſtrum allegatur aſſerta pæna excommunicationis in d. Extrauag. Eugenij, quandòquidem ibi ſolum imponit præceptum reuelandi, & reſeruat abſolutionem, donec fuerit reuelatum, nec vllo modo exprimit excommunicationem, vt legenti fit manifeſtum. Deinde dato etiam, quod huiuſmodi pæna eſſet impoſita in d. conſtitutionibus eſt per non vſum abrogata per ea, quæ notant *Silueſter loc. cit. Nauarrus in Manuali cap. 27. num. 106. Archiepiſcopus Florentinus apud Vgolinum de ſimon. reali tab. 4. cap. 9.* qui certè non vſus ſufficiens eſt ad eximendum ab huiuſmodi pæna *cap. in iſtis §. leges diſt. 4.* nec dici poteſt, quod talis non vſus non obſtet, quandòquidem prędictæ extrauagantes fuerunt renouatæ per Pium V. *in Bulla Incip. cum primum Apoſtolatus officium lata anno 1566. Kalend. Aprilis Pontificatus ſui anno primo*; non, inquam, dici poteſt, quia non minus dictarum Extrauag. quoad eandem pænam excommunicationis editio, quam earundem etiam renouatio non fuit moribus vtentium comprobata, vt teſtantur prællegati Doctores, adeòque &c.

In huiuſmodi extrauagãtibus non conſtat de excommunicatione, ſed tantũ de reſeruatione.

Deinde non fuerunt vſi bus, & moribus vtentium cõprobata.

Silueſter. Nauarrus. Archiepiſc. Florentinus.

21 Aſſertio III. Excommunicatio afficit vtrumque contrahentem, etiam ſi conuentio ſimoniaca per vtramque partem ſtatim adimpleta non fuit, ſed poſt multum temporis *Vgolinus de ſimonia reali tab. 4. cap. 6. § 4. num. primo*, & eſt conformis ijs, quæ ſupra dicebamus *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII Prænot. 10. aſſert. 2. & ſeqq.*

Vgolin.

Probatur primò *ex d. Extrauag. 2. inter communes de ſimonia*, quæ ſimoniam realem ex vtraque parte completam afficit excommunicatione ipſo facto reſpectu vtriuſque contrahentis, ergo tunc quandò completur dicta ſimonia incurritur talis excommunicatio, cum tunc ſint omnia requiſita ad ipſam contrahendam, actus ſcilicet, & malitia ex vtraque parte completa; neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quòd, ſi non contrahitur, quandò fit collatio, nec contrahi poſſe videatur, quandò ſubſequenter etiam fit ſolutio, quia ſicutì, quod ab initio non valet tractu temporis non poteſt conualeſcere, ita excommunicatio, quæ non afficit tempore collationis, nec poſſe afficere videtur poſt lapſum temporis à die ſcilicet poſitæ ſolutionis; non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem non contrahitur tempore collationis, quia delictum pro illo tempore non eſt completum, nec conſummatum; contrahitur autem tempore ſolutionis, quia pro illo ſimonia eſt realis completa, & habet omnia requiſita ad illius incurſum, nec facit ad rem illud Iuriſtarum adagium, quo dicitur. *Quod à principio non valet, tractu temporis non poteſt conualeſcere*, ſiquidem illud ſupponit defectum ſubſtantialem in contractu celebrato interueniſſe, qui propterea contractus illo defectu perdurante non poteſt conualeſcere, & ſolummodò nouus contractus celebrari remoto illo defectu; in caſu autem, de quo hic loquimur, excommunicatio in principio non ſubſiſtit, quià pro illo tempore non ſunt poſita omnia requiſita ad illam incurrendam, quia tamen ex partium conuentione ordinatur ad complementum illa ſimoniaca conuentio, hinc eſt, quod poſito eodem complemento non ſit, cur dicta excommunicatio non contrahatur.

Quandò ſimonia eſt cõpleta ex vtraque parte habentur omnia, quæ à iure requiruntur ad cõtrahendã excommunicationem.

Aſſertio IV. Poſito complemento ſimoniacæ collationis poſt lapſum temporis per ſolutionem pretij excommunicatio quidem contrahitur, vt ſuprà, non tamen in rigore iuris retrotrahitur ad diem conuentionis, nec collationis. Eſt conformis ijs, quæ ſupra dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. Prænot. 10. aſſert. 3. per totum*, quæ ibi tu recole, quæ ſatis, ſuperque probant hanc aſſertionem, in qua comprobanda vlterius non immoror. Ex ibi etiam colliges, quid reſpondendum ſit ad aliud dubium in principio huius prænotionis propoſitum, an ſcilicet, ſi alter eorum contrahentium eo tempore, quod intermediat inter collationem, & complementum eiuſdem per actualem ſolutionem, 22

Mi-

Celebrans Miſſã poſt receptum beneficiũ, & nõdum ſolutum pretiũ non contrahit irregularitatẽ, ſi poſteà ſoluerit.
Naũarrus. Summa Corona. Vgolin.

Miſſam celebret, fiat irregularis, ſi poſteà compleatur contractus per eandem ſolutionem; colliges, inquam, reſpondendum eſſe, irregularitatem in ea hypotheſi non contrahi; cuius reſponſionis rationes commodè, & eodem loco poteris deducere, atque hanc reſponſionem congruè, & meritò ſuſtinent *Nauarrus in man. cap. 23. num. 104. verſ. ſuccedit tamen quæſtio, & in comment. cap. fin. num. 32. verſ. an incurrat irregularitatem de ſimon. & in conſ. 82. num. 5. de ſimon. lib. 5. & Summa Coron. part. 3. in tract. de ſimonia num.* 8. *Vgolinus tab. 4. cap. 6. §. 4. num.* 4., cuius potiſſimum hæc ratio eſt, quia excommunicatus, ſi celebret ignorans excommunicationem, non contrahit irregularitatem *iuxtà cap. Apoſtolica de Cleric. excomm.* ſed beneficiarius, qui ſimoniace beneficium recepit, nedum ignorat ſe eſſe excommunicatum, ſed certò ſcit, ſe non eſſe excommunicatum ante ſolutionem pretij, ergo &c.

Nauarrus. Vgolin. Suarez. Reginaldus. Auila. Ognate. Silueſter.

23 Aſſertio V. Per ſimoniam realem in beneficio ſiuè occultam, ſiuè manifeſtam non incurritur ſuſpenſio ipſo facto *Nauarrus in man. cap. 23. num. 111. verſ. tertio dico, & in conſ. 97. num. 11. verſ. ad ſeptimam de ſim. lib. 5. Vgolinus de ſimon. tab. 4. cap. 6. §. 5. num. 1. Suarez. cap. 56. num. 19. Reginaldus lib. 23. cap. 1. num. 172. Auila tertia part. diſp. 5. dub. 9. concl. 5. Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 85. ſect. 6. num.* 166. aduerſus *Silueſtrum verb. ſuſpenſio quæſt.* 7.

Gloſſ.

Nullibi in iure cauetur.

Probatur primò, quia nullæ pænæ ipſo iure incurruntur pro aliquo delicto, niſi iure id caueatur *Gloſ. in cap. fin. de iure patron. Gloſ. 1. in Clem. 1. de conſang. & affin. & in Clem. 1. de pericul.* ſed nullo iure quoad pænam ſuſpenſionis cauetur propter ſimoniam commiſſam in beneficijs, vt optime notant Doctores omnes pro aſſert. allegati, ergo &c.

Dices primò optimè caueri quoad talem pænam in iure præcipuè *d. extrauag. 2. de ſimonia*, vbi verbis generalibus non reſtrictiuè ad aliquod genus ſimoniæ in particulari huiuſmodi pæna imponitur, ergo generalitèr quoad omne genus ſimoniæ debet illa pæna extendi *arg. l. de pretio ff. de publ. in rem. act.* Minor probatur, quia per d. Extrauag. ſtatuitur, quod omnes pænæ, quæ de iure veteri erant dumtaxat per ſententiam incurrendę, modo ipſo iure incurrantur - ibi - *quas ipſo facto incurrere volumus*, ſed de iure veteri per ſententiam hæc pæna ſuſpenſionis contrà ſimoniacos in beneficio erat ferenda, prout cautum erat *in cap. 2. de confeſſis*, ergo &c. Sed contrà, quia *in d. cap. 2. de confeſſis* non erat ſermo de ſuſpenſione propriè ſumpta, ſed dumtaxat de depoſitione, quæ eſt ſpecies pænæ diſtincta ab ipſa ſuſpenſione, prout eſt ſpecies quædam cenſuræ Eccleſiaſticæ, de qua infra, adeòque &c. Contrà ſecundò, quià, vt benè aſſerit *Bonacina d. quæſt. 7. §. 2. nu. 19. verſ. ad rationem* illa verba d. extrau. *Quas ipſo facto incurrere volumus* referuntur ad ſimoniacum ſiuè manifeſtum, ſiuè occultum, quandòquidem antecedentèr erat controuerſia inter Doctores, an pænæ contra ſimoniacos extenderentur etiam ad occultos, quam controuerſiam voluit Pontifex dirimere declarando eos etiam ſub eiſdem pænis comprehendi.

Non eſt ſermo de ſuſpenſione, ſed tantum de depoſitione.

Reſponſio Bonacinæ.

Dices ſecundò per præfatam *Extrauag. 2. de ſimonia*, aliaque Eccleſiaſtica iura beneficiarium ſimoniacè promotum ipſo facto priuari beneficio, ipſiuſque fructibus, ergo propriè ſuſpenditur, adeòque incurrit ſuſpenſionem. Sed contra, quia, vt optimè obſeruat *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 56. num. 19. & cum eo. Ognate tract. 23. diſp. 85. ſect. 6. num.* 166. illa priuatio non eſt propriè ſuſpenſio, quià ſuſpenſio ſupponit proprietatem, & verum titulum in eo, qui ſuſpenditur, priuatio autem excludit talem proprietatem, & titulum, cum importat nullitatem collationis ipſo iure, & per conſequens tollit radicem, & non relinquit locum ſuſpenſioni.

Suarez. Ognate.

Suſpenſio ſupponit proprietatem.

Probatur ſecundò eadem aſſertio, quià huiuſmodi beneficiarius, ſi pæniteat ſimoniacæ prauitatis, & beneficium ſtatim reſignet, celebrare poteſt per ea, quæ habent *Innocentius in cap. tanti de ſimonia, & cap. reperiuntur 1. quæſt. 1. & §. verum iunct. cap. adhoc diſt.* 32. Sed hoc verum non eſſet, ſi per ſimoniam contraheretur ſuſpenſio per ea, quæ habet *Vgolinus de ſimon. d. tab* 4. *cap. 6. §. 5. num. primo verſ. aut quæritur*; non enim, vt ipſe aſſerit, ſuſpenſio fertur pro contumatia, ſed pro pæna, quo caſu neceſſaria eſt abſolutio, vt infra, ſeù in alio loco clare deducam, dum de cenſuris. Verum tamen eſt, quod, antequam celebret, debet etiam abſolui ab excommunicatione, quam contraxit ex vi *d. Extrauag. 2. de ſimonia*.

Innocentius. Vgolin.

Neceſſaria eſſe ab. ... ſu ... ad ... ...

Aſſertio VI. Per ſimoniam realem in 24
beneficio, quamuis non inducatur ſuſpenſio propriè ſumpta, inducitur tamen quædam ſuſpenſio lato modo ſumpta, prout importat legitimum quoddam impedimentum ratione mortiferi peccati, quo pollutus celebrare non poteſt, vel ratione excommunicationis annexæ, ex qua oritur obex ad celebrandum, adeò vt, ſi celebret, contrahat irregularitatem. *Vgolinus d. tab. 4. cap. 6. §. 5. num. 1. verſ. aut quæritur*, & in hoc ſenſu exiſtimo locutum *D. Thomam ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 6. in reſponſ. ad primum. Innocentium in cap. tanta de ſimon. Couarruuiam in Clem. ſi furioſus de homic. prima parte relect. §. 1. num.* 7.

Vgolin. D. Thomas. Innocentius. Couaru.

Ratio

Digitized by Google

Ratio huius aſſertionis in vniuerſum, poteſt deduci ex generali regula, quod ſacra nequeunt fieri ab exiſtente in peccato mortali, & multominus ab excommunicato ex eo, quod priuetur communione ſacrorum. Hæc adeò perſpicua ſunt, vt vlteriori non egeant probatione.

25 Aſſertio VII. Vltra præcitatas pænas in præcedentibus aſſertionibus contra ſimoniaeos in beneficio eſt impoſita pæna depoſitionis. *Silueſter verb. ſimonia quaſt. 19. verbo ſecunda eſt, Suarez d. cap. 56. num. 22. Ognate d. tract. 23. diſp. 85. num. 182.*

Silueſter. Suarez. Ognate.

Probatur primò ex textu *in cap. 2. de confeſſis*, vbi imponitur depoſitio ab omni officio, & beneficio. Secundo ex cap. erga ſimoniacos - Ibi - *deponendos eſſe Apoſtolica auctoritate ſancimus*.

Iure eſt contra aſſerſum.

Hic pro clariori notitia huius aſſertionis examinandæ ſunt, & diluendæ nonnullæ rationes dubitandi, & primò, de quibus rebus fieri debeat huiuſmodi depoſitio. Secundò, an, & quomodò differat à ſuſpenſione. Tertiò, an dicta diſpoſitio ſit latæ, an ferendæ ſententiæ.

26 Ad primam dicendum eſt *ex eod. cap 2. de confeſſis* fieri debere depoſitionem de omni officio, & beneficio. Pro quo aduerte nomine depoſitionis generatim ſumptæ venire amotionem perpetuam à re ſpirituali, aut omninò, aut ab eius executione, vndè per depoſitionem hanc quis priuatur, aut beneficio, aut ordinis executione. Huius depoſitionis ſic generatim ſumptæ duplex quodamodò eſt ſpecies, altera ab ordine, ſeù officio, & eſt remotio perpetua ab ordinis, ſeù officij executione, altera a beneficio Eccleſiaſtico, & eſt ea, qua quis perpetuo beneficio priuatur. Dum igitur dicitur *in d. cap. 2.*, quod per beneficij ſimoniacam electionem quis ſit deponendus tam ab officio, quam a beneficio, certò colligitur, quod depoſitio ad vtrumque extendatur, nec in hoc reſtringenda res eſt, vel ad vnum, vel ad alterum in particulari, quandòquidem iura indefinitè, & copulatiuè loquuntur, & hoc iuſtè ſtatuit etiam *Suarez d. cap. 56. num. 22.* conformitèr *ad d. cap. 2. de confeſſis*, quod aſſerit eſſe grauiſſimam pænam.

Quid veniat nomine depoſitionis.

Quid ſit depoſitio ab officio, & a beneficio.

Suarez.

27 Ad ſecundam dicendum eſt depoſitionem, de qua hic loquimur, a ſuſpenſione in hoc differre, quod, ſi ſit depoſitio a beneficio, priuat abſolutè non ſolum ab vſu, & muneribus eiuſdem beneficij, ſed etiam proprietate, & quaſi dominio ipſius, ſuſpenſio verò ſolummodò priuat vſu, exercitio, & fructibus eiuſdem per ea, quæ latè notat *Suarez. tom. 4. de cenſuris diſp. 30.* quæ omnia reſultant ex ipſa nominum ethimologia; ſi verò ſit depoſitio ab ordine, differunt ſolummodò in eo, quod depoſitio ex natura ſua eſt indiſpenſabilis, quotieſcunque eſt perpetua, ſuſpenſio autem quantumuis perpetua eſt diſpenſabilis. Alias differentias aſſignat *Suarez loc. cit.* quem tu conſule. Conſule etiam *Decium in cap. at ſi clerici col. 4. not. 5. de iud.*, vbi agit, quid ſit depoſitio, & quid ſuſpenſio, & qualitèr differant.

Depoſitio reſpicit proprietatem, ſuſpenſio verò ſolum vſum.

Depoſitio ab ordine eſt indiſpenſabilis, ſuſpenſio diſpenſabilis.

Suarez. Decius.

Ad tertiam aſſerendum eſt, pænam depoſitionis quoad ſimoniacos in beneficio non eſſe latæ, ſed ferendæ ſententiæ *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 56. num. 22.*, qui etiam teſtatur de communi *Ognate d. tract. 23. quaſt. 85. ſect. 6. num. 182. Silueſter verb. ſimonia quaſt. 19.* conformitèr *ad cap. ſanè 15. quaſt. 3. & cap. Inquiſitionis de act.* Colligitur *ex cap. erga ſimoniacos 1. quaſt. 2.* - Ibi - *deponendos eſſe Apoſtolica auctoritate ſancimus*, vbi nota verbum illud futuri temporis, *deponendos eſſe*, quod importat ſententiam ferendam *Gloſ. in reg. in pænis de reg. iu. in 6. Silueſter verb. excommunicatio I. num. 22. Baldus in tit. de pac. Conſtant. cap. 1. col. 9. Ludouicus Romanus in ſuis ſing.* Colligitur item *ex d. cap. 2. de confeſſis* · Ibi - *Nos, quoniam vitium huiuſmodi perſequi volumus, vt debemus, ipſum per definitiuam ſententiam duximus ab omni beneficio, & Officio Eccleſiaſtico deponendum*, vbi pæna depoſitionis nedum importatur per clauſulam futuri temporis, ſed indicatur definitiua ſententia, per quam incurritur; nec incongrua ſanè ratione huiuſmodi pæna præ cæteris videtur eximi ab incurſu ipſo iure, a quo non eximuntur cæteræ ex vi *d. extrauag. 2. inter communes de ſimonia*, quia, vt bene notat *Suarez d. cap. 56. nu. 22.*, cum hæc ſit grauiſſima pæna; ex begnigna Eccleſiæ interpretatione debuit, & debet intelligi in mitiorem ſenſum, niſi ſpecialitèr, & expreſsè alitèr fuerit ſtatutum; Neque ijs, quæ hic dicuntur, aduerſari poſſunt ea, quę ſuperiùs dicta ſunt, nempè per ſimoniacam prauitatem in beneficio ipſo iure irritari collationem, & per conſequens eodem priuari beneficiarium ſic promotum, & ſic non expectandam eſſe ſententiam pro depoſitione, ſed ipſo facto incurri; Non, inquam, aduerſari poſſunt, quia ea procedebant dumtaxat de recipiente beneficium ſimoniacè, hæc autem de ſimoniacè conferentibus, vel conſenſum præbentibus, vt potiſſimum colligitur *ex d. cap. 2. de confeſſis*, vbi dicitur deponendum eſſe ab omni beneficio, & Officio Eccleſiaſtico, qui aſſenſum præbuit pro pretio ad ſimoniacam electionem, & collationem, & item *ex cap. de hoc de ſimonia*, vbi Archi Diaconus, & Clericus, qui beneficium receperant, ſeù in promiſſis habuerant, vt aſſenſum præberent electioni Epiſcopi Oxonienſis dicuntur ab altaris miniſterio, ſi conuicti

28

Suarez. Ognate. Silueſter.

Verbum futuri temporis importat ſententiā ferendam.

Gloſa. Silueſter. Baldus. Ludouicus Romanus.

Suarez.

Procedit quoad conferentes, & aſſenſū præbētes.

fue-

fuerint, vel confeſſi, deponendi.

29 Pro complemento eorum, quæ pertinent ad depoſitionem pro ſimoniaca prauitate in beneficio ſcitote primò, hanc pænam non eſſe imponendam, niſi delinquens fuerit confeſſus delictum in iudicio *arg. d. cap. 2. de confeſſis*, vel conuictus *arg. d. cap. de hoc de ſimonia* ad differentiam recipientis ſimoniacè beneficium, qui ſiuè delictum fuerit occultum, ſiuè manifeſtum in pænam incidit nullitatis, ex quo etiam clarè liquet iuxtà ſuperius dicta, hanc pænam depoſitionis potiſſimum reſpicere ſimoniacè conferentes beneficium, ſeù conſenſum præbentes ad illius collationem. Secundò conferentem ſimoniacè deponendum eſſe ſiuè per viam accuſationis, ſiuè per viam Inquiſitionis de ſimonia commiſſa fuerit conuictus *Abbas in cap. de hoc num. 9. verſ. in gloſ. in verb. deponendi de ſimon. Zabarella in cap. 2. eod., & ibi Ancharanus, & Ioannes Andreas*, & habetur *in cap. Inquiſitionis de accuſat. & ibi Abbas, & Doctores communitèr*, & quidem per viam accuſationis nulli dubium, vt habetur *in d. cap. de hoc de ſimonia, vbi Gloſa in verbo deponendi, & in gloſ. ſuper d. cap. 2. de confeſſis in verb. confeſſus*; potior ratio dubitandi eſt, quandò proceditur per viam Inquiſitionis, quià ſine accuſatore non debet quis puniri *l. Eccl. benef. vt noſtrum ff. de mun. & ho.* nihilominus dicendum eſt, quod adhuc poſſit puniri ex officio etiam ſine accuſatore in odium criminis *cap. nihilominus 3. quæſt. 9. & l. iubemus C. de probatio. & l. nullum C. de teſtibus*; quod præcipuè verificatur, quandò crimen contingit principale negotium *Gloſ. in d. cap. 2. de confeſſis verb. confeſſus*, iuxtà *cap. primum in fin. de excep.* in quo ſenſu poteſt dici, quod ius ipſum ſuppleat defectum accuſatoris. Tertiò conferentem ſimoniacè debere eſſe, vel confeſſum, vel conuictum iudicialitèr per ea, quæ habentur *in Gloſ. in d. cap. 2. de confeſſis in verb. confeſſus*. Ibi coram *iudice ſuo*, & in *Gloſ. in d. cap. de hoc de ſimonia verb. in iure*, vbi dicitur, *alias confeſſio extrà iudicium non præiudicat arg. in cap. vlt. de confeſſis*.

Siuè procedatur per viam accuſationis, ſiuè per viam Inquiſitionis.

Abbas. Zabarell. Ancharanus. Ioannes Andreas. Gloſa.

Poteſt etiam puniri ſine accuſatore in odium criminis.

Gloſa.

Confeſſio extrà iudicium nō præiudicat.

30 Aſſertio VIII. Ob ſimoniam realem in beneficio non incurritur directè pæna irregularitatis, *Nauarrus conſ. 91. de ſimonia lib. 5. Vgolinus de ſimonia reali tab. 4. cap. 6. §. 5. num. 2. Suarez d. lib. 4. cap. 56. num. 20. TurreCremata in cap. præter diſt. 32. art. 1. Gloſa in cap. nullus ead. diſt. Sotus 9. de iuſtitia quæſt. 8. art. 2. concl. 3. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 24. num. 136.*

Nauarrus. Vgolin. Suarez. Turre Cremata Gloſa. Sotus. Leſſius.

Probatur, quia irregularitas non incurritur ob delictum, niſi in iure expreſſa ſit pro tali delicto *arg. cap. is qui de ſententia excommunicationis lib. 6.* ſed in iure nullibi expreſſum eſt, quod pro ſimonia in beneficio irregularitas directè contrahatur, ergo &c. Maior patet ex ijs, quæ latè congerit *Suarez tom. 5. de Cenſuris*; neque fieri debet extenſio ab alijs ad hanc pænam, quia in pænalibus non tenet, nec item valet extenſio à ſimonia in ordine ad ſimoniam in beneficio; non, inquam valet, quià præterquamquod per ea, quæ infra dicemus contrà Vgolinum, nec irregularitas contrahitur directè per ſimoniam in ordine, quamuis hoc admitteretur, non congruè fieret illatio ad ſimoniam in beneficio, quia in pænalibus non fit extenſio ad æquipollentia, & ſimilia.

Suarez.

Dices ex ſuperius dictis, ſimoniacè promouens eſt deponendus ab officio, & beneficio *iuxtà d. cap. 2. de confeſſis*; cuius depoſitionis ille effectus præcipuus eſt, vt depoſitus amoueatur perpetuò à re ſpirituali, aut omninò, aut ab eius executione; ſed in hoc propriè conſiſtit irregularitas, ergo &c. Sed contrà in primis, quia depoſitio illa non incurritur, niſi poſt ſententiam, & per confeſſum in iure, ſeù conuictum per ea, quæ ſupra diximus; irregularitas autem, ſi adeſſet, ipſo iure incurreretur. Deindè irregularitas latiùs patet, quam depoſitio &c.

Irregularitas latius patet, quam depoſitio.

Dixi, *directè*, non enim negauerim, indirectè poſſe contrahi huiuſmodi irregularitatem, vel propter infamiam, de qua infra, vel ſi poſt contractam ſimoniam in beneficio celebret, vel diuina faciat; quia cum tunc per eandem ſimoniam contraxerit excommunicationem ipſo iure ad ſuperius notata per talem celebrationem eandem irregularitas inducitur tùm ex iure communi, tùm per diſpoſitionem Sixti V. & eſt in confeſſo apud omnes.

Indirectè poteſt induci irregularitas ex duplici capite.

Aſſertio IX. Per ſimoniam commiſſam in beneficio incurritur pæna infamiæ non ipſo iure, ſed poſt ſententiam, ſi criminalitèr procedatur. *Abbas in cap. ex diligenti num. 6. de ſimonia, Mar. Soc. Sen. ibi num. 15. verſ. ſed quæro de ſimon. Angelus verb. ſimonia 6. num. 8. Panormitanus ex d. cap. ex diligenti num. 6.* 31

Abbas. Socin. Sen. Angelus. Panorm.

Probatur primò, quod ſit impoſita pæna infamiæ ex *cap. ſane 15. quæſt. 3.* vbi expreſſè hæc pæna infamiæ imponitur. Secundò ex *cap. fin. 2. quæſt. 3.* vbi dicitur: *Emptor, venditor, & interuentor nota infamiæ percellantur*; ex quibus iuribus procedit communis Doctorum conſenſus cognoſcentium in tali delicto quoad beneficium hanc pænam.

Probatur ſecundò, quod talis pæna non incurratur de facto, & ipſo iure, ſed ſolùm, quod ſit imponenda per ſententiam Iudicis *ex d. cap. ſane 15. quæſt. 3.* vbi Gloſa, *ad inſtar criminis læſæ Maieſtatis accuſantur, & conuicti deponantur, & perpetuo infamentur, dum ipſi ſunt in crimine pares*. Deinde hoc idem

 col-

colligitur ex illis verbis poſitis *in d. cap. fin. 1. quæſt. 3.* videlicet *nota infamia percellantur*, verba etenim diſpoſitiua, & reſpicientia actum Iudicis, cuiuſmodi ſunt illa, vt aſſerit *Silueſter verb. Excommunicatio I. nu. 22. Priuetur, excommunicetur, ſuſpendatur &c.* important canonem ferendæ ſententiæ non latæ, vt colligitur *ex reg. in pænis de reg. iur. in 6.*, quibus ſunt ſimilia in modo obligaodi illa verba poſita *in d. cap. final. Nota infamia percellantur.*

Verba diſpoſitiua, & reſpicientia actum Iudicis important canonem ſententiæ ferendæ. Silueſter.

Hic oritur difficultas, cuius generis ſit illa infamia, quæ propter ſimoniam in beneficio imponitur. Pro quo aduerte, triplex genus infamiæ communiter à Doctoribus aſſignari. Aliud infamiæ, quæ dicitur iuris, aliud iofamiæ, quæ dicitur facti, aliud infamiæ, quæ dicitur canonica. Infamia iuris illa eſt, quæ vel per ſententiam vel ipſo facto ex diſpoſitione iuris incurritur, prout cauetur *in l. 1. ff. de iis, qui not. infam. Abbas in cap. teſtimonium num. 6. verſ. ego in hac materia de teſtibus*, & habetur *in cap. infames 6. quæſt. 1.* Infamia facti illa eſt, quæ procedit ex ex aliquo facto adeò turpi, vt ratione eiuſdem nomeo delinquentis in tali facto non modicum minuatur in æſtimatione *Bartolus in l. de minore §. tormenta ff. de quæſt.* Infamia canonica, quæ ad quodcunque peccatum mortale conſequitur *cap. infamis 6. quæſt. 1. Silueſter in verb. infamia quæſt. 6. Abbas in cap. teſtimonium verſ. ſecundo infamia de teſtibus*. Quibus pro notitia ſuppoſitis aſſero infamiam, quæ conſequitur ex tali delicto ſimoniaco in beneficio eſſe

Triplex genus infamiæ, aliud facti, aliud iuris, aliud canonicum. Abbas. Bartolus. Silueſter. Abbas.

32 infamiam iuris, cui ex neceſſitate eſt annexa infamia canonica. Aſſertio non indiget probatione, quandòquidem iure cantum eſt, ſic delinquentem infamiæ nota mulctandum eſſe per ſententiam Iudicis, infamia autem, quæ ex diſpoſitione iuris eſt incurrenda ſemper præſumitur pro infamia iuris. Deindè, dum dicitur ſimplicitèr infamia intelligitur de illa iuris, ſicuti dum dicitur ſimplicitèr excommunicatio intelligitur de excommunicatione maiori ad notata per *Vgolinum de ſim. in genere tab. 1. cap. 18. §. 2. num. 7. iuxtà cap. penul. de ſent. excommunicationis*. Quoad infamiam canonicam facilè liquet, quia infamia iuris regularitèr ſupponit noxam læthalem, quod potiſſimum verificatur in ſimoniaca prauitate, & ſi ad eam conſequitur excommunicatio maior, quæ non eſt ſine peccato læthali, non poteſt non ſequi talis infamia canonica, quæ ex ſuperius dictis ſemper idem peccatum comitatur.

Vgolin. *Infamia iuris ſupponit noxam læthalem.*

Hic alia ſuboritur difficultas, an dumtaxat recipiens ſit notandus tali infamia, an

33 etiam conferens beneficium. Exiſtimo vtrumque tali labe notandum *Vgolinus d. tab. 1. cap. 18. §. 2. nu. 9.* quod ea potiſſimum ratione colligitur, quia, vbi iura diſponunt indefinitè aliquam pænam pro delicto diſpoſita quoad vnum relatiuum in tali delicto intelliguntur, & diſpoſita quoad ſuum correlatiuum, vbi aliqua ratio poſitiua alterum non excuſat, vt in reſeruatione pro delicto ſodomitico, in quo quandòque patiens eximitur à reſeruatione; quia delictum ipſius minus graue eſt *l. 1. C. de expreſ. lib. 10.* Deindè iura clarè diſponunt de vtroque, vt colligitur *ex cap. fin. 1. quæſt. 3.* vbi dicitur. *Et emptor, atque venditor, & interuentor nota infamia percellantur* ideſt in perpetuum afficiantur, vt ibidem *Gloſ. iuxtà cap. ſi quis 1. quæſt. 3. & cap. ſaluator 1. quæſt. 1.*

Vgolin. *Quando aliud non obſtat diſpoſitū de vno relatiuo intelligitur etiam de alio.*

Dixi in aſſertione, *ſi criminalitèr procedatur*, quandòquidem pæna hæc ad publicam vindictam incurritur; congruum etenim eſt Reipublicæ bono, vt delicta præcipuè grauia impunita non relinquantur *l. ita vulneratus ff. ad leg. Aquil.*, vbi autem ad publicam vindictam agitur, criminalitèr agitur *Clarus in prax. crim. lib. 5. §. fin. quæſt. 1. verſ. quarta ergo fuit opinio* iuxtà *Gloſ. in l. 3. in princip. in verb. centum aureorum ff. de ſepul. viol.* Ciuilitèr autem agitur, quandò agitur ad priuatum commodum alicuius, quod non euenit in caſu noſtro.

Pæna hæc ad publicā vindictam incurritur. Clarus. Gloſ.

SECTIO III.

De Pænis contrà Simoniacos in ordine.

Recto ordine procedentes à pænis in beneficio progredimur ad pænas in ordine; quæ multæ ſunt, & quandòque diuerſæ ab illis: Non recedentes igitur à methodo, quam in præcedentibus ſeruauimus, examinabimus primò quid iuris quoad excommunicationem. Secundò quid circà ſuſpenſionem. Tertiò quid quoad depoſitionem. Quartò quid quoad irregularitatem. Vltimò quid quoad infamiam. Incipimus à primo, pro quo ſit

Rationes dubitādi circà ſimoniā in ordine.

Aſſertio I. Tam conferentes, quàm recipientes ſimoniacè ordines ipſo facto excommunicati ſunt. Ita quoad conferentes *Borgas in tract. de irregularitate part. 6. num. 92. verſ. tertia eſt pæna excommunicationis, Vin. in ſua Silua opin. 724. num. 5. Tabiena in verb. ſimonia num. 74. verſ. ſeptuageſimo tertio. Silueſter in verb. ſimonia quæſt. 19. Nauarrus cap. 23. num. 111. verſ. quarto, quod ſimoniacus, Vgolinus tab. 4. cap. 3.* Quoad recipientes Doctores omnes præallegati, & vlterius *Suarez d. lib. 4. de ſimon. cap. 56. num. 2. & 3. Sotus 9. de iuſt. quæſt. 8. art. 2. concl. 1. Bonacina tract. de ſimonia quæſt. 7.* 34

Borgas. Vin. Tabiena. Silueſter. Nauarrus. Vgolin. Suarez. Sotus. Bonacina.

§. 2.

Reginaldus. §.2. *nu.*1. *Reginaldus lib.*28. *cap.*12. *nu.*174. & alij magis communitèr.

Omiſſis pluribus iuribus, quæ à Doctoribus afferuntur ad comprobandam hanc aſſertionem, quæ vel indicant ſolummodò ſententiam ferendam, vel reſtringuntur ſolummodò ad ordinem Epiſcopalem, cuiuſmodi ex mente Suarez loc. cit. eſt *cap. reperiuntur* 7. *quæſt.* 1. vbi dicitur. *Ex eodem tempore ſe noverit anathematis opprobrio condemnatum* me confero ad *d. extrauag.* 2. *inter communes de ſimonia*, vbi expreſsè dicitur. *Qui quomodolibet dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerint, aut quod illa fiat mediatores extiterint, ſeù procurauerint.* Adeò clara eſt hæc declaratio, & communi Doctorum conſenſu comprobata, vt non amplius relinquat locum ambigendi.

Expreſſa iuris diſpoſitio.

Hic ſolum remanet ratio dubitandi primò ad quos ordines extendatur hæc excommunicatio, an ad ſacros dumtaxat, an etiam ad minores non ſacros, an etiam ad ordinem Epiſcopalem, an tandèm etiam ad primam tonſuram. Secundò, an afficiat quoſcunque conferentes quacunque dignitate Eccleſiaſtica pręfulgentes, quantumuis Cardinalitia. Tertiò, an afficiat ſolùm conferentes, quandò pretium recipiunt ante collationem, an verò quandò etiam poſt ſine conuentione præcedenti, & an ſolum eoſdem, an etiam ipſorum miniſtros, & quomodò

35 Ad primam; dicendum eſt extendi nedum ad ordines ſacros, ſed etiam ad minores, & ad primam tonſuram, & etiam ad ordinem Epiſcopalem *Vgolinus de ſimonia reali tab.*4. *cap.* 3. §. 1. *num. primo*. *Suarez lib.*4 *d. cap.*56. *num.*5. *Salſedo ad Bernardum Diaz in tract. crim. cap.* 91. *Alterius tom.* 2. *diſp.*15. *cap.*4. *ad fin. Bonacina de Sacramentis diſp.*8. *quæſt. vnic. punct.*4. *num.*26. & *alij* quoad primam tonſuram aduerſus *Leſſium lib.*2. *cap.*35. *dub.*24. *nu.*133. & *alios.* Quoad primam partem de ordinibus etiam minoribus, & non ſacris patet *ex d. extrauag.* 2. *de ſimonia*, vbi indefinitè eſt ſermo de ordinibus nulla facta exceptione de ſacris, vel non ſacris; vbi autem lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus ex vulgatis iuribus. Quoad ſecundam de prima tonſura, de qua maior eſt ratio dubitandi ſic euincitur, quia per primam tonſuram conſtituitur quis in ordine Clericali, & nomine ordinationis venit etiam collatio primæ tonſuræ per ea, quæ notant *Suarez loc. cit.*, & *alij omnes ſuprà allegati*, vndè iure merito *in d. extrauag.* 2. *de ſimonia* generatim dicitur. *Qui quomodolibet dando, vel recipiendo ſimoniam commiſerint, aut quod illa fiat mediatores extiterint*, quæ verba cum ſit indefinita, & generalia videntur comprehendere ea omnia, quæ veniunt nomine ordinationis Eccleſiaſticæ. Fateor me adhærere huic opinioni propter communem acceptionem, ſecundum quam Doctores communiùs ita ſentiunt; cæterum in rigore iuris ſua non caret probabilitate opinio Leſſij, quandoquidem prima tonſura propriè ordo non eſt, adeòque iura pænalia inſtituta contra ordinantes, & ordinatos ad eandem non videntur poſſe extendi, cum pænalia ſint ſolummodò interpretanda ſecundum rigoroſam verborum ſignificationem, non ſecundum accomodatantiam, ſeù minus propriam.

Vgolin. Suarez. Salſedo. Alterius. Bonacina. Leſſius.

Nomine ordinationis venit etiā collatio primæ tonſuræ.

Suarez.

Accedit tamen ad magis corroborandam communem Doctorum acceptionem decretum *Sac. Concilij Trident. ſeſſ.* 21. *de reformatione cap. primo*, vbi cum dictum fuerit. *Nihil pro collatione quorumcunque ordinum etiam Clericalis tonſuræ etiam ſponte oblatum Epiſcopi. & alij ordinum collatores accipiant &c.* poſtea ſubditur. *Qui ſecus fecerint tàm dantes, quàm recipientes vlterà diuinam vltionem pænas à iure inflictas ipſo iure incurrant*, quam concilij definitionem, ſeù declarationem licet alij in eum ſenſum detrudant, vt non imponat nouam pænam, ſed confirmet dumtaxat pænas a iure inflictas, & quod proindè, ſi in iuribus antiquis pæna excommunicationis non extendebatur ad primam tonſuram, nec extendatur ex vi huius definitionis Concilij, arbitror tamen in hac parte de Clericali tonſura eſſe extenſiuam, ſeù potius declaratiuam præcedentium iurium, quod ſcilicet ſub illorum diſpoſitione veniat prædicta prima tonſura, vt infra quoad tertiam de ordine Epiſcopali facile euincitur tùm *ex d. extrauag.* 2. *de ſimonia* tùm *ex cap. reperiuntur* 7. *quæſt.* 1. vbi dicitur *ex eodem tempore ſe noverit anathematis opprobrio condemnatum*, qui textus, vt benè notat Suarez ex præcedentibus, refertur potiſſimum ad Epiſcopalem ordinem. Ibi *vile pretium donant, vt Pontificalis ordinis ſublime culmen accipiant*; tùm ex Concil. Bracar. in can. 80. Ibi *vt nullus audeat ordinare Epiſcopum*.

Decretum expreſſū Sacri Concilij Tridentini.

Suarez.

Ad ſecundam dicendum eſt extendi ad quoſcunque conferentes quacunque etiam dignitate præfulgentes etiam Cardinalitia; Colligitur primo ex conſtit. Eugenij IV. edita anno 1434. Incip. cum deteſtabile Ibi *Illos cuiuſcunque gradus, conditionis, ordinis, vel præeminentiæ fuerint, etiam ſi Cardinalatus, Patriarchali, Epiſcopali, ſeù alia quauis Eccleſiaſtica dignitate*. Secundo ex Conſtit. *Pij V. Incip. cum primum Apoſtolatus lata anno Domini* 1566 *Pontificatus ſui anno primo Kalendis Aprilis verſ. & vt ſimoniacæ prauitatis* Ibi *Qui vero ordines &c.* 36

Colligitur ex expreſſo iure canonico.

Ad tertiam aſſerendum eſt prædictam excommunicationem afficere conferentes, ſiuè pretium receperint ante collationem, 73

ſiuè poſt ex conuentione præcedenti. Colligitur primò ex Concilio Bracarenſ. 2. c. 3. vbi dicitur *pro quauis re data ſiuè ante ordinationem, ſiuè poſt*, quæ certè intelligi non poſſunt, niſi ex præuia conuentione, quandoquidem, vt bene notat *Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 24. num. 133. verſ. ſecundo* durum videtur, vt Epiſcopus, ſeù miniſtri eius cenſuram incurrant, ſi aliquod ſpontè oblatum acceperint, neque obeſſe poteſt *Concil. Trid. d. ſeſſ. 21. de reformatione cap. 1.* vbi dicitur, *nec alia de cauſa etiam ſpontè oblatum*, quod præcedentem non ſupponit conuentionem; non, inquam, obeſſe poteſt, quià præfatum Concilium prohibet quidem acceptionem etiam gratis oblati, non tamen ſub cenſura excommunicationis, & licet in fine eiuſdem cap. dicatur, *qui ſecus fecerint tàm dantes, quàm accipientes vltrà diuinam vltionem pœnas à iure inflictas ipſo facto incurrant*; nihilominus, quià in iuribus contra ſimoniacos nihil ſtatutum eſt, quandò quid ſpontè offertur, & accipitur, ideò tale ius ad hoc non extenditur; vndè recipientes ſpontè oblatum peccant quidem, quia faciunt contrà decretum dicti Concilij, nòn tamen ſubeunt cenſuram excommunicationis, vt benè obſeruat *Ognate d. tract. 23. diſp. 85. ſect. 6. num. 150.* Colligitur ſecundò ex ſupradictis ratione, quià quamuis conferatur aliquod pretio æſtimabile poſt collationem ex præcedenti conuentione, nihilominus quandò confertur illud pretio æſtimabile conſtituitur ſimonia realis in ordine, ergo tunc cenſuræ impoſitæ ipſo iure contra ſimoniam realem in ordine incurruntur. Conſequentia probatur ex paritate ſimoniacæ prauitatis in beneficijs, quę obligat ſub cenſuris tunc, quandò completur per collationem pretij, quamuis hoc tribuatur poſt collationem beneficij, cum non minus imponatur talis pœna contra ſimoniacos in beneficio, ac contra ſimoniacos in ordine.

Leſſius.

Concilium Tridenti nũ prohibet quodam recipe oblatũ nõ tamen ſub pena excommunicationis.

Ognate.

Paritas ſimoniacæ prauitatis in beneficijs.

Ex quibus omnibus deduces, quomodò intelligendum ſit Concilium Trid. loc. cit. dum dicit, quod *nec pro literis dimiſſorijs, aut pro teſtimonialibus, nec pro ſigillo, aut alia quacunque cauſa etiam ſponte oblatum Epiſcopi, aut alij ordinum collatores, aut eorum miniſtri quouis prætextu accipiant*; intelligendum, inquam, eſt, quod quidquam accipi non poſſit ſub pœna tranſgreſſionis præcepti, adeòque peccati læthalis, non autem ſub pœna cenſuræ excommunicationis, & in hoc ſenſu explicant d. Concil. *Ognate d. tract. 23. diſp 85. ſect. 6. num. 150. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub 24. num. 133., & alij magis communitèr.*

Prohibet ſub pecca to letha li non ſub pœna ex communicationis.

Ognate. Leſſius.

38 Aſſertio II. Conferentes ordines per ſimoniam realem primò ſunt ſuſpenſi à collatione quorumcunque ordinum, ſecundò ab executione omnium Pontificalium munerum. Tertiò ab ingreſſu Eccleſiæ. *Vgolinus de ſimonia reali tab. 4. cap. 3. num. 1. 2., & 3. Bonacina d. quæſt. 7. §. 7. prop. 3. num. 3.*, & eſt communis apud omnes.

Vgolin. Bonacina.

Præſcindendo ab ea quæſtione, quam ſolent hic examinare Doctores, an ſcilicet de iure antiquo impoſita fuerit talis pœna ſuſpenſionis contra conferentes ordines, in qua non licet immorari; certum enim eſt in eodem etiam huiuſmodi pœnam ipſo iure incurri *ex cap. penult. de ſimonia*, & idem docuerunt *Abbas, & Felinus in cap. per tuas de ſimonia, & Gloſ. expreſsè in cap. præter §. verum verbo officium diſt. 32.* ſed talis pœna ibi non videtur, niſi triennalis *Suarez d. lib. 4. cap. 56. num. 13. in fin.* Præſcindendo igitur ab ea quæſtione ad ius nouum me confero, & primò *ad d. Extrauag. 2. de ſimonia*, quæ non videtur tantum expreſsè loqui de recipientibus ordinem ſimoniacè, non de conferentibus. Ibi *Declaramus, quod omnes illi, qui ſimoniacè ordinati fuerint à ſuorum ſint ordinum executione ſuſpenſi*, quæ verba ab aliquibus incongruè trahuntur tàm ad ordinationem paſſiuam, quam ad actiuam; incongruè, inquam, quia nomine ordinatorum propriè veniunt illi, qui ordines dumtaxat receperunt; in pœnalibus autem verba à propria non debent ad impropriam ſignificationem transferri, ne odia extendantur.

Abbas. Felinus. Gloſa.

De iure antiquo ſuſpenſio non erat, niſi triennalis.

Clarior igitur, & vrgentior probatio aſſertionis noſtræ deducenda eſt ex motu proprio *Sixti V. in ſua conſtit. quæ incipit Sanctum, & ſalutare edita anno 1580. 9. Ianuarij Pontificatus eiuſdem anno quarto*, vbi expreſsè dicitur. *Cæterum, ſi quis Antiſtes, vel Abbas ſeruatis quidem cunctis præmiſſis, & cæteris omnibus, quæ in ipſius tonſura, & ordinum collatione obſeruari debent perſonas habiles, & idoneas, ſed tantum recepta ab ijs, quibus tonſuram, aut Ordines conferet pecunia, pretio, vel præmio ſimoniacè in futurum inſignierit, vel promouerit volumus, vt præter alias cenſuras, & pœnas contrà ſimoniacè ordinantes, & ordinatos &c. etiam omnia, & ſingula ſupradicta in ſic promouentibus, & promotis locum habeant*, & in eadem Conſtitutione expreſsè apponuntur omnes ſuſpenſiones appoſitæ in aſſertione. *Ibi à collatione quorumcunque ordinum, atque adeò ipſius primæ tonſuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium eo ipſo ſuſpenſus, & ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus remaneat.* Et quamuis hæc Sixtina Conſtitutio, vtpotè nimis ardua videatur expreſsè reuocata a Clemente VIII. in ſua conſtitutione edita anno 1595. pridie Kalendas Martij, & ad terminos iuris communis redacta; Nihilominus quoad pœnas contrà ſimoniacos in ordine expreſsè fuerit in ſuo

Colligitur ex diſpoſitione Sixti V.

Non fuit reuocata quoad ſimoniã in ordine.

robore

roboꝛe relicta Ibi *Præterquam contrà ſimoniacè ordinantes, & ordinatos inflictas pœnas volumus in ſuo robore permanere.*

39 Ex quibus omnibus habetur primò, hanc ſuſpenſionem, & interdictum ab Eccleſia eſſe latæ ſententiæ, & non ferendæ Ibi *eo ipſo ſuſpenſus*. Secundò, hanc pœnam incurrere ordinantem, quamuis ſimoniacè conferat ſolummodò primam tonſuram, Ibi *ſi quis antiſtes, vel Abbas cunctis præmiſſis, & cæteris omnibus, quæ in ipſius tonſura, & ordinum collatione &c. quibus tonſuram, aut ordines conferet pecunia &c.* Tertiò hanc ſuſpenſionem eſſe à collatione quorumcunque ordinum, & ab executione Pontificalium munerum, non tamen à beneficio, aut ab alio officio iuriſdictionis, aut Eccleſiaſticæ adminiſtrationis Ibi *A collatione quorumcunque ordinum, atque adeò ipſius primæ tonſuræ, & ab executione &c. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 24. num. 134. Suarez lib. 4. de ſimon. cap. 56. num. 18. Bonacina quæſt. 7. §. 7. prop. 3. num. 3.* vnde non poterit ſic ſuſpenſus confirmare, ordinare, conſecrare Calices, Eccleſias, Altaria, Abbates &c., poterit tamen iuriſdictionem exercere, quià iuriſdictio non venit nomine Pontificalium munerum, cum poſſit haberi ſine Pontificali ordinatione; quod potiſſimum deducitur ex ead. Conſtitutione Sixti V. vbi ſubdit. *Quod ſi in præmiſſis ſe ingeſſerint ſpreta ſuſpenſione, & interdicto ſuſpenſionem incurrant à regimine, & adminiſtratione ſua Eccleſiæ, & perceptione fructuum*; ex quo clarè deducitur, quod talis ſuſpenſio à regimine, & adminiſtratione &c. non incurratur præciſè ex vi ſimoniacæ collationis; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod hæc pœna ſuſpenſionis a regimine, & adminiſtratione fuerit in iure antiquo impoſita, licet non ſub ratione latæ ſententiæ, ſub ratione tamen ferendæ *iuxtà cap. ſi quis Epiſcopus 1. quæſt. 1.* Ibi *proprij gradus periculo ſubiacebit*, & quod per conſequens in iure nouo incurratur ipſo facto *ex vi d. Extrauag. 2. de ſimonia* Ibi *quas ipſo facto incurrere volumus*, non, inquam obeſſe poteſt, quià non referuntur ad iura antiqua, niſi prout conſonant cum hac diſpoſitione extrauagantis; vndè meritò dicit *Suarez d. c. 56. n. 19.* & cum eo alij magis communitèr improbabile eſſe, quod illa verba generalia habeant hanc vim quoad ſuſpenſionem à beneficio in ordine ad conferentem ordines.

Leſſius. Suarez. Bonacina.

Suſpenſio à regimine, & adminiſtratione ex vi ſimoniacæ collationis propriè nõ infertur

Suarez.

40 Aſſertio III. Conferentes ordines, ſeù etiam primam Tonſuram ſimoniacè accepto pretio, ac propterea ex vi præcedentium iurium ſuſpenſi, & interdicti, ſi contra ſuſpenſionem ab executione Pontificalium, & interdictum ab ingreſſu in Eccleſiam veniant, contrahunt ſuſpenſionem a regimine, & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, fructuumque perceptione *Vgolinus d. tab. 4. cap. 3. §. 1. num. 5. & alij magis communiter.*

Vgolin.

Non indiget probatione hæc aſſertio, quandòquidem hoc expreſsè decernitur in d. Conſtit. Sixti V. Ibi *Quod ſi in præmiſſis ſe ingeſſerint ſpreta ſuſpenſione, & interdicto ſuſpenſionem incurrant à regimine, & adminiſtratione ſua Eccleſiæ, & à fructuum perceptione*, & quidem talis diſpoſitio conformis eſt rationi, quandòquidem qui ſpernit regulares cenſuras celebrando in illis contra prohibitionem incurrit irregularitatem per notata ad textum *in cap. 1. de re iud. in 6. & in cap. primo de ſent. excommunicationis item in 6.* Conſule *Vgolinum in tract. de cenſuris cap. 14. §. 1.*

Eſt expreſſa in conſtitut. Sixti V.

41 Aſſertio IV. Recipientes ordines, & etiam primam tonſuram ſimoniacè ab ordinum executione ipſo iure ſuſpenſi ſunt, & quidem ſolum ab executione illorum, quos ſimoniacè receperunt, non autem ab illis, quos legitimè acquiſierint. Ità quoad primam partem *Gloſa in cap. quibuſdam in verb. ſtare 1. quæſt. 1. Innocentius in c. tanta, & ibi etiam Abbas verſ. in ea gloſ. & Mar. Soc. Sen. de ſimon. D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 6. ad primum, Archiepiſcopus Florent. in ſecunda part. ſummæ tit. primo cap. 5. §. 5. & Silueſter in verb. ſuſpenſio num. 7. Borgas de irreg. part. 6. de ſimon. num. 70. Menochius de arbitr. iud. lib. 2. cent. 5. caſ. 401. num. 25.*

Gloſa. Innocentius. Abbas. Socinus Sen. D. Thomas. D. Anton. Silueſter. Borgas. Menoch.

Probatur primò quoad primam partem *ex d. Extrauag. 2. inter communes de ſimonia* Ibi *Declaramus, quod omnes illi, qui ſimoniacè ordinati fuerint à ſuorum ſint ordinum executione ſuſpenſi.* Secundò ex præfata Bulla Sixti V. *Clericos poſt hac malè promotos ab executione, miniſterio, & exercitio ordinum, & ab omni ſpe, & facultate aſcendendi ad alios ſuperiores perpetuo ſuſpenſos declaramus.*

Probatur ſecundò quoad ſecundam partem, quia pœnæ non ſunt extendendæ vltra id, quod expreſſum eſt, & vbi dubietas eſt circa mentem legiſlatoris benignior, & mitior interpretatio eſt adhibenda, maximè ſi ex coniecturis, & circunſtantijs conijciatur eiuſdem mens in mitiorem partem inclinare *In ſpecul. de Aduoc. §. 1. in verb. in ſumma in fin. & de ſent. §. 2. & eſt textus apertus in l. cum quidam ad fin. ff. de liberis, & poſt. Item in Specul. de except. §. 3. in 7. col. verſ. quid de except. el 4.* Sed tam in d. extrauag. 2. de ſimonia, quam in in d. Conſtitutione Sixtina expreſsè non apponitur ſuſpenſio quoad omnes ordines Ibi *à ſuorum ſint ordinum executione ſuſpenſi*, vbi non dicit, *ab omnium ſint ordinum &c.* & congruentia poſtulat, vt in eo dumtaxat quis puniatur, in quo deliquit; vt

Vbi dubietas eſt de mente legiſlatoris benignius eſt interpretandum. Speculator.

lerit

Leſſius. aſſerit *Leſſius d. lib. 2. cap. 35. dub. 24.* iuxtà *cap. fin. de temp. ordin. in 6.* etenim pæna delicti grauitatem eius egredi non debet *cap. 2. de iis, quæ fiunt à maior. part. cap. & cap. non afferamus 24. quæſt. 1.*, ergo non debet fieri extenſio vltra ordines ſimoniacè receptos.

Vgolin. Hic acquieſcere non poſſum *Vgolino d. tab. 4. cap. 4. num. 3. verſ. quid igitur concludendum, in fin.* qui exiſtimans ordinatum ſimoniacè contrahere ſuſpenſionem quoad omnes ordines etiam ritè, & legitimè ſuſceptos deducit fundamentum probationis ex eo, quod ſimoniacè ordinatus excommunicatus eſt ipſo iure, & excommunicatus omnium ordinum executione careat; non, inquam, poſſum acquieſcere, quia hac ratione nec contraheret ſuſpenſionem quoad executionem ordinum ſimoniacè ſuſceptorum, quandòquidem ſublata excommunicatione per abſolutionem non indigeret amplius abſolutione a ſuſpenſione, ſi hæc dumtaxat haberet fundamentum in excommunicatione contracta. Debuiſſet *Vgolinus* aduertere ad ea, quæ ad mentem Nauarri ſecutus eſt infra *verſ. ſecundo propoſita regula* nempè ſimoniacum ſic promotum egere ab excommunicatione abſolui, & etiam a ſuſpenſione *iuxtà cap. Inquiſitionis de accuſ. & ibi Innocentius, & Abbas, & iuxtà Gloſam in cap. per tuas 2. in verb. miniſtret de ſimonia*, ergo ex excommunicatione non benè infertur ſuſpenſio ab executione quorumcunque ordinum ſecundum ſe, cum hæc per accidens ſolummodò ſubſequatur, non ratione ſui. Deindè vltra pænam excommunicationis ſuperfluè fuiſſet appoſita pæna ſuſpenſionis, ſi hæc ex illa ſufficienter induceretur. Voluit igitur Pontifex, hanc diſtinctam pænam ſuſpenſionis inducere, vt quid diſtinctum, quæque perſeueraret ſublata etiam excommunicatione, vnde incongruè Vgolinus infert ab Excommunicatione ſuſpenſionem ab exercitio cuiuſcunque ordinis quantumuis legitimè percepti.

Non valet arguere, quod ratione excommunicationis contrahat ſuſpenſionem à omnibus ordinibus

Vgolin. Nauarrus.

Indiget abſolutione nō ſolū ab excommunicatione, ſed etiam à ſuſpenſione.

Abbas. Gloſa.

Ad vberiorem notitiam eorum, quæ ad hanc aſſertionem pertinent placet nonnulla dubia, quæ ex eadem emergunt referre, & examinare. Primum erit, an illa ſuſpenſio ſit perpetua, an verò ad tempus, & ad quodnam. Secundum, an ſuſpendat ſolummodò ab executione ordinum, an verò etiam a ſuſceptione aliorum, & an etiam ab officio, & beneficio. Tertium, an ſuſpendat, ſiuè delictum fuerit manifeſtum, ſiuè tantum occultum. Quartum, an afficiat ordinatum ſimoniacè, ſi ſimonia fuerit per alium commiſſa ipſo penitus ignorante. Quintum, an afficiat etiam mediatores. Sextum, an præſentatores ad ordinem, & his ſimilia

Nonnulla dubia hīc emergentia.

Ad primum magnam vim videtur facere textus *in cap. penult. de ſimonia*, vbi videtur imponi ſuſpenſio tantum triennalis, quam tamen latius extendit Pius V. in ſua Conſtit. V. ad decennalem. Ibi *Quicunque deteſtabile vitium ſimoniacæ prauitatis commiſſus fuerit commiſiſſe in conſequendis ordinibus eo ipſo ab illorum executione per decennium ſine ſpe diſpenſationis ſit ſuſpenſus, & per annum carceribus mancipetur*. Nihilominus abſolutè dicendum eſt huiuſmodi pænam eſſe perpetuam, vt præcipuè colligitur ex Bulla Sixti V. Ibi *Ab executione, miniſterio, & exercitio Ordinum &c. perpetuò ſuſpenſos declaramus*; quod idem colligitur ex *d. Extrauag. 2. de ſimonia*, vbi verba indefinitè concipiuntur ſine vlla prorſus temporis limitatione, quæ propterea indicant perpetuitatem. Nec obeſſe poſſunt iura ſuperius allegata in ratione dubitandi, quandòquidem illud *cap. penult. de ſimonia* refertur dumtaxat ad ordinantem, & præſentantem ad ordines, non autem ad ordinatum, reſpectu cuius ibi expreſſè apponitur perpetuitas ſuſpenſionis. *Ordinator à collatione, præſentator verò ab executione ordinum per triennium, & ordinatus ab ordine ſic ſuſcepto donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinere meruerint, nouerint ſe ſuſpenſos*; Conſtitutio verò Pij V. per illa verba *per decennium ſine ſpe diſpenſationis ſit ſuſpenſus*, importat ſolummodò, quod de iure ordinario ſic ordinatus non ſit per decennium diſpenſandus à tali ſuſpenſione, cæterum poſt decennium adhuc relinquit ſimoniacè promotum in tali ſuſpenſione, à qua tamen poterit diſpenſari per ordinariam poteſtatem eiuſdem Pontificis, quod ſecundum ſe non tollit perpetuitatem per ea, quæ habent *Suarez d. cap. 56. num. 10. & Bonacina d. quæſt. 7. §. 6. prop. 4. num. 10. verſ. Reſpondeo Pium V.* 42

Pæna triennalis ſuſpenſionis, refertur ſolùmodo ad ordinantes, & præſentantes ad ordines,

Pius V. ſolū indicat, quod per decennium non ſit diſpenſandus, cæterū poſt illud non tollit ſuſpenſionem.

Suarez. Bonacina.

Ad ſecundum dicendum eſt non ſolum ſuſpendere ab executione, & exercitio ordinum ſimoniacè ſuſceptorum, ſed etiam a ſuſceptione aliorum, non tamen ſecundum ſe ab officio, ſeù beneficio. *Suarez d. cap. 56. num. 17. Saurus lib. 4. cap. 17. ad fin. Vgolinus d. tab. 4. cap. 4. num. 5.* Ratio primæ partis clarè, & expreſſè deducitur ex d. Conſtit. Sixti V. Ibi *& ab omni ſpe, & facultate aſcendendi ad alios ſuperiores perpetuò ſuſpenſos declaramus*. Ratio ſecundæ ex eo deducitur, quod nullibi reperitur talis pæna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio impoſita, quinimmò, cum Sixtus V. in cit. ſua Conſtitut. dixerit, quod *ſi in eis miniſtrare præſumpſerint illos ſic irregulares effectos omnibus, & quibuſcunque per eos in titulum, commendam, aut alias obtentis dignitatibus, officijs, & beneficijs Eccleſiaſticis cum iura,* 43

Suarez. Saurus. Vgolin.

Non tamen eſt ſuſpenſio ab officio, ſeù beneficio.

&

& ſine cura quomodolibet qualificatis ſecularibus, vel cuiuſuis ordinis, aut militia Regularibus, ac etiam ſi ipſi Clerici Regulares fuerint, actiua, & paſſiua voce ipſo facto priuamus, & ijs priuatos, atque ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia impoſterum obtinenda in perpetuum inhabiles, & incapaces eſſe decernimus, & declaramus, dignitatum, officiorum, & beneficiorum huiuſmodi ſic pro tempore vacantium diſpoſitionem nobis, & Apoſtolica Sedi perpetuò reſeruantes; ex conſequenti infertur, quod ipſo iure talis ſuſpenſio per ipſam ſimoniacam ordinum receptionem non incurratur; cæteroqui ſuperflua foret talis declaratio; Nec talis ſuſpenſio argui poteſt ex *d. extrauag. 2. de ſimonia* cum ſolummodò aſſerat *à ſuorum ſint ordinum executione ſuſpenſi.*

44 Ad tertium aſſerendum eſt, talem ſuſpenſionem ab executione ordinum afficere ſimoniacè ordinatum, quantumuis fuerit occultus. Expreſsè colligitur ex *d. extrauag 2. de ſimonia*- Ibi- *Et eorum quemlibet tam manifeſtum, quàm occultum*; neque obeſſe poteſt Pius V. in præfata ſua Conſtit, aſſerens. *Quicunque deteſtabile vitium ſimoniacæ prauitatis conuictus fuerit commiſiſſe in conſequendis ordinibus eo ipſo ab illorum executione per decennium ſine ſpe diſpenſationis ſit ſuſpenſus*; vbi, cum dicatur, quod ſimoniacè ordinatus debeat eſſe conuictus ſimoniacæ prauitatis, videtur innui, quod debeat eſſe manifeſtus; non, inquam obeſſe poteſt, quia Pontifex ibi requirit, quod debeat eſſe conuictus non ad incurrendam præcisè ſuſpenſionem, ſed ad incurrendam eandem cum eo onere, vt ordinatus conuictus non poſſit de iure ordinario, niſi poſt decennium diſpenſari, quæ, cum ſit grauior pæna ex diſpoſitione Pontificis requirit, vt delinquens conuincatur; cæterum quoad incurſum huiuſmodi ſuſpenſionis præcisè ſufficit, quod delictum realiter ſit commiſſum, licet non manifeſtum, alioqui hæc Piana diſpoſitio aduerſaretur diſpoſitioni d. Extrauag., quod non eſt dicendum.

Quod debeat eſſe conuictus non infertur ad incurſũ ſuſpenſionis, ſed ad ſeſſectũ negationis abſolutionis ad decennium.

45 Ad quartum dicendum eſt hanc ſuſpenſionem non afficere ordinatum, ſi ſimonia per alium commiſſa ſint ipſo ordinato penitus ignorante *Nauarrus cap. 25. num. 68. Coninchus diſp. 15. num. 37. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 24. num. 136.* aduerſus *Aragoniam in ſecunda ſecunda D. Thomæ quæſt. 100. art. vltim. concl. 4. Felinum in cap. per tuas de ſimonia, Auila tertia part. diſp. 5. dub. 9. concl. 2. Silueſtrum verb. ſuſpenſio num. 7.* Ratio ex eo deducitur, quod hæc ſuſpenſio eſt pænalis, & afficit in re graui ipſum ordinatum; ex quo ſequitur primò, quod ſine culpa eſſe non poſſit. Secundò, quod non ſit extendenda vltra id, quod exprimitur; Neque dicas ex ſuperius dictis, quod etiam irritatio, & nullitas in aſſecutione beneficij ſimoniaca ſit pænalis, & tamen afficit etiam ſine culpa, & extenditur ad beneficiarium ſimoniacum, quantumuis ignorantem, ergo etiam, quamuis talis ſuſpenſio ſit pænalis, afficere tamen poterit ordinatum ſimoniacè quamuis ſit ſine culpa, & extendi ad eundem quantumuis ignorantem; contra enim impugnabens, quia in collatione beneficij poteſt Eccleſia ſtatuere, quod quomodocunque extante ſimoniaca prauitate ſubiectum reddatur incapax beneficij collati, cum illius translatio pendeat dumtaxat ex diſpoſitione eiuſdem Eccleſiæ, quæ, cum libera ſit ad transferendum, vel non transferendum poteſt tùm tali conditione velle transferre, & non cum tali alia, & per non translationem nulla noxa infligitur ipſi ſimoniaco ignoranti; Ad contrahendam autem noxam, & ſuſpenſionem, quæ afficit eundem ſuſpenſum non ſufficit ſola ordinatio Eccleſiæ, ſed requiritur aliqua actio ex parte ordinati, ſeù ſuſpenſi, ratione cuius afficiatur tali noxa, ſeù ſuſpenſione, & ſic nullitas, ſeù irritatio conſiſtit ſolum in non poſitione beneficij, quod ſolum pendet ex voluntate concedentis Eccleſiæ, quæ poteſt nolle concedere ſuppoſita illa, vel illa conditione, quamuis ſine culpa illius, qui vult recipere; illa autem ſuſpenſio conſiſtit in poſitione poſitiua pænæ afficientis ipſum ſuſpenſum, ſine cuius propterea culpa non videtur poſſe inuri. Deindè iſta pæna irritationis, ſeù nullitatis in beneficio collato ſimoniacè quantumuis ignoranti eſt in iure expreſſa, non ſic pæna ſuſpenſionis in ordine collato ſimoniacè ignoranti, adeòque &c. Hæc adeò vera ſunt, vt multi, & ferè omnes Doctores præcitati abſolutè aſſerant ſimoniacum ſic ordinatum cum ignorantia non affici tali cenſura ſuſpenſionis, quamuis poſt ſuſceptum ſic ordinem cognouerit ſimoniam per alium fuiſſe patratam; quin immò etiam ſi poſt ordinationem ratificet talem ſimoniam ab alio in ſui fauorem commiſſam, & rationem adducunt, quia huiuſmodi cenſura impoſita eſt ob ſimoniam in ſuſceptione ordinum, ſeù ipſa ordinatione; ratificans autem iam factum non committit ſimoniam in ſuſceptione *Alterius tom. 2. diſp. 9. cap. 4. ſub finem Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 24. nu. 136. Suarez de cenſuris diſp. 31. ſect. 1. Sairus lib. 4. cap. 14. num. 6. Ognate d. tract. 23. diſp. 85. ſect. 6. num. 176.* Contendunt hic aliqui ſic ordinatum incurrere cenſuram ſuſpenſionis, quia eſt ſimoniacè ordinatus, cum ſit ordinatus ab Epiſcopo ſimoniaco; ſed hæc ratio non euincit, nam ſimoniacè ordinari eſt quidem ordinari;

non

Nauarrus. Coninchus. Leſſius. Aragon. Felinus. Auila. Silueſter.

Ad incurrendam ſuſpenſionem non ſufficit ſola ordinatio Eccleſiæ, ſed requiritur aliqua actio ex parte ordinati.

Suſpenſio impoſita eſt ob ſimoniam in ſuſceptione ordinũ.

Alterius. Leſſius. Suarez. Sairus.

Ex eo, quod ordinator ſit ſimoniacus nõ ſequitur, quod ordinatus ſit talis.

non tamen ſequitur, quod ſi ordinator eſt ſimoniacus, ſit etiam ſimoniacus ordinatus, præcipuè, cum ille non ſit notorius, & hic ignoret, nec concurrat ad ſimoniacam prauitatem:

Ad quintam aſſerendum eſt non afficere mediatores, quantumuis iſti grauiſſimè peccent *Bonacina de ſimonia quæſt. 7. §. 6.*

46 *prop. 2. num. 7. Suarez de cenſuris diſp. 31. num. 29.* Hoc clare liquet argumento toties repetito, quod in iure hoc expreſſum non ſit, nec pæna extendenda vltrà expreſſa, & licet contrà mediatores *in d. extrauag. 2. de ſimonia* ſit impoſita pæna excommunicationis, non propterea extendi etiam debet ad ſuſpenſionem, cum pænæ ſint reſtringendæ, non ampliandæ. Vlterius non immoror, quia de hac re erit ſermo vberior dum de ſuſpenſione.

Bonacina. Suarez.

Non valet argumentũ ab excommunicatione ad ſuſpẽſionem.

47 Ad ſextum dicendum eſt præſentatorem ad ordines ſuſpendi per triennium ab ordinum executione. Hoc clare liquet ex cap. penult. de ſimonia. Ibi *Præſentator verò ab executione ordinum per triennium nouerit ſe ſuſpenſum*. Neque ex hoc arguas, quod hoc pacto etiam mediatores comprehendantur ſub præfata diſpoſitione, quandòquidem ipſi comparantur præſentatoribus; Non, inquam, arguas, quandòquidem eſt quid diuerſum eſſe mediatorem, & præſentatorem, & quantumuis inter vtrumque intercederet aliqua comparatio, & æquipollentia, nihilominus pænalia ad illa non extenduntur.

Eſt diuerſitas inter mediatorẽ, & præſẽtatorem.

48 Aſſertio V. Ordinatus per ſimoniam, ex vi præciſè talis ordinationis non conſtituitur ipſo iure irregularis *Suarez d. cap. 56. num. 29. & alij magis communitèr* contrà *Vgolinum de ſim. real. tab. 4. cap. 4. §. 2. Nauarrum conſ. 97. de ſimonia num. 10.*

Suarez. Vgolin. Nauarrus.

Probatur, quia talis irregularitas nullibi in iure reperitur impoſita, nec conſequitur ipſo iure ad excommunicationem, & ſuſpenſionem illatas contra ſimoniacos in ordine, ergo ex vi ordinationis præciſè non incurritur. Antecedens quoad primam partem ab omnibus admittitur, & etiam ab eiſdem Vgolino, & Nauarro, quoad ſecundam euincitur; quia ex eo præciſè, quod quis ſit excommunicatus, aut ſuſpenſus non intelligitur etiam irregularis, vt eſt in confeſſo apud omnes, ſecus omnes excommunicati eſſet irregulares, quod eſt contra communem conſenſum.

Ex eo, quod quis ſit excõmunicatus præciſè non ſequitur, quod ſit irregularis.

Dices primo cum Vgolino, vbi imponitur ipſo iure pæna excommunicationis contrà ſuſcipientes ordines ſimoniacè, ſi non obſtante tali prohibitione, & pæna ſuſcipiantur, ſuſcipiuntur in excommunicatione quandòquidem excommunicatio contrahitur ipſo iure per ſuſceptionem eorundem ordinum, ſed qui ſuſcipit ſacramenta in excommunicatione ipſo iure fit irregularis, ergo &c. Maior probatur, quia excommunicatio latæ ſententiæ contra ſic recipientes ordines iam promulgata erat; & ea prohibitum; ne hac ratione ordo reciperetur, ergo &c. Sed contra errat Vgolinus in fundamento; non enim prius contrahitur excommunicatio, quam recipiatur ordo, ſed prius ſaltem natura ordo, & poſteà dependenter ab eodem excommunicatio, valet enim cauſalis, quod ideò fit excommunicatus, quia ſimoniacè ordinatus, non eſt contra, vt per ſe patet, & prius eſſe debet ſimonia realitèr completa, antequam cenſura incurratur per ea, quæ latè ſupra dicta ſunt, & aſſerit etiam *Suarez d. cap. 56. num. 20.*

Non prius contrahitur excõmunicatio quam ſuſcipiat ur ordo.

Suarez.

Dices ſecundò ex Nauarro per vnum, & eundem actum poteſt quis ſimul fieri excommunicatus, & irregularis, quandò ad vtrumque concurrunt omnia, quæ ſufficientia ſunt ad vtrumque inducendum, ſed in hypotheſi datæ aſſertionis concurrunt omnia ſufficientia &c., ergo &c. Minor probatur, quia ad inducendam excommunicationem ſufficit tranſgreſſio eorum, quæ præcipiuntur ſub tali pæna, ad irregularitatem autem ſufficit ſuſceptio ſacramentorum in tali excommunicatione, ſed hic eſt tranſgreſſio præceptorum ſub excommunicatione, & ipſa ſuſceptio ordinis eſt poſt talem impoſitam excommunicationem, ergo &c. Sed contra fateor per vnum, & eundem actum, & eodem momẽto poſſe contrahi vtramque cenſuram, quandò vtraque eſt pro eodem ſimul impoſita, hic autem non eſt impoſita vtraque pæna pro eodem delicto, ſed pro duplici, altero pro ſuſceptione ordinis ſimoniaca, altero pro celebratione, ſeù ſuſceptione diuinorum in eadem excommunicatione, quod ſecundum non militat in caſu noſtro, in quo poſt talem ordinis ſuſceptionem aliquod ſacramentum non ſupponitur recipere, nec miniſtrare.

Argumentum Nauarri diſſolutum.

Non eſt impoſita vtraque pæna pro eodem delicto.

Dixi, *ex vi præciſè talis ordinationis*, non enim negauerim, quod, ſi poſt ſuſceptum ſimoniacè ordinem aliquod ſacramentum reciperet, vel conficeret, non contraheret irregularitatem *arg. cap. 1. de re iud. lib. 6. & cap. primo de ſent. excommunicationis eod. lib.* quia hoc regulare eſt in omnibus recipientibus, vel conficientibus ſacramenta in excommunicatione; In quo caſus ſic delinquens ex ſpeciali etiam diſpoſitione Sixti V. priuatur ipſo facto omnibus dignitatibus, officijs, & beneficijs Eccleſiaſticis. Ibi *Et ſi in eis miniſtrare præſumpſerint illos ſic irregulares effectos omnibus, & quibuſcumque per eos in titulum, commendam, aut alias obtentis dignitatibus officijs, & beneficijs Eccleſiaſticis cum cura, vel ſine cura*

Poſt ſuſceptũ ordinem, ſi reciperet aliud Sacramentũ fieret irregularis.

&c.

&c. ipſo facto priuamus, atque ijs priuatos &c. Item inhabilis, & incapax ad prædicta, ad alia ſimilia, & diſſimilia efficitur. Ibi. *atque ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia impoſterum obtinenda in perpetuum inhabiles, & incapaces eſſe decernimus.* Item, ſi fuerit Clericus Regularis, priuatur voce actiua, & paſſiua. Ibi. *& etiam ſi Clerici Regulares fuerint actiua, & paſſiua voce ipſo facto priuamus.*

49 Aſſertio VI. Vltrà citatas pænas impoſita etiam eſt contrà ſimoniacos in ordine pæna depoſitionis *Suarez d. cap. 56. num. 22. Ognate d. lib. 23. diſp. 85. ſect. 6. num. 182. & alij magis communitèr.*

Suarez. Ognate.

Colligitur hæc aſſertio *ex cap. nullus Epiſcopus 1. quæſt. 1. ex cap. Inquiſitiones, & ex cap. ea, quæ, & in cap. ſuam nobis iunct. gloſ. fin. & in cap. dilectus 2. & ibi Abbas, & Felinus de ſimonia.* Rationem adducit Vgolinus, quià depoſitio eſt pæna ordinaria ſimoniaci *Gloſa in cap. de hoc in verbo deponendi de ſimonia, & cap. dilectus filius 2. iunct. gloſ. in verb. ſeueritatis eod. tit.*, ergo etiam in ſimonia in ordine commiſſa locum ſibi vendicabit ſimonia. Pro clariori notitia huius pænæ recole, quæ ſuperius dicta ſunt in præcedenti ſectione de ſimonia in beneficijs, & hic proportionalitèr applica. Vlterius adde, pænam hanc locum non ſibi vendicare, niſi delictum fuerit plenè conuictum cum delinquente, & ratio eſt, quià huiuſmodi pæna per ſuperiùs dicta exigit ſententiam; pæna autem ordinaria per ſententiam non imponitur, niſi concludentèr conſtet de delicto.

Abbas. Felinus. Vgolin. Gloſa.

Delictum ad hanc pænã debet eſſe plenè conuictum.

50 Aſſertio VII. Simoniacus in ordine incurrit etiam non ſolum infamiam canonicam, ſed etiam iuris. Colligitur *ex cap. fin. 1. quæſt. 3.* vbi dicitur, *quod ſimoniaci nota infamia percellantur* item *ex c. ſanè 15. quæſt. 3.* vbi dicitur, vt perpetua infamia ſimoniaci damnentur. Recole, quæ ſuprà dicta ſunt in præcedenti ſectione de hoc genere infamiæ, dum de ſimonia in beneficijs, & hic cum proportione applica.

Talis infamia eſt perpetua.

51 Aſſertio VIII. Abſolutio à cenſura excommunicationis latæ ob ſimoniam in ordine, & etiam in beneficio reſeruata eſt Romano Pontifici, ſiuè ſimonia fuerit manifeſta, ſiuè occulta, item à cenſura ſuſpenſionis latæ tam contrà conferentes, quam contrà recipientes. In hanc ſententiam propendent omnes, quod viderim, præcipuè poſt Conſtit. Sixti V., & quidem quoad excommunicationis abſolutionem clarè liquet tùm ex *præd. extrauag. 2. de ſimonia in verſ. à qua niſi à Romano Pontifice* tùm *ex d. Sixti V. Conſtitut.* - Ibi - *Vt autem homines, qui nimia indulgentia, & ſpe impunitatis, ac veniæ facilitate hactenus fuerunt ad huiuſmodi facinora procliuiores ea ſublata, & præcluſa ab ijs abſtineant, & caueant in futurum tàm abſoluendi, quàm diſpenſandi facultatem in caſibus ſuperius expreſſis etiam in foro conſcientiæ nobis, & ſucceſſoribus noſtris dumtaxat auctoritate, & tenore &c. perpetuo reſeruamus &c.* vbi in ſubſequentibus excludit quæcunque priuilegia, conceſſiones, gratias, facultates &c. tùm Regularibus, tùm Epiſcopis etiam ex vi Concilij Trid. eiſdem conceſſa, & includit crimen, quantumuis occultum. Quoad abſolutionem verò à ſuſpenſione latè probatur tàm *ab Vgolino d. tab. 4. cap. 4. num. 4.* quàm *à Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 61. num. 5. & ſeqq. per cap. penult. de ſimonia, & in cap. de ſimoniacè eod. & ex cap. per translationem de renunt.*, quæ quidem, licet ſolummodò procedant in ordine ad abſolutionem à ſuſpenſione ordinis ſimoniacè recepti, prout tamen talis ſuſpenſio adaucta eſt *per d. extrauag. 2. de ſimonia* adhuc reſeruata fuit expreſsè ipſius abſolutio Romano Pontifici per d. Conſtitutionem Pij V. quam ibi recole, præterquamquod, vt aſſerit *Suarez loc. cit. ex communiori Doctorum conſenſu*, quandò pæna aliqua pure illata eſt pro delicto ex natura ſua eiuſdem relaxatio reſeruata remanet auctori Canonis

Abſolutio ab excõmunicatione, & ſuſpenſione eſt Papalis.

Excluduntur quæcunq; priuilegia, & facultates.

Vgolin. Suarez.

Colligitur præcipuè ex Bulla Pij V.

Varias limitationes adducunt Doctores non pauci ad hanc aſſertionem, ſed, quià hac de re erit ſermo infrà vberior, amplius in præſenti non immoror in earum diſcuſſione, & examine

Aſſertio IX. Abſolutio ab irregularitate, quandò contracta eſt per executionem ordinum ſimoniacè receptorum eſt Romano Pontifici reſeruata, & item diſpenſatio inhabilitatis, & incapacitatis ad prædicta, & alia ſimilia, vel diſſimilia contractæ propter talem executionem, & item diſpenſatio inhabilitatis ad alios ordines Superiores. Hæc omnia colliguntur ex prædicta Conſtit. Sixti V. *Et ſi in eis miniſtrare præſumpſerint &c. ad illa, & ſimilia, vel diſſimilia impoſterum obtinenda inhabiles, & incapaces eſſe decernimus &c. reſeruantes &c.* & infra *Perſonæ ſic, vt præfertur delinquentes tàm ſcilicet Antiſtites, quàm Abbates promouentes, quam Clerici male inſigniti, ſeu ordinati à reatibus, & exceſſibus præfatis abſolui præterquam in mortis articulo poſſint, ac debeant, nec cum ijs ſuper irregularitate propter præmiſſa contracta, etiam ſi crimen penitus occultum fuerit, quouis modo valeat diſpenſari*, & paulo ante quoad inhabilitatem ad alios ordines Superiores *Eoſdem Clericos poſthac male promotos ab executione, miniſterio, & exercitio ordinum ſuſceptorum, & ab omni ſpe, & facultate aſcendendi ad alios ſuperiores perpetuò ſuſpenſos declaramus.* 52

Declaratio expreſſa Pij V.

SECTIO IV.

De Pœnis contrà Simoniacos in ingreſſu in Monaſterium,

PLura de hac ſimonia, quæ committitur in ingreſſu, ſeù profeſſione in Monaſterium, ſeù Religionem attigimus in ſuperioribus. Nunc ex profeſſo de pænis contra eandem eſt peragendum ea omnia
53 ſub hoc titulo comprehendendo, de quibus ſparsim in corpore iuris habetur, & latè per Auctores ſub diuerſis titulis pertractatur, & quidem tam contra dantes, quàm contra recipientes latam eſſe excommunicationem clarè liquet *ex cap. ſanè extrà de ſimonia*, quod eſt Vrbani IV. & ita communitèr docent *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 56. num. 9. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 22. num. 131. Ognate d. tract. 23. diſp. 85. ſect. 6. num. 155. Bonacina ſect. 7. §. 4. num. 9.*, quod tamen intellige de recipientibus, ſi ſint ſingulares perſonæ, nam, ſi totum Monaſterium recipiat aliquem ſimoniacè, ſubijcitur ſuſpenſionis ſententiæ Ibi-*Nos enim, qui ſecus egerint, ſi ſint ſingulares perſonæ tàm dantes, quàm accipientes huiuſmodi excommunicationis, ſi capitulum, vel conuentus fuerit ſuſpenſionis ſententijs eo ipſo decernimus ſubiacere, à quibus præterquam in mortis articulo abſolui nequeant*. Hic tamen nota primò ad

Suarez. Leſſius. Ognate. Bonacina.

54 (margin)

55 incurrendam hanc pænam non ſufficere dationem, & receptionem quomodocunque, ſed debere eſſe cum præſumptione, quandòquidem, vt benè notat *Bonacina d. quæſt. 7. §. 4. num. 2. verſ. ex quibus verbis* in textu bis repetitur illud verbum, *præſumunt*, quod importat vltra factum contrà diſpoſitionem iuris contumaciam, & quod operans id præſtet cum præſumptione, quod poſſit, quod de iure non poteſt *cap. decernimus de formul. & cap. Monaſteria de vita, & honeſt. Cler. cap. cum laici de iure patron. cap. omnino de pæn. & rem. Felinus in cap. Iudai in fin. de teſt.* Nota ſecundò ad in-

Bonacina. Felinus.

56 currendam hanc cenſuram excommunicationis requiri pactum ſiuè explicitum, ſiuè implicitum de aliquo erogando pro tali ingreſſu-Ibi- *petere, vel exigere quoquo modo præſumant*, & poſtea *Illa dumtaxat, quæ perſona ipſa ingredientes purè, & ſpontè, & plena libertate, omnique pactione ceſſante dare, vel offerre Eccleſijs, Monaſterijs, Prioribus, domibus, & locis huiuſmodi voluerint*, quod adeò verum eſt, vt multi arbitrentur ſine tali cenſura poſſe quem pecuniam tradere eo animo, vt recipiatur, ſine quo non traderet, dummodò mentem ſuam recipienti non aperiat, quod ex illo verbo textus deducere exiſtimo *ſine vlla pactione, ſeù omni pactione ceſſante*, quæ certè non

Requiritur pactū ſiuè implicitum, ſiuè explicitum.

eſt, vbi vtriuſque conuentio non interuenit. Nota tertiò, quod quamuis indefinitè talis excommunicatio lata ſit tam contra dantes, & recipientes quoſcunque paſtus, prandia, cænas, pecunias, iocalia, aut alias res, ſiuè ingredi volentes fuerint mares in conuentus virorum, ſiuè fæminæ in Monaſteria Monialium, vt clarè colligitur ex textu; nihilominus, vt teſtantur *Suarez tom. 5. de cenſuris diſp. 22. ſect. 5. num. 5. & cum eo, Ognate d. lib. 23. diſp. 85. ſect. 6. num. 156.* huiuſmodi cenſura quoad Moniales, & earum Monaſteria reuocata eſt, & multi etiam fatentur quoad Religioſos, eorumque Monaſteria non eſſe vſibus vtentium confirmatam, vel contrario vſu abolitam, quod non auſim dicere.

Suarez. Ognate. Quoad Moniales hæc pæna abrogata eſt.

Ad clariorem tamen notitiam eorum, quæ hic dicuntur, aduerte, quod ea, quæ erogantur ad incurrendam hanc pænam debeant eſſe formalitèr pro ipſo ingreſſu in Monaſterium, ſeù Religionem, non pro congrua ſuſtentatione eiuſdem recipiendi, quod adeò verum exiſtimo, vt non ſolum procedat, quandò Monaſterium, in quo eſt recipiendus, eſt tenuis fortunæ, ſed etiam pinguis, quidquid in contrarium dixerit *Caietanus ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 3. Toletus lib. 1. cap. 8. num. 12. Fillintius tract. 15. cap. 4. quæſt. 6. Nauarrus in man. cap. 27. num. 26.* Fauent noſtræ opinioni *Sotus lib. 9. de iuſtitia quæſt. 6. art. 2. ad quartum, Silueſter verb. ſimonia num. 15. Miranda in manuali prælatorum in tract. de Monialibus quæſt. 8. art. 7. concl. 2.* Ratio deducitur ex ijs, quæ ſupra dicta ſunt, quod ſcilicet talis receptio pecuniæ quantumuis fiat à Monaſterio diuite non ſit propriè ſimonia, quandòquidem non eſt temporalis pro ſpirituali contractatio; illa etenim pecunia, quæ ſoluitur, non correſpondet alicui iuri ad ſpiritualia, ſed ad merè temporalia, nempè ad victum, & veſtitum, quæ nec ſunt ſpiritualia in ſe, & quamuis regularitèr coniungantur cum ſpiritualibus, ſunt tamen iure ordinario, & conſuetudine legitimè præſcripta ſeparabilia per ea, quæ notant *Silueſter verbo ſimonia quæſt. 15. & Miranda d. quæſt. 8. art. 7. concl. 2. & nos latè ſuprà docuimus*, ergo per eandem non incurritur excommunicatio lata contra ſimoniacos in ordine ad ingreſſum in Monaſterium. Conſequentia tenet, quià pæna ordinaria ſimoniacorum non extenditur contra non ſimoniacos. Confirmatur præcipuè, quandò Monaſterium recipiens eſt pingue. Ex eo, quod Monaſterium ſit pingue non facit, quod illud, quod eſt merè temporale, tranſeat in ſpirituale, ſed ad ſummum, quod poſſit præſumi, quod recipiatur pro ſpirituali ſcilicet pro ipſo ingreſſu formaliter, ergo non facit, quod

Ad hanc pænā incurrēdam requiritur, quod ea, quæ erogātur, ſint formalitèr pro ingreſſu.

Caietanus. Toletus. Fillint. Nauarrus. Sotus. Silueſter. Miranda.

Ius ad victū eſt ſeparabile à iure ad ſpiritualia conſuetudine legitimè præſcripta.

Silueſter. Miranda.

Hoc valent ſiuè Monaſterium fuerit tenue, ſiuè fuerit pingue.

pro-

propriè, & formalitèr contrahatur ſimonia, adeòque, quod incurratur excommunicatio. Antecedens probatur, quia ſemper verificatur, quod recipiatur pro ipſo onere ſuſtentationis, quod ſemper eſt quid temporale, & quamuis contrarium poſſit præſumi, propriè tamen hoc non facit, neque propriè inducit ſimoniam, quæ non ſpecificatur à præſumptione, ſed dumtaxat ab obiecto, & onus ſuſtentationis æquè viget, ſiuè Monaſterium fuerit diues, ſiuè pauper. Verum quidem eſt, quod quandò Monaſterium diues eſt, ſit vel validior præſumptio, quod ille, qui recipitur pro pretio, recipiatur ſimoniacè recipiendo ſcilicet illud pretium pro ipſo ingreſſu formalitèr, vel euincatur, quod committatur aliquod peccatum ratione auaritiæ, prout rectè notauit *Miranda d. tract. de ſacrit Monialibus quæſt. 8. art. 7. concl. 2.*, & hoc ſolummodò voluit *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 3. Atque hinc reſponderi poteſt ad nonnullos textus, qui aduerſus noſtrum aſſertum afferuntur, & primo afferri poteſt *cap. quondam de ſimonia*-Ibi-*Quoniam ſimoniaca labes adeò pleraſque Moniales infecit, vt vix aliquas ſine pretio in ſorores accipiant paupertatis prætextus volentes huiuſmodi palliare vitium, ne id de cætero fiat penitus prohibemus*, & poſtea ſubduntur pænæ &c. Secundo afferri poteſt *cap. quam pio & cap. nullus Abbas 1. quæſt. 2.* vbi prohibetur, ne ab ijs, qui conuertuntur ad Religionem aliquid vllo prætextu accipiatur. Reſponderi, inquam, poteſt, & quidem ad primum dicendum eſt, ibi Pontificem ſupponere, quod recipiatur pretium pro ipſo ingreſſu formalitèr, & propterea dixit. *Simoniaca labes*, quæ certè non eſt, vbi quid datur non pro ſpirituali, ſed pro merè temporali, vt euenit in noſtro ſenſu, cum detur pro alimentis; vndè meritò Innocentius VIII. ſtatuit, quod Moniales non incurrant ſimoniam recipiendo aliquid pretio æſtimabile ab ingreſſuris tanquam ſororibus in Monaſterium, niſi in duobus caſibus, quandò ſcilicet paciſcuntur de aliquo dando, vel ſoluendo pro ipſo ingreſſu formalitèr, & quandò recipiunt inhabiles ob ſpem habendi aliquid, quinimmò prædictis Monialibus conceſſit, quod ſine ſcrupulo conſcientiæ poſſint petere, quod ſibi promiſſum fuit, & Clemens VIII. conceſſit, vt poſſint pactiones inire cum ingreſſuris ſuper dotibus pro congruenti, & ſufficienti earundem ſuſtentatione. Idem ferè reſpondeas ad ſecundam nempè *ad cap. quam pio, & cap. nullus Abbas*.

Miranda. D. Thomas.

Solutio nonnullorum obiectorum.

Abbas.

Poſſunt pacta inire cum ingreſſuris ſuper dotibus.

Hic ſuboritur difficultas, an quandò quid recipitur, non ob finem congruæ, & ſufficientis ſuſtentationis, ſed pro ipſo ingreſſu formalitèr incurratur ipſo facto talis excommunicatio poſt ipſum ingreſſum, an verò dumtaxat poſt profeſſionem emiſſam. Qua in re maximam inuenio apud Doctores inter ſe controuerſiam. 57 Omiſſis eorundem placitis probabilius exiſtimo, incurri ipſo facto per ipſum ingreſſum formalitèr non expectata profeſſione. Eſt expreſsè *contrà Suarez lib. 4. de ſimon. cap. 56. num. 7. in fin. Reginaldum lib. 23. num. 173. Bonacinam d. quæſt. 7. §. 4. prop. 2. num. 11.* Ratio eſt, quia vt fatentur idem *Suarez, & Bonacina* contrahitur propriè culpa ſimoniæ, quandò aliquid recipitur pro ingreſſu; ex alio capite iura ſtatuentia cenſuram reſpiciunt præcisè ſimoniam pro ingreſſu-Ibi-*Diſtrictius Inhibemus non tàm à maribus, quàm à mulieribus volentibus ingredi eorum Religionem Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, domos, ſeù loca in earundem perſonarum receptionem, aut ante, aut poſt &c.* & poſteà ſubditur talis pæna excommunicationis. Deindè dicitur-*Illa dumtaxat, quæ perſonæ ipſa ingredientes*, vbi ſemper donotatur ſimonia in ingreſſu; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur cum Suarez, pænas præcipuè excommunicationis non incurri, niſi completo actu, propter quem inferuntur, cum autem hac in hypotheſi excommunicatio inferatur propter receptionem ſimoniacam in Monaſterium, & receptio non compleatur, niſi per profeſſionem, non videtur per conſequens eadem excommunicatio incurri, niſi per profeſſionem. Non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem ex contextu verborum nomine receptionis venit præcisè acceptatio, & ingreſſus Ibi *perſonæ ipſa ingredientes*. Rurſus, *volentibus ingredi*, quæ non denotant complementum per profeſſionem. Deindè expreſſiùs colligitur ex ead. Extrauag. *ſanè de ſimonia*, quæ eſt eiuſdem Vrbani IV. Ibi-*Paſtus, vel iocalia exigentes, & etiam dantes pro Religionis ingreſſu*, tunc autem propriè ingreditur, non quandò profeſſionem emittit, ſed quandò ex conſenſu Collegij, ſeù capituli habitum induit.

Suarez. Reginaldus. Bonacina.

Iura diſtrictè loquuntur de ingreſſu, non de profeſſione

Nomine receptionis venit præcisè acceptatio, & ingreſſus,

Tùc quis ingreditur quandò habitū ſuſcipit, non quando profitetur.

His quoad excommunicationis cenſuram præactis accedimus iam ad alias pænas, quæ contra tale delictum in ingreſſu in Monaſterium tàm contra dantes, quàm contra exigentes inuruntur. Pro quibus fit

Aſſertio I. Contra capitulum, ſeù Monaſterium recipiens aliquam determinatam perſonam in Monaſterium ſimoniacè 58 ipſo facto eſt impoſita pæna ſuſpenſionis *Suarez lib. 4. de ſim. cap. 56. num.* 8. Colligitur expreſsè *ex d. Extrauag. ſane Vrbani IV. de ſimonia*, vbi ſic legitur. *Si capitulum, vel Conuentus fuerit, ſuſpenſionis ſententijs eo ipſo decerminus ſubiacere.*

Suarez, Vrbanus IV.

Hic immediatè oritur difficultas quid veniat nomine talis ſuſpenſionis; non enim

capax eſſe videtur conuentus, ſeù capitulum ſecundum ſe illorum effectuum, quos importat ſuſpenſio propriè ſumpta, prout cenſura eſt Eccleſiaſtica, licet illorum ſint capaces ſinguli Religioſi conſtituentes dictum conuentum, ſeù capitulum, ſi in ſaeris fuerint conſtituti. Aliqui arbitrantur apud *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 6. num. 8. in fine* illam ſuſpenſionem, quæ ſtatuitur aduerſus idem Capitulum, ſeù conuentum reſtringi ad materiam, ex cuius læſione fuit inducta, adeò vt impediat dumtaxat ipſum capitulum a iure recipiendi alios in Monaſterium. Ipſe tamen *Suarez tom. 5. de cenſuris diſp. 25. ſect. 2. num. 7.* abſolutè arbitratur extendi ad omnes actus iuriſdictionales pertinentes ad adminiſtrationem Monaſterij, ſeù Eccleſiæ. Non improbabilitèr crederem reſtringi ad materiam, circa

Nomine ſuſpenſionis in hoc caſu venit impedimentũ, ne alios recipiat.

59 quam lata eſt illa ſuſpenſio. Ratio eſſe poteſt, quia vbi venire non poteſt ſuſpenſio propriè ſumpta, prout cenſura eſt Eccleſiaſtica ſecundum communem acceptionem, cum ſit lex pœnalis, & per conſequens in dubio reſtringenda, congruentius ad aliud referri nequit, quam ad id impediendum, in quo delictum fuit completum; ex quo enim moueri debemus ad extendendam hanc pænam? Dicere, quod textus generalitèr dicat *ſuſpenſionis ſententijs eo ipſo decernimus ſubiacere* non eſt dicere, quod debeat extendi vltrà materiam circa quam &c. cæteroqui poſſem etiam dicere, quod extenderetur etiam ad ſuſpenſionem quoad executionem ordinum quoad ſingulos Religioſos conſtituentes dictum Conuentum, ſeù Capitulum, quod auſus non eſt dicere & ipſe Suarez.

Lex pœnalis in dubio reſtringẽda.

60 Aſſertio II. Singulares Religioſi recipientes aliquem in Monaſterio ſimoniacè pro pretio ſuſpendi etiam debent ab officio, ſi procedatur per viam Inquiſitionis *Vgolinus de ſimonia in genere tab. 1. cap. 4. §. 5. num. 2.*

Vgolin.

Colligitur potiſſimum hæc aſſertio *ex cap. veniens de ſimonia*, vbi Pontifex mandat, vt Abbas, & Monaci, qui pretium ſimoniacè receperunt ſuſpendantur à beneficio, & officio. Ibi. *Mandamus, vt Abbatem, & maiores perſonas Monaſterij pro tanta prauitatis exceſſu ab officij executione ſuſpendens*. Hic autem plura nota ad huius aſſertionis clariorem notitiam; & primò hanc ſuſpenſionem non eſſe latæ ſententiæ, ſed ferendæ, quod colligitur ex illis verbis, *vt compellas, præcipias, ſi ità eſſe inueneris*, quæ non ſtant cum ſententia iam lata. Secundò hanc pænam inuri, quandò proceditur per viam Inquiſitionis, vt in aſſertione innuebatur. Ibi. *ſi ità eſſe inueneris*, quod ſemper fit per viam Inquiſitionis. Tertiò hanc pænam ex vi huius *cap. veniens de ſimonia* non extendi, niſi ad Abbatem, & maiores perſonas Monaſterij. Ibi. *Et Abbatem, & maiores perſonas Monaſterij pro tanta prauitatis exceſſu ab officij executione ſuſpendens*; pænalia etenim ex natura ſua ſemper reſtringuntur ſolum ad expreſſa; Nomine autem maiorum in Monaſterio intelliguntur illi, quorum conſilio Abbas regitur *cap. Epiſcopus habeat 10. quæſt. 2. Gloſa in d. cap. veniens verb. Maiores de ſimonia*; nec incongrua ſane ratione ſpecialitèr hæc pæna contrà Maiores imponitur, quandoquidem ipſi grauius præſumuntur delinquere, cum ad ipſos potiùs ſpectaret illud delictum remouere *cap. qui aliorum 24. quæſt. 3. cap. latores de cleric. excom. miniſ. Gloſ. in d. cap. veniens verb. maiores*. Dixi, *ex vi huius cap. veniens* hanc pænam non extendi, niſi ad Abbatem, & maiores perſonas; nam ex alio iure omnes, qui de capitulo ſunt etiam per ſuſpenſionem ſunt punibiles per ſententiam tamen Iudicis, eſto nihil acceperint, ſi non contradixerint, vt docuit *Innocentius in cap. 1. de ijs, quæ fiunt à maior part. cap.* & docet etiam *Abbas in d. cap. veniens num. 3.* nec incongruè hoc aſſeritur, quandòquidem cum ipſi capitulum conſtituant, & Abbas in ijs regatur a conſilio capituli in hoc videntur habere rationem Maiorum.

Hæc ſuſpenſio non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ,

Non extenditur, niſi ad Abbates, & maiores.

Innocentius. Abbas.

Hic etiam oritur difficultas quid veniat nomine officij, à quo Abbas, & maiores propter delictum ſimoniacum in receptione alicuius in Monaſterium ſuſpendi debent *ex vi d. cap. veniens de ſimonia*. Arbitror præcisè eſſe poteſtatem, ſeù iuriſdictionem, quam habent in adminiſtratione Monaſterij; hoc etenim indicant, & non aliud illa verba *Ab officij executione ſuſpendens*, non enim dicit ab ordinum executione &c.

Nomine officij venit poteſtas, & iuriſdictio in adminiſtratione Monaſterij.

Aſſertio III. Receptus ſimoniacè in Monaſterium per pretium ab eodem erogatum pro tali ingreſſu formalitèr eiciendus eſt ab eodem Monaſterio, & in arctius transferendus, non quidem ipſo iure, ſed per ſententiam. *Vgolinus d. tab. 1. de ſimonia in genere cap. 4. §. 4. num. 1. Abbas, & Mar. Soc. Sen. in cap. veniens de ſimonia, Leſſius lib. 2. de ſim. cap. 35. dub. 23. num. 172. & alij magis communitèr.* 61

Vgolin. Abbas. Socinus Sen. Leſſius.

Colligitur aſſertio primò *ex d. cap. veniens de ſimonia*. Secundò *ex cap. de Regularibus*. Tertiò *ex cap. dilectus filius, & ex cap. quoniam de ſimonia*; nec incongrua ſanè ratione induci debuit hæc pæna propter ſcandalum, quod ingereretur, ſi in eod. Monaſterio, quod quodamodo ſimoniacè fuit comparatum, permaneret. *Vgolinus d. tab. 1. cap. 4. §. 4. num. 2. arg. est cap. de regularibus tit. de ſimonia*. Hæc pæna ipſo iure non incurritur, adeò vt ante ſententiam,

Vgolin.

qui

qui deliquit non teneatur aliud Monaſterium adire relinquens primum, in quo profeſſus eſt, niſi poſita ſententia, per quam eiciatur, vt patet *ex d. cap. veniens de ſimonia*, vbi dicitur. *Præcipias dicto F. vt in alio Monaſterio in habitu Monaſtico domino ſtudeat deſeruire*, quæ verba connotant ſententiam ferendam, non latam. Vbi etiam nota tali pæna afficiendum eſſe ingreſſum ſimoniacè Monaſterium, quantumuis bona fide pretium ſoluerit exiſtimans id licere *Vgolinus d. tab. 1. cap. 4. §. 4. num. 2.* conformitèr ad textum *in d. cap. veniens*, vbi Monacus ille, qui recurſum habuit ad Romanum Pontificem ſoluit, quaſi deceptus eo prætextu, quo Monaci aſſeruerunt ſolutionem illam fieri de conſuetudine, & tamen Pontifex decreuit, quod in alio Monaſterio in habitu Monaſtico deſeruiret.

Non incurritur hæc pæna ipſo iure, ſed tantũ per ſententiam.

Vgolin.

Nota vlterius, quod, ſi aliud non extat Monaſterium, vbi collocetur, poſſit poſtquam renuntiauerit per diſpẽſationem in eodem permanere *Abbas in cap. dilectus filius 2. de ſimonia* ea ratione, ne cum ſcandalo, & ſalutis ſuæ periculo vagetur *cap. quoniam de ſimonia iunct. cap. fin. de Regular.* Monaſterium autem illud, ad quod debet transferri, debet eſſe arctius, quod eſt tale, vel quià eſt in ſolitudine *Felinus in cap. fin. de Regular.* vel quia in eo parcius viuitur, & diſciplina Monachatus diligentius ſeruatur. Excipitur tamen ab hac pæna, ſi ipſe receptus ſimoniam non commiſit, ſed alius ipſo ignorante, nec ratum habente nomine ſuo ſolutum, licet in hoc caſu poſſit in aliud Monaſterium transferri, non arctius, in quo deploret delictum, cum ipſe non deliquerit, ſed æquè commodum, ac primum, in quo receptus eſt, ne ſcandalum in eodem permanendo ſibi, vel alijs ingerat, vt notat *Vgolinus in d. tab. 1. cap. 4. §. 4.* conformitèr *ad d. cap. de Regularib. verſ. ſi autem ignorantibus.*

Abbas.

Si aliud Monaſterium non extet, poteſt pati in eodem poſt renũtiationẽ.

Excipe, niſi ſimonia commiſſa fuerit ipſo ignorãte.

62 Hic tamen aduerte, quod ſi per viam accuſationis contra ipſum procedatur, & conuincatur de delicto per ſe ipſum commiſſo, vel ab alio ipſo conſentiente, vel ratum habente non ſolum eijci debeat à priori Monaſterio, in quo receptus eſt, ſed etiam deponi *cap. dilectus filius iuncta gloſ. ſeueritatis de ſimonia.* Hæc depoſitio de alio nequit intelligi, niſi de ordine, ſi quem habet, vndè ſi non habeat, nequit deponi *arg. l. decem, & ibi not. ff. de verb. oblig.*

Nomine depoſitionis venit hic depoſitio ab ordine.

63 Aſſertio IV. Recipientes ſimoniacè aliquem in Monaſterium recepto pretio nedum ſuſpendi debent ab officio vt ſuprà, ſed etiam expelli ab eodem Monaſterio, & item deponi, ſi procedatur per viam accuſationis *Doctores communiter in cap. quoniam de ſimonia. Vgolinus d. tab. 1. cap. 4. §. 5. num. 3. Silueſter verb. ſimonia quaeſt. 19.*

Vgolin. Silueſter.

Colligitur quoad pænam expulſionis *ex cap. quoniam de ſimonia*, vbi dicitur. *Statuentes, vt quæcunque de cætero talem commiſerint prauitatem tàm recipiens, quàm recepta, ſiuè ſit ſubdita, ſiuè prælata ſine ſpe reſtitutionis de ſuo Monaſterio expellatur in locum arctioris regulæ ad agendam perpetuam pænitentiam retrudenda*, & licet videatur hæc pæna illata contra Abbatiſſam, & Moniales, extenditur tamen etiam contra Abbatem, & Monacos. *Gloſa in d. cap. quoniam.* Ibi - *Et hoc, quod dictum eſt de Monialibus obſeruandum etiam eſt de Monacis, alijſque Regularibus.* Hæc pæna non incurritur ipſo facto, ſed eſt per ſententiam imponenda, quod colligitur ex contextu verborum Ibi - *expellatur, detrudenda*, quæ verba cum ſint imperatiui temporis, & ex ſuo conceptu importent actionem hominis indicant tantum ſententiam ferendam. *Auila ſecunda part. diſp. vnic. cap. 2. dub. 2. Silueſter verb. Excommunicatio I. num. 13. & reliqui communitèr.* Hic tamen nota, quod, ſi huiuſmodi delinquentes alibi præ multitudine nequeant commodè collocari, tunc poſſint diſpenſatiuè in eodem permanere de nouo mutatis prioribus locis, & aſſignatis inferioribus *d. cap. quoniam de ſimonia*, & hoc ea ratione, ne damnabilitèr in ſæculo euagentur.

Extenditur etiam contra Abbatem, & Monacos.

Eſt ſententia ferenda, non lata.

Auila. Silueſter.

Colligitur quoad pænam depoſitionis, ſi per viam accuſationis procedatur, *ex cap. dilectus filius A. de ſimonia* - Ibi - *Nos inquit reſpondemus, quod ſi aduerſus eos, qui labe fuerint huiuſmodi maculati accuſatio fuerit coram te canonicè inſtituta, poſtquam crimen fuerit ordine iudiciario comprobatum, tàm in dantes, quàm in recipientes canonicè ſeueritatis exerceas vltionem*, vbi *Gloſa verb. ſeueritatis*, nomine eiuſdem intelligit, *depoſitionis* iuxta *cap. de hoc, cap. inſinuatum eod. tit. & cap. Inquiſitionis de Acc.*, vbi habes primò hanc pænam imponi duntaxat, quandò proceditur via accuſationis - Ibi - *Accuſatio fuerit coram te.* Secundò, quod delinquentes debeant plenè eſſe conuicti - Ibi - *poſtquam crimen fuerit ordine iudiciario comprobatum.* Tertio hanc pænam non eſſe latæ ſententiæ, ſed ferendæ - Ibi *Seueritatis canonicè exerceas vltionem*, & inſuper, *poſtquam crimen fuerit ordine iudiciario comprobatum.* Quid autem in hoc loco veniat nomine depoſitionis dictum eſt ſupra, & propriè, & ſpecialius venit depoſitio ab officio, vt notarunt *Doctores in d. cap. quoniam de ſimonia.*

Delinquentes debent eſſe plenè conuicti.

Eſt ſententia ferenda, non lata.

Aſſertio V. Vbi criminalitèr agitur contra ſimoniacos in ingreſſu in Monaſterium tam contra dantes, quam contra recipientes inuri poteſt pæna infamiæ *Vgolinus de ſimonia in genere tab. 1. cap. 18. §. 2. num. 10., & 11.*

Vgolin.

Colli-

Colligitur potiſſimum hæc aſſertio *ex cap.fin.1. quæſt.3.* vbi pro quacunque ſimonia hæc pæna infligitur. Ibi *Si quis præbendam, vel prioratum, ſeu decanatum, ſeu honorem, vel promotionem aliquam Eccleſiaſticam, ſeu &c. interueniente execrabili ardore auaritia per pecuniam acquiſiuit, honore malè acquiſito careat, & emptor, atque venditor nota infamiæ percellatur*, ex quibus inferes, quod ſi in omni genere ſimoniæ talis labes poſſit incurri, non ſint excludendi ſimoniaci tàm recipientes, quàm dantes in ingreſſu in Monaſterium.

Pœna hæc ad publicam vindictam inuritur. Dixi, *vbi criminalitèr agitur*, quià, vt ſuprà dicebamus, pæna hæc ad publicam vindictam inuritur; intereſt enim Reipublicæ, vt delicta non impunita remaneant *l. ita vulneratus ff. ad leg. Aquil.*, vbi autem agitur ad publicam vindictam ſemper criminalitèr agitur *Gloſ. in l.3. in princip. in verb. centum aureorum ff. de ſepul. viol. Clarus in prax. criminal. lib.5. §. fin. quæſt.1. verſ. quarta, ergo fuit opinio.*

SECTIO V.

An pro ſimonia in quocunque genere ſit alia pæna Eccleſiaſtica impoſita, & quænam.

EXcepta ſimonia in beneficio, Ordine, & Religione, de quibus hactenus egimus, reſtat modo, vt de ſimonia in alio quocunque genere peragamus, & præcipuè in ordine ad pænas, an ſcilicet eiſdem delinquens in tali genere ſubijciatur. Dixi *Eccleſiaſtica*; non enim auſim renuere in Diuino Iudicio quamcunque ſimoniam obnoxiam eſſe punitioni, & quidem difficultas procedit de ſimonia ex vtraque parte completa, & conſummata, cum etenim in præcedentibus etiam in ſimonia in beneficio, Ordine, & Religione exemerimus delinquentes ab huiuſmodi pænis, quandò præcisè eſt mentalis, & conuentionalis, à fortiori eximendi videntur ab illis delinquentes in alio genere ſimoniæ, quandò per conuentionem præcisè conſtituta eſt, non completa per traditionem ex vtraque parte. Rurſus non procedit difficultas de punibilitate in actu primo, vel per ſententiam ferendam, ſed de punibilitate in actu ſecundo, ſeù per ſententiam latam, quatenùs de facto ſit impoſita aliqua pæna, quæ per poſitionem delicti præcisè in tali genere eo ipſo incurratur, & quidem difficultas examinabitur in ordine ad eas omnes pænas, quæ ex prædictis latæ ſunt contra ſimoniacos in beneficio, Ordine, & Religione, omnes in ordine ad Excommunicationem, Suſpenſionem, Interdictum, Irregularitatem, depoſitionem, & infamiam, & quidem principalius quoad ſuſpenſionem aduerſus ſimoniacum publicum, licet enim, quandò ſimonia occulta eſt, non videatur delinquens eo ipſo ſuſpenſus, ipſo iure tamen videtur ſuſpenſus, quandò ſimonia eſt publica, & manifeſta, vt colligitur *ex §. verum diſt.32.* vbi dicitur. *Officium ſimoniacorum, & in fornicatione iacentium ſcientèr nullo modo recipiatis*, & ibi Gloſa aſſerit, intelligendum de notorio ſimoniaco, ſicuti de notorio fornicatore; ſi enim officia eorundem non ſunt recipienda, ergo quia ſunt ſuſpenſi ab illis. Nihilominus ſit

Procedit difficultas de pænis Eccleſiaſticis.

Non de ſimonia purè mentali, & conuentionali, ſed reali.

Nec de punibilitate in actu primo, ſed de punibilitate in actu ſecundo.

Tàm in ordine ad excommunicationē, quàm ad alias pænas tertiò.

Aſſertio. In ſimonia commiſſa in quocunque alio genere à tribus aſſignatis nulla ipſo iure pæna incurritur. *Suarez lib.4. de ſimonia diſp.55. num.5. Angelus verb. ſimonia 16. num.9. Silueſter quæſt.19. Caietanus in ſumma verb. excommunicatio cap.27. Nauarrus cap.23. num.111. verſ. ſexto, & ſeptimo* aduerſus *Sotum lib.9. de iuſt. quæſt.8. art.2. Paulum Burgas de irregularitate tit. de ſimon. num.91.* 65

Suarez. Angelus. Silueſter. Caietanus. Nauarrus. Sotus. Paulus Burgas.

Probatur, quià huiuſmodi pænæ nec de iure antiquo, nec de nouo ipſo iure latæ ſunt, ergo non eſt, cur eiſdem debeant ſubijci delinquentes; Antecedens quoad primam partem facilè liquet legenti totam primam cauſam decreti, vbi potiſſimum agitur de hac materia, & in decretalibus vniuerſum titulum de ſimonia, vbi, ſi quæ pæna ipſo iure imponitur, eſt contra ſimoniacos in beneficio, Ordine, & ingreſſu in Religionem, nec ex paritate rationis extendenda eſt ad non expreſſa *iuxtà cap. ſtatutum de elect. in 6. & iuxtà Gloſam in clem. vnica de conſang. & affinis. verſ. eos*; Neque obſtare poſſunt ea, quæ *ex d. §. verum diſt. 32.* dicta ſunt quoad ſuſpenſionem; Non, inquam, obſtare poſſunt, quandòquidem ibi non imponitur præceptum, ne officia recipiantur, & propterea propriè non importatur ſuſpenſio, ſed dumtaxat conſilium, ne quoquo modo communicet cum publico, & manifeſto ſimoniaco, ea proportionali ratione, qua dicitur officia publicorum concubinariorum non eſſe recipienda. Deindè hæc pæna ſi eſſet, non eſſet latæ ſententiæ, ſed ferendæ, quod colligitur ex contextu verborum, ſubditur enim immediate, *quantum poteſtis tales à Sacris Miniſterijs, vbi oportuerit, prohibeatis*, quæ certè indicant ſententiam ferendam, & in hoc ſenſu præfatum textum explicant *Salcedo in pract. Bernardi Diaz cap. 91. verſ.3. Alterius tom.2. diſp.15. cap.5. Leſſius lib.2. cap.35. dub.23. num.130. Reginaldus lib.23. cap.12. num.175. & alij magis communitèr*. Probatur iam idem antecedens primum quoad ſecundam partem, quia per Extrauag. Pauli II. inter communes

Non importatur præceptū, ſed conſilium.

Si eſſet, non eſſet lata ſententia, ſed ferenda.

Salcedo. Alterius. Leſſius. Reginaldus.

nes de ſimonia omnes pœnæ, quæ de iure antiquo erant ferendæ non ſunt deductæ ad ſtatum latæ ſententiæ, ſed vt benè notat *Nauarrus d. cap. 23. num. 111. verſ. ſeptimo* illæ dumtaxat, quæ erant comminatæ contra ſimoniacos in ordine, & beneficio, vel vt notat *Felinus in cap. de ſimoniacè tit. de ſimonia* illæ pœnæ referuntur ſolummodò ad ſimoniacum etiam occultum in beneficio, & ordine, cum antecedentèr ad illam Extrauag. eſſet controuerſia inter Doctores, an illæ extenderentur etiam ad ſimoniam occultam, vel vt notant alij, ſi illa extrauagans extenderetur ad ſimoniam in quocunque genere non eſſe vſu receptam quoad illas pœnas, vndè meritò dicit *Suarez d. lib. 4. de ſimonia diſp. 55. num. 5.* quod nimis arduum eſſet, quod quicunque ſimoniacus in quocunque genere eſſet ipſo iure depoſitus, & priuatus beneficijs, quibus legitimè gaudet; Neque obſtare poſſunt ijs, quæ hic dicuntur, illa verba poſita in dicta Extrauag. *Quomodlibet, & ipſo facto*; non, inquam, obſtare poſſunt, quia illa verba non referuntur ad ſimoniam in quocunque genere, ſed dumtaxat ad ſimoniam, vel in ordine, vel in beneficio, & quidem cum latitudine ad qualitates ſiuè occultæ, ſiuè manifeſtæ,

Nauarrus. *Felinus.* *Referitur ad ſimoniam in beneficio, ordine, iuxta Mouacarum.* *Suarez.*

Aduerſus hanc aſſertionem afferri ſolent nonnullæ aliorum Pontificum Conſtitutiones, quibus huiuſmodi pœnæ ipſo iure videntur irrogari contrà ſimoniacos in quacunque materia, & primò affert *Silueſter verbo ſimonia quaſt. 19.* duas Martini V. alteram Incipientem *Martinus* relatam in *Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 43.* alteram editam Mantuæ incipientem *Damnabilem*, in quibus per clauſulas generales ſub pœnis damnatur ſimonia non reſtrictiuè ad aliquam materiam, & per conſequens indefinitè ad omnem. Secundò refert *Suarez* Conſtitutionem Eugenij IV. Incipientem *cum deteſtabile*, in qua etiam pœnæ imponuntur contrà ſimoniacos indefinitè ad quamcunque materiam. Tertiò afferunt Doctores aliam Pij V. Incip. *Cum primum*, quæ etiam reſpicere videtur quamcunque ſimoniam. Nihilominus ex præcedentibus facilis etiam erit reſponſio ad iſtas; ad duas etenim primas Martini V. dicendum eſt in eiſdem Pontificem ſolum loqui de ſimonia in ordine, & beneficijs Eccleſiaſticis, & licet in ſecunda per Clauſulas generales videatur quamcunque materiam comprehendere; nihilominus illa generalitas reſtringitur ſecundum materiam, de qua ibi eſt expreſſio, quæ eſt ordo, & beneficium Eccleſiaſticum. Deindè quamuis illa ſecunda Martiniana Conſtitutio comprehenderet quamcunque materiam de præſenti nullam vim habet, cum non fuerit moribus vtentium comprobata, quin potius, vt teſtatur *Felinus in cap. de ſimoniacè tit. de ſimonia*, fuit per eundem Pontificem propter ipſius arduitatem reuocata; Ad illam, quæ refertur ex Eugenio IV. dicendum eſt illam eandem eſſe, quæ tribuitur Paulo II. eſtque Extrauagans II. inter communes de ſimonia, quæ propterea non indiget maiori diſcuſſione. Ad illam tandem Pij V. dicendum eſt nihil noui comprehendere, ſed tantum præcipere, vt d. Extrauagans Pauli II. inuiolabilitèr obſeruetur, &, ſi quid noui comprehendit extenditur tantum ad ſimoniam in ordine, & beneficijs Eccleſiaſticis, vt legentibus ſit manifeſtum. Atque hæc quoad alias ſimonias in diuerſo genere à tribus aſſignatis dicta ſint ſatis. Hoc tantùm vnum monendum cenſeo, quod licet nulla pœna eo ipſo incurrenda lata ſit contra huiuſmodi ſimoniacos, nihilominus poſſint per ſententias ferendas poſteà puniri præcipuè, ſi ſint delinquentes in hoc genere manifeſti, & crebrò verſentur in exercitio talis ſimoniacæ prauitatis, prout ex pluribus ſparſim appoſitis fas erit colligere; non enim impunita huiuſmodi delicta debent relinqui, cum ſcandala ingerant in Republica Chriſtiana &c.

Illa generalitas reſtringitur ad materiam ſubiectam. *Felinus.* *Pius V. nil noui præcipit, ſed confirmat antiqua.*

SECTIO VI.

An, & quis diſpenſare poſſit in pœnis appoſitis contrà ſimoniam.

DIxi *in pœnis appoſitis contrà ſimoniam*; nam quoad culpam certum eſt, quod in ſimonia iure Diuino prohibita per nullam Eccleſiaſticam poteſtatem poſſit fieri diſpenſatio; quoad culpam verò in ſimonia iure Eccleſiaſtico dumtaxat vetita certum item eſt per nullum Inferiorem à Pontifice poſſe diſpenſari, per eundem tamen Pontificem poſſe, quià talis ſimonia non eſt prohibita, quia mala, ſed mala, quia prohibita, & ſiue prohibitione nullam in ſe inuoluit turpitudinem. Quamuis autem in ſimonia Eccleſiaſtica poſſit Pontifex diſpenſare, quia tamen perquam exoſa eſt Eccleſiæ, nunquam reperitur diſpenſaſſe.

Nō proceditur quoad culpam in ſimonia iure diuino prohibita.

Loquendo igitur de pœnis, quæ inductæ dumtaxat ſunt poteſtate Eccleſiaſtica ad eas omnes nos conferemus, de quibus in præcedentibus ſermonem habuimus, ſed quia inter cæteras pœnas Eccleſiaſticas enumerauimus irritationem collationis quoad beneficia ſimoniacè collata, & onus reſtitutionis pretij recepti, ideò controuerſiam extendemus etiam in ordine ad iſtas. Quoad poteſtatem abſolutionis à cenſuris multa attigimus in ſuperioribus,

Rationes aliqua præcipua dubitandi.

nec

nec diù in repetitione hic immorandum. Quoad reliqua de depoſitione, infamia, inhabilitate &c. erit ſermo in præſenti. Interim ſit

66 Aſſertio I. Solus Pontifex Romanus efficere poteſt per quandam ſpeciem diſpenſationis impropriæ, vt beneficia ſimoniacè collata poſſint iuſtè, & legitimè retineri. *Suarez. lib. 4. de ſimonia cap. 61. num. 9. Vgolinus de ſimon. reali tab. 4. cap. 6. § 7. nu. 1. Bonacina d. quæſt. 7. punct. 2. diff. 2. num. 4. & alij communitèr*. Dixi per quandam ſpeciem diſpenſationis impropriæ; quia, vt bene notat *Suarez loc. cit.* ſtante lege, & efficacia irritationis propriè non habere poteſt locum diſpenſatio, niſi antecedentèr ad collationem eadem diſpenſatio ponatur, quandòquidem, ſi ipſa collatio in ſui origine fuerit irrita, non videtur tractu temporis poſſe conualidari iuxtà vulgatiſſima iura. Efficere igitur ad ſummum poterit per nouam quandam collationem, quam ſpeciem diſpenſationis dixi, vt beneficium ipſum retinere poſſit, quod ex vi præcedentis collationis ſimoniacæ non poterat, & in ordine ad fructus antecedentèr perceptos ad ipſam ſecundam collationem, ſeù ſpeciem collationis præſtare titulo quodamodò donationis, vt non teneatur reſtituere.

Suarez. Vgolin. Bonacina, Suarez.

Eſt quædam noua ſpecies collationis, & donationis fructuum.

Probatur iam aſſertio, quià lex irritans collationem beneficiorum ſimoniacè factam eſt de iure communi, & per Pontificem lata, ergo per ſolum Pontificem poteſt in ea fieri diſpenſatio, & per nullum alium, niſi de commiſſione eiuſdem. Conſequentia probatur, quia ex vna parte in ijs, quæ iuris Eccleſiaſtici ſunt Pontifex poteſt diſpenſare, quia eo iure, quo leges latæ ſunt poſſunt diſſolui; ex altera nullus inferior ius, & poteſtatem habet in iuribus ſui ſuperioris, ergo &c.

Solus Pontifex diſpenſat in ijs, quæ ſunt iuris communis.

Hic multæ ſuboriuntur difficultates, & primò, an etiam Pontificia requiratur diſpenſatio in eo, qui beneficium aliquod ſimoniacè acquiſiuit ſimonia per tertium commiſſa, dum ipſe eſſet ignorans, & poſteà ratam habuit talem collationem. Secundò, an etiam requiratur, ſi quidem fuit ignorans in collatione, nec poſteà tamen ſuperueniente cognitione illam ratam habuit ſoluendo promiſſum, ſeù reſtituendo ſolutum. Tertiò, an talis etiam diſpenſatio requiratur, quandò crimen ſimoniæ ſiuè per ipſum, ſiuè per alterum commiſſum erat occultum, & non manifeſtum. Quartò, an hæc procedant, ſiuè beneficium ſimoniacè receptum fuerit curatum, ſiuè ſimplex.

Proponuntur nonnullæ rationes dubitandi.

67 Ad primam dicendum eſt, non obſtante, quod beneficium fuerit receptum ignorante beneficiario, & ratum habente requiri diſpenſationem Pontificiam, vt illud poſſit licitè retinere. Conueniunt omnes, & quoad hoc aſſertum vim retinet probatio mox poſita aſſertionis, quandòquidem Pontifex *in cap. de hoc de ſimonia* diſponit, quod irrita non ſit collatio facta ignoranti, & contradicenti ſimoniæ, niſi poſtea conſenſerit, ergo ſi conſenſerit poſteà, ſeù ratum habuerit cadet ſub diſpoſitione Pontificis irritantis arg. à contrario ſenſu iuxtà *l. 1. & ibi communitèr Doctores ff. de offic. eiuſ.* ergo ſi in legibus Pontificijs non poteſt fieri diſpenſatio per inferiorem nec poterit in tali irritatione &c. Deindè fortior ratio deducetur ex mox dicendis in ſecunda difficultate, vbi etiam ſi ratam non habuerit collationem ſimoniacam altero ad eandem concurrente adhuc cadit ſub diſpoſitione irritante ex diſpoſitione iuris Pontificij, ergo multo magis cadet ſub tali diſpoſitione, ſi poſtea ratum habuerit *arg. cap. cum illorum de ſentent. excommun. & cap. cum in cunctis de Elect. & not. Gloſ. in cap. cui licet de reg. iuris*.

Requiritur diſpenſatio, quamuis beneficiarius fuerit ignorans.

Ad ſecundam dicendum eſt, requiri etiam talem diſpenſationem, ſi facta fuerit collatio ſimoniacè ignorante etiam beneficiario, nec poſteà ratam habente. *Vgolinus de ſimon. real. tab. 4. cap. 6. § 7. num. 1.* Colligitur primo *ex cap. penult. de elect.* vbi ſic legitur. *Si alicuius electionem propter ſimoniam eo ignorante, ac ratam non habente commiſſam contigerit reprobari cum eo ſuper prælatione, ad quam fuerat electus, non poteſt Epiſcopus diſpenſare*, ergo requiritur Pontificis diſpenſatio. Secundo ex *cap. ſicut tuis de ſimonia*, vbi ſolum excipitur ab onere dimiſſionis beneficij, qui expreſſit voluntatem ſuam contrariam ſimonię, eidem contradixit, ſi facta fuerit ipſo ignorante, ergo ſi non interceſſerit talis contradictio ex diſpoſitione iuris Pontificij beneficium erit dimittendum, à quo iure propterea non poterit alius à Pontifice diſpenſare. 68

Vgolin.

Iura ſel. [illegible]

Ad tertiam dicendum eſt requiri etiam Pontificiam diſpenſationem, quantumuis delictum in ſimoniaca collatione beneficij ſit occultum. Colligitur *ex d. extrauag. 2. inter communes de ſimonia*, vbi omnia iura antiqua contra ſimoniacos innouantur cum expreſſione ſiuè delictum fuerit occultum, ſiuè manifeſtum, ſed iura antiqua per Pontificum diſpoſitiones irritant ipſo iure beneficiorum ſimoniacam collationem *cap. ſicut tuis de ſimonia*, ergo &c. Neque obeſſe poteſt diſpoſitio SacroSancti *Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6.* vbi conceditur facultas Epiſcopis in cenſuris, & irregularitatibus in quibuſcunque caſibus occultis diſpenſandi excepta irregularitate ob homicidium, ex qua deduci poſſe videtur, quod ſi poteſt Epiſcopus diſpenſare in irregularitate 69

Concil. Trid.

tate

tate ob ſimoniam occultam poſſit etiam diſpenſare quoad pœnam irritationis; non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem talis facultas diſpenſandi cum ſit exorbitans à iure communi non eſt extendenda vltra caſus expreſſos, adeòque non vltra cenſuras, & irregularitatem; Deindè, vbi eſt reſeruatio etiam quoad caſus occultos, vt in hypotheſi de qua loquimur, illa facultas Concil. Tridentini ad illos non extenditur; Neque per dictum Concilium Tridentinum illi reſeruationi eſt derogatum, quandòquidem iuri expreſſo non fit derogatio, niſi de illo fiat expreſſa, & indiuidua mentio in derogatione.

In hoc eſt etiam reſeruatio ſpecialis quoad caſus occultos.

70 Ad quartam dicendum eſt quoad collationem beneficij ſimplicis ſimoniacè factam non poſſe, niſi Pontificem diſpenſare, ſi ſimonia commiſſa fuerit per ipſum beneficiarium ſcientem, vel per alterum ipſo approbante, vel ratum habente, ſecus ſi per alterum ipſo ignorante, nec ratum habente. *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 61. num. 10. Vgolinus de ſim. real. tab. 4. cap. 6. §. 7. num. 1. verſ. ſolus quoq; Abbas in cap. penult. de elect. num. 5. & in cap. de ſimoniacè num. 7. verſ. ſi verò beneficium fuerit ſimplex Mar. Soc. Sen. in d. cap. de ſimoniacè num. 18. & ibi Felinus nu. 4. verſ. quarta concl.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia lex irritationis eſt Pontificia, & generalis, indefinita, nec limitata, ergo, vbi per aliud ius non fit exceptio, regularitèr extenditur, adeòque non debet reſtringi ad ſola beneficia curata, quia vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Ratio ſecundæ partis deducitur *ex cap. penult. de Elect.* vbi Epiſcopo permittitur poſſe quoad beneficium ſimplex ſimoniacè receptum diſpenſare, ſi tria cumulatiuè accedant. Primum, vt ſimonia eo ignorante, & ratum non habente commiſſa ſit. Secundum, vt beneficium ſit ſimplex. Tertium, vt libere per beneficiarium fuerit reſignatum, ergo in hoc caſu &c. ex quo efficax deduco argumentum pro probatione primæ partis. Hæc poteſtas diſpenſandi in hoc caſu cum illa reſtrictione ad illas tres circunſtantias enumeratas eſt exceptiua iuris communis, ergo firmat regulam quoad ea, in quibus cumulatiuè non concurrunt tres illæ circunſtantiæ.

Suarez. Vgolin. Abbas. Socin. Sen. Felinus.

Requiruntur tamē in cumulatiuè, vt Epiſcopus poſſit diſpenſare.

71 Aſſertio II. Quoad pretium ſimoniacè receptum pro collatione beneficij, & ordinis, quandò reſtituendum eſt duntaxat iure Eccleſiaſtico in pœnam ſimoniacæ prauitatis Pontifex ſolus diſpenſare poteſt, vt detineatur, nec reſtituatur. In hanc aſſertionem propendent *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 61. num. 12. Filliutius tract. 45. cap. 13. quæſt. 12. num. 38. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. vlt. num. 172.* Dixi, *quandò reſtituendum eſt duntaxat iure Eccleſiaſtico in pœnam ſimoniacæ prauitatis*, quià vt ſuperius diximus *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimonia Prænot. 5., & 7.* quandòque de iure naturali, & diuino reſtituendum eſt ei, à quo extractum eſt non præcisè in pœnam delicti, ſed propter læſionem iuſtitiæ commutatiuæ, in quo certè caſu Pontifex non videtur propriè poſſe diſpenſare, licet conuicto delinquente de tali delicto videatur poſſe illum in pœnam per ſententiam priuare illud repetendi. Recole ea, quæ loc. cit. dicta fuerunt.

Suarez. Filliutius. Leſſius.

Probatur aſſertio, & primò, quod Pontifex poſſit diſpenſare hoc pacto. Onus illud reſtitutionis, quod eſt duntaxat in pœnam ſimoniacæ prauitatis eſt ſolùm de iure Eccleſiaſtico, ſed in ijs, quæ iuris ſunt ſolummodò Eccleſiaſtici Pontifex poteſt abſolutè diſpenſare, quandòquidem, ſicuti illud onus induxit, ita poteſt illud tollere, ergo &c. Confirmatur, quia illud pretium, ex quo per ſimoniam coi atum eſt factum eſt quodamodò Eccleſiaſticum, ſed bona, quæ ſunt merè Eccleſiaſtica ſunt ſub abſoluta diſpoſitione Pontificis, ergo &c. Secundò, quod ſolus poſſit diſpenſare ex eo euincitur, quod nullus inferior Papa poteſt diſpenſare in ijs, quæ iuris communis ſunt, & in legibus Superioris, niſi expreſsè ei committatur diſpenſatio, ergo ſolus Romanus Pontifex &c.

Illud pretium factum eſt quodamodo Eccleſiaſticum.

Hic etiam nonnullæ ſuboriuntur difficultates, quas mox profero, & expendo. 72
Prima eſt, an idem, quod dicitur de ſimoniaco pretio ex beneficio, & ordine intelligendum ſit de pretio recepto pro ingreſſu in Monaſterium. Secunda, an ſit neceſſaria, ſeù præſcripta aliqua verborum forma pro tali diſpenſatione, & neceſſariò adhibenda. Tertia, an requiratur etiam diſpenſatio, quandò ſimonia commiſſa eſt cum Romano Pontifice, quatenus eidem pretium ſolutum eſt pro beneficio, ſeù ordine. Quarta, an onus reſtituendi pretium ſimoniacè receptum poſſit per conſuetudinem abrogari ſine diſpenſatione.

Exponuntur nonnulla rationes dubitandi.

Ad primam dicendum eſt, pretium ſimoniacè acceptum, quod non niſi poſt ſententiam reſtituendum, ſeù dimittendum eſt, pro ingreſſu in monaſterium ex nullius diſpenſatione præterquam Romani Pontificis retineri poſſe. Hoc aſſertum expreſsè colligo tùm *ex cap. final. de ſimonia*, vbi ſolummodò Epiſcopus diſpenſat ex mandato Pontificis. Ibi: *Mandato noſtro recepto, vt cum Monachis, qui per ſimoniam dato aliquo*; tùm argumento in præcedentibus appoſito, quia nullus inferior in lege pœnali Superioris poteſt diſpenſare; tùm tandem, quia Epiſcopus non poteſt diſpenſare, vt ſimoniacè receptus poſſit in eodem Mona-

Pretium, quod per ſententiā dimittendum eſt, pro ingreſſu in Monaſterium per ſolum Papam poteſt diſpēſari, vt nō dimittatur.

ſterio perſeuerare, niſi in caſu, quo propter multitudinem non poſſet in alio arctiori collocari, vt colligitur *ex cap. quoniam de ſimoniæ*, ergo nec poterit diſpenſare, vt pretium per ipſum Monaſterium ſimoniacè receptum poſſit detineri, quandòquidem eodem iure prohibetur permanentia Monachi in eodem Monaſterio, in quo fuit receptus, & detentio pecuniæ eidem ſolutæ pro tali receptione, & ſicuti ex ſuperius dictis, quando quis eſt diſpenſatus ad permanendum in eodem Monaſterio intelligitur etiam Monaſterium diſpenſatum ad poſſe pecuniam receptam retinere, ità à contrario quandò non poteſt diſpenſari quis ad permanendum in eodem Monaſterio, nec videtur poſſe diſpenſari Monaſterium ad detinendum pretium receptum.

Non eſt neceſſaria aliqua verborum forma pro eius diſpoſitione.

Ad ſecundam cum diſtinctione reſpondendum eſt, vel enim Pontifex auctoritate propria diſpenſat, vel alter auctoritate ſibi delegata, & commiſſa à Romano Pontifice; ſi primo modo fiat diſpenſatio non eſt neceſſaria aliqua determinata verborum forma, quinimmò Pontifex poteſt diſpenſare per ſolum actum internum, vt eueniret in caſu, quo ipſe beneficium ſimoniacè conferret nulla facta expreſſione diſpenſationis *Panormitanus in cap. cum in cunctis §. inferiora de elect. num. 8. Felinus in cap. prætereà de teſtibus cog. num. 7. Paludanus in 4. diſt. 25. quæſt. 4. Sotus lib. 9. de iuſt. quæſt. 5. art. 2. Silueſter verb. ſimonia quæſt. 4. TurreCremata in cap. latorem 1. quæſt. 1. num. 4. Couarruuias in reg. peccatum 2. part. §. 8. num. 9.* quidquid in contrarium nonnulli dixerint paritate deſumpta à communicatione cum excommunicato; ex eo etenim præcisè, quod Pontifex cum ipſo communicet non intelligitur ipſum abſoluere ab excommunicatione. Ratio noſtri aſſerti ex eo deducitur, quia non eſt præſumendum, quod Pontifex conferens beneficium cum ſcientia conferat inualidè; fruſtratoria etenim eſſet collatio, ergo dicendum eſt, quod implicitè per talem collationem auferat quodamodò diſpenſatiuè inhabilitatem recipientis. Ad id, quod in contrarium afferebatur, dicendum eſt diſparem eſſe rationem de communicatione cum excommunicato, ac de collatione beneficij ſimoniacè per Pontificem facta.

Panorm. Felinus. Paludan. Sotus. Silueſter. TurreCremata Couarru.

Rationes ſpeciales conuincentes intentum.

Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quia communicatio ipſa ſecundum ſe non eſt ablatiua excommunicationis; poteſt enim Pontifex, vt ſuperior communicare non auferendo ligamen; collatio autem ipſa facta cum ſcientia per habentem poteſtatem auferendi impedimentum, & ſcientem non poſſe conferri ſine ſolutione talis ligaminis importat ex præſumptione ſolutionem eiuſdem; non enim præſumendum eſt Pontificem velle conferre ſine eo, ſine quo non poteſt conferre. Si ſecundo modo fiat diſpenſatio, dicendum eſt, vel per Pontificem ei præſcribi certam, & determinatam verborum formam, & tunc talem formam obſeruandam eſſe, quia mandatarius debet exequi mandatum iuxta formam præſcriptam à mandante, vel Pontificem mandare ſolummodò poteſtatem diſpenſandi, & tunc licet non requiratur expreſſa, & determinata forma requiritur tamen quod fiat expreſſis verbis, & regulariter cum cauſæ cognitione, & ex legitima cauſa *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 61. num. 13. Bonacina in tract. de legibus dum de diſpenſationibus.* Ratio horum omnium eſt, quia regularitèr loquendo, qui habet cauſam ab alio debet exprimere ſe agere nomine illius, & ſine tali expreſſione diſpenſandus non poſſet præſumere de diſpenſatione iam poſita, cum ex nullo capite poſſet ipſam arguere, & regularitèr inferior non diſpenſat in lege Superioris etiam ſibi commiſſa diſpenſatione, niſi ex cauſa, cum ſemper præſumatur facta commiſſio, cum ea conditione ſaltem implicita, ſi cauſa interceſſerit legitima diſpenſationis.

Suarez. Bonacina.

Diſpenſatio præſumitur implicitè annexa ipſi collationi facta per Pontificem.

Ad tertiam dicendum eſt iuxtà mox dicta diſpenſationem ipſam præſumi implicitè annexam ipſi collationi ſimoniacè factæ per Pontificem. Ita *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 61. num. 15.* cum omnibus Doctoribus mox allegatis in præcedenti difficultate aduerſus *Adrianum quodlib. 6. art. 3. ad quartum. Panormitanum in cap. 1. de ſim. num. 6. Maiorem in 4. diſt. 25. quæſt. 3. ad quartum.* Ratio ex iis deducitur, quæ ſuperius dicebamus, quia ſcilicet non eſt præſumendum, quod Pontifex voluerit ſimoniacè contrahere, & conferre inualidè.

Adrian. Panorm. Maior.

Ius reſtituendi pretium ſimoniacè receptum poteſt per conſuetudinem abrogari, nõ diſpenſari.

Ad quartam dicendum eſt per conſuetudinem contrariã iuri reſtituendi pretium ſimoniacè receptum poſſe quidem illud ius abrogari, ſi fuerit ius merè poſitiuum, non autem propriè diſpenſari. *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 61. num. 26. Ognate d. tract. 23. diſp. 85. ſect. 7. num. 221.* Ratio primæ partis deducitur ex regula generali conſuetudinis attentis omnibus circunſtantiis ad illam concurrentibus, quæ iuribus derogat, & ſicuti lex poſitiua non obligat, niſi ſit moribus vtentium comprobata, ita nec videtur obligare, ſi moribus vtentium fuerit demiſſa. Ratio ſecundæ partis, quia diſpenſatio tunc tantum requiritur, quandò lex eſt in ſuo robore, quandò autem lex eſt in ſuo robore, conſuetudo non habet locum. Deinde diſpenſatio reſpicit peculiares, & determinatos caſus in ordine ad determinatas perſonas, conſuetudo autem reſpicit legem, quam abrogat in ſua latitudine, adeòque &c.

Non

Non vlterius immorandum in diſpenſatione quoad huiuſmodi pænas, quandòquidem partim per ea, quæ ſuperius dicta ſunt, duam de abſolutione cenſurarum, quę incurruntur ob hoc delictum, partim per ea, quæ dicuntur in hac ſectione facilè innoteſcunt. Hoc vnum tantum pro complemento monendum cenſeo, quod quamuis ſimoniacè promotus ſimonia non per ſe ipſum commiſſa, ſed per alterum ipſo ignorante priuandus ſit beneficio acquiſito, non tamen propriè incidat in cenſuras, quæ non incurruntur, niſi per malitiam delinquentis, & per conſequens in ordine ad eaſdem non indigeat abſolutione.

SECTIO VII.

An ſint aliæ pænæ arbitrariæ contrà ſimoniacos, & quænam.

NE quid deſit, quod ad huiuſmodi pænas pertinere poſſit, placet pro complemento nonnullas examinare, quæ ex iuribus Pontificijs iudicum arbitrio videntur remiſſæ concurrentibus nonnullis circunſtantijs, & præcipuè per Pium V., & huiuſmodi pænæ reſpiciunt conſuetudinarios in tali delicto. Pro quibus ſit

73 Aſſertio I. Simoniacus, qui pluries in ſimonia reali quoad beneficium deliquiſſe conuictus fuerit, poteſt etiam pæna corporali puniri ad arbitrium Iudicis. Colligitur expreſsè *ex Conſtitutione Pij V. incip. d. um*, de qua ſupra, nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem contra tales conſuetudinarios, cum alia pæna præſcripta non ſit, arbitrio Iudicis videtur imponenda. *l. prima ff. de iur. delib. l. ſanctio legum ff. de pœnis, & cap. de cauſ. de officio degat.* Regularitèr autem hæc pæna corporalis, & arbitraria non debet eſſe pæna mortis, ſed vel fuſtigationis, vel torturæ, vel triremium ad tempus per ea, quæ notat *Clarus in prax. crim. lib. 5. §. fin. quæſt. 83. verſ. ſed quæro.*

Poteſt etiam pæna corporali puniri, & quomodò.

Clarus.

Quoad hanc pænam arbitrio Iudicis imponendam nota primò, quod delinquens debet eſſe plenè conuictus de frequenti delicti commiſſione - Ibi - *ſi quis ſæpius hanc ſimoniam commiſiſſe conuictus fuerit.* Nota ſecundò, quod tunc propriè dicatur ſæpius illud delictum commiſiſſe non præcisè quandò bis tale delictum patrauit, vt nimis rigidè ſenſiſſe videntur *Angelus, & Alexander in l. ſæpe num. 4. verſ. ex quo infertur ff. de re iud.* ſed quandò quater, vel quinquies, vt mitius ſentire videtur *Bartolus in l. ſi gemina in fin. ff. arb. furt. ceſ.* Nota tertiò, quod delinquens ſæpius per irrogationem pænæ corporalis arbitrio Iudicis non eximatur ab alijs pænis iuris contra ſimoniacos impoſitis, cum Pontifex ampliatiuè apponat illam pænam corporalem -Ibi- *Si quis autem tale crimen pluries commiſiſſe conuictus fuerit, præter ſupradictas pænas etiam corporalitèr puniatur.*

Debet eſſe plenè conuictus.

Angelus.
Alexander.
Bartolus

Aſſertio II. Simoniacus etiam propter frequentatas ſimonias poteſt ab ordinibus Eccleſiaſticis degradari. Colligitur etiam ex ead. Conſtit. Pij V. -Ibi- *& ab ordinibus Eccleſiaſticis degradatus à fidelium conſortio eiciatur.*

Hic ſolum oritur ratio dubitandi, an per talem degradationem, quæ per Pontificem arbitrio Iudicis remittitur imponenda veniat realis, an tantum verbalis. Pro quo aduerte diſcrimen, quod intercedit inter degradationem verbalem, & realem; verbalis etenim fit præcisè per verba aſſiſtente certo perſonarum numero, prout latè *Silueſter verb. degradatio num. 1.* verba autem ſic concipiuntur. *Auctoritate Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & noſtra te degradamus priuantes omni ordine, & beneficio, & priuilegio Clericali*; realis verò fit per extractionem veſtium ſacrarum à degradando incipiendo ab illis, quæ ſunt ordinis ſuperioris, vſque ad vltimas, quæ ſunt primæ tonſuræ, & per prolationem illorum verborum *Auctoritate Dei Omnipotentis &c.* vt ſupra. His ſuppoſitis pro notitia ſentio regularitèr nomine degradationis pro delicto ſimoniaco crebrò per eundem commiſſo venire dumtaxat verbalem. Ratio ex eo deducitur, quia vbi agitur de pænis, & nulla fit expreſſio, regularitèr in mitiorem partem fieri debet interpretatio *Gloſ. in l. 1. C. ne Chriſtian. mancip. hæret. Canoniſta in cap. quanto de iur. iur. cap. in pœnis, & ibi gloſ. de reg. iur. in 6. & in l. interpretatione ff. de pœnis*, ſed in d. Pij V. conſtitutione nulla fit expreſſio degradationis, ſiuè verbalis, ſiuè realis, ergo &c. Dixi, *regularitèr*, nam ſi quandòque delictum eſſet enorme, continuatum, & publicum non renuerem concedere poſſe per Iudicem imponi degradationem realem ea motus ratione, quod ſicuti Pontifex remiſit arbitrio Iudicis talem pænam quoad ſubſtantiam, ita videatur remiſiſſe etiam quoad modum, ſi concurrerint circunſtantiæ tales, quæ ſicuti excedunt in modo quoad culpam, ita videantur exigere exceſſum in modo etiam quoad pænam.

Nec eximetur ſub alijs pænis iuris.

Poteſt etiam degradari.

Degradatio verbalis, & realis.

Venit regularitèr ſolùm verbalis.

Gloſa.

PRÆNOTIO XIV.

An res purè naturalis poſſit eſſe materia ſimoniæ.

SVMMARIVM.

Dona merè intellectualia non ordinata ſecundum ſe ad moralem honeſtatem non ſunt materia ſimoniæ 1.
Scientia miraculosè acquiſita non eſt materia ſimoniæ, ſi vendatur 2.
Theologia ſiuè Sacra, ſiuè Moralis, prout docetur, non eſt materia ſimoniæ 3.
Concio, prout eſt inſtructio in ordine ad ſupernaturalem beatitudinem eſt propriè materia ſimoniæ 4.
Venditio facultatis docendi Theologiam non eſt ſimoniaca 5.
Dona naturalia moralia ſecundum ſe ordinata ad moralem honeſtatem non ſunt materia ſimoniæ 6.
Venditio conſilij moralis pro pretio non eſt ſimoniaca 7.
Opera miſericordiæ ſecundum ſe ſumpta non ſunt materia ſimoniæ 8.
In lege puræ naturæ probabilius eſt non futuram fuiſſe propriè ſimoniam 9.

INcipimus iam examinare materiam, circa quam verſatur ſimoniaca prauitas, & quidem ab imperfectioribus ad perfectiora progredientes explicationem inſtituimus de bonis merè naturalibus, vt deindè ad alia altiora nempè ſupernaturalia procedamus. Præſens titulus iuxta duplicem ſtatum, & in ordine ad diuerſos actus, ſeù bona naturalia poteſt examinari; primo iuxta præſentem in ordine ad actus intellectus, & voluntatis, qui procedunt ex vi luminis naturalis; Secundo iuxtà ſtatum puræ naturæ, in quo eſſet Religionis cultus per verum Sacerdotium, per Religioſos ritus ordinatos ad naturalem beatitudinem conſequendam, & ad diuinum auxilium impetrandum. In ordine ad primum inquiretur primò, an dona merè intellectualia, quæ ſcilicet merè procedunt ab intellectuali potentia non confortata alio lumine ſuperiori, quæque habent præcisè perficere intellectum ſine vllo ordine ad honeſtatem moralem, ſint, & eſſe poſſint materia ſimoniæ, de qua hic agimus. Secundò, an dona, ſeù actus procedentes à potentia volitiua etiam ſine tali ordine ad moralem honeſtatem. Tertiò, an dona naturalia pertinentia ſiuè ad intellectum, ſiuè ad voluntatem ordinata ſecundum ſe ad moralem honeſtatem, vt ſunt v.g. conſilia, exhortationes &c.

Secundum duplicem ſtatum examinari poteſt difficultas.

In ordine ad primum, qui eſt ſtatus præſens, proponuntur dubia examinanda.

In ordine ad ſecundum inquiretur primò, an actus naturalis Religionis, qui exhiberentur in ſtatu puræ naturæ, eſſet materia propriæ ſimoniæ. Secundò, an cultus, qui modo exhibetur Deo ab Ethnicis, & Gentilibus ſit materia eiuſdem. Tertiò, an ſi in illis actibus ſimonia aliqua committeretur eſſet propriè talis, & eiuſdem rationis cum illa, quæ de facto datur. His pro notitia ſtatus quæſtionis expoſitis ſit

In ordine ad ſecundum, qui eſt ſtatus puræ naturæ etiā dubia examinanda proponuntur.

Aſſertio I. Dona merè intellectualia non ordinata ſecundum ſe ad moralem honeſtatem nullo modo ſunt materia ſimoniæ *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 71. *art.* 4. *ad ſecundum. Caietanus in d. ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 3. *Richardus in* 4. *diſt.* 25. *art.* 3. *quæſt.* 2. *Paludanus etiam in* 4. *d. diſt.* 25. *quæſt.* 5. 1

D. Thomas. Caietanus. Richard. Paludan.

Probatur aſſertio, quià huiuſmodi dona ſunt merè naturalia, nec ſecundum ſe ordinata ad Religionem, ſeù cultum Dei, ergo propriè non ſunt materia ſimoniæ. Conſequentia tenet, quia ſimonia, vtpotè ſacrilegium aduerſatur virtuti Religionis per ea, quæ latè ſuprà dicta ſunt, ergo ſi huiuſmodi dona non ordinantur ſecundum ſe ad Religionem ipſorum venditio non erit contra Religionem, adeòque non propriè ſimoniaca. Antecedens verò probatur, quia huiuſmodi actus, vt ſunt merè tales, non habent regularitèr Deum pro obiecto, & ſi quandòque Deum tanquam obiectum reſpiciunt non reſpiciunt ipſum, vt colendum, ſed vt merè cognoſcibile Neque obeſſe poteſt aſſertioni, id quod dicitur *Prouerb.* 3. de ſapientia *Pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia deſiderabilia huic non poſſunt comparari*, & ibid. *cap.* 23. *Noli vendere ſapientiam, & doctrinam, & intelligentiam*, nec item obeſſe poteſt, quod in venditione huiuſmodi donorum vendatur propriè veritas, quæ videtur importare infectionem ſimoniacam per ea, quæ habet *D. Thomas in* 4. *diſt.* 25. *quæſt.* 3. *art.* 2. & *quodlib.* 8. *art.* 12. Non, inquam, obeſſe poſſunt, nam illud Prouerbiorum 3. ita intelligendum eſt, vt faciat illum ſenſum, quod per quaſcunque diuitias nequeat comparari, confirmatur ex illo d. Prouerb. 17. *Quid prodeſt ſtulto habere diuitias, cum ſapientiam emere non poſſit*; quod intellige, non quatenus non poſſit pretio ſapientiam comparare acquirendo præceptorem, qui eandem doceat, ſed quatenus cum ſit ſtultus non habeat in ſe capacitatem illam addiſcendi. Deindè illæ diuitiæ non ſoluuntur pro ipſa ſapientia formalitèr, ſed pro iuuamine, quod præſtatur in illius acquiſitione, quandòquidem ſapientiam, quam habet in ſe ſapiens, non poteſt a ſe abdicare, cum conſiſtat in actibus eſſentialiter immanentibus, ſed quodamodò excitando per

Huiuſmodi dona non ſunt ſecundum ſe ordinata ad Religionem.

D. Thomas.

Varia ſcripturæ loca obiecta contrà aſſertioni, & explicata.

Digitized by Google

per congruas inſtructiones, & documenta ipſius addiſcentis ingenium præmouit ad actus ſimiles illis, quibus ipſe factus eſt ſapiens, eliciendos. Illud verò, quod habetur in cap. 23. *Noli vendere ſapientiam &c.* admittit interpretationem, nec ita materialitèr, & literalitèr intelligendum eſt, cæteroqui aduerſaretur dictis præcedentibus in eodem textu. *Eme veritatem*; ſi enim præcipitur emptio, non debet eſſe vetita venditio, cum emptio, & venditio ſibi ſint adinuicem correlatiua; iurium autem oppoſitio abſolutè eſt vitanda. Intelligendus igitur eſt ille textus, vel ſolummodò de ſapientia ſupernaturali, vel vt loquitur *Suarez lib. 4. de ſimon. cap. 9. num. 33.* de contemptu ſapientiæ propter inanes diuitias, quatenùs hunc reddat ſenſum, propter diuitias ſcilicet ſapientiam non eſſe obliuioni tradendam, aut contemnendam, qui ſenſus conſonat illi *Sapientia 7. Diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius exigua arena eſt &c.* Ad illud, quod ſubditur de venditione veritatis, dicendum eſt non eſſe in caſu noſtro ad rem, quandòquidem non ipſa veritas venderetur, ſed iuuamen, quo illa comparatur. Deindè, quandò etiam venderetur propriè ipſa veritas, non eſſet propriè ſimonia, quià non eſſet ſecundum ſe ſupernaturalis, nec ſacra, nec ordinata ad Dei cultum, quamuis vt videtur aſſerere *D. Thomas in 4. diſt. 25. quaſt. 3. art. 2.* eſſet graue peccatum propter eam rationem, qua exigeretur aliquid ſuprà condignum pretium laboris docentis.

Suarez.

Propter diuitias non eſt ſapientia obliuioni tradenda.

D. Thomas.

Probatur ſecundò eadem aſſertio ex varijs ſcripturæ locis, & præcipuè ex illo Prouerb. 23. *Eme veritatem*; quaſi quod dicat, non parce ſumptibus, vt illam acquiras. Secundo ex illa Parabola Saluatoris *Matth.* 13. de Mercatore, qui vendidit omnia ſua, vt compararet margaritam, cuius nomine intelligunt communitèr ſacri Interpretes Sapientiam. Tertiò *ex Sapientia* 7. vbi innuitur omnia eroganda eſſe, vt poſſideatur, ſeù àcquiratur poſſeſſio Sapientię.

Scriptura loca comprobantia aſſertum.

Hic pro clariori notitia huius aſſertionis nonnullas placet proponere difficultates, & exponere. Prima eſt, an, ſi quis miraculosè ſine proprio ſtudio, & labore ſapientiam, ſeù ſcientiam aliquam in aliquo eminenti gradu acquiſierit, & illam modo, quo expoſui, venalem conſtituat, committat ſimoniam, ſeù quod idem eſt, an illa ſcientia ſic acquiſita ſit materia ſimoniæ, ſi vendatur. Nonnulli probantes aſſertionem a nobis mox poſitam, quod non committatur ſimonia per venditionem donorum purè intellectualium naturalium ex eo capite, quod materia ſimoniæ debeat eſſe gratis acquiſita iuxtà illud *Gratis accepiſtis, gratis date*, quod non verificatur in donis merè intellectualibus acquiſitis naturalitèr, arbitrantur in præſenti difficultate argumento à contrario ſenſu ſcientiam ſic miraculosè acquiſitam eſſe materiam propriè ſimoniæ, quandòquidem eſt donum gratis omninò acquiſitum. Sed omiſſa opinione, de qua mox diſſeram, ratio, in qua fundatur, omninò infirma eſt, nec ſubſiſtens; nam in primis hac ratione omne, quod titulo gratuito acceptum eſt, eſſet 2
materia ſimoniæ; quis autem hoc audet dicere? Deindè res non eſt materia ſimoniæ ex modo, quo accipitur, ſed ex qualitate, qua ſecundum ſe afficitur, & ex ordine, quem habet ad cultum Dei, & Religionem. Quamobrem abſolutè ſentio, quod, quamuis illa ſcientia ſit ſupernaturalis quoad modum, non ſit tamen propriè materia ſimoniæ *Azorius 3. part. lib. 12. cap. 18. quaſt. 6. verſ. quod ſi quiſpiam, Suarez d. lib. 4. de ſim. cap. 8. num. 14. Reginaldus lib. 23. num. 112. & alij magis communitèr.* Ratio eſt, quià illa ſcientia, quantumuis miraculosè acquiſita, non conſtituitur quoad entitatem in ordine ſupernaturali, nec ordinatur ſecundum ſe ad cultum Dei, nec ad Religionem, eo modo, quo oculus ſupernaturalitèr reſtitutus nec eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, nec ordinatus ſolummodò ad operationes ſupernaturales, quinimmò operationes, quę dependentèr ab ipſo ſic reſtituto proueniunt æquè vendibiles ſunt, ac ſi eſſent exercitæ dependentèr ab oculo naturalitèr exiſtente, non reſtituto ſupernaturalitèr, ergo ſicuti ipſa ſcientia naturalitèr acquiſita non eſt propriè materia ſimoniæ, nec erit talis ſcientia miraculosè inſuſa, quandòquidem in entitate eiuſdem omninò rationis eſt, ac ſi eſſet naturalitèr acquiſita, nec modus ille ſpecialis acquiſitionis per miraculum aliquam rationem confert, per quam conſtituatur in ratione materiæ ſimoniæ, ſi ſecundum ſe independentèr a tali modo talis non ſit, eo modo quo operationes oculi miraculosè reſtituti non extrahuntur a propria ratione ex illo ſpeciali modo reſtitutionis.

Nō ex eo, quod aliquod ſit donum gratuitū, eſt materia ſimoniæ.

Quantũuis aliquod ſit miraculosè acquiſitum, non propterea eſt in entitate ſupernaturale.

Azorius. Suarez. Reginaldus.

Scientia acquiſita naturalitèr, & miraculosè infuſa non differunt, niſi quoad modum.

Secunda difficultas eſt, an ſaltem Theologia Scolaſtica, quæ etiam Sacra dicitur, & Moralis, quæ ordinatur ſecundum ſe ad mores componendos ſint propriè materia ſimoniæ, eandemque ſimoniam conſtituant, ſi vendantur. Ratio dubitandi ex eo potiſſimum deducitur, quod Theologia eſt aliquo modo ſupernaturalis, cum procedat ex principijs fidei a Deo reuelatis, & re vera dicitur ſacra denominatione deſumpta non ſolum ab obiecto, circa quod tendit, ſed etiam a medio, a quo procedit

Theologia non eſt ſupernaturalis, niſi quoad principia.

in ſuis concluſionibus, ſeù veritatibus, & quoad Theologiam Moralem deducitur ex eo, quod, vt aſſerebam, ordinatur ad mores inſtruendos, & ad Deum debito modo recolendum.

3 Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, Theologiam ſiuè Sacram, ſiuè Moralem, prout docetur, non eſſe materiam propriè ſimoniæ. *Sotus lib. 9. de iuſtitia quæſt. 5. art. primo, & ſecundo; Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 18. num. 9. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 13. num. 80. Fillintius tract. 45. cap. 4. quæſt. 7.* Ratio ex ijs deducitur, quæ docui in ſecunda ſecundæ D. Thomæ in quæſtionibus de fide, & in primam partem eiuſdem in prologomenis Theologiæ, quia ſcilicet aſſenſus Theologicus, vt formalitèr talis, eſt naturalis, & ſecundum ſe non ordinatus ad Religionis cultum, ergo non eſt propriè materia ſimoniæ. Antecedens probatur, quià aſſenſus Theologicus, cum ſit mediatus, procedit formaliter per diſcurſum, ſed aſſenſus, prout formaliter deducitur per diſcurſum eſt, & non poteſt eſſe, niſi naturalis, ergo &c. Minor probatur, qui aſſentitur formalitèr alicui concluſioni propter præmiſſas, quantumuis illæ ſint de fide, non aſſentitur illi propter reuelationem, ſed propter aſſenſum, quem eidem iam præſtitit in præmiſſis, ergo ille aſſenſus, prout formalitèr eſt per diſcurſum, non poteſt eſſe, niſi naturalis; propter quam rationem iure merito docent communitèr Theologi Theologiam noſtram, quamuis innitatur principijs fidei à Deo reuelatis, non eſſe ſcientiam ſupernaturalem quoad ſe. Quod ſi dixeris, quod, quamuis Theologia non ſit ſupernaturalis quoad aſſenſum illum, quem præſtat formalitèr ex vi diſcurſus, ſit tamen ſupernaturalis ratione principiorum, quibus innititur, quod ſufficiens eſt ad eandem conſtituendam materiam ſimoniæ, quod euinci poteſt ex ijs, quæ ſupra dicebamus *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimonia Pranot. 1. verſ. Dicitur rem ſpiritualem* nempe ſpirituale, quod eſt materia ſimoniæ eſſe in triplici differentia, aliud in ſe, & ex natura ſua, aliud ratione cauſæ, ſeù principij, aliud ratione effectus; cum igitur Theologia noſtra ſit ſupernaturalis quoad principia erit ſufficientèr ſub eo ordine, ſub quo eſſe poteſt materia ſimoniæ. Si, inquam, hæc dixeris, ſtatim impugnaberis, quia, quandò ibi diximus ſupernaturale quoad principium eſſe ſufficienter materiam ſimoniæ, intelleximus ſupernaturale, quod ſecundum ſe inſtitutum eſt ad producendum effectum ſupernaturalem, vt explicuimus exemplo adducto in Sacramentis, quæ inſtituta ſunt tanquam principia ad producendum gratiam habitualem ſantificantem, quæ non verificantur quoad Theologiam noſtram; quæ, quamuis procedat ex principio, ſeù principijs ſupernaturalibus nempe fidei, non habet tamen ſecundum ſe, prout docetur, inducere ad aſſenſum ſupernaturalem, vel ad aliquos pios motus ſupernaturales, cum non inclinet auditores, niſi ad aſſentiendum concluſionibus ex principijs fidei deductis, quod eſt quid merè naturale. Deindè, quantumuis concluſiones Theologiæ innitantur principijs fidei ſupernaturalis, talis tamen conſideratio non habetur in exercitio, quod Theologus præſtat in docendo, nam vt bene aduertit *Leſſius d. lib. 2. cap. 35. de ſimonia dub. 13. nu. 81. verſ. reſpondeo*, ſi Theologus docens de aliquo articulo fidei voluntariè, dubitat tamen eruditè, & rectè docere poteſt (& tamen hic fidem ſupernaturalem non habet) non minus, ac alter voluntariè de tali, nec de alio articulo dubitans, ergo non eſt, cur illud exercitium vendi non poſſit, & exigi ſine labe ſimoniæ illud pretium correſpondens illi exercitio, quandòquidem illud naturale eſt; Ex quibus etiam habes, quid reſpondeas ad inſtantiam, ſi afferatur doctrinam Theologicam verſari circà obiecta ſupernaturalia, & ad eam concurrere regularitèr in docente habitum fidei ſupernaturalem, & dirigere virtutes ſupernaturales fidei, ſpei, & caritatis, & regulare intellectum in ordine ad myſteria fidei tuenda aduerſus hæreticam prauitatem; Habes, inquam, quid reſpondeas, nam, quamuis Theologia reſpiciat huiuſmodi obiecta ſupernaturalia, attingit tamen non per medium ſupernaturale fidei, ſed per medium naturale nempè per lumen Theologicum, vndè ad ſummum dici poteſt ſupernaturalis terminatiuè, non entitatiuè, nec attingit eadem in ſe, ſed in diſcurſu Theologico illatiuè. Quod deindè regularitèr concurrat in docente habitus ſupernaturalis fidei non facit ad rem, ſiquidem illius conſideratio non habetur, cum etiam tale exercitium haberi poſſit, & tradi a dubitante in ſe in articulis fidei, vt mox innuebam, & ſolum attenditur, quod intellectum in rerum abditiſſimarum cognitione inſtruat; quod idem dicere poteris de illa directione ad actus ſupernaturales fidei, ſpei, & caritatis, quos non reſpicit docens in illo exercitio, quod præſtat, &, ſi ſequuntur, non niſi occaſionalitèr ſequuntur ex illa doctrina, cum formalitèr debeant procedere ex habitu ſupernaturali.

Margin notes:

Sotus. Suarez. Leſſius. Fillint.

Aſſenſus Theologicus formalitèr, vt talis eſt naturalis.

Ratio formalis, propter quã aſſenſus Theologicus non ſit ſupernaturalis.

Dupliciter aliquid poteſt dici ſupernaturale quoad principiũ, & quomodo.

Leſſius.

Poteſt Theologus docere, quamuis dubitet de articulo, quem docet.

Non attingit per mediũ ſupernaturale fidei, ſed per medium naturale Theologicum.

Tertia difficultas eſt, an exercitium inſtruendi populos per conciones ſit materia propria ſimoniæ, adeò vt, ſi pro illo pretium exigatur, committatur ſimoniaca prauitas. Aduerte hic præſcindendum

in

Non eſt ſermo in ordine ad laborem in concionando, & ad congruã ſuſtentationem.

eſſe in hac difficultate à pretio pro labore in concionando, & pro congrua ſuſtentatione eiuſdem concionantis, quandòquidem pro illis poteſt eſſe iuſta, & non damnabalis conuentio, quandòquidem labor omnis optat præmium, & dignus eſt mercede ſua, & ſicuti qui altari ſeruit de altari viuere debet, ita qui populo Dei inſeruit de eiuſdem bonis debet ſuſtentari. Difficultas igitur reducitur ad hoc, an pro ipſa concione formalitèr, prout eſt populi inſtructio in ordine ad ſupernaturalem beatitudinem ſine labe ſimoniæ poſſit pretium exigi, ſeù, quod idem eſt, an ipſa concio

4 ſit propriè materia ſimoniæ. Propter communem tùm Theologorum, tùm Canoniſtarum conſenſum ſentio eſſe materiam ſimoniæ *D. Thomas ſecunda ſecundæ quaſt. 100. art. 3. ad ſecundum, & ibi Caietanus, & in 4. diſt. 25. quaſt. 3. art. 2. Paludanus ibi quaſt. 5. Aſtenſis in ſumma lib. 6. tit. 5. Angelus verb. ſimonia 3. num. 9. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 18. num. 22. Filliutius tract. 45. quaſt. 8. num. 32.* Ratio deduci poteſt ex diſcrimine, quod intercedit inter Theologiam, & exercitium concionandi, quià munus docendi Theologiam eſt munus proprium ipſius docentis, munus autem concionandi eſt munus Dei iuxtà illud Matthæi vlt. *Euntes ergo prædicate*; Secundò munus Theologiæ eſt præciſe inſtruere intellectum in abditiſſimarum rerum cognitione; munus autem concionandi eſt inflammare voluntatem ad amorem Dei, & actus pœnitentiæ. Tertiò, quia munus concionandi pertinet ad gratiam excitantem, non ſic munus Theologiæ. Tandem, quià munus prædicandi enumeratur inter gratias gratis datas, & inter dona miraculorum a Chriſto Domino *Matthæi 10. Euntes prædicate, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, Dæmones eijcite. Gratis accepiſtis, gratis date.*

D. Thomas. Caietanus. Paludan. Aſtenſis. Angelus. Suarez. Filliutius.

Diſcrimẽ, quod intercedit interTheologiã, & concionem.

Munus concionãdi numeratur inter gratias gratis datas.

Quarta difficultas eſt, an facultas docendi Theologiam ſit materia propria ſimoniæ. Ratio dubitandi potiſſimùm deducitur *ex cap. 1. & 2. de Magiſtris*, vbi in cap. 1. dicitur. *Pro licentia verò docendi nullus pretium exigat, vel ſub obtentu alicuius conſuetudinis ab eis, qui docent, aliquid quærat, nec docere quemquam petita licentia interdicat*, & ibi *Gloſa verbo conſuetudinis* ſubdit, *quaſi ſimoniacum reputatur hoc*, & in *cap. 2. eod.* expreſſe habetur *Prohibeas, ne pro licentia docendi exigatur aliquid, aut etiam promittatur. Si quod verò ſolutum fuerit, aut promiſſum remitti promiſſum facias, & reſtitui appellatione ceſſante ſolutum ſciens, quod ſcriptum eſt. Gratis accepiſtis, gratis date*; ex quibus clarè infertur prohiberi tanquam ſimoniacam illam licentiam docendi conceſſam pro pretio.

Rationes dubitandi in contrarium.

5 Nihilominus abſolutè dicendum eſt, neque ſimoniacam eſſe venditionem talis facultatis docendi, neque eandem ſecundum ſe ſumptam eſſe materiam ſimoniæ. *Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 13. num. 82. Suarez d. lib. 4. cap. 18. num. 14. aduerſus Gloſam in d. cap. 2. de Magiſtris.* Ratio eſt, quia actiones ſpecificantur a termino, quem reſpiciunt, ſeù poſſident, ſed doctrina ipſa formalitèr, vt Theologica ex ſuperius probatis, vtpotè naturalis non eſt materia ſimoniæ, nec illius venditio ſimoniaca, ergo nec actiones, quibus conceditur facultas illam docendi, ſeù vendendi erunt ſimoniacæ; Neque dicas, quod quamuis terminus, ad quem dirigitur, ſit merè naturalis, nec propterea materia ſimoniæ, facultas tamen, a qua procedit, ſit propriè ſpiritualis, adeòque &c.; contrà enim impugnaberis, quia in primis illa facultas non eſt ſpiritualis, tùm quià æquè procedere poteſt à facultate Eccleſiaſtica, ac à poteſtate ſæculari; tùm quià non eſt propriè ad aliquod munus, quod ſit munus Dei, ſicuti eſt munus prædicandi verbum Dei. Deindè dato etiam, quod procederet à poteſtate ſpirituali, non propterea ſequitur, quod ius illud docendi eſſet ſpirituale, nam etiam facultas medendi conceſſa Clerico prouenit à poteſtate ſpirituali, & tamen ipſa non eſt ſpiritualis, vt ex multis Doctoribus notat *Bonacina quaſt. 4. de ſimonia §. 10. num. 12.* Ex quibus habes etiam quid reſpondeas ad aliud quæſitum, quo quæritur, an magiſterium, ſeù Doctoratus Theologiæ ſit materia propria ſimoniæ. Habes, inquam, quid reſpondeas, ſcilicet non eſſe talem, quia in primis actus, ad quos dirigitur, non ſunt ſpirituales; Deindè ex communi praxi nemine reluctante huiuſmodi munera conferuntur pro pretio, & nullus eſt, qui damnet ſimoniæ conferentes, & recipientes. Tandem, quis huiuſmodi magiſterium, ſeù Doctoratus æque haberi poteſt per poteſtatem ſæcularem, ac per Eccleſiaſticam. Ad rationes dubitandi ex allegatis iuribus adductam dicendum eſt præfata iura ad ſummum prohibere, & conſtituere iniuſtam talis venditionem facultatis, non autem ſimoniacam, nec in hoc audienda eſt Gloſa, quæ contrarium *in d. cap. 1. & 2. de magiſtris* videtur ſentire, quandòquidem ad id afferendum nullo innititur fundamento iuris, cum in textu nihil de ſimoniaca labe exprimatur; neque dicas, ſimoniacam prauitatem colligi ex illis verbis, quæ ibi poſita ſunt *Gratis accepiſtis, gratis date*, quæ à Chriſto Domino prolata ſunt ad extirpandam ſimoniacam labem; contra enim impugnaberis, quià illa verba hic adducta ſunt ad inferendam conuenientiam gratis conferendi, & per conſequens rationem,

Leſſius. Suarez.

Actiones ſpecificantur a termino, ad quem referuntur.

Illa facultas æquè procedere poteſt à poteſtate Eccleſiaſtica, ac à laicali.

Bonacina.

Doctoratus Theologiæ non eſt materia Simoniæ.

Gloſa.

Reſpondetur rationibus dubitandi in contrarium appoſitis.

cui

cui innititur lex prohibens conferri pro pretio, non tamen per hoc inducit ſimoniam, ſeù ſimoniacam eſſe talem conceſſionem pro pretio, ſed ad ſummum iniuſtam propter violationem iuris prohibentis; non enim omne, quod gratis acceptum eſt, eſt etiam gratis conferendam ſub onere ſimoniacæ prauitatis, ſi ſecus fiat.

6 Aſſertio II. Dona etiam naturalia moralia ſecundum ſe ordinata ad moralem honeſtatem ſiuè pertineant ad intellectum, ſiuè ad voluntatem non ſunt materia propria ſimoniæ, quamuis illorum venditio quandòque ſit peccaminoſa. *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 8. num.* 20. eſtque communis inter Doctores.

Suarez.

Probatur facile aſſertio ex præcedentibus, nam huiuſmodi dona ſecundum ſe ſunt purè naturalia, & quamuis ſint ordinata ad moralem honeſtatem, non ſunt tamen ſecundum ſe directa ad Religionis cultum, adeò vt, ſi vendantur, ſeù fiat illorum abuſus, committatur ſacrilegium, ergo non ſunt materia propria ſimoniæ. Antecedens quoad primam partem ſecundum ſe patet, quia actus virtutum moralium ſecundum ſe non ſunt ſupernaturales, cum etiam ab ethnicis ſecũdum ſe exerceantur; quoad ſecundam etiam ſic euincitur, quia huiuſmodi virtutes ſolummodò diriguntur ad inſtruendum addiſcentis animum, ipſumq; perficiendum in ordine naturali, & morali, & quamuis per eundem addiſcentem ordinentur ad exercitium virtutum moralium, non propterea extrahuntur à propria ratione formali donorum præcisè naturalium, nam conferens v.g. doctrinam intendit præcisè inſtruere intellectum, eundemque ſolummodò moralitèr perfectum conſtituere, & ſi quandòque ipſe ſic inſtructus ordinet huiuſmodi dona ſic acquiſita, vel ad Religionis cultum, vel ad virtutes ſupernaturales, hoc eſt extra rationem formalem virtutum merè naturalium, & moralium, nec eas facit materiam ſimoniæ, cęteroqui omnia bona quantumuis naturalia, & etiam corporalia poſſent eſſe materia ſimoniæ, quandòquidem poſſent etiam ordinari ad Religionis cultum ex intentione poſſidentis.

Non ſunt ſecundum ſe directa ad Religionis cultum.

Si ordinatur ad virtutes ſupernaturales per accidens eſt, nec facit eas ſimoniæ materiam.

7 Ex his, quæ in hac aſſertione dicta ſunt inferes primò, non eſſe ſimoniacam venditionem conſilij moralis pro pretio, quantumuis illud ordinetur ad virtutes morales, & ad pacandam conſcientiam, ſiuè hoc conſilium reſpiciat forum externum, ſiuè etiam internum animæ, & huiuſmodi ſunt conſilia, quæ præſtant Aduocati in cauſis, Iuris Conſulti in opinionibus iuris, Theologi morales in caſibus conſcientiæ. Ratio horum omnium eſt, quia huiuſmodi conſilia ſunt purè naturalia, quantumuis ordinata ad moralem honeſtatem, & proindè vendi non prohibentur *D. Auguſtinus Epiſt. 54. ad Maced. cap. vlt. 14. quæſt. 5. D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 71. art. 4. D. Antoninus 3. part. tit. 6. cap. 2. §. 4.*

Sunt merè naturalia.

D. Auguſtinus. D. Thomas. D. Antoninus.

8 Inferes ſecundo opera miſericordiæ ſecundum ſe ſumpta non eſſe materiam propriè ſimoniæ propter eandem rationem, quia ſcilicet ſecundum ſe ſunt opera merè naturalia præcipuè in ordine ad effectus, quos præſtant *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 71. art. 4. Gloſa in cap. vendentis 1. quæſt. 1. Ognate tract. 23. quæſt. 82. ſect. 1. num.* 21. ſicque in particulari non eſt ſimoniacum vendere obſequium in ordine ad infirmos, vel Iudici vendere iuſtitiam, quamuis quandòque poſſit eſſe iniuſtitia aliqua in huiuſmodi venditionibus, vel quia teneantur huiuſmodi opera præſtare ex officio, vel quia vrgente neceſſitate caritas obliget &c.

D. Thomas. Gloſa. Ognate.

Non eſt ſimonia, ſi Iudex vendat iuſtitiam.

Inferes tertiò, exhortationes ad virtutes ſimplicitèr morales non eſſe materiam ſimoniæ propter eaſdem rationes, quales ſunt exhortationes ad excitandum ad virtutem fortitudinis, ad iuſtitiam, aliaſque virtutes morales, & quidem non ſolum pro laboribus in eiſdem habendis, & pro congrua ſuſtentatione exhortantis, ſed etiam pro compenſatione dignitatis actionis, & maioris induſtriæ, nec incongrua ſane ratione, nam tota illa actio ſecundum ſe non excedit vires ordinis naturalis, nec per ſe ordinatur ad Religionem, ſed ad moralem animæ moderationem, & hoc verificatur, ſiuè exhortationes huiuſmodi fiant in publico populi conuentu, ſiuè in priuata admonitione.

Exhortationes ad virtutes ſimplicitèr morales non ſunt materia ſimoniæ.

9 Aſſertio III. In lege purè naturæ probabilius eſt non futuram fuiſſe propriè ſimoniam. Ita *Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 1. num.* 8. aduerſus *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 8. num. 27. Victor in d. relect. num. 21. & alios magis communitèr*. Dixi *propriè*, quia, cum in ſtatu puræ naturæ fuiſſet aliquis Dei cultus per Sacerdotium, & Sacrificia, cæremonias, & ritus in venditione eorundem fuiſſet aliqua diſſonantia à cultu Religionis habens aliquam ſimboleitatem cum ſimonia, quæ de facto datur, quæ tamen non eſſet propriè ſimonia, ſed ad modum ſimoniæ.

Leſſius. Suarez. Victor.

Probatur ex ipſa definitione ſimoniæ, quæ dicitur *rei ſpiritualis pro temporali contractatio*, vbi nomine ſpiritualis intelleximus rem ſacram, ſeù ſupernaturalem ſiuè in ſe, ſiuè in cauſa, ſiuè in effectu, ſed in ſtatu puræ naturæ, nec eſſet res ſacra, nec ſupernaturalis, cum omnes hominum actiones dirigerentur ad finem ſolummodò naturalem, & ad Deum, non vt auctorem gratiæ, ſed tantum naturæ, ergo &c.

Neque

Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, in eo ſtatu fuiſſe verum Religionis cultum, adeòque in læſionibus eorum, quæ ad eandem pertinent verum ſacrilegium naturale, in quo ſenſu dicitur, quod Ieroboam ſacrilegium commiſerit; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, quamuis fuiſſet aliquis Religionis cultus, non fuiſſet tamen ſupernaturalis, nec per Sacerdotium, nec per ſacrificia ſacra in ſe, nec in ordine ad finem, adeòque, ſicuti nec fuiſſet verum ſacrilegium, ità nec vera ſimonia, ſed ad ſummum actio ad modum ſimoniæ; vndè non video, cur Suarez loc. cit., & alij excluſerint à ratione materiæ ſimoniacæ doctrinam Theologicam, & conſilia moralia quantumuis ordinata ad moralem honeſtatem ea ratione; quià ſunt bona merè naturalia, & non modo excludant à ratione ſimoniæ Sacerdotium, & ſacrificia in ſtatu puræ naturæ, cum non excedant rationem eſſe naturalis. Dicere deindè, quod hæc ſacrificia, & ſacerdotia ordinentur ad recognitionem Dei, & ad Religionis cultum, non ſic doctrina Theologica, & conſilia moralia, quæ ſolum ordinantur ad inſtruendam mentem in cognitione altiſſimarum, & abditiſſimarum rerum, eandemque dirigendam in ordine ad mores, nullum robur confert, quandòquidem non omne, quod ordinari poteſt ad Religionis cultum, eſt materia ſimoniæ, & illud ſolum, quod ordinatur ad recognitionem Dei, vt auctoris gratiæ, beatitudinis, aliorumque bonorum ſupernaturalium, non autem omne id, quod ordinatur ad recognitionem eiuſdem, vt auctoris naturæ, cæteroqui, cum omnia ordinentur ad cognitionem Dei, eiuſque manifeſtandam potentiam, omnia eſſent materia ſimoniæ.

Non fuiſſet cultus Religionis ſupernaturalis.

Non ordinaretur ad recognitionem Dei, vt auctoris gratia, ſed tantũ natura.

PRÆNOTIO XV.

An exercitium ſupernaturalis doctrinæ ſit materia ſimoniæ.

SVMMARIVM.

Fides ſupernaturalis, vel poteſt eſſe talis quoad actum, vel quoad habitum, & vtroque modo eſt inabdicabilis, ſi tamen eſſet materia propria ſimonia 1.

Exercitium fidei ſupernaturalis in ordine ad excitandos alios eſt materia ſimonia 2.

Omnes gratia gratis data, qua ad fidem propagandam, vel ſtabiliendam ordinantur, ſunt materia ſimonia 3.

Conſilia ſpiritualia, quorum facultas procedit ex donis Spiritus Sancti, & ordinantur ad fines ſupernaturales ſunt materia ſimonia 4.

Docere doctrinam Chriſtianam pueros, & rudimenta noſtra fidei ignorantes per modum publici miniſterij, ſeu exhortationis eſt materia ſimonia, & item per modum exhortationis priuata 5.

Recto ordine procedentes ab ijs, quæ naturalis facultatis ſunt procedimus ad ea, quæ ex ſupernaturali principio proueniunt. Id præcipuè, quod in hac prænotione diſputabitur, erit, an fides, eaque omnia, quæ ad ipſam reducuntur, ſint, & poſſint eſſe materia ſimoniæ. Secundò, an conſilia ſpiritualia, quæ magis pendent ex donis Spiritus Sancti peculiaribus, quam ex ſola doctrina, & ſtudio humano. Tertiò, an inſtructiones puerorum in myſterijs fidei per doctrinam Chriſtianam, & his ſimilia. Pro ſolutione

Rationes dubitandi circà propoſitũ titulum.

1 Aduerte primò, fidem, quatenùs ſupernaturalis eſt, poſſe dupliciter conſiderari, vel vt eſt habitus, vel vt eſt actus internus credentis. Primo modo eſt qualitas quædam inherens animæ fidelis à Deo ſupernaturalitèr infuſa inclinans animum illam habentis ad præſtandum aſſenſum firmum, & ſupernaturalem myſterijs a Deo reuelatis; ſed hæc, prærerquamquod non eſt vendibilis, cum non ſit ab vno in alium transferibilis, ſi tamen ex ſuppoſitione eſſet transferibilis, procul dubio eſſet materia ſimoniæ, quandòquidem & eſt in ſubſtantia ſupernaturalis, & ordinata ad recognitionem ſupremi dominij Dei, vt auctoris gratiæ, bonorumque ſupernaturalium, in quo certè ſenſu non poteſt eſſe ratio dubitandi. Secundo modo eſt aſſenſus firmus infallibilis procedens ex infallibili, & ſupernaturali motiuo diuinæ veracitatis, & reuelationis præſtitus myſterijs fidei; atque hunc eſſe etiam inuendibilem, quatenus eſt actus vitalis ipſum elicientis, eſt infallibile, & non controuertibile propter eandem rationem, quod ſit inabdicabilis ab eo, qui ipſum præſtitit ex eſſentiali vitalitate eiuſdem actus. Dum igitur quæritur, an fides ſit materia ſimoniæ, eiuſque venditio ſimoniaca, ſenſus eſt, an exercitium, quo quis propoſitis myſterijs fidei diuinæ alios excitat ad eliciendos actus ſimiles illis, quos ipſe ſupernaturaliter, & firmitèr elicuit, ſit ſimoniacum, ſi fiat pro pretio, vel etiam, vt notat *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 20. num. 2.* an ſit ſimoniaca functio, qua quis erogat pecuniam alteri, vt credat id, quod ipſe ſupernaturalitèr credit inſtruendo eundem in fide, quam ipſe tenet.

Fides, vel eſt actus, vel eſt habitus, vtroque modo eſt ſupernaturalis.

Eſt inabdicabilis abeo, qui eam habet.

Si eſſet abdicabilis eſſet materia ſimonia.

Difficultas procedit de exercitio, quo quis alios excitat.

Aduerte ſecundò, hic nomine fidei non ſolum venire eandem, vel in habitu, vel in actu, ſed etiam ea, quæ a Deo dantur, vel ad fidem propagandam, vel ad illam magis ſtabiliendam, vel ad ſpeciali modo intelligendum Sacram Scripturam, in quo ſenſu videtur locutus Apoſtolus dum dixit,

Nomine fidei venit non ſolum habitus, & actus, ſed ea, qua a Deo datur ad illam propagandã.

ſufficientia noſtra ex Deo eſt, ex quibus docent Theologi aliqui non contemnendi nominis, quod inter lumen gloriæ, & lumen fidei detur lumen aliquod medium ſupernaturale ad attingenda lumine quaſi Theologico licet excellentiori myſteria gratiæ, eaque alijs explicanda in ordine ad inflammandam voluntatem ad pium affectum credendi.

Conſilia ſpiritualia alia ſunt merè naturalia, alia ſupernaturalia.

Aduerte tertiò, conſilia ſpiritualia, de quibus poteſt eſſe controuerſia, an ſint materia ſimoniæ, eſſe quaſi in duplici differentia; alia merè naturalia, quæ procedunt ex principio quaſi naturali medio labore, ſtudio, & induſtria acquiſito, licet ex intentione tùm conſulentis, tùm recipientis conſilium ordinentur ad vitæ moralem reformationem & correctionem; alia, quæ ſaltem ſecundum quid ſunt ſupernaturalia, quæ magis procedunt ex donis Spiritus Sancti peculiaribus, quam ex doctrina, & ſtudio humano, quæque regularitèr reducuntur ad gratias gratis datas, vt eſt diſcretio ſpirituum ad cognoſcendam v. g., an aliqua vocatio ex Deo ſit, an non, an aliqua reuera ſit ſupernaturalis reuelatio nec ne. In ordine ad hæc omnia propoſitus titulus diſcutietur. Pro quo ſit

Supernaturalia procedunt ex donis Spiritus Sancti.

2 Aſſertio I. Functiones fidei iuxtà modum explicatum in primo notabili ſunt in omni rigore materia Simoniæ. Eſt communiſſima

Siuè ſumatur per modum doctrinæ, ſiuè per modum diſciplinæ eſt ſupernaturalis.

Probatur, quià huiuſmodi fides, ſiuè ſumatur per modum doctrinæ, ſiuè per modum diſciplinæ, vt explicat *Suarez d. cap. 18. num. 2.* eſt in ſubſtantia ſupernaturalis, & exercitium eiuſdem in ordine ad alterius inſtructionem ordinatur ad ſupernaturalem aſſenſum, ergo eſt materia propria ſimoniæ

Nõ eſt tamen ſimonia, ſi aliquid recipiatur nõ pro ipſo exercitio formalitèr, ſed pro congrua ſuſtentatione.

Hic tamen aduerte, non eſſe ſimoniacum aliquid pretio æſtimabile recipere in huiuſmodi functionibus, ſi recipiatur pro congrua ſuſtentatione exponentis talia dogmata fidei ſupernaturalis, præcipuè ſi ſit deputatus ad hæc munera, vt videre eſt paritate deducta in celebratione Miſſarum, in quibus poteſt exigi congruę ſtipendium ſuſtentationis, quantumuis ſacrificiũ ipſum ſit ſecundum omnem rationem materia ſimoniæ, eiuſque venditio ſimoniaca propter ſupernaturalitatem, quam habet in ſe. Verum tamen eſt, quod ſi aliquid reciperet ſupra quam quod debitum eſt ratione laboris in exponendo, & congruæ ſuſtentationis ratione firmioris veritatis, & excellentioris doctrinæ, quam inuoluit fides ſecundum ſe labe ſimoniacæ prauitatis afficeretur, quandòquidem ille exceſſus eſſet propter fidem ſupernaturalem.

3 Aſſertio II. Omnes gratiæ gratis datæ, quæ vel ad fidem propugnandam, vel ſtabiliendam, vel confirmandam ordinantur, ſunt materia ſimoniæ; eſt etiam communis.

Sunt ſupernaturales tùm ratione principij, tùm ratione termini.

Ratio huius aſſertionis eſt, quià huiuſmodi gratiæ non ſolum ſunt ſupernaturales ratione principij, à quo procedunt, ſed etiam ratione termini, ad quem diriguntur, ergo &c. Antecedens probatur, quià gratiæ gratis datæ non ſunt naturæ debitæ, nec naturalitèr acquiſibiles, ſed à ſolo Deo ſpeciali quodam modo procedunt, non vt præcisè auctore naturæ, ſed vt auctore gratiæ, & ex alio capite ordinantur ad firmandam virtutem ſupernaturalem. Confirmatur, quia gratia prædicationis ad firmandam fidem in cordibus hominum eſt ſupernaturalis, & materia ſimoniæ propriè ſumptæ, iuxta illud Euangelij *Euntes prædicate baptizantes &c.* iuxta ea, quæ ſuperius diximus, iuxta quæ munus prædicationis connumeratur inter dona Spiritus Sancti, & inter gratias gratis datas.

Aſſertio III. Conſilia ſpiritualia, quorum facultas procedit ex ſtudio naturalitèr acquiſito, & ordinantur ad ſolam moralem animæ inſtructionem non ſunt materia ſimoniæ, benè tamen conſilia ſpiritualia, quæ magis procedunt ex donis Spiritus Sancti ſpecialibus, & ordinantur ad fines ſupernaturales virtutum infuſarum. Prima pars elucet ex ſuperius dictis, dum de Theologia Scolaſtica, & Morali. Secunda etiam pars facile liquet ex dictis in ſuperiori aſſertione, quandòquidem, & ſunt ſpiritualia ratione principij, & termini, vt ſupra. 4

Conſilia ſpiritualia, quæ procedunt ex ſpiritu Sancto, ſunt materia ſimoniæ.

Aſſertio IV. Docere Doctrinam Chriſtianam pueros, & rudimenta noſtræ fidei ignorantes per modum publici miniſterij, ſeù exhortationis eſt procul dubio materia ſimoniæ, quod etiam crederem quoad docere quoad priuatam inſtructionem puerorum ad iuuandam ipſorum memoriam, & congruam inſtructionem; niſi quid accipiatur, non ratione eiuſdem doctrinæ, ſed ratione laboris, & congruæ ſuſtentationis. Ita ſentit in vniuerſum *Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 23.* aduerſus *Vgolinum tab. 1. cap. 10. §. 3. num. 3.* 5

Leſſius. Vgolin.

Ratio in vniuerſum hæc eſſe poteſt, quia talis inſtructio, ſiuè fiat per modum publicæ exortationis, ſiuè per modum priuatæ eruditionis eſt rerum ſecundum ſe ſupernaturalium, & ordinatur ad finem ſupernaturalis ſalutis, & beatitudinis, ergo præſcindendo à labore, & congrua ſuſtentatione docentis erit propriè ſimoniæ materia. Antecedens probatur, quia huiuſmodi actus referuntur ad excitandam fidem, ſpem, caritatem, & ad conſolationem Spiritus Sancti percipiendam, nec aliam habent apud homines æſtimationem, & per ſe ordinantur ad huiuſmodi actiones, quæ ſunt ſupernaturales, & per

Huiuſmodi actus ſiunt ad excitandam fidẽ, ſpem, & caritatẽ.

con-

conſequens etiam ad finem ſupernaturalis beatitudinis, qui eſt finis ſupernaturalium donorum; Neque hac in re audiendus eſt *Vgolinus*, qui deſumpta paritate à doctrina Theologica progreditur ad idem aſſerendum de doctrina Chriſtiana, potiſſimum, cum actio docendi talem doctrinam non ſit ſupernaturalis, quamuis eadem doctrina ſit ſupernaturalis; Non, inquam, audiendus eſt, quandòquidem longè diſpar eſt ratio in doctrina Theologica, vt tali, & in doctrina Chriſtiana; illa etenim acquiritur ſtudio, labore, & induſtria humana deductiuè, hæc verò acquiritur reuelante Spiritu Sancto; Illa docetur præcisè ad inſtruendum intellectum veritatibus in rerum abditiſſimarum cognitionem, iſta etiam ad inflammandum pium voluntatis affectum ad credendum, & quamuis talis actio docendi non videatur ſecundum ſe ſupernaturalis, quià tamen ordinatur ad finem ſupernaturalem propriè conſtituitur in ratione materiæ ſimoniacæ, ea proportionali ratione, qua actio, qua quis verbum Dei enuntiat per prædicationem, non videtur ſecundum ſe ſupernaturalis, & tamen ex ſuperius dictis eſt propriè materia ſimoniæ.

Diuerſitas inter doctrinã Chriſtianam, & Theologicam.

Dixi, *niſi quid accipiatur ratione laboris, & congrua ſuſtentationis*, propter ea, quæ ſuperius diximus de Sacrificio Miſſæ, quod quidem maximè ſupernaturale eſt, & per conſequens materia ſimoniæ, & tamen non pro eo formalitèr, ſed pro labore, qui cum eo coniungitur, poteſt aliqnid exigi in congruam ſuſtentationem ſacrificantis.

PRÆNOTIO XVI.

An exercitium internæ iuriſdictionis ad animarum curam ſit materia ſimoniæ.

SVMMARIVM.

Quanam ſint, qua pertinent ad actus interna iuriſdictionis 1.

Actus interna iuriſdictionis pertinentes ad curam animarum ſunt materia ſimonia 2.

Delegatio poteſtatis aſſiſtendi matrimonio facta alteri à Parocho ea adiecta conditione, vt, ſi aliquid per contrahentes conferatur ipſi delegato, cedat deleganti tanquam pretium illius poteſtatis delegata eſt ſimoniaca 3.

Secus, ſi fiat reſeruato iure ad id, quod dabitur tanquam ad extraordinarium emolumentum. Ibid.

1 NOmine internæ iuriſdictionis non intelligimus ſolum eam, quam habet Sacerdos ex vi clauium ad ligandum, vel ſoluendum, & quoad culpam, & quoad pœnas in foro pœnitentiali, ſed etiam omnem eam, quæ ex vi poteſtatis ſibi conceſſæ exercere poteſt extra Tribunal conſcientiæ, dummodò ad ipſius exercitium non requiratur ſtrepitus iudicialis, tunc etenim videtur pertinere ad actus externæ iuriſdictionis. Igitur ad actus huiuſmodi iuriſdictionis internæ pertinent omnes functiones pertinentes ad paſtoralem curam, abſolutiones à cenſuris, facultates audiendi confeſſiones, conceſſiones Indulgentiarum, poteſtates iniungendi pœnitentias, ius aſſiſtendi iuriſdictionalitèr matrimonijs, & ſimilia, de quibus omnibus contingit dubitare, an ſint materia propria ſimoniæ. Pro quo ſit

Enumerantur, quæ pertinent ad actus internæ iuriſdictionis.

Aſſertio. Actus internæ iuriſdictionis pertinentes ad animarum curam ſunt ſecundum ſe materia ſimoniæ. *D. Thomas ſecunda ſecunda quæſt.* 100. *art.* 2. *ad tertium. Redoanus prima parte cap.* 7. *nu.* 1. *&* 3. *Sotus lib.* 9. *de iuſtitia quæſt.* 6. *Nauarrus in man. cap.* 21. *num.* 100. *Ognate tract.* 23. *diſp.* 82. *ſect.* 11. *per totum.* 2

D. Thomas. Redoan. Sotus. Nauarrus. Ognate.

Probatur primò, poteſtas, à qua procedunt huiuſmodi actus internæ iuriſdictionis, eſt ſpiritualis, & materia propria ſimoniæ, ergo & ipſi actus procedentes formalitèr ab ipſa erunt tales. Antecedens probatur, quià huiuſmodi poteſtas eſt ſecundum ſe annexa beneficio Eccleſiaſtico, & ab ipſo procedens, ſed beneficium Eccleſiaſticum eſt ſecundum ſe ſpirituale, & materia ſimoniæ, vt infrà latè dicemus, ergo &c. Conſequentia primi argumenti probatur, quia, cum illa poteſtas ſit in ordine ad actus, tam actus, quam ipſa poteſtas debent eſſe in eadem ſerie, & ordine, adeò que, ſi illa ſpiritualis, etiam & iſti.

Actus debent eſſe in eadem ſerie, in qua eſt poteſtas.

Probatur ſecundò, quia huiuſmodi actus pertinent, vel ad mundandas animas à culpa, vel a pœnarum reatibus, vt contingit in conceſſione Indulgentiarum, vel diſponunt ad communicationem bonorum ſpiritualium, vt euenit in abſolutione a cenſuris, vel ad legitimam confectionem Sacramentorum, vt contingit in facultate aſſiſtendi iuriſdictionaliter matrimonijs, ergo propriè ſunt materia ſimoniæ, & ipſorum venditio propriè continetur ſub generali prohibitione expreſſa *in cap. ad noſtram cap. nemo Presbyterorum de ſimonia.*

Ex fine, ad quem ordinantur, arguitur, quod ſint materia ſimoniæ.

Non vlteriùs immoror, ne repetam, quæ fusè tractat *Suarez. lib.* 4. *de ſimonia cap.* 20. *per totum*, quæque reaſſumit, vt ipſius moris eſt, *Ognate d. tract.* 23. *diſp.* 72. *ſect.* 11. ſi non quoad verba, ſaltem quoad ſubſtantiam. Solùm pro complemento hic remanet examinandum, an ſi Parochus concedat facultatem alteri Sacerdoti aſſiſtendi matrimonio ea adiecta conditione, vt ſi

Suarez. Ognate.

eidem de egato aliquid pretio æſtimabile per contrahentes conferatur, ipſum vel ſaltem eius partem teneatur ſibi conferre, & an talis conditio appoſita inſerat ſimo-
3 niacam prauitatem. Qua in re exiſtimo abſolutè, quod ſi illud exigatur tanquam pretium illius facultatis delegato conceſſæ, vtique committatur ſimonia, ſi verò illud ſibi referuet tanquam extraordinarium emolumentum, quod ex gratuita contrahentium donatione pro tali munere aſſiſtentiæ in gratitudinem quandòque confertur, non eſſet ſimonia. In hunc noſtrum ſenſum propendent licet ſub diuerſis terminis *Silueſter verb. ſimonia quaſt.* 8. *Vgolinus tab.* 1. *cap* 36. §. 3. *num.* 4. *Suarez lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 42. Ratio primæ partis facilè deducitur ex præcedentibus, quandòquidem talis facultas eſt ſpiritualis, & procedens ex principio ſpirituali; Neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur, quod non eſt conuentio pro tali facultate de pretio certo, ſed de pretio conditionato, ſi datum fuerit; non, inquam, obſtare poteſt, quià illa ſpes illius emolumenti probabilitèr, ſeù certo moralitèr futuri eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis; ſimonia autem non ſolum committitur, quandò res ſpiritualis confertur pro pretio, ſed etiam quandò confertur pro temporali quomodocunque pretio æſtimabili. Magis obeſſe poſſe videtur, ſi aſſeratur, quod illa conuentio non eſt de aliquo, quod ſibi, ſeù eidem Parocho ſit indebitum, ſed de aliquo debito ex vi proprij muneris, ſi per contrahentes conferatur, adeòque non ſit ſimoniaca; ſed hæc quoque inſtantia eludi poteſt, ſi aſſeratur, quod illud emolumentum, quod ex arbitrio contrahentium confertur, datum fuerit, ſeù detur pro illo munere aſſiſtendi, adeòque illi, qui cum iuriſdictione ſaltem delegata aſſiſtit, non eſt, cur ſit debitum ipſi Parocho, cum extraordinariè obueniat propter perſonalem illam aſſiſtentiam, quam adhibet delegatus. Sed clarius dicendum eſt, quod hac ratione non committatur ſimonia, quià non datur pro pretio illius ſpiritualis facultatis aſſiſtendi, ſed referuetur ex ſuppoſitione, quod per contrahentes conferatur, tanquam debitum eidem Parocho, vndè illa facultas liberè conceditur, ſed ſolum eidem delegato prohibetur, ne ea accipiat, quæ conferuntur ratione talis muneris, & per hoc probatur ſecunda pars huius noſtræ ſententiæ. Verum tamen eſt, quod hodiè locum non habet hoc quæſitum, quandòquidem Sanctiſſimus D. N. Innocentius XI. prohibuit, ne quid pro tali aſſiſtentia per Parochos accipiatur, neque pro muneribus ſacramentorum, ad quæ miniſtranda ex munere tenentur,

Silueſter. Vgolin. Suarez.

Illa ſpes emolumenti futuri eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis.

Illa facultas liberè conceditur, ſed ſolum prohibetur delegatus, ne ea accipiat, quæ conferuntur.

PRÆNOTIO XVII.

An actus externæ Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſint materia ſimoniæ.

SVMMARIVM.

Quid veniat nomine actuum iuriſdictionis Eccleſiaſtica externa 1.
Iuriſdictio externa duplex, altera voluntaria, ſeù gubernatiua, altera contentioſa 2.
Actus iuriſdictionis externæ ſiuè voluntariæ, ſiuè contentioſa ſunt materia ſimoniæ 3.
Id, quod erogatur pro diſpenſationibus in cauſis matrimonialibus, non eſt pro eiſdem formalitèr, ſed pro labore, pro ſuſtentatione officialium, & ſimilibus 4.
Quamuis officium Vicarij Generalis non ſit beneficium, eſt tamen materia ſimoniæ 5.
Poteſtas legitimandi ad dignitates Eccleſiaſticas eſt materia ſimoniæ 6.

Dixi, *Iuriſdictionis Eccleſiaſtica*, non ſolùm, vt præſcinderem à iuriſdictione merè laicali reſidente apud Principes, & Iudices laicos; quæ cum ſit merè naturalis per ea, quæ ſupra dicta ſunt, non poteſt eſſe materia ſimoniæ, nec actus ab eadem procedentes, ſed etiam a iuriſdictione temporali licet reſidente apud Prælatos Eccleſiaſticos, quandòque etenim Prælati Eccleſiaſtici ſuum habent territorium, in quo nedum exercent poteſtatem Eccleſiaſticam tanquam Epiſcopi, ſed etiam Iuriſdictionem temporalem perindè, ac ſi eſſent Principes Laicales, quam certè poteſtatem laicalem alijs poſſunt conferre accepto pretio ſine labe ſimoniaca, cum talis iuriſdictio non ſit diſſimilis illi, quam habent laici, nec ex eo, quod in Eccleſiaſtico reſideat, deſinit eſſe temporalis, cum poteſtas dicatur Eccleſiaſtica, vel temporalis, & a principio, a quo confertur, & à termino, ad quem ordinatur. Loquimur igitur ſolummodò in ordine ad actus externos iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, vt talis. Dixi etiam *externos*, vt contradiſtinguerem ab actibus iuriſdictionis internæ, de quibus egimus in præcedenti prænotione. Nomine autem actuum externorum veniunt regularitèr illi, qui exercentur per ſtrepitum iudicialem, vel ſecundum iudiciales probationes in ordine ad actus, ſeù terminos externos. Dixi, *regularitèr exercetur per ſtrepitum iudicialem*, non enim negauerim etiam ſine ſtrepitu actus iuriſdictionis externæ Eccleſiaſticæ exerceri, quæ etiam dici poteſt iuriſdictio voluntaria gubernatiua, ſicuti illa, quæ ſit per ſtrepitum, dici poteſt contentioſa. Iuriſdictio voluntaria, ſeù gubernatiua reſpicit diſtributionem offi-

1 *Iuriſdictio apud Eccleſiaſticos duplex eſſe poteſt, altera laicalis, altera Eccleſiaſtica.*

Iuriſdictio laicalis poteſt alteri conferri accepto pretio.

Quid veniat nomine externa iuriſdictionis.

2 *Iuriſdictio duplex, altera voluntaria, altera contentioſa.*

officiorum, dignitatum, conceſſionem publicam Indulgentiarium, diſpenſationes in foro externo requiſitas ad aliquem effectum ineundum, vt diſpenſationes matrimoniales &c. Iuriſdictio contentioſa eſt in ordine ad lites in cauſis ſpiritualibus per ſententias dirimendas; excommunicationis ſententias, aliaſque cenſuras ferre, & ab illis abſoluere extrà Sacramentum pœnitentiæ &c.

D. Thõ. Sotus. Silueſter. Leſſius.

3 Aſſertio. Actus iuriſdictionis externæ ſiuè voluntariæ, ſiuè contentioſæ ſunt materia propriè ſimoniæ. *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 3. *ad tertium. Sotus lib.* 9. *de iuſt. quæſt.* 6. *art.* 2. *Silueſter verb. ſimonia quæſt.* 9. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 17. *num.* 115.

Ex enumeratione pertinentium ad iuriſdictionem voluntariam arguitur ſpiritualis ea, & in ſe, & in fine.

Probatur in vniuerſum, quià huiuſmodi actus ſiuè ſint iuriſdictionis voluntariæ, ſiuè contentioſæ procedunt à principio ſpirituali, & tendunt etiam ad terminum ſpiritualem, ergo &c. Antecedens quoad iuriſdictionem voluntariam facilè euincitur enumerando ea omnia, quæ ad ipſam pertinent, quæque prouenire non poſſunt, niſi à principio ſpirituali, nec tendere, niſi ad effectum etiam ſpiritualem, ſic primò ad eandem pertinet ius eligendi ad officia, & beneficia Eccleſiaſtica, ius conferendi, ius inſtituendi, ius confirmandi in eodem beneficio, ius præſentandi, diſpenſationes in ijs, quæ ordinantur ad ſalutem, publicæ conceſſiones Indulgentiarum, & ijs ſimilia, ſed hæc omnia originem habent à poteſtate purè ſpirituali, &, vt patet, ſunt in ordine ad effectus ſpirituales, ergo &c. vnde non immeritò habetur *in cap.* 1. *ne Prælati ſuas vices*, quod ementes beneficia priuentur, & in ſpecie iuriſdictionis *in cap. nemo* 2. *de ſimonia, & cap. cum ab omni de vita, & honeſtate Clericor.* habetur, quod eiuſdem venditio ſit ſimoniaca, Reipublicæ pernitioſa, & pænis extirpanda. Quoad iuriſdictionem verò contentioſam etiam euincitur per inductionem ea enumerando, quæ ad ipſam pertinent, & primò ad eam referuntur actus ligandi, & ſoluendi cenſuris, de quibus nulli dubium, quin à principio ſupernaturali procedant, & ad finem ſupernaturalem ordinentur, vt præcipuè habetur *ex cap* 2. *de ſimonia*. Secundò actus viſitandi, qui etiam procedunt à facultate ſpirituali, loquor de viſitatione Eccleſiarum, & ad ſpiritualem cultum diriguntur, vnde eorundem venditio expreſsè prohibetur *in cap.* 1. *&* 2. *de conceſ. in* 6. *& in Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *de reform.* quamuis non prohibeatur erogatio victualium, quæ tamen congruit labori, & congruæ ſuſtentationi, non tamen correſpondet ipſi functioni viſitationis. Tertiò actus iudiciales omnes Eccleſiaſtici iudicij in cauſa ſpirituali, qui etiam procedunt à iure Eccleſiaſtico, & ordinantur ad finem ſpiritualem, prout habetur in *c. ad noſtram* 9. *de ſimonia, & cap. nemo, & cap. ad aures eod. tit. & in vendentis prima quæſt.* 7. in qua tamen hypotheſi non prohibentur erogari aliqua pro congrua ſuſtentatione miniſtrorum iuſtitiæ, quod proportionalitèr dici poteſt in ordine ad aduocatos, & teſtes.

Euincitur etiam per inductionem pertinentiũ ad iuriſdictionem contentioſam.

Neque aduerſus ea, quæ dicta ſunt de iuriſdictione voluntaria opponi poteſt conſuetudo Romanæ Curiæ, quæ pro diſpenſationibus in cauſis matrimonialibus ſolet aliquid exigere ſiuè maius, ſiuè minus, prout impedimentum maius, vel minus eſt, in quo fit diſpenſatio; Neque etiam contra ea, quæ dicta ſunt de iuriſdictione contentioſa opponi poteſt praxis Romani Pontificis, ſecundum quam vendit Auditoratum, & Clericatus Cameræ Apoſtolicæ, quibus annexa eſt ampla iuriſdictio Eccleſiaſtica; Non, inquam, opponi poſſunt; non primum, quia illud, quod erogatur in huiuſmodi diſpenſationibus, non eſt pro eiſdem formalitèr, ſed vel propter laborem, & onus officialium, vel propter alias cauſas, quas latè apponit *Bonacina quæſt.* 4. *§.* 17. *prop.* 2. *num.* 6. *per totum* quem tu conſule; Non ſecundum; quia, vt benè notat *Suarez d. lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 6. Pontifex non vendit ipſam iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ſed dumtaxat ius ad emolumenta temporalia, quæ ex dictis officijs conſequuntur, & quamuis talia iura per alias poteſtates ſeparari non poſſint, per ſummam tamen Pontificis poteſtatem ſunt ſeparabilia eo modo, quo dictum fuit ſuperius de reſeruatione penſionum in reſignatione beneficiorum auctoritate Pontificis.

Id, quod datur pro diſpenſationibus matrimonialibus eſt pro labore, & onere officialium.

Bonacina.

Suarez.

Pontifex vendit ſolum ius ad emolumenta temporalia.

Hic ſolum pro complemento aliqua remanent examinanda, quæ tamen, vel quià ſuperius attacta ſunt, vel comprehenduntur ſub hac aſſertione, vel ex aliqua peculiari ratione excluduntur, non diutina indigent explicatione. Primum eſt de facultate docendi, & ſtudendi Theologiæ, Sacriſque Canonibus, ſed de hac ſatis dictum eſt ſupra. Secundum de officio Vicarij Generalis Epiſcopi. Circa quod licet dictum fuerit *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimonia Prænot.* 9. *aſſert.* 4. quod officium Vicarij Generalis non ſit propriè beneficium Eccleſiaſticum, adeòque quod non ſit ipſo iure irrita electio eiuſdem ſimoniacè facta; Nihilominus hic ſine oppoſitione ad ibi dicta dicendum eſt, huiuſmodi officium eſſe materiam ſimoniæ, adeòque ſi vendatur conſtitui ſimoniam, & colligitur præcipuè *ex cap. ad noſtram de ſimonia*, vbi expreſsè fit mentio de Vicarijs aſſignandis, & *ex cap.* 1. *Ne Prælati vices ſuas*, nec incon-

Officium Vicarij Generalis eſt materia ſimoniæ.

incongrua ſanè ratione, quia tale officium procedit ex facultate ſpirituali, & annexam habet iuriſdictionem Eccleſiaſticam; Neque hæc oppoſitionem habent ad ea, quæ loco citato dicta ſunt, quandòquidem ſimonia non ſolum committitur in beneficijs, ſed etiam in alijs rebus, ſeù iuribus ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis, & ſic quamuis collatio Vicariatus non ſit irrita, quantumuis ſit facta pro pretio, eo quia non eſt propriè beneficium, & irritatio eſt ſolummodò beneficiorum per ea, quæ ibi dicta ſunt, quia tamen eſt Eccleſiaſtica, & ſpiritualis erit propriè ſimoniaca. Tertium eſt de poteſtate legitimandi. Pro quo aduerte, an hæc poteſtas ſit legitimandi ad honores tantùm laicales, au etiam ad honores, & dignitates etiam Eccleſiaſticas.

6 Quibus poſitis ſentio, quod ſi hæc poteſtas legitimandi ſit in ordine ad honores laicales, non ſit propriè materia ſimoniæ, ſecus verò, ſi ſit in ordine ad dignitates Eccleſiaſticas. Ratio primæ partis eſt, quia quantumuis illa poteſtas procedat à facultate Eccleſiaſtica, ordinatur tamen ad terminum merè temporalem, & laicalem, quinimmò illa poteſtas, quantumuis ſecundum ſe ſit ſuperior, & eminens ciuili, in ordine tamen ad tales actus correſpondet merè facultati ciuili, cum habeat ſolum auferre quandam inhabilitatem ad temporalia bona conſequenda. Ratio ſecundæ partis eſt, quia & eadem facultas eſt merè ſpiritualis, nec poteſt procedere à iure merè laicali, & ordinatur ad terminum Eccleſiaſticum, & ſpiritualem, nempe ad dignitates Eccleſiaſticas.

Poteſtas legitimandi duplex altera laicalis, & ad honores laicales, altera Eccleſiaſtica, & ad dignitates Eccleſiaſticas.

PRÆNOTIO XVIII.

An labores in functionibus merè Eccleſiaſticis, eorumque obligationes ſint materia ſimoniæ.

SVMMARIVM.

Labor in functionibus Eccleſiaſticis duplex, & quinam 1.

Obligatio duplex eſt, altera antecedens, altera concomitans, & quid vtraque 2.

Labor, qui quaſi intrinſecè adiungitur ſacro miniſterio eſt materia ſimonia 3.

Labor, qui per accidens coniungitur cum ſacro miniſterio ex aliqua extrinſeca circumſtantia eſt vendibilis ſine labe ſimoniæ 4.

Labor, qui coniungitur cum ipſo ſacro miniſterio per accidens ratione ſubiecti non eſt vendibilis ſine labe ſimonia 5.

Obligatio, quam quis aſſumit efficiendi functionem ſacram pro [illegible]*, ſiuè ſit antecedens, ſiuè concomitans, prout reſpicit ſpiritualitatem operis, non eſt vendibilis* 6.

NOn incongruè hæc difficultas hic excitatur, cum viam aperiat ad multa diſputabilia enucleanda quoad huiuſmodi labores, qui impenduntur, tùm in Sacrificio Miſſæ, tùm in materia omnium ferè ſacramentorum, ſacramentalium, aliarumque rerum ſpiritualium ſupernaturalium, de quibus non modicum contingit diſputari apud Doctores. Pro quo

Aduerte primò, laborem, qui in huiuſmodi functionibus impenditur quaſi duplicem eſſe, alterum, qui eſt quaſi intrinſecè adiunctus ipſi ſacro miniſterio, qualis eſt ille, qui impenditur ex neceſſitate in celebratione Miſſæ, in miniſtratione Sacramentorum, in benedictione Sacramentalium &c. cum enim hæc omnia conſiſtant, vt plurimum in functione aliqua, ſeù actione tranſeunte ex ſui ratione exigunt laborem aliquem in eorundem miniſterio; Alterum eſſe, qui non ex natura operis, ſed per accidens coniungitur cum ipſo ſacro miniſterio, qualis eſt labor, quem quis impendit eundo, & redeundo ad locum, & a loco, in quo ſacrum miniſterium exercendum eſt, in expectatione per aliquod temporis ad idem miniſterium obeundum in gratiam alterius &c. Hic ſecundus labor etiam eſt in duplici differentia, alter, qui prouenit ex parte ſubiecti, quatenus miniſter, vel ratione ſenectutis, vel ratione alicuius alterius conditionis maiorem laborem impendit, ac alius regularitèr ſoleat impendere, alter, qui prouenit ratione alicuius annexæ conditionis, qualis eſt ille, de quo locuti ſuimus, in eundo, redeundo, expectando &c. De ijs omnibus occurret ſermo in præſenti prænotione. 1

Labor quaſi intrinſecè adiunctus ſacro miniſterio.

Labor, qui per accidens coniungitur cum ipſo ſacro miniſterio

Labor, qui per accidens coniungitur quaſi duplex, & quomodo.

Aduerte ſecundò, obligationem, de qua innuimus in titulo, etiam duplicem eſſe poſſe, alteram ſcilicet antecedentem, alteram concomitantem. Prima eſt, quam quis aſſumit in ordine ad exercendam aliquod ſacrum miniſterium in fauorem alterius, ad quod obligatus non erat, & de hac contingit inquirere, an pro ipſa aſſumenda poſſit aliquid pretio æſtimabile exigi ſine vlla prorſus labe ſimoniæ. Secunda eſt, quæ annectitur ipſi muneri, ſeù miniſterio ſacro obeundo, & intrinſece quodamodò eidem ineſt, quatenus non eſt diſtincta ab ipſo actu ſpirituali, qui geritur. De prima præcipuè controuertendum remanet, an pro eadem ſiue ſimonia poſſit aliquid recipi, præcipuè propter eam rationem, qua aſſerebamus *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris* obligationem ciuilem mutuandi eſſe ſecundum ſe meritoriam alicuius lucri, ſeù pretij. Quibus ſuppoſitis ſit 2

Obligatio antecedens, & concomitans, & quid vtraque.

Aſſertio I. Labor, qui quaſi intrinſecè adiungitur ipſi ſacro miniſterio, præſcindendo 3

dendo à congrua ſuſtentatione, eſt materia propria ſimoniæ, nec vendi poteſt ſine ſimoniaca prauitate *D. Thomas in 4. diſt. 25. quaſt. 3. art. 2. Sotus lib. 9. de iuſt. art. 1. Durandus in 4. diſt. 25. quaſt. 3. num. 10., & ibi Paludanus quaſt. 5. Hoſtienſis in cap. 3. Ne Prælati vices ſuas. Abulenſis 3. Regum 14. quaſt. 9.* aduerſus *Adrianum quodlib. 9. art. 1. in reſol. litt. O. Alenſem ſecunda part. quaſt. 167. num. 4. art. 1. quaſt. 4. Gloſam in cap. ſignificatum de præb. verſ. itaque.*

D. Thomas. Sotus. Durand. Paludan. Hoſtienſis. Abulẽſis. Adrianus

Probatur primò, quià ille labor eſt neceſſariò connexus cum ipſo opere ſpirituali, & ſupernaturali, adeò vt opus illud ſacrum, cum regularitèr conſiſtat in actione tranſeunti, haberi nequeat ſine eodem labore, ergo ratione talis neceſſariæ connexionis erit obiectum, ſeù materia propria ſimoniæ. Conſequentia probatur, quià non ſolum ex ſuperiùs dictis eſt materia ſimoniæ res quæcunque ſpiritualis ſupernaturalis, ſed etiam quæcunque ſpirituali annexa, & licet illa res ſpirituali annexa eſſet ſecundum ſe pretio æſtimabilis, non tamen ſine labe ſimoniæ poteſt conſequi pretium propter inſeparabilitatem à re ſpirituali, vt etiam clarè liquet ex ſuperius dictis de beneficio Eccleſiaſtico, in quo quamuis duo iura diſtinguantur, alterum ad temporales prouentus, alterum ad ſpiritualia, non tamen pro primo poteſt ſine ſimonia acquiri aliquod pretium propter connexionem cum ſecundo. Cum igitur ille labor ſit talis, vt nullo modo poſſit ſeparari ab ipſo opere ſacro, nullo modo poterit eſſe lucratiuus pretij, quin quodamodo illud ſit pretium eiuſdem operis.

Ille labor eſt talis, vt nullo modo poſſit ſeparari à ſacro miniſterio

Dices primo ex Concil. *Agathenſi c. 36.* vbi dicitur *Sanctis laboribus reddenda eſſe debita ſecundum ſeruitij ſui debitum cap. vlt. 21. quaſt. 2.* ergo illi labori ex natura rei, & ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici debetur ſtipendium, adeòque &c. Sed contrà aſſerendum eſt textum illum deductum ex Concil. Agathenſi intelligendum eſſe non de pretio operis, ſed de congrua ſuſtentatione miniſtrantis, iuxtà illud Lucæ *Edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt, dignus eſt enim operarius mercede ſua*; neque ex eo, quod dicatur, *merces*, exiſtimandum eſt, quod ſit pretium propriè laboris, & quod non differat a ſtipendio ſuſtentationis propter eam rationem, quod talis merces non tribuatur quomodocunque pro miniſterio operis ſacri, ſed ad proportionem laboris, non enim tantum tribuitur pro recitatione priuata vnius officij, ſicuti pro publica com cantu, nec tantum audienti vnam confeſſionem, ſicuti andienti plures per totam diem, quod ſignum eſt, quod in retributione talis mercedis attendatur labor, qui in tali opere impenditur; non, inquam, exiſtimandum eſt, quandòquidem nomen mercedis indiferens eſt, vel ad ſignificandum pretium laboris, vel ſtipendium perſonæ, cum ſecundum ſe ſignificet totum id, quod quomodocunque eſt debitum ex iuſtitia, neque ex eo, quod quodamodo detur ad proportionem argui debet, quod ſit pretium præcisè laboris, non ſtipendium ſuſtentationis; non, inquam, debet argui, quandòquidem ex eo etiam, quod detur in ſuſtentationem poteſt attendi talis proportio; non enim pro exiguo, & modico miniſterio exigit ita habere ſtipendiom ſuſtentationis, ſicuti pro opere diuturniori, vt videre eſt in celebratione Miſſarum, in quibus ex motiuo præcisè ſuſtentationis erogatur elemoſina; non enim pro celebratioue vnius dumtaxat Miſſæ debetur, integra ſuſtentatio Sacerdotis, cum aliundè poſſit illam acquirere.

Non intelliguntur de pretio operis, ſed de cõgrua ſuſtentatione.

Ex eo, quod detur in ſuſtentationem poteſt attendi proportio.

Dices ſecundò, poteſt miniſter ſacer locare ſuas operas in ordine ad ſacra miniſteria obeunda, ſed id, quod erogatur pro tali locatione eſt pretium proprie eiuſdem, vt manifeſtè colligitur ex ipſo contractu locationis, *& ex l. 2. ff. locati*, ergo iuſte poteſt pro tali miniſterio, ſeù pro labore in exercitio eiuſdem exigi pretium ſine labe ſimoniæ. Sed contra, quia ſicuti ipſum ſacrum miniſterium vendi nequit, neque poteſt licitè locari accepto pro eodem, ſeù pro locatione eiuſdem pretio, & hoc propter eleuationem, quam nondum ipſum ſacrum miniſterium, ſed etiam labor neceſſarius ad idem habet ad ſpiritualem ordinem; vnde ſi pro tali locatione poſſit aliquid exigi erit tanquam ſtipendium congruæ ſuſtentationis, non tanquam pretium operis, ſeù laboris, ſicque illa locatio, quæ tamen propria non eſt, ſed impropria, & lato modo ſumpta, eſt ſolummodò ad ſacrum miniſterium obeundum in vtilitatem illius, pro quo, ſeù cui impropriè operas ſuas locauit, cum eſſet indiferens ad miniſtrandum vni, vel alteri, a quo propterea poteſt exigere non pretium quidem laboris, ſed ſtipendium perſonæ, ſeù ſuſtentationis.

Siper verificatur, quod ſit ſtipẽdium congruæ ſuſtentationis.

Varia iura hic congerunt contrariæ ſententiæ aſſertores ad impugnandum noſtrum ſenſum, & præcipuè *Gloſam in cap. ſignificatum de præbendis verb. ità, quod, & in cap. ſuam de ſimonia, & in cap. vlt. 21. quaſt. 2.* Sed hæc iura, ſi attentè perpendantur, non aliud euincunt, quam quid poſſit exigi pro talibus ſacris miniſterijs tanquam ſtipendium ſuſtentationis.

Gloſs.

Probatur ſecundò ex mente *Durandi in 4. d. 25. quaſt. 3. num. 10.* quià labor, qui eſt neceſſarius ad aliquod opus, non eſt vendibilis diſcriminatim ab ipſo opere, ergo

D urdo

opus

opus ipſum, ſi non eſt vendibile, neque erit vendibilis labor neceſſarius ad tale opus. Antecedens probatur, quià ex parte vendentis operas ſuas parum refert labor ad valorem operis, opus enim ipſum eſt ab ipſo labore inſeparabile; & ſi quandòque reſpectu vnius maior labor interueniat ad opus, opus ipſum non eſt maiori pretio meritorium. Conſequentia tenet, quia ſi non poteſt diuerſo pretio vendi labor ab opere, ſi opus non eſt meritorium pretij, nec labor in ipſo impenſus. Cum igitur ipſum miniſterium ſacrum non ſit æſtimabile, nec vendibile aliquo pretio propter ſpiritualitatem, nec erit æſtimabilis, nec vendibilis labor, adeòque &c.

Labor, qui eſt neceſſarius ad aliquod opus non eſt vendibilis ſeparatim ab ipſo opere.

4 Aſſertio II. Labor, qui per accidens coniungitur cum ipſo ſacro miniſterio ex aliqua extrinſeca circunſtantia, vtique eſt vendibilis ſine vlla prorſus labe ſimoniæ. *Sotus lib. 9 quaſt. 6 art. 1. Paludanus in 4. diſt. 25. quaſt. 5. Abulenſis 3. Reg. 14. quaſt 9. Silueſter verb. ſimonia quaſt. 9.* atque iuxtà hunc præcisè ſenſum locutos exiſtimo *Adrianum quodlib. 9. art. 1. in reſol. lit. O. Gloſam in cap. ſignificatum de praben. & in cap. ſuum de ſimonia. Angelum verb. ſimonia 2. num. 6.*

Sotus. Paludan. Abulēſis. Silueſter. Adrianus Gloſa.

Probatur, quià ille labor ſecundum ſe eſt pretio æſtimabilis, & eſt extra rationem formalem ſacri miniſterij, ergo pro illo vtique poterit pretium exigi. Antecedens probatur, quia ille labor, de quo loquimur, conſiſtit v. g. in itinere vnius, vel duorum milliarium ad ſacrum peragendum, in incommodis, quæ quis ſubit, vel in tali itinere, vel in expectatione ad longum tempus, ratione cuius ab alijs negotijs impeditur, ſed hic labor, licet ſit in ordine ad ſacrum miniſterium, non eſt tamen neceſſariò connexus, quantum eſt ex vi illius cum ſacro miniſterio, cum hoc ſecundum ſe poſſit haberi ſine illo, ſed ratione alicuius extrinſecæ circunſtantiæ, quæ grauat ipſum miniſtrantem, non in ipſo miniſterio, ſed vel in antecedentibus, vel in ſubſequentibus ad ipſum, & cedit in magnam vtilitatem eius, pro quo impenditur, ergo &c. Conſequentia probatur, quia non eſt ſimoniacum aliquid exigere pro re, ſeù actione merè temporali, quæ non eſt ſecundum ſe neceſſariò connexa cum re ſpirituali, ergo &c.

Ille labor eſt extrà rationem formalem ſacri miniſterij.

Confirmatur argumento à contrario ſenſu deducto ex ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti aſſertione, quia in tantum non poteſt vendi labor ille, qui intrinſecè adiungitur functioni ſacræ ſine labe ſimoniæ, in quantum ille eſt neceſſariò requiſitus, & connexus cum eadem ſacra functione, & inquantum non eſt vendibilis diſtinctè ab ipſo opere, ſeù functione ſacra, ſed labor ille, de quo hic loquimur, non eſt per ſe connexus cum ipſa ſacra functione, ſed tantum per accidens ratione alterius circunſtantiæ in gratiam eius, pro quo eadem ſacra functio impenditur, & eſt ſecundum ſe pretiò vendibilis independentèr ab eadem functione ſacra, ergo &c. Atque iuxtà hunc ſenſum loquuntur *Panormitanus in d. cap. ſignificatum de prabend. num. 8. Prapoſitus in cap. Iudices 1. quaſt. 1. Hoſtienſis in cap. quoniam Ne Prælati viceſ. ſuas, Iulius Clarus verb. ſimonia num. 2.* qui teſtatur de communi

Labor ille eſt tātum ratione extrinſeca circunſtantiæ annexus cū ſacro miniſterio.

Panorm. Præpoſitus. Hoſtienſ. Iulius Clarus.

Aſſertio III. Labor, qui coniungitur cum ipſo ſacro miniſterio per accidens ratione ſubiecti, non eſt vendibilis ſine labe ſimoniæ. Hic labor potiſſimum conſiſtit in eo, quod quis ratione ſeneſcentis ætatis, vel debilioris naturæ, & complexionis non poſſit, niſi cum maiori applicatione, potractione temporis, defatigatione ſacrum conficere, vel ſpirituale miniſterium obire, quod alij cum longè minori labore regularitèr obeunt. *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 21. num. 11.* 5

Explicatur quiſ ſit labor extrinſecus ratione ſubiecti.

Ratiò huius aſſertionis facilè ex eo deducitur, quod ille labor reſpectu talis perſonæ eſt neceſſariò connexus cum ipſo ſacro miniſterio, nec eidem maius ius confert, ac ſi illud, ſeù illam expleret cum eo labore, quem alij regularitèr ſolent in eiſdem impendere, quod clarè ex eo euincitur, quod talis labor non eſt æſtimabilis diuerſo pretio ab ipſo opere, nam maior æſtimabilitas, ſi qua eſſet, vel eſſet ex parte eius, in cuius gratiam illud miniſterium adimpletur, vel ex parte eius, qui adimplet; non ex parte primi; quandòquidem eidem nullam vtilitatem affert, ſiuè opus illud fiat, vel cum maiori, vel cum minori labore; quid enim mihi prodeſt v. g., quod opus aliquod fiat cum pluribus incommodis, vel cum minoribus, ſi ſecundum ſe eſt meritorium dumtaxat talis determinati lucri? non ex parte ſecundi, quia debet ſibi imputare, quod opus illud nequeat perficere, niſi cum maioribus incommodis, & labore, nec ob hanc rationem habet ius aliquid ſupra debitum operis exigendi, quandòquidem totus valor conſiſtit in ipſo opere, quod certè non pluris æſtimatur ex eo, quod factum fuerit cum maiori labore, & defatigatione, hoc etenim ſe tenet ex conditione operantis, non ex ipſa natura operis.

Suarez. *Ratione talis perſona eſt neceſſario connexus cum ſacro miniſterio*

Aſſertio IV. Obligatio, quam quis aſſumit efficiendi functionem aliquam ſacram pro alio, ſiuè ſit antecedens, ſiuè concomitans, quantum eſt ex ſe, & prout reſpicit præcisè ſpiritualitatem operis non eſt vendibilis. *Abbas in cap. ſignificatum de praben. num. 8. Caietanus verb. ſimonia reg. 5.* 6

Abbas. Caietanus.

Inno-

Innocentius. D. Thomas.

Innocentius in cap. 3. Ne Prælati vices ſuas, quod idem annuiſſe videtur *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 4. *ad primum*, vbi dixit, quod quamuis liceat vendere temporalia, *ordo tamen ad ſpiritualia ſub venditionem cadere non debet*.

Obligatio, prout reſpicit ſpirituale, æſtimationem ab illo accipit.

Probatur, quia obligatio, vt præciſè reſpicit ſpirituale, eſt eidem annexa, & ab illo accipit æſtimationem ſuam, ergo præciſè, vt talis non eſt vendibilis, ſicut non eſt vendibile ipſum ſpirituale. Antecedens probatur, quia talis obligatio eſt in ordine ad ſpirituale tanquam ad finem, ordo autem medij ad finem eſt cum eodem fine connexus, quinimmò ab eodem inſeparabilis. Conſequentia item ſic euincitur, quia non ſolum ſunt inuendibilia ipſa ſpiritualia ſecundum ſe, ſed etiam eiſdem annexa; & ſicuti labor ipſe, qui eſt neceſſario affixus operi, quantumuis ſint temporalis, propter connexionem, quam habet cum functione ſpirituali, non poteſt cadere ſub venditione, ita talis obligatio, quæ eſt annexa &c. non poterit &c.

Dices hæc, quæ dicuntur, verificari dumtaxat de obligatione concomitanti, quæ vtique ſeparari nequit ab ipſo opere, non autem de obligatione antecedenti, quæ vtique ab eodem poteſt ſeparari, vt videre etiam eſt in mutuo, pro quo, ſicut pro obligatione concomitanti nihil vltra ſortem poteſt accipi, quia hæc obligatio concomitans eſt indiſtincta ab ipſo mutuo, & tamen aliquid vltra eandem ſortem poteſt accipi pro obligatione ciuili præcedenti, cum hæc ab eodem mutuo ſit diſtincta. Sed contra, quia in primis falſum eſt aſſumptum paritatis, quandoquidem Sanctiſſimus D. N. Alexander VII. Pontifex Maximus damnauit tanquam ſcandaloſam, & Reipublicæ pernitioſam propoſitionem illam, qua dicitur. *Licitum eſt mutuanti aliquid vltrà ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem vſque ad certum tempus*, quod idem videtur dicendum, ſi ſe ſimpliciter obliget ad mutuandum.

Dânatio nes Alexandri VII.

Nô valet paritas de obligatione in mutuo, & in miniſterio ſacro.

Sed quidquid ſit de hoc aſſumpto paritas ex eodem deducta non ſubſiſtit, ſiquidem obligatio ciuilis aſſumpta ad mutuandum eſt in ordine ad merè temporalia, nempè ad ipſum mutuum, quod quamuis ſecundum ſe non ſit meritorium lucri, poteſt tamen propter rationes annexas tale lucrum inducere; obligatio verò administrandum in ſacris in fauorem alterius eſt in ordine ad merè ſpiritualia, quæ propterea, prout eſt præciſè in ordine ad illa, non poteſt aliud pretium exigere, ſed ad ſummum ſtipendium ſuſtentationis, & ſi eſt in ordine ad alia, tunc erit quidem compenſabilis, ſi illa alia ſint meritoria pretij, prout mox ſubdam. Tandem obligatio illa ciuilis mutuandi æſtimationem ſumit ab ipſo mutuo; non enim mutuans pro tali obligatione poteſt exigere lucrum ad arbitrium propriæ voluntatis, ſed ad proportionem oneris, quod aſſumit ex eodem mutuo, obligatio verò miniſtrandi ſacra non poteſt æſtimationem ſumere ab ipſis operibus ſacris, cum hæc ſint inæſtimabilia, adeòque &c.

Obligatio ciuilis mutuâdi æſtimationé accipit ab ipſo mutuo.

Dixi, *quantum eſt ex ſe, & prout reſpicit præciſè ſpiritualitatem*, nam, ſi in huiuſmodi obligationi interueniant aliqua onera temporalia, vtique in ordine ad illa poſſet exigi congruum pretium, vt ſi eſſet onus manendi in tali loco, expectandi ad talem, vel talem horam, carendi talibus, vel talibus commodis, alijſque occaſionibus lucrandi; hæc enim omnia digna ſunt mercede, ſeù compenſatione ſua; cauendum tamen eſt, ne huiuſmodi compenſatio, ſeù merces pro talibus oneribus, quæ aſſignatur tali obligationi, augeatur ex eo, quod ſit in ordine ad miniſterium ſpirituale, nam tunc talis exceſſus eſſet ſimoniacus; ex quo poteris efformare argumentum pro aſſertione ſic. Si quid exigeretur vltra quam quod exigant onera illa temporalia ratione muneris ſpiritualis eſſet ſimoniacum; quantumuis præceſſerit obligatio ad id munus obeundi, ergo etiam erit ſimoniacum quidquid exigitur pro obligatione ad idem ſpirituale, cum &c.

Si interueniant alia onera vtique illa ſunt compenſabilia.

Dices ſecundo, ergo ex hoc capite non poſſent Capitula, ſeù Conuentus Eccleſiarum obligari per legata, & anniuerſaria ad certa officia, vel ſacrificia ſingulis annis facienda; ſicque nec Parochi, nec Capellani poſſent exigere mercedem obligationis per eoſdem aſſumptæ conficiendi ſacra, & miniſtrandi populis ſacramenta, quod eſt contra communem vſum, & praxim Eccleſiæ, ſecundum quam huiuſmodi Sacerdotes locant quodamodò operas ſuas in ordine ad ipſa ſacra miniſteria obeunda. Sed contra, quia per talia legata, & anniuerſaria, ſi eadem acceptent, obligantur quidem ad talia munera obeunda; non tamen eadem legata recipiunt, vt pretium obligationis; ſed vt ſtipendium ſuſtentationis; vnde merito dicit *Suarez d. lib.* 4. *de ſimonia cap.* 21. *num.* 17. *in fin.* quod ſi talis obligatio ſic ſpectata venderetur, ſpirituale miniſterium etiam venderetur, vel vt res vendita, vel vt ratio venditionis; quod non eſt dicendum. Ad id, quod dicitur de locatione operarum dicendum eſt talem locationem aliud non importare, quam obligationem obeundi ſacrum miniſterium in fauorem alterius, quod miniſterium, ſicuti non eſt pretio æſtimabile, ita nec talis obligatio, ſi præſcindas ab alijs oneribus temporalibus, quæ quandoque

Suarez.

Eſt in ordine ad ſtipendium pro ſuſtentatione.

ipſum comitantur; Deindè eſt locatio impropria, quandòquidem non eſt in ordine ad pretium pro opere, ſed in ordine ad ſtipendium pro ſuſtentatione, vt ſuprà.

Pro complemento eorum, quæ in hac prænotione dicta ſunt, remanet explicandum, qualis ſit ille labor, qui per ſe venit ſimul cum opere ſacro, quique non eſt meritorius alicuius mercedis, & qualis ille, qui per ſe non venit cum illo, quique eſt compenſabilis pretio, quantumuis cum illo quandòque per accidens coniungatur. Statuunt ſibi aliqui tanquam regulam generalem illam, qua aſſerunt, illum dumtaxat laborem non eſſe pretio compenſabilem, qui intrinſecè coniungitur operi ſacro, vt eſt prolatio formæ in ſacramentis, applicatio materiæ, aliaque, quæ pertinent ad ſacros ritus in confectione huiuſmodi ſacrorum, reliquos verò labores, ſiuè antecedentes, ſiuè ſubſequentes eſſe pretio compenſabiles, & vendibiles. Sed non libens huic regulæ acquieſcit *Suarez loc. cit. n. 13.* propter eam rationem, quod ſic Sacerdos, ſeù adminiſtrator ſacrorum poſſet in multis pretium exigere, vt in diſceſſu à propria domo ad Eccleſiam pro celebratione, alijſque ſimilibus, quod tamen exiſtimat eſſe contra vſum Eccleſiæ, & bonos mores, & ſanè non immeritò, ſiquidem, ſi illa regula indefinitè ſubſiſteret quot lucra, quot pretia in ſacrorum adminiſtratione per Eccleſiæ miniſtros non acquirerentur cum vilipendio ſacrorum, cum populi admiratione, cum indecentia Sacerdotalis ordinis? Quamobrem tutius dicendum eſt illos dumtaxat labores eſſe pretio compenſabiles, qui non ex vi miniſterij per ſe, & moralitèr expetuntur, ſed tantum in caſu ratione circunſtantiarum, perſonarum, aut locorum, vt ferè ad verbum colligo ex eodem Suarez loc. cit., atque hoc exemplificat in multis caſibus, in quibus poteſt quandòque exigi pretium, quandòque non. Tu ipſe in eiſdem eundem conſule.

Quinam in particulari ſit labor qui per ſe venit cum opere ſacro, & quinam ille, qui per ſe non venit.

Suarez.

PRÆNOTIO XIX.

An actus priuati, honeſti, & ſpirituales ſint materia ſimoniæ.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ, & de quibus actibus procedat 1.

Orationes quantumuis priuatæ ſiuè ſint per modum meriti, ſiuè per modum ſatisfactionis, ſiuè per modum impetrationis ſunt materia ſimoniæ 2.

Pecunia, quæ traduntur pauperibus, vt orent, ſunt in eleemoſinam, & congruam ſuſtentationem 3.

Actus priuati ſupernaturales etiam, prout habent valorem ex opere operantis ſunt materia propria ſimoniæ 4.

NOn procedit quæſtio de actibus virtutum moralium ſecundum ſe naturalium, quandòquidem de ijs dictum fuit ſuprà, non eſſe propriè, & ſecundum ſe materiam ſimoniæ, ſed dumtaxat de actibus virtutum ſupernaturalium ſecundum ſe ordinatis ad finem ſupernaturalem, ſiuè ſint per modum meriti, ſiuè per modum impetrationis, ſiuè per modum ſatisfactionis. Sed, ne quæſtiones diutius protrahamus, ſub hoc eodem titulo comprehendemus tùm priuatas orationes, tùm quoſcunque actus virtutum particularium ſupernaturalium, non quidem, vt habent valorem ex opere operato, ſed ex opere operantis. Sit igitur 1

Ratio dubitandi quoad materiam.

Aſſertio I. Orationes quantumuis priuatæ ſiuè ſint per modum meriti, ſiuè per modum ſatisfactionis, ſiuè per modum impetrationis ſunt ſecundum ſe inuendibiles, & materia propria ſimoniæ. *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 3. *ad ſecundum. Suarez lib.* 4. *de ſimonia cap.* 15. *num.* 9. *Bonacina quæſt.* 4. §. 5. *num.* 3. 2

D. Thomas. Suarez, Bonacina.

Probatur, publicæ orationes ſunt ſecundum ſe inuendibiles, & materia propria ſimoniæ *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 3. *Redoanus part. prima cap.* 3. iuxta *cap. ad noſtram de ſimonia, & cap. cum in Eccleſia cap. non ſatis eod. tit.*; ergo etiam orationes priuatæ, prout ordinantur ad præcitatos fines, vel meriti, vel ſatisfactionis, vel impetrationis erunt inuendibiles, & materia ſimoniæ. Conſequentia tenet, quia ex quo orationes fiant priuatim, vel publicè non egrediuntur a propria ratione formali, & æquè ſunt ſpirituales tùm in ſe, tùm ratione finis, ergo &c.

D. Thomas. Redoan.

Orationes ſiuè fiant priuatim, ſiuè publicè non egrediuntur a propria ratione formali.

Dices, diſparem eſſe rationem, quià orationes publicæ fiunt à principio, & poteſtate ſpirituali, & ſupernaturali, ſiquidem fiunt nomine Eccleſiæ per poteſtatem miniſterialem ab ea conceſſam, & quaſi delegatam; non ſic orationes priuatæ, quæ fiunt priuata auctoritate orantis. Sed contra, quia in primis poteſtas orandi etiam priuatim, & meritoria procedit per fidem, & gratiam Spiritus Sancti, adeòque a principio ſupernaturali. Deindè dato etiam, quod non procederet a poteſtate iuriſdictionali Eccleſiæ, res non ſolum dicitur ſpiritualis ratione principij vniuerſalis iuriſdictionis Eccleſiæ, ſed ratione finis rei quoad ſubſtantiam procedentis a principio diuinæ gratiæ &c.

Poteſtas orãdi priuatim, & meritoriè procedit per fidem, & per gratiã Spiritus Sancti.

Hic non incongruè reſponderi poteſt ad nonnulla aduerſantium obiecta, quibus aſſerunt ſecundum communem praxim maximè

ximè approbatam ab Eccleſia pecuniam tradi pauperibus, Religioſis viris, alijſque, vt orent pro erogante, aliaque pia munera obeant. Item orationes eſſe quoſdam actus humanos humano labore præſtitos, & ſub hominis dominium cadentes. Reſ-
3 ponderi, inquam, poteſt pecuniam, quæ ſecundum communem praxim traditur pro orationibus Pauperibus, alijſque pijs viris non tradi, vt pretium, ſed in eleemoſinam, vel in congruam ſuſtentationem, eo modo quo traditur pro celebratione Miſſarum. Ad ſecundum dicendum quidem eſt orationes eſſe quidem actus humanos, ſed ſpirituales, & ſacros procedentes ex ſupranaturali principio, & ordinatos ad finem ſupernaturalem cultus diuini; Hæcque potiſſimum verificantur, ſi habeant rationem meriti, ſatisfactionis, & impetrationis, vt ſupra.

Pecunia, quæ traduntur pauperibus, & Religioſis pro orationibus traditur in eleemoſinam.

4 Aſſertio II. Actus priuati ſupernaturales etiam, prout habent valorem ex opere operantis, ſunt materia propria ſimoniæ. *Suarez lib. 4. de ſimonia cap.* 15. *num.* 10. *Ognate tract.* 23. *diſp.* 82. *ſect.* 8. *num.* 171. & eſt communis apud omnes.

Suarez. Ognate.

Probatur, quià huiuſmodi actus tùm ex parte principij, à quo procedunt, tùm ex parte termini, ad quem diriguntur, tùm ex parte modi, quo fiunt, ſunt ſpirituales ſupernaturales, ergo ſunt pecuniа inæſtimabiles, adeòque materia propria ſimoniæ. Antecedens ex eo euincitur, quod ſupponantur huiuſmodi actus non eſſe virtutum præciſè moralium naturalium, ſed ſupernaturalium, qui ex genere ſuo non poſſunt procedere, niſi a principio ſupernaturalizato, nec ordinari, niſi ad terminum ſupernaturalis beatitudinis; qui eſt finis omnium bonorum ſupernaturalium.

Arguitur tùm ex principio, à quo procedunt, tùm ex termino, ad quem diriguntur.

PRÆNOTIO XX.

An pro actibus ſpiritualibus ſoli operanti vtilibus poſſit pretium ab altero ſolui ſine labe ſimoniacæ prauitatis.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus difficultatis 1.

Non licet pretium erogare, vt quis in ſui fauorem opus exerceat ſpirituale, quod neceſſariò connectitur cum ſalute, ſecus autem, ſi non eſt ſimpliciter neceſſarium 2.

Poteſt licitè aliquod pretio æſtimabile conferri ad remouendum obſtaculum ad conuerſionem 3.

Poteſt licitè ſolui, vel promitti pretium pro huiuſmodi actibus per modum conuentionis expreſſa conditionata 4.

Non poteſt licitè ſolui pretium, nec promitti ea adiecta expreſſa conditione ex vtraque parte firmata, vt vterque ſit obligatus 5.

SEnſus difficultatis propoſitæ hic eſt, an poſſit quis alteri ſoluere pretium, vel erogare aliquod pretio æſtimabile, vt fiat Chriſtianus, Religioſus, Sacramenta frequentet, vitia, in quæ crebrò labitur, derelinquat, & his ſimilia. Circa quam difficultatem in varias adeò exceptiones, & diſtinctiones abierunt Doctores, vt controuerſiam ferè potius difficultatibus obuoluant, quam elucident. Hoſtienſis *in cap. dilectus* 2. *de ſimonia num.* 1. diſtinguit inter neceſſaria ad ſalutem ſimpliciter, & non neceſſaria abſolutè, ſed tantum ſecundum quid, & ad melius eſſe, adeò vt aſſerat; quod ſi quis erogat alteri pecuniam, vt baptiſmum recipiat, non committatur ſimonia, quod idem aſſerit quoad alios actus ſimpliciter neceſſarios ad ſalutem, committatur verò, ſi erogat pretium, vt fiat Religioſus, aliaque opera exerceat, quæ ex neceſſitate non connectuntur cum humana ſalute, licet aliquo modo conferant ad eandem. Abbas *in cap. cum in Eccleſia de ſimonia* diſtinguit, & aſſerit poſſe ſine labe ſimoniæ aliquid pretio æſtimabile erogari, ſi illud erogetur ad remouendum obſtaculum conuerſionis, ſecus verò ſi erogetur pro ipſo formali motiuo conuerſionis. Alij diſtinguunt, & aſſerunt poſſe ſine vitio conferri pro opere vtili tantum operanti, ſi ex alia cauſa illud opus ſit debitum, ſecus ſi ſit indebitum. Alij alia dixerunt, in quibus non vacat immorari. 1

Hoſtienſis.

Duplex opinio circa propoſitum titulum exponitur.

Abbas.

Aſſertio I. Opinio Hoſtienſis aſſerentis licere pretium erogare, vt quis in ſui fauorem opus exerceat ſpirituale, quod neceſſariò connectitur cum humana ſalute, ſecus autem, quandò ſimpliciter non neceſſarium eſt ad eandem, non eſt ſubſiſtens, nec validis rationibus roborata. *Suarez lib.* 4. *de ſimonia cap.* 16. *num.* 1. 2

Hoſtienſis. Suarez.

Probatur aſſertio, quia ratio neceſſitatis, & negatio eiuſdem neceſſitatis operis ad ſalutem non extrahit actum ſecundum ſe ſupernaturalem ſpiritualem a ratione ſupernaturalitatis, nec a ratione obiecti ſimoniaci, ſi vendatur, ergo ex eo capite, quod vnus actus ſit ſimpliciter neceſſarius ad ſalutem, alter non niſi ſecundum quid, ſeù ad melius eſſe, non ſit, vt pro illo pretium poſſit erogari, non pro iſto. Antecedens probatur; ex eo, quod ſacramentum baptiſmatis ſit neceſſarium ad ſalutem, & ſacramentum Pœnitentiæ poſt lapſum, & ſacramentum Confirmationis non ſit neceſſarium non tollitur, quin tàm duo prima, quàm ſecundum ſint propriè ſpiritualia ſupernaturalia, ergo ratio neceſſitatis, ſeù negatio eiuſdem &c. Conſequentia

Ex eo quod non ſit ſimpliciter neceſſarium ad ſalutẽ nõ extrahitur ab eſſe ſupernaturali.

etiam ſic euincitur, quià ſimoniaca labes per id ſolum conſtituitur, quod fiat contractatio ſpiritualis pro temporali, & neceſſitas, vel negatio neceſſitatis non eſt intra rationem formalem ſimoniæ, cum nullatenus in definitione exprimatur, ergo ex eo capite, quod vnus actus ſit ſimplicitèr neceſſarius, alter non &c. non fit &c.

3 Aſſertio II. Opinio Abbatis aſſerentis poſſe licitè aliquid pretio æſtimabile conferri ad remouendum obſtaculum, ſeù impedimentum ad conuerſionem, eſt iuſta. In eandem opinionem propendent *Felinus in d. cap. cum in Eccleſia de ſimonia: TurreCremata in cap. quam pio 23. quæſt. 4.* ipſumque maximè commendat *Suarez lib. 4. cap. 16. num. 2.*

Abbas. Felinus. TurreCremata Suarez.

Probatur, & explicatur ſimul, pro quo aduerte quem v. g. altiori diuinæ gratiæ excitantis auxilio promoueri ad ſuſcipiendum Baptiſmum, & vt ex infideli fiat fidelis. Suppone inſuper, quod ipſe tali excitatus auxilio per ſuæ voluntatis arbitrium diuinæ gratiæ aſſentiretur, ſed remoueatur dumtaxat ex temporalibus malis, quæ indè obuenirent, vt ſi teneatur diuitias, quas v. g. vſurariè acquiſiuit, deponere, oſtiatim victum quærere, patriam derelinquere, & his ſimilia. Suppone tandem per tertiam perſonam erogari certam pecuniæ quantitatem ad remouenda talia obſtacula, quibus detinebatur à conſecutione Baptiſmatis. Quibus pro explicatione ſuppoſitis aſſertio iam ſic probatur, quià talis erogatio pecuniæ eſt opus ſummæ charitatis, nec vllam præſefert labem ſimoniæ, nec infert iniuriam ſacramento, nec rebus ſacris, ergo &c. Probatur antecedens, quià talis erogatio eſt ex motiuo gratuitæ donationis, & beneficæ liberalitatis, quinimmò tali pacto allicere ad conuerſionem, alioſque actus virtutum, & ad vitiorum fugam eſt opus maximè commendabile tùm apud Deum, tùm apud homines, vt expreſsè docuit *Gloſa in d. cap. quam pio, & in cap. debet 23. quæſt. 4.* & cum non inuoluat pactum, non inuoluit etiam emptionem, nec venditionem, adeòque nec ſimoniam, & per conſequens nec irreuerentiam ſacramento, nec rebus ſacris, ſed potius eiſdem cultum, & venerationem, cum inducat ad illorum aſſecutionem.

Exponitur, in que ſenſu procedat aſſertio.

Eſt opus ſumma caritatis, nec irreuerentiam infert ſacramentis.

Gloſa.

Probatur ſecundò; quià huiuſmodi ſolutio, ſeù promiſſio ſolutionis non eſt in ordine ad ipſum actum formalem conuerſionis, ſed ad ipſa obſtacula, quæ procedunt ex motiuo merè naturali, & ſecundum ſe ſunt merè naturalia, ergo non eſt illicita, nec ſimoniaca. Antecedens quoad primam partem ſupponitur, quoad ſecundam ſic euincitur, quia huiuſmodi obſtacula conſiſtunt præcisè in amore diuitiarum, in timore ærumnarum, & ſimilibus, ſed tàm amor diuitiarum, quam timor ærumnarum ſunt quid merè temporale, ergo &c. Neque dicas, hæc omnia eſſe in ordine ad talem perſonam media ſaltem negatiua ad fidem conſequendam, & ſuſcipiendum baptiſmum, media autem ordinata ad aliquem finem ſortiuntur eandem rationem, qua afficitur ipſe finis; cum autem finis, ad quem ordinantur, ſit ſupernaturalis, cum ſit fides ipſa, ſeù baptiſmus, & ipſa non poſſunt eſſe, niſi ſupernaturalia, adeòque &c. Contra enim impugnaberis, nam huiuſmodi media non ſunt ex natura ſua ordinata ad eandem fidem, & baptiſmum, ſed tantum per accidens, & ratione circunſtantiarum, quæ in tali perſonæ concurrunt, adeoque non eſt, cur eandem rationem ſortiri debeant, quam ſortitur ipſe finis eo proportionali ratione, qua longum iter ad celebrandum in tali loco eſt quidem medium ordinatum ad talem celebrationem in tali loco, quià tamen per accidens, & non ex natura ſua cum ipſa coniungitur, non ſortitur eandem rationem cum eadem, & propterea pro ipſo itinere exigi poteſt iuſtum ſtipendium, quamuis nequeat exigi pro ipſa celebratione, niſi titulo congruæ ſuſtentationis, vtſuprà.

Non ſunt ordinata ex natura ſua ad talem finem.

Maior difficultas in eo conſiſtit, an in ordine ad eundèm actum formalem, vel conuerſionis, vel aliarum ſupernaturalium virtutum, ſiuè ſint opera ex præcepto, ſiuè ex conſilio, ſeù ſuperogationis poſſit conferri pretium aliquod, ſeù res pretio æſtimabilis non ſolum ex motiuo gratuitæ donationis, ſed etiam per modum expreſſæ conditionis ſine labe ſimoniæ. Pro quo aduerte, hanc expreſſam conditionem poſſe duplicitèr concipi, vel quatenùs abſolutè obliget vtrumque nempè promittentem pecuniam ad eandem erogandam, & promiſſarium ad adimplenda conuenta, vel quatenus non obliget, niſi conditionatè, ea ſcilicet ratione, vt ſi ille conuertatur ad fidem, vel exerceat alios actus virtutum ſupernaturalium, hic teneatur promiſſam ſolutionem adimplere, non teneatur verò, ſi ille non conuertatur, vel non exerceat &c.

Proponitur ſpeciale dubium in hac materia.

Vbi de duplici conditione.

Aſſertio III. Poteſt licitè ſolui, vel pro- 4
mitti pretium pro huiuſmodi actibus per modum conditionis expreſſæ iuxta ſecundum ſenſum mox expoſitum. Ita expreſsè *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 16. num. 14.*

Suarez.

Probatur primo, quia hæc conditio expreſſa iuxtà hunc ſenſum concepta non extrahit ſolutionem, nec promiſſionem à pura ratione gratuitæ donationis, ergo eandem non afficit aliqua labe, ſiuè iniuſtitiæ,

ſitiæ, ſiuè ſimoniæ. Antecedens probatur, quia talis conditio nec vim, nec iniuriam, nec obligationem infert illi, cui ſit ſolutio, vel promiſſio, quandòquidem ipſe poteſt annuere, ſi velit, & non annuere, ſi nolit, quinimmò eſt mera excitatio voluntatis eiuſdem ad amplectendum bonum ſibi vtile, quæ certè excitatio licita eſt; quis enim diceret, quod parentes excitantes voluntatem filiorum ad exercitium virtutum per exhibitionem, ſeù promiſſionem donorum in labem aliquam incurrerent ſimoniæ? Certe licet precibus, & etiam minis ad idem exercitium allicere, & excitare; & Deus ipſe non ſolum minis amouet à malo, ſed premijs etiam temporalibus excitat ad bonum.

Talis conditio nec vim, nec obligationē infert.

Dices, facta tali promiſſione bonorum temporalium quantumuis conditionata, ſi promiſſarius amplexus fuerit actus virtutum ſupernaturalium, & purificata huiuſmodi conditione per conuerſionem poſitam, actuſque virtutum exercitos obligatus remanet promiſſor ex iuſtitia ad talia bona promiſſa eroganda, ad quod conſtringitur ratione promiſſionis ab initio poſitæ, ergo non habet præcisè rationem gratuitæ donationis, ſed potius contractus onerosi innominati, licet ſolummodò conditionati, *Dabo, ſi feceris*, adeòque inducit propriè ſimoniacam prauitatem. Sed contra, quia etiam poſita promiſſione donationis obligatur promiſſor ad adimplendum promiſſum, nec tamen illa donatio deſinit eſſe pura donatio, quia procedit ex mero motiuo liberalitatis, cum nullum eſſet onus obligans ex iuſtitia ad illum ponendum, iuxta illud, quod prius erat voluntatis ex poſt facto eſt opus neceſſitatis; nec obeſſe poteſt id, quod ſubditur, quod ſit contractus onerosus, adeòque quod illa ſolutio, ſeù promiſſio non poſſit habere rationem donationis, cum non ſit libera, ſed cum onere ex parte alterius ponendi opus; non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem illa promiſſio non obligat ipſum ad ponendum tale opus, ſed adhuc remanet liber ad ponendum, vel non ponendum, vnde illa promiſſio ſe habet ſolummodò tanquam excitatiuum voluntatis ad ſe determinandam ad conuerſionem, alioſque actus virtutum. Quis enim diceret, quod Pater prouocans per promiſſionem munuſculorum filium ad benè, & ſalubritèr operandum, & ad euitanda vitia induceret obligationem ad ea munera? & quantumuis exercitis illis operibus teneatur promiſſa adimplere committat ſimoniam? Hoc certè eſt allicere ad operandum, non inducere obligationem operantis.

Illa promiſſio ſe habet ſolummodò per modū excitatiui voluntatis.

Cōfirmatur paritate Patris prouocantis filium per promiſſionem munuſculorū.

Probatur ſecundò paritate deducta à quodam teſtatore, qui condito ſuo vltimo teſtamento legauit cuidem perſonæ certam pecuniæ quantitatem ea expreſſa conditione, ſi Religionem ingreſſus fuerit, & profeſſus, quod certè legatum teſte *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 16. num. 14. in fine* omnes indefinitè approbant, nec vllus eſt, qui damnet ſimoniæ, vnde ſi legatarius ingreſſus fuerit, & profeſſus Religionem acquiret legatum, non acquiret, ſi non ingreſſus fuerit, & non profeſſus, ergo etiam &c.

Suarez.

Aſſertio IV. Non poteſt licitè ſolui pretium, nec promitti aliud pretio æſtimabile ea adiecta expreſſa conditione, ſeù conuentione ex vtraque parte firmata, vt promiſſarius ſit ciuilitèr obligatus ad fidem profitendam, ſuſcipiendam Religionem, alioſque actus virtutum ſupernaturalium ipſi ſolummodò valdè proficuos eliciendos *Bonifacius in cap. quam pio 23. quaſt. 4. D. Thomas quaſt. 100. art. 3. ad quartum. Valentia diſp. 6. quaſt. 16. punct. 2. dub. 3. Panormitanus in cap. cum dilectus 2. de ſimonia nu. 7. Felinus ibi num. 2. Antoninus ſecunda part. tit. primo cap. 1. §. 18. Silueſter verb. Religio 2. quaſt. 2. Medina in C. de reſtitutione quaſt. 27. in fin.* 5

Bonifac. D. Thomas. Valentia. Panorm. Felinus. Antoninus. Silueſter. Medina.

Probatur primò ex varijs iuribus, per quæ damnantur quæcunque pactiones, ſeù conuentiones rerum pretio æſtimabilium pro ſpiritualibus *cap. vlt. de pactis cap. quæſitum de rer. permut. cap. quam pio 23. quaſt. 4.* ſed in hypotheſi, de qua loquimur, propriè interuenirent conuentiones rerum temporalium pretio æſtimabilium pro ſpiritualibus, ergo &c.

Dices, per huiuſmodi iura damnari ſolummodò conuentiones, quibus qui dat, ſeù promittit aliquod pretio æſtimabile, recipit loco eiuſdem quid ſpirituale, per quod propriè ſit, vel commutatio, vel venditio per huiuſmodi, & alia iura prohibita; in caſu autem præſenti dans, ſeù promittens pecuniam, ſeù aliud pretio æſtimabile nihil recipit, cum totum id, quod reſultet ex opere, redundat in ſolam vtilitatem ipſius operantis, adeòque &c. Sed contra, quià huiuſmodi iura indefinitè prohibent quamcunque pactionem onerosam cum ſolutione, ſeù promiſſione pretij non diſtinguendo, an opus, pro quo illud pretium ſoluitur, ſeù promittitur, ſit in vtilitatem alterius, an eiuſdem operantis, & quidem congrua ratione id prohiberi decuit, ſiquidem ſemper verificatur, quod cum obligatione ciuili detur temporale pro ſpirituali, ex quo ſemper infertur iniuria, ſeù irreuerentia rei ſpirituali candem appretiando, & comparando cum re temporali, ad quod reſpexerunt huiuſmodi iura; ſecus, ſi requireretur, quod ſpirituale ſemper cederet in vtilitatem ſoluentis, ſeù pro-

Iura prohibet quācunq; pactionem obligatoriam ex vtraque parte ſine vlla reſtrictione.

promittentis pecuniam, non committeretur ſimonia, quotieſcunque quis ſolueret, ſeù promitteret in fauorem tertij, quandòquidem illud ſpirituale non cederet in propriam vtilitatem, ſed illius tertij, ſicque non committeretur ſimonia, quotieſcunque per mediatorem ſolueretur pro beneficio pretium alteri conferendo ipſo ignorante, quod eſt contra ſuperius dicta, & ſi committitur ſimonia, quandò ſoluit pecunia pro ſpirituali conferendo tertiæ perſonæ, cur non committetur, quandò ſoluitur pro eodem ſpirituali, quod cedere debeat in fauorem eiuſdem illud operantis?

Probatur ſecundò, ſi poſſet licitè conueniri de pretio, adeò vt non ſolum promittens teneatur ad ſolutionem promiſſi, ſed etiam promiſſarius ad adimplementum operis, pro quo facta fuit promiſſio, poſſet non ſolum conueniri de eodem pretio, vt quis baptizetur, ſed etiam, vt alterum baptizet; conſequens eſt contra communem ſenſum tùm Theologorum, tùm Canoniſtarum, & contra iura expreſsè prohibentia, ergo &c. Maior, in qua ſita eſt difficultas, ſic euincitur, quià non minus opus eſt omninò ſpirituale ſupernaturale baptizari, ac baptizare, ergo, ſi pro baptizare non poteſt conueniri de pretio, nec poterit conueniri pro baptizari.

Non minus eſt opus ſpirituale baptizare, & baptizari.

Aduerſus ea, quæ in hac vltima aſſertione dicta ſunt, nonnulla militant argumenta, vel ſita in eo, quod Deus etiam, vel præmia temporalia promittat bene operantibus, vel minis temporalibus remoueat a prauis operibus, vel in eo fundata, quod talis promiſſio nec mala ſit ex obiecto, nec ex fine, quandòquidem, id quod intenditur, bonum eſt, & etiam id, propter quod intenditur, cum ſit medium ordinatum ad vltimum finem ſupernaturalem, & ipſe vltimus finis. Sed ijs argumentis facilè poſſum occurrere aſſerendo, promiſſiones diuinas de bonis temporalibus non imponere onus adimplendi opus, pro quo fiunt promiſſiones, ſed vel ſupponere, vel Deum prius ponere præceptum, deinde promiſſione allicere ad eiuſdem adimplementum, vel comminatione pænarum ad illud promouere. Dici etiam poteſt *cum D. Thoma ſecunda ſecundæ quaſt. 122. art. 5. ad 4.* promiſſiones diuinas de temporalibus ſemper connecti cum conditione ſpirituali, ſi ſcilicet bona huiuſmodi temporalia ordinentur ad finem ſupernaturalis ſalutis, qua ratione non ſunt bona merè temporalia, ſed cadere poſſunt ſub meritum. Ad ſecundum dicendum eſt, nec obiectum, nec finem ſecundum ſe malum eſſe, eſſe tamen malum ſub modo, quo concipitur, & apprehenditur, quatenus intenditur pro pretio id, quod omninò eſt inappretiabile; ſic v. g. opera meritoria alterius ſibi applicanda, vel per modum meriti, vel per modum impetrationis, vel per modum ſatisfactionis non ſunt quid malum, nec in ſe, nec in obiecto, nec ex fine, ſi tamen intendantur pro pretio ſunt mala ex prauo modo, quo intenduntur, ſcilicet pro pretio &c.

D. Thomas.

Promiſſiones diuinæ de temporalibus ſemper connectuntur cum conditione ſpirituali.

PRÆNOTIO XXI.

An omiſſiones in ſpiritualibus ſint materia ſimoniæ.

SVMMARIVM.

Actus ſpirituales, de quorum omiſſionibus agitur alij ſunt liberi, alij neceſſarij 1.

Omiſſiones actuum ſupernaturalium omninò liberorum pertinentium ad poteſtatem ordinis non ſunt materia ſecundum ſe ſimonia, omiſſiones verò actuum ſpiritualium cadentium ſub præcepto ſunt peccaminoſa, non tamen ſimonia 2.

Nonnulla corrolaria ex dictis inferuntur 3.

PRocedit titulus tàm quoad omiſſiones in actibus communibus, & publicis ſpiritualibus ſupernaturalibus, quàm quoad eaſdem in actibus priuatis honeſtis ſupernaturalibus, ſiuè vtilibus determinatæ perſonæ, ſiuè ipſi operanti dumtaxat. De omiſſione actuum purè naturalium nulli dubium eſt, non committi ſimoniam, quandòquidem eadem omiſſio commenſuratur actui, cuius eſt omiſſio, ſicuti igitur non committitur ſimonia eliciendo actum illum pro pretio, ita nec committitur omittendo illum pro eodem, vel aliquo pretio. Difficultas igitur ſolum reducitur ad omiſſiones actuum ſupernaturalium, atque præcipuè hic controuertendum erit primò, an ſimonia committatur, ſi detur ſacerdoti pecunia, ne alicui ſacramentum pœnitentiæ adminiſtret. Secundò, ſi Parocho pretium detur, ne Epiſcopo deferat Parochianum, qui ſtatis temporibus pœnitentiæ ſacramentum, Euchariſtiamque non ſuſcepit. Tertiò, ſi examinatori, ne aliquam in examine approbet. Quartò, ſi Patrono, vel collatori, ne talem præſentet, vel eligat. Quintò, Epiſcopo, ne talem labe aliqua infectum excommunicet. Sextò Iudici, ne talem reum in cauſa præcipuè ſpirituali condemnet, & ſic diſcurrendo circà omiſſiones omnium ſpiritualium. Pro vberiori, & clariori notitia

Proponuntur rationes dubitandi, quæ ſub hoc titulo comprehenduntur.

Aduerte primò actus ſpirituales, de quibus poſſunt eſſe huiuſmodi omiſſiones, alios eſſe quodamodò liberos, quatenus poſſunt elici, & non elici ſine vlla prorſus malitia; alios eſſe quodamodò præceptos, & caden- 1

Actus ſpirituales duplices, nempe liberi, & neceſſarij.

eadentes ſub obligatione, qui propterea, ſi omittantur, inducunt in omittente noxam aliquam læthalem, vel contrà iuſtitiam, vel contrà obedientiam, vel contra aliam virtutem. Secundò huiuſmodi actus, quorum poteſt eſſe omiſſio, vel pertinent ad iuriſdictionem, vel ad ordinem. Tertiò, vel huiuſmodi omiſſiones fiunt præcisè per non poſitionem actuum, vel præſuppoſito actu poſitiuo, per quem voluntas determinetur ad non ponendum talem actum ſupernaturalem, ſeù ad ponendam omiſſionem ipſius. His pro notitia ſic expoſitis ſit

2 Aſſertio I. Omiſſiones actuum ſupernaturalium omninò liberorum pertinentium ad poteſtatem ordinis non ſunt materia ſecundum ſe ſimoniæ, omiſſiones verò actuum ſupernaturalium cadentium ſub præcepto ſunt verè peccaminoſæ, non tamen propriè ſimonia *Innocentius in cap. nemo* 8. *de ſimonia*, *Leſſius lib*.2. *cap*. 35. *dub*. 11. *Bonacina tract. de ſimonia quaſt*. 4. §. 9. *num*. 2.

Innocentius. Leſſius. Bonacina.

Probatur primò, nam, vel pretium, quod pro huiuſmodi omiſſionibus ſolueretur, eſſet in ordine ad euitandam aliquam prauitatem in actu, vel ad alterum aliqua vtilitate ſpirituali priuandum; quocunque ex his modis fiat nunquam committitur ſimonia, licet graue peccatum quoad ſecundum, ergo &c. Minor probatur. Quis enim diceret quem labe ſimoniaca inficì ex eo, quod volentem celebrare in peccato mortali à celebratione remoueat per exhibitionem pecuniæ? Quis ſubijceret tali noxæ eum, qui volentem miniſtrare indignè data pecunia ceſſare faceret à tali miniſterio? Hoc eſſet potiùs opus ſummæ pietatis, quàm turpitudinis; neque dicas, quod, quamuis ſit opus pietatis in ordine ad ſoluentem pecunias, ſit tamen labes in ordine ad eandem recipientem, & deſiſtentem ab opere, quandòquidem reciperet pro eo, pro quo non poſſet recipere *Abbas in cap. cum in Eccleſia de ſimon. nu*.8. *Redoanus* 1. *part. cap*.8. *num*.9.; contrà enim impugnaberis, quia, cum opus, de cuius omiſſione agitur, ſit, ſeù ſupponatur liberum, & non cadens ſub præcepto, & cum tunc non vendat vſum alicuius ſpiritualis doni, ſed tantum vſum propriæ libertatis, non poteſt propriè dici, quod contrahatur labes ſimoniaca, vt per ſe eſt manifeſtum. Quamobrem in hoc non libentèr acquieſco *Suarez lib*. 4. *de ſimonia cap*. 17. *num*. 8. qui tantum exiſtimat ſic omittentem, & recipientem pro omiſſione pecuniam eximi a labe ſimoniaca, quandò dumtaxat omittit prauitatem in actu, quem vult exercere, non autem quandò omittit totum actum, vt ſi volens indignè celebrare, & quod ſit in peccato mortali, deſiſtat ab indigna celebratione, quatenus prius conteratur, & confiteatur, & poſtea celebret, ſecus verò, ſi ſimplicitèr deſiſtat ab operatione; Non, inquam, libentèr acquieſco, quandòquidem illud pretium, quod perſolueretur eſſet pro vitanda ſacrilega prauitate in executione talis operis, & ſi pro ipſa prauitate tollenda poteſt pretium aliquod ſine ſimonia recipere, vt fatetur idem Suarez, cur non poterit etiam recipere pro omiſſione talis operis, cum ipſa omiſſio ſit ad tollendam eandem prauitatem in operatione? Certè melius eſt non ponere talem actum, quam ipſum ponere ſacrilegè; præcipuè cum non ſit opus præceptum.

Non eſt ſubijciendus ſimoniæ, qui volentem celebrare in peccato à celebratione remouet per pecuniã.

Abbas. Redoan.

Vedit dũtaxat vſũ propriæ libertatis.

Suarez.

Confutatur diſtinctio eiuſdem Suarez.

His ſic explicatis pro probatione primæ partis minoris iam deſcendo ad probationem ſecundæ, quia talis omiſſio non eſt in ſe nec quid ſacrum, nec quid ſupernaturale, ergo receptio pecuniæ pro illa non eſt ſimoniaca. Conſequentia tenet, quia ſimonia propriè non eſt, vbi non eſt contractatio ſpiritualis pro temporali. Sunt tamen hæ, & ſimiles receptiones peccaminoſæ, quandòquidem inducunt ad tranſgreſſionem præcepti adimplendi talia munera, quæ certè tranſgreſſio, vtpotè contra præceptum non tranſgrediendi, & contra virtutem obedientiæ inducit noxam læthalem, cum ſit in re graui.

Sunt tamen actiones peccaminoſæ, quamuis non ſimoniaca.

Probatur ſecundò aſſertio in vniuerſum, quia venditio actus ſpiritualis, & ſupernaturalis eſt ſimoniaca, ergo venditio omiſſionis eiuſdem non poteſt eſſe ſimoniaca. Antecedens non vertitur in dubium. Conſequentia probatur, quia inter oppoſita quando vnum ex illis eſt tale, oppoſitum eiuſdem non poteſt eſſe tale, cum hoc ſit conforme naturæ oppoſitorum, vt quod de vno enuntiatur, de altero negetur

Quod enũtiatur de vno ex contrarijs debet negari de altero.

Ex ijs, quæ dicta ſunt, deduces primò, nec eſſe ſimoniacum ſoluentem, nec recipientem pecunias pro omiſſione celebrationis ſacri, quamuis vterque peccato ſubiaceat, ſi onus ex præcepto, vel conuentione præcedenti erat celebrandi. Secundò nec eſſe ſimoniacum Epiſcopum, qui recepit pecuniam, ne aliquem ordinet *Suarez lib*.4. *de ſimonia cap*.17. *num*. 11. & ratio eſt, quia omiſſio illa eſt vſus, vel abuſus propriæ voluntatis, & non alicuius poteſtatis, aut gratiæ ſupernaturalis. Tertiò non eſſe ſimoniacum Parochum, qui ex vi proprij muneris tenetur celebrare Miſſam, ſi omittat celebrare accepto pro tali omiſſione pretio, quidquid in contrarium dixerit *Vgolinus tab*. 1. *cap*.42. §.2. & 3. & ratio eſt, quia huiuſmodi omiſſio, quantumuis ſit aliquo modo iniurioſa, non eſt tamen ſpiritualis, nec actus aliquis ſupernaturalis iuriſdictionis, & quamuis actus ipſius ſit

Suarez.

Non eſt ſimoniacus Epiſcopus, qui pecuniam recipit, ne aliquem ordinet.

Vgolin.

ali-

Nec Parochus, qui omittit celebrare.

aliquo titulo debitus, non tamen per hoc ipſius omiſſio conſtituitur in eſſe ſpirituali, ſed ſolummodò addit omiſſioni turpitudinem peccati contrà virtutem, ratione cuius talis actus eſt debitus. Quartò, non

Nec qui deſinit denuntiare peccatorē, quamuis denuntiare teneatur.

eſſe ſimoniacum, qui quantumuis obligatus ad denuntiandum peccatorem accepto pretio deſinit denuntiare, etiam ſi omiſſio denuntiationis cederet in publicum detrimentum, quia nec in ſe, nec ratione obligationis annexæ euadit talis omiſſio ſpiritualis ſupernaturalis; nec vim aliquam habere poteſt contrà ea, quæ hic dicuntur, textus *in cap. nemo de ſimonia*, vbi pluribus præactis dicitur. *Nec quemquam pœnitententem, vel minus dignè pœnitentem gratia, vel fauore ad reconciliationem adducat, & teſtimonium reconciliationis ferat eidem, vel quocunque liuore dignè pœnitentem à reconciliatione remoueat, quid ſimoniacum eſt vtrumque*. Non, inquam, vim aliquam habere poteſt, quia, vt bene notat *Suarez loc. cit.* textus ille *in cap. nemo* duas habet partes; in quarum prima, quæ in-

Explicatio textus in c. nemo de ſimonia.

cipit a verbo *nemo*, & proſequitur vſque ad *nec quemquam* nulla prorſus adeſt particula importans ſimoniam; in ſecunda verò, quæ incipit ab illa particula, *nec quemquam*, vſque ad finem inuoluitur quidem ſimonia, cum ibi expreſsè dicatur, *quid ſimoniacum eſt vtrumque*, ſed hæc verba non referuntur ad priorem clauſulam, quæ ſolum imponunt onus denuntiandi publicum peccatorem Epiſcopo, vel miniſtris eius, quod præcipuè enuntiatur per illud verbum, *vtrumque*, quod duo tantum importat, quæ duo certè intelligi debent de immediatè, & proximè præcedentibus quæque conſiſtunt in reconciliatione pœnitentis propter pecuniam, gratiam, aut fauorem humanum, & in negatione eiuſdem reconciliationis, de qua erat dubium, an ſimoniaca eſſet, nec ne, & Pontifex ibi declarat eſſe ſimoniacam, dum dicit, *quid vtrumque eſt ſimoniacum*.

Suarez. D. Thomas. Gloſa. Paludan. Sotus.

3 Aſſertio II. Omiſſiones actuum ſpiritualium procedentes a poteſtate iuriſdictionis poſſunt eſſe, & regularitèr ſunt materia ſimoniæ *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 22. num. 2.*, & in hoc ſenſu præciſè exiſtimo locutos *D. Thomam ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 3. ad quartum, & in quarto diſt. 25. quæſt. 3. art. 2. quæſt. 2. ad ſextum, Gloſam in d. cap. nemo de ſimonia in verbo vtrumque Paludanum d. diſt. 25. quæſt. 5. Supplementum Gabrielis quæſt. 2. art. 1. not. 4. Sotum de iuſt. quæſt. 6. art. 2. ad tertium*.

Iura in quibus innititur aſſertum.

Probatur primò *ex dicto cap. nemo de ſimonia*, vbi negatio abſolutionis - Ibi - *vel quocunque dignè pœnitentem à reconciliatione remoueat* ſimoniaca aſſeritur - Ibi - *quid vtrumque eſt ſimoniacum*, ſed talis negatio reconciliationis prouenit à poteſtate iuriſdictionis ſpiritualis, ergo &c. Secundò ex illo Chriſti Domini in Euangelio. *Quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum, & in Cælis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cælis*, vbi per ly *ligaueris* intelligitur negatio ſolutionis, quæ fit per omiſſionem.

Omiſſio ipſa eſt vſus ſpiritualis poteſtatis.

Probatur tertiò ratione, quià talis omiſſio eſt quidam vſus, & quidèm vſus ſpiritualis poteſtatis, ergo illius venditio pro pretio temporali ſimoniaca eſt. Antecedens probatur, quia talis omiſſio eſt quædam participatio diuini iudicij ſupernaturalis maximè in foro pœnitentiæ, quandòquidem facultas à Deo data non ſolum eſt ad ſoluendum, ſed etiam ad ligandum, quod conſiſtit in omiſſione ſolutionis. Conſequentia etiam ſic euincitur, quia venditio vſus ſpiritualis poteſtatis eſt venditio alicuius ſpiritualis pro temporali; quid enim eſt vendere illam omiſſionem, niſi virtute vendere ipſam iuriſdictionem ſpiritualem? nec ipſa omiſſio in tali genere aliquam habet æſtimationem, niſi quatenus aliquo modo eſt ab ipſa iuriſdictione ſpirituali, ergo ſi fiat pro pretio non poterit eſſe, niſi ſimoniaca; Neque dicas iuxtà ſuperius dicta, illam omiſſionem, cum ſit pura negatio actus ſupernaturalis non poſſe eſſe ſupernaturalem propter naturam oppoſitorum, in quibus, quod de vno enuntiatur, debet de altero denegari, quinimmò nec poteſt eſſe actus iuriſdictionis, cum nihil abſolutè ſit, adeòque nullius roboris; contrà enim impugnaberis, quià omninò gratis dicitur, quod illa omiſſio

Illa omiſſio non eſt mera negatio poteſtatis, ſed actus ſupernaturalis.

ſit mera negatio actus ſupernaturalis, nam licet entitatiuè loquendo ſit non poſitio actus, moralitèr tamen loquendo eſt vſus talis poteſtatis ſupernaturalis, quatenus talis facultas non eſt ad merè agendum, ſed etiam ad ceſſandum ab actione, ſicque ratione iuriſdictionis, vi cuius talis actus denegatur, habet vim quandam moralem ad plures effectus morales, in quo ſenſu aſſerit

Suarez.

Suarez loc. cit. num. 9. quod illa omiſſio non eſt mera negatio, ſed quædam priuatio realis, quæ etiam inuoluit vſum ſupernaturalis poteſtatis; Hæcque potiſſimum verificantur, quia regularitèr illa omiſſio ſupponit actum poſitiuum, qua vendens dicit, *nolo abſoluere, nolo conferre &c.*

Diſcrimē inter præſentia, & futura.

Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt habes primò diſcrimen, quod intercedit inter ea, quæ allata ſunt in ſuperiori aſſertione, & ea, quæ adducta ſunt in præſenti; illa etenim ſunt præciſe vſus libertatis, ſeù voluntatis eius, qui omittit; hæc autem ſunt vſus ſupernaturalis poteſtatis, & iuriſdictionis. Habes ſecundò omittentem abſolutè audire alicuius confeſſionem pro

pre-

pretio non eſſe ſimoniacum, benè tamen illum, qui audita confeſſione pro pretio ſibi oblato denegat abſolutionem. Ratio eſt, quià prima omiſſio eſt præcisè vſus propriæ voluntatis, etiam ſi omittens teneatur non omittere iuxtà ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt, ſecunda autem eſt vſus iuriſdictionis ſupernaturalis, adeòque &c. Quod autem hæc ſit vſus ſupernaturalis iuriſdictionis, non illa ſic euincitur, quià hic denegando abſolutionem audita confeſſione implicitè ſaltem exercet iudicium ſacramentale, non ſic ibi, vt per ſe patet. Habes tertiò denegantem licentiam ſubdito pro pretio, vt alteri confiteatur probabilius ſimoniam committere, vt ſuſtinent *Suarez. loc. cit. nu. 16. Vgolinus tab. 1. cap. 36. num. 3.* quià per talem denegationem exercet actum iuriſdictionis ſpiritualis, à qua iuriſdictione auctoritatem accipit denegatio illa, ne petens actum exerceat, quem legitimè poſtulat.

Suarez.

Quamobrem pro certa, & generali regula tenendum eſt negationem actus ſupernaturalis tunc ſemper eſſe ſimoniacam, quandò per ipſam moraliter exercetur iuriſdictio ſpiritualis, ſecus autem quandò præcisè exercetur vſus propriæ voluntatis denegantis, quod cautè vnuſquiſque conſiderare debet in huiuſmodi omiſſionibus; non enim vacat pro vnaquaque in particulari fuſam hic intexere diſputationem, atque per hæc conciliare quodamodo exiſtimo opiniones, quæ videntur ſecundum ſe extremè oppoſitæ.

Aliud eſt exercitiũ iuriſdictionis ſpiritualis, aliud vſus propriæ libertatis.

PRÆNOTIO XXII.

An diſpenſationes in votis, iuramentis, impedimentis &c. ſint materia ſimoniæ.

SVMMARIVM.

Pro diſpenſationibus, quæ fiunt à Prælatis inferioribus Papa, ſi aliquod accipiatur pretio æſtimabile committitur ſimonia 1.

Romani Pontifices exigentes aliquod pro huiuſmodi diſpenſationibus non exigunt, vt pretium diſpenſationis, ſed ob alias cauſas, & quaſnam 2.

Probabilius Romani Pontifices recipientes pretium pro huiuſmodi diſpenſationibus formaliter ſumptis contraherent ſimoniam, licet non ſubiacerent pœnis iuris 3.

Alij Prælati inferiores in ijs diſpenſationibus illud recipere nequeunt, quod recipit Pontifex 4.

Diſpenſationes quoad ea, quæ iuriſdictionis mere temporalis ſunt non ſunt materia ſimoniæ 5.

Titulus propoſitus examinari poteſt, vel in ordine ad Prælatos inferiores, quibus, vel à iure, vel a priuilegio conceſſa eſt huiuſmodi poteſtas diſpenſandi, vel in ordine ad Romanum Pontificem, cui competit plenitudo poteſtatis in miſtico corpore Eccleſiæ. Porrò procedit titulus potiſſimum in ordine ad diſpenſationes iurium ſpiritualium, & Eccleſiaſticorum, quamuis ex occaſione etiam inquiretur in diſpenſationibus quoad ea, quæ iuriſdictionis merè ſæcularis ſunt.

In ordine ad quas perſonas poſſit examinari titulus.

Aſſertio I. Pro diſpenſationibus, quæ à Prælatis inferioribus Papæ fiunt in iuribus ſpiritualibus, puta in votis, iuramentis, & ſimilibus, ſi aliquid pretio æſtimabile accipiatur, committitur propriè ſimonia *Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 9. num. 57. Archiepiſcopus Florent. in ſecunda part. ſimoniæ tit. primo cap. 5. §. 17. verſ. vnde non licet. Angelus in verb. ſimonia 3. in fin. Sotus de iuſt. & iur. lib. 9. quæſt. 6. art. 2. in reſp. ad tertium argumentum.* 1

Leſſius. D. Antoninus. Angelus. Sotus.

Probatur primò, quià huiuſmodi diſpenſationes ſunt actus ſpiritualis iuriſdictionis, ergo, ſi aliquid pro eiſdem erogetur, committetur propria, & rigoroſa ſimonia. Antecedens probatur, quia diſpenſatio ex ipſa vi nominis eſt iuris communis relaxatio facta cum cauſæ cognitione *Gloſa in cap. requiſitis §. niſi rigor 1. quæſt. 7. Quint. Mandoſ. in tract. de ſignat. grat. in tit. Diſpenſationes*; ad eum autem ſpectat relaxare, ad quem ſpectat conſtituere *arg. l. nihil tam naturale ff. de reg. iuris, & l. 3. ff. de re iud.* ſicuti igitur iuriſdictionis ſpiritualis eſt conſtituere, ita & eiuſdem debet eſſe diſpenſare. Conſequentia etiam facile deducitur, quià actus ſpiritualis iuriſdictionis per ſuperiùs dicta cadunt ſub diſpoſitione legum prohibentium ſimoniam.

Sũt actus ſpiritualis iuriſdictionis.

Probatur ſecundo ex diſpoſitione *Concilij Trident. cap. 18. ſeſſ. 25. de reformatione,* vbi prohibetur pro huiuſmodi diſpenſationibus aliquid pretio æſtimabile exigi, ſed gratis voluit concedendas, quod non alia ratione arbitror ſtatuiſſe, niſi quia ſunt actus ſpiritualis iuriſdictionis, & quamuis huic concilij diſpoſitioni poſſit facile reſponderi, non ideò pro huiuſmodi diſpenſationibus prohibitam eſſe exactionem, ſeù erogationem pecuniæ, quia ipſæ ſint materia ſimoniæ, ſed quià non deceat eaſdem facere venales propter incommoda, quæ inde orirentur, nihilominus, ſi attendantur ſecundum rationes, quas in ſe inuoluunt non leue ingerunt fundamentum aſſerendi, quod radicalitèr talis prohibitio reſpexerit contractationem rei ſpiritualis pro temporali;

Quædam efficax congruentia deducitur ex Conc. Trid.

Aſſertio II. Romani Pontifices exigentes aliquid pro huiuſmodi diſpenſationibus 2

non exigunt, vt pretium diſpenſationis, ſed vt congruam ſuſtentationem miniſtrorum, quorum miniſterio vtitur in eiſdem, vel vt penam, ſeù mulctam quandam, ne homines alacriores ſint, & faciliores ad huiuſmodi diſpenſationes petendas *Rebuffus in praxi benef. in reg. de diſpenſatione gloſ.5.num. 13. Gulielmus Redoanus de ſim. 1.part. num.21. Leſſius lib.2. de iuſt. cap. 35. dub. 9. num. 58.*

Rebuffus. Redoan. Leſſius.

Probatur quoad primam partem, quià probabile non eſt Romanos Pontifices, qui tot decretis, & ſub tot pænis conati ſunt è mundo euellere peſtiferam hanc labem, voluerint poſteà in ſe ipſis approbare recipiendo pro huiuſmodi diſpenſationibus ſtipendium, ſeù pretium, quinimmò cum Pontifices approbarint omnia, & ſingula decreta Concilij Tridentini, quibus præcipuè vetitum eſt pro huiuſmodi diſpenſationibus pretium exigi, videntur illorum vi ſaltem directinæ ſubiacere, ergo illud, quod exigitur non eſt formalitèr pretium earundem diſpenſationum.

Non eſt pobabile Pontifices in ſe ipſis approbare, quod negant alÿs.

Probatur autem quoad ſecundam partem, quià maximè æquitati conſonum eſt, vt qui alicui muneri ſecundum ſe pretio æſtimabili deſeruiunt ex eodem, ſeù ex vi eiuſdem congruam exigant ſuſtentationem ea proportionali ratione, qua dicitur, quod qui altari ſeruit, de altari viuere debet, & ſicuti in mutuis, quæ in Montibus Pietatis fiunt, quamuis ſecundum ſe lucratiua non ſint, nullo reluctante poteſt aliquid vltrà ſortem, vt ſtipendium miniſtrorum, ſeù in congruam ſuſtentationem eorundem miniſtrorum exigi, ità in diſpenſationibus huiuſmodi, de quibus loquimur, poterit aliquid iuſtè exigi, licet non pro ipſis formalitèr, pro congrua tamen ſuſtentatione officialium, qui inſeruiunt pro illarum executione.

Labori, & obſequÿs non eſt denegàdum emolumentum.

Probatur quoad tertiam partem, quià valdè conſonum rationi eſt, vt quominus fieri poſſit, ponatur diſcordantia à iure communi, & omni, quo fieri poſſit modo, impediatur facilitas, & procliuitas hominum ad declinandum ab eodem iure communi, ergo Pontifices, ad quos præcipuè pertinet ius commune ſeruare indemne, iuſtè potuerunt ſtatuere ad remouendum pænam aliquam etiam pecuniariam, vt qui voluerint ab eodem iure communi recedere teneantur eandem ſoluere, quam poſteà poſſint ijdem Pontifices in pias cauſas diſponere, & erogare, ergo cum per diſpenſationes diſcordantia ponatur a iure communi ad remouendum homines ab impetratione earundem iuſtè ſtatuiſſe præſumendi ſunt Pontifices talem mulctam &c.

Decet nullitas ſtatura, vt remoueãtur homines eſt diſſonàtia à iure communi.

Hic duplex oritur difficultas, quarum prima eſt, an Pontifices potuerint, & poſſint exigere taxatam, vel aliam pecuniæ ſummam pro ipſis diſpenſationibus formalitèr ſine aliqua labe ſimoniæ præſcindendo a congrua ſuſtentatione miniſtrorum, & a mulcta illa mox expoſita. Quidquid 3
aliqui in contrarium aſſeruerint, dicendum eſt Pontifices nec potuiſſe, nec poſſe ſine labe ſimoniæ pro ipſis diſpenſationibus formalitèr ſumptis præſcindendo ab alijs iuribus pretio ſecundum ſe meritorijs taxatam, vel aliam ſummam exigere. Ità videtur ſentire *Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 9. num. 58.* dum aſſerit poſſe Pontificem a ſimonia excuſari, etiam ſi cauſa diſpenſationis aliquid accipiat, modo illud non accipiat in pretium diſpenſationis. Ratio eſſe poteſt, quià ipſa diſpenſatio in talibus iuribus eſt materia ſimoniæ iure diuino prohibitæ, ergo, ſi fiat pro pretio etiam per Romanum Pontificem, inducet propriè ſimoniam, cum Pontifices etiam ſubiaceant diſpoſitionibus iuris diuini. Antecedens probatur, quia talis diſpenſatio eſt vſus ſpiritualis iuriſdictionis a Deo immediatè procedentis, ſed vſus ſpiritualis iuriſdictionis eſt materia ſimoniæ iuris diuini, ergo &c. Hic tamen aduerte, quod quamuis Romani Pontifices contraherent in hac hypotheſi labem ſimoniacam, non tamen ſubiacerent pænis iuris poſitiui, quandòquidem in ijs, quæ iuris poſitiui ſunt, Pontifices habent plenam poteſtatem diſpenſandi, nec eiſdem ex neceſſitate ſubiacent.

Leſſius.

Diſpenſatio eſt vſus ſpiritualis iuriſdictionis à Deo immediatè conceſſa.

4 Secunda difficultas eſt, an alij Prælati inferiores Romano Pontifice ex ijs titulis, quibus Romanus Pontifex aliquod pretio æſtimabile exigit pro huiuſmodi diſpenſationibus, poſſint illud idem, vel quid ſimile in ijs, in quibus diſpenſandi habent facultatem, exigere. Tutius crederem eoſdem illud non poſſe exigere *Nauarrus in conſ. 18. num. 3. de pænit. & remiſ. Vgolinus tab. 1. cap. 42. num. 5.* Ratio eſſe poteſt, quia ſpiritualia omninò gratis purè, & ſimplicitèr, & proſcripto quocunque modo dari debent, vt dicitur *in cap. fin. de pactis, & ibi gloſ. & Canoniſtæ communitèr*, ſed tali iuris diſpoſitioni omnes ſubiacent excepto Romano Pontifice *cap. 1. & fin. de conſtit.* ergo &c.

Nauarrus. Vgolin.

5 Aſſertio III. In diſpenſationibus quoad ea, quæ iuriſdictionis merè temporalis ſunt non committitur ſimonia, ſi pro illis aliquid pretio æſtimabile exigatur *Abbas in cap. 1. num. 1. & in cap. 2. num. 2. Ne Prælati vic. ſuas, qui pro ſe citat Innocentium, & Hoſtienſem. Vgolinus in d. tab. 1. cap. 42. num. 6.*

Abbas. Innocentius. Hoſtienſis. Vgolin.

Probatur, quia vſus iuriſdictionis merè temporalis non eſt materia ſimoniæ per ea, quæ ſupra latè tradidimus, & conſentiunt communitèr Doctores, ergo ſi pro diſpenſationibus, quæ ſunt vſus talis iuriſdictio-

dictionis aliquid exigatur non committitur ſimonia, cum hæc ex genere ſuo ſit contractatio rei ſpiritualis pro temporali. Verum tamen eſt, quod non rarò exigendo quid pro huiuſmodi diſpenſationibus iniuſtitia committatur, vt ſi v. g. teneatur Princeps gratis diſpenſare; Neque huic aſſertioni obeſſe poteſt textus *in cap. 2. n. 2. Ne Prælati vic. ſuas*, vbi Gloſa *Et vbicunque Epiſcopus aliquid gratis facere debet ratione officij, ſi aliquid exigat, ſimoniam committere videtur, maximè cum iuriſdictio ſit ſpiritualis*, vbi nota illam particulam, *maximè*, quæ, cum ſit ampliatiua, ſupponit caſum vltrà illum, quem ampliat, quaſi quod dicat Epiſcopum ſimoniam committere, vbi facit aliquid, quod ſit iuriſdictionis ſæcularis, & præſertim cum iuriſdictio ſit ſpiritualis; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià in primis dictum illud Gloſæ eſt ſingulare, nec firmis iuris, & rationis innixum fundamentis. Deindè illa particula, *maximè*, non refertur ad iuriſdictionem merè temporalem tanquam ad ſuum correlatiuum, ſed ad factum ipſum, quod ſupponitur ſpirituale, adeò vt ſenſus ſit, Simoniam Epiſcopum committere, ſi aliquid agat, quod ad ſuum officium pertineat, præſertim, ſi ſit iuriſdictionis ſpiritualis, quia tunc talis actio non ſolum eſt ſimoniaca ratione facti, ſed etiam ratione talis iuriſdictionis.

Illa particula, maximè, non refertur ad iuriſdictionem merè temporalem.

Ex dictis inferes, Iudicem ſæcularem non committere ſimoniam, ſi ſententiam vendat in rebus purè temporalibus, quamuis iniuſtitiam contrahat. Ratio eſt quoad primam partem, quia vſus talis iuriſdictionis, quam exercet per illam ſententiam, non eſt quid ſpirituale, nec ſpirituali annexum, ergo illius venditio non eſt ſimoniaca. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſententiam illam tenetur ferre, ſi iuſtitia ita exigat, ergo non poteſt pro illa pretium exigere.

PRÆNOTIO XXIII.

An beneficia Eccleſiaſtica ſint materia ſimoniæ de iure diuino, an tantùm Eccleſiaſtico.

SVMMARIVM.

Illa duo iura, quæ ſunt in Eccleſiaſticis beneficijs ad ſpiritualia, & ad temporales prouentus ſunt per Pontificem ſaltem virtualiter ſeparabilia 2.

Suppoſita illa ſeparabilitate, factaque ſeparatione ſiuè formali, ſiuè virtuali non eſt ſimonia contrà ius diuinum conferre beneficium intuitu temporalis commodi pro pretio, vel cum reſeruatione penſionis; nulla facta ſeparatione eſt ſimonia contrà ius diuinum 2.

Ius illud ſeparandi ius ad temporales prouentus à beneficio ſolum reſidet penès Romanum Pontificem 3.

Nonnulla argumenta proponuntur aduerſus aſſertionem, & ſoluuntur 4.

Quæ hactenùs dicta ſunt, intelliguntur ſeruata debita proportione ſiuè de beneficijs ſimplicibus, ſiuè de curatis 5.

IN beneficijs Eccleſiaſticis duo potiſſimum conſideramus, & titulum quoad ipſum ſpirituale ius, quod includunt, & ius ad temporales prouentus, quod eſt in ipſis, prout latè ſupra diſſeruimus. De beneficijs quoad titulum primo modo ſumptis vix poteſt eſſe ratio dubitandi, quandòquidem certum eſt, eſſe materiam ſimoniæ iuri diuino oppoſitæ iuxta ea, quæ latè diximus *tom. 2. ſub tit. Contractus VI. de permutatione in Diſquiſ. §. 17. num. 2.* & in hoc conſentiunt *Caietanus ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art. 4. Suarez lib. 4. de ſim. cap. 34 Silueſter verb permutatio 2. quæſt 6. Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 84. ſect. 6. num. 106. Adrianus quodlib. 9. cap. vlt. Couarruuias 1. var. cap. 5. num. 8.* eſt etenim talis titulus ſemper ſpiritualis *cap. dilecto de præben. cap. Clerici 1. quæſt. 2. & cap. quantum ſit graue de Decimis, & cap. cauſam, quæ de Preſ.*, quæ adeò vera ſunt, vt vendere beneficia quoad hoc ius ſit ab intrinſeco malum, & a Pontifice etiam Romano indiſpenſabile; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur inſtitutionem Eccleſiaſticorum beneficiorum inductam eſſe ex inſtitutione Eccleſiæ. Pontifex autem in ijs, quæ ex Eccleſiæ inſtitutione inducta ſunt, poteſt diſpenſare; non, inquam, obeſſe poteſt, quia beneficia Eccleſiaſtica quoad illum titulum, de quo loquimur, ſunt ſpiritualia quoad ius etiam diuinum in ſubſtantia, quia vel eſt iuriſdictio, vel ſpiritualis aliqua functio, quæ a Chriſto Domino procedit. Deinde dato etiam, quod ex inſtitutione Eccleſiæ fuerint beneficia Eccleſiaſtica introducta, non benè ſequitur, quod facta tali inſtitutione non ſint materia ſimoniæ de iure diuino; Sicuti ſacramentalia inducta ſunt per Eccleſiaſticam inſtitutionem, & tamen poſtquam inducta ſunt, ſunt materia propria ſimoniæ de iure diuino.

Beneficiũ quoad titulum eſt materia ſimoniæ de iure diuino prohibita.

Caietanus. Suarez. Silueſter Ognate Adrianu Couarru.

Sacramentalia ſunt materia ſimoniæ de iure diuino.

Tota igitur difficultas reducitur ad beneficia quoad illud ius, quod in ipſis eſt ad temporales prouentus, & reditus, an ſcilicet quoad illud ſint materia ſimoniæ iuris diuini, an tantum humani; circa quam tres inuenio potiſſimum opiniones; Prima aſſerit, eſſe materiam ſimoniæ iuris diuini naturalis, adeòque ſimpliciter indiſpenſabilis *Durandus in 4. diſt. 25. quæſt. 5. Palu-*

An beneficia Eccleſiaſtica quoad ius ad temporales prouentus ſit materia ſimoniæ de iure diuino.

Triplex quoad hoc ſententia. Durand. Adrianus Alenſis. D. Antoninus, Caietanus, Coaruu, Felinus, Decius, Nauarrus, Panorm.

danus in 4. quaſt. 4. à num. 24. Adrianus quodlib. 9. ad 5. princip, Alenſis ſecunda part. quaſt. 167. memb, 3, art. 2. D. Antoninus cap. 5. §. 22. Caietanus tom. 2. opuſc. tract. 9. quaſt. 1. Coaruuias in reg. peccatum part. 2. § 8. num. 8. ſub fin. Secunda aſſerit eſſe materiam ſimoniæ iuris dumtaxat humani, & à Pontifice diſpenſabilem *Felinus in cap. ex part. 1. de offic. deleg. Cardinal. in cap. 1. de ſimonia. Decius conſ. 436. num. 10. Iulius Clarus lib. 5. §. ſimonia num. 5. Nauarrus cap. 23. nu. 108. §. nono, Vgolinus tab. 1. cap. 3. §. 5.* Tertia ſententia quaſi media ea eſt, quæ docet, beneficia ſimplicia eſſe materiam dumtaxat ſimoniæ iuris Eccleſiaſtici, beneficia verò curata eſſe materiam ſimoniæ iuris ſimplicitèr diuini; atque huius opinionis aſſerit *Nauarrus d. cap. 23. num. 108. in fin.* fuiſſe Panormitanum licet immeritò. Quid igitur in hac opinionum varietate concludendum?

1 Aſſertio I. Illa duo iura, quæ in beneficijs conſiderantur, nempe ad ſpiritualia, & ad temporales prouentus, ſunt per Romanum Pontificem ſaltem virtualitèr ab inuicem ſeparabilia. Concordat hæc aſſertio cum ſparſim ſuperiùs dictis, & præcipuè dum de penſione, eamque ſuſtinent *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 24. num. 23. & etiam quoad ſubſtantiam Nauarrus d. cap. 23. num. 108.* ſi attentè ipſius rationes conſiderentur.

Suarez, Nauarrus.

Probatur aſſertio, quià licet temporales prouentus dentur propter beneficium, iuſque ad illos cum eodem beneficio connectatur, conſequitur tamen ad illud ex pia hominum inſtitutione, ergo Pontificia auctoritate illud ius poteſt ſeparari ab Eccleſiaſtico beneficio. Antecedens ſecundum ſe patet, quia priùs inſtituta ſunt beneficia, quam eiſdem fuerit annexum ius ad temporales prouentus, & ex natura ſua poteſt eſſe ius ad ſpirituales functiones, & nullum ius ad temporales prouentus, vt potiſſimum patet in primitiua Eccleſia, vbi erant diuina, Apoſtolicaque auctoritate inſtituta beneficia, & tamen nullum ius aderat ad temporales reditus. Conſequentia etiam euincitur, quia quod conſequitur de iure humano ſubiacet diſpoſitioni iuris humani, in quo plenam habet poteſtatem Romanus Pontifex, ergo per eundem erit ſeparabile.

Quod conſequitur ad titulu de iure humano ſubiacet diſpoſitioni humani iuris.

Probatur ſecundò ex paritate calicis conſecrati, in quo coniungitur, & ratio conſecrationis, & ratio materiæ, quæ eſt quid omninò temporale, adeò vt poſſit vendi materia abſque eo, quod cadat ſub formali ratione venditionis ipſa ratio conſecrationis, non niſi, quia quodamodò vtraque ratio ſeparatur, ergo etiam auctoritate Summi Pontificis, quæ in ijs, quæ dependent à iure humano ſuperior eſt, erit in beneficijs ſeparabile ius ad temporales prouentus à iure ad ſpirituales functiones. Conſequentia probatur, quià magis eſt annexa ratio conſecrationis materiæ auri, vel argenti in calice conſecrato, vel ſerico ratio conſecrationis in veſtibus ſacris, quam ius ad temporales prouentus reſpectu beneficiorum, ergo, ſi illa ſunt ſeparabilia, & iſta.

Varijs paritatibus res eluſidatur.

Probatur tertiò ex ijs, quæ ſuperius dicta ſunt, nam poteſt Romanus Pontifex conferre beneficium reſeruata alteri penſione, ergo poterit etiam ſeparare ius ad temporales prouentus a iure ad ſpiritualia in beneficijs. Conſequentia probatur, quia non alia ratione Pontifex reſeruando ſibi penſionem, vel alteri in collatione beneficij, eandem collationem eximit a labe ſimoniæ, niſi quia auctoritate ſuprema ſeparat illa duo iura, quæ ſunt in beneficijs ab inuicem, ergo &c.

Poteſt Pontifex conferre beneficium reſeruata penſione.

Iuxta hunc ſenſum præcisè exiſtimo procedere ſecundam ſententiam præcitatam, dum aſſerit beneficia ſecundum quod ſumuntur præcisè ſecundum ordinem ad temporales prouentus, eſſe dumtaxat materiam ſimoniæ iuris humani poſitiui, prout probant rationes omnes, quæ pro eadem ſententia afferuntur à *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 24. à num. 12. vſque ad 20.* excluſiuè; non enim illæ alitèr probarent, niſi ſupponerent nedum ſeparabilitatem, ſed etiam ſeparationem ſaltem virtualitèr factam per Romanum Pontificem.

Suarez.

Aſſertio II. Suppoſita illa ſeparabilitate, de qua in præcedenti aſſertione, factaque ſeparatione ſiuè formali, ſiuè virtuali non eſt ſimonia contra ius Diuinum conferre beneficium intuitu temporalis commodi, quod in eis eſt pro pretio, vel cum reſeruatione penſionis; nulla facta ſeparatione eſt ſimonia conferre beneficia etiam de iure diuino. Per hanc aſſertionem conciliari videntur duæ primæ ſententiæ, quæ prima fronte videbantur inter ſe extremè oppoſitæ, adeò vt dumtaxat iuxtà primum ſenſum huius aſſertionis procedat ſecunda ſententia, iuxtà ſecundum verò prima. Ita in vniuerſum *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 24. num. 32.* 2

Conciliantur opiniones oppoſitæ.

Suarez.

Prima pars facile euincitur, quià ſuppoſita illa ſeparatione id, quod venderetur, non eſſet quid ſpirituale, ſed merè temporale, licet ſimul cum illo veniret etiam ſpirituale, ergo non committitur ſimonia contra ius diuinum. Antecedens non videtur pati aliquam difficultatem, quandòquidem facta illa ſeparatione poteſt titulus ſpiritualis ex intentione vtriuſque partis gratis dari, & accipi, & nihilominus pro temporali paciſci, vt clarè etiam exempliſi-

Nō traderetur ſpirituale pro temporali.

plificari poteſt in iure patronatus, quod certè ſine labe ſimoniæ cadere non poteſt ſub contractu emptionis, & venditionis, & tamen cum vniuerſitate bonorum, vel cum fundo vendito venit, ergo &c. Conſequentia primi argumenti facilè innoteſcit, quià ſimonia non eſt, vbi non eſt contractatio ſpiritualis pro temporali.

Exemplũ à iure patronatus deductum

Conantur aliqui reſpondere paritati per nos adductæ iuris patronatus aſſerentes, ius patronatus eſſe annexum ſpiritualibus antecedentèr, beneficium verò eſſe annexum officio ſubſequentèr. Sed quid inde? Quod ſit, vel antecedens, vel conſequens parum refert, dummodò connectatur cum ſpirituali, ſitque ab eodem ſeparabile; quinimmò ex eo, quod ſit antecedens videtur habere potiorem rationem, cum vtpotè habens quodamodò rationem cauſæ videtur ſecum trahere ſpirituale. Deindè licet ius patronatus ſit antecedens ad beneficium, non eſt tamen antecedens ad fundum, in quo radicatur.

Quod ſit antecedens, vel ſubſequẽs non facit ad rem.

Dices, illam ſeparationem iuris ad prouentus à iure ad ſpirituales functiones eſſe vſum iuriſdictionis, & poteſtatis ſpiritualis à Deo conceſſæ Pontificibus, ergo ratione illius ſeparationis non poteſt aliquid exigi pro iure ad temporales prouentus, quandòquidem id, quod exigeretur eſſet ſaltem radicalitèr ratione illius vſus ſpiritualis iuriſdictionis, quæ conſiſtit in illa virtuali ſeparatione. Sed contra admiſſo, quod illa ſeparatio fiat in vim illius ſpiritualis iuriſdictionis, prout aſſeritur in inſtantia, nego, quod illud, quod exigitur, erogetur pro ipſa ſeparatione, ſed pro illo iure ad temporales prouentus ſuppoſita illa ſeparatione, ea proportionali ratione, qua moralitèr ablata conſecratione per Eccleſiaſticos ritus adhoc inductos a calice conſecrato, ipſe calix poteſt directè vendi, & pro illo pretium exigi, quod tamen pretium non eſt pro ipſa ablatione conſecrationis, ſed pro materia calicis ſecundum ſe pretio æſtimabilis, & adæquabilis

Non exigitur pro illa ſeparatione, ſed pro iure ſeparato ad temporales prouẽtus.

Secunda pars etiam ſic euincitur, quià non poſita ſeparatione iuris ad temporales prouentus a iure ad ſpirituales functiones, ſeù ſpirituali titulo pretium illud, quod exigeretur, eſſet ſaltem radicalitèr pro ipſo ſpirituali titulo, ergo eſſet ſimonia iure diuino vetita. Antecedens probatur, quià non poſita illa ſeparatione proximum fundamentum illius iuris ad temporales prouentus eſt ius ad ſpirituales functiones, ſeù functiones ipſæ ſpirituales, ratione quarum ſtipendium ſuſtentationis habenti ius ad illas functiones conceditur, & debetur, ergo illud, quod exigeretur, eſſet ſaltem radicalitèr pro ipſo ſpirituali titulo, ſeù pro iure ad ſpirituales functiones. Conſequentia primi argumenti modò ſic euincitur *ex cap. ſi quis obiecerit* 1. *queſt.* 3., vbi dicitur. *Qui alterum horum vendit, ſine quo alterum non prouenit, nihil inuenditũ derelinquit*, quæ ſanè conſonant naturali rationi, quandòquidem impoſſibile eſt vendere relationem reſultantem ex fundamento non vendito eodem fundamento.

Illud pretium eſſet ſaltẽ radicalitèr pro ipſo ſpirituali titulo.

Dices primò, vendi poteſt materia calicis conſecrati non vendita ipſa conſecratione, vendi poteſt fundus, in quo fundatur ius patronatus non vendito ipſo iure patronatus, ergo etiam in beneficijs vendi poterit ius ad temporales prouentus non vendito iure ad ſpirituales functiones. Sed contra, quia ea, quæ dicuntur de calice conſecrato, & de iure patronatus procedunt ſolummodò ſuppoſita ſeparatione ſaltem intentionali, quæ ideò facilius permittitur non interueniente etiam Pontificis auctoritate, quia reſpectu materiæ videtur quodamodo acceſſoria conſecratio, & reſpectu fundi ius patronatus, non quià in valore conſecratio a materia, & ius patronatus a fundo excedatur, cum certè conſecratio longè æſtimabilior ſit, ſed quia conſecratio, & ius patronus, propter quæ calix, & fundus dicuntur annexa ſpiritualibus, præſupponunt ipſum fundum, & materiam auream, ſeù argenteam, quæ propterea, vt præſupoſita, ſeù præcedentia ſe habent ad modum principalis reſpectu acceſſorij, beneficium autem, ſeù ius percipiendi temporales prouentus non præſupponitur ad officium, ſed ſubſequitur, propter quod dicitur annexum ſpiritualibus ſolum conſequentèr, adeòque, vtpotè acceſſorium non poteſt ſine principali ſubſiſtere, ſicque ſpirituale in beneficijs eſt principale, temporale verò ſolum acceſſorium, quod propterea pendet a primo iuxta textum *in l. etiam C. de iur. dot. & reg. acceſſorium* 42. *de reg. iur.* Dici etiam poteſt poſſe vendi calicem ſine venditione conſecrationis, & fundum ſine venditione iuris patronatus, non ſic beneficium ſine officio, quià ex diſpoſitione iuris ſine auctoritate Pontificis eſt omninò inſeparabile beneficium ab officio, non ſic fundus a iure patronatus, nec calix a conſecratione.

Conſecratio reſpectu calicis, & ius patronatus reſpectu fundi ſe habent, vt acceſſoria reſpectu principalis.

Dices ſecundò, ius ad temporales prouentus in beneficijs eſt ex inſtitutione Eccleſiæ ſuppoſita largitione fidelium, vel voluntaria, quatenus quis eandem Eccleſiam dotauit in ordine ad miniſterium beneficiariorum, vel præcepta per inſtitutionem decimarum, & ſimilium, ergo ſi vendatur beneficium in ordine ad illos temporales prouentus ſine ſeparatione vtriuſque iuris adinuicem committetur ſimonia, non tamen contra ius diuinum, ſed dumtaxat contra Eccleſiaſticum. Confirmatur, quia ante

ante prohibitionem Eccleſiæ venditio illius iuris ad temporales prouentus non erat ſimoniaca, ergo, ſi nunc eſt ſimoniaca, talis eſt, quia contra ius poſitiuum Eccleſiæ, non quia contra ius diuinum, & naturale. Ità ferè *Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 83. ſect. 2. num. 29.* Sed contra, dato etiam, quod illud ius ad temporales prouentus ſit ex inſtitutione Eccleſiæ, non propterea ſequitur, quod poſita illa inſtitutione illius venditio præciſa ſeparatione non ſit ſimoniaca contra ius diuinum. Certè ſacramentalia omnia ſunt ab Eccleſia inſtituta; quis autem denegaret ipſa eſſe materiam ſimoniæ iuris diuini? Deindè non eſt præciſè ex Eccleſiæ inſtitutione ſecundum ſe, ſed dependentèr ab auctoritate eidem collata à Chriſto Domino. Tandem dici poteſt cum Vgolino, quod, & ſi detur ius percipiendi fructus de rebus Eccleſiæ ex poſitiuo iure eiuſdem Eccleſiæ non poſſe pro pretio contractari, ius tamen exercendæ iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & diuina faciendi procedit de iure diuino, quod principalius eſt, quodque imitatur illud ius Eccleſiaſticum, ſicque ratione illius, & hoc vetitum eſt eodem iure, ne alienetur quo illud alienari non poteſt. Ad id, quod ſubditur pro confirmatione, dicendum eſt gratis omninò dici ante prohibitionem Eccleſiæ venditionem illius iuris non eſſe ſimoniacam; poſita etenim dumtaxat inſtitutione Eccleſiæ illius iuris ad percipiendos fructus, eoque iure annexo titulo, ſeù officio immediatè reſultat ſimonia in venditione eiuſdem iuris propter rationes ſuprà adductas. Verum tamen eſt, quod ante prohibitionem Eccleſiæ alienans illud ius pro pretio non incurreret in pænas latas per eandem Eccleſiam contra ſic alienantes, non tamen, quod non incurreret labem ſimoniacæ prauitatis.

Ognate.

Quamuis illud ius ad temporales prouentus ſit ex inſtitutione Eccleſiæ, ipſa tamē poſita cōſtituitur de iure diuino.

3 Aſſertio III. Ius illud ſeparandi beneficium, ſeù ius ad temporales prouentus ab officio, ſeù a iure ad ſpirituales functiones ſolum reſidet penes Romanum Pontificem, non autem penes alios Prælatos inferiores, niſi de illius commiſſione. Ita de communi teſtatur *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 24. num. 35.*

Suarez.

Probatur, quià de iure communi beneficia ſunt conferenda ſine diminutione per ea, quæ allegatis iuribus ſparſim ſupra tradidimus, & deducitur etiam *ex cap. fin. 1. q. 3. & c. maioribus, & cap. vacante de Præb.* ſed in ijs, quæ iuris communis ſunt non poſſunt Prælati inferiores a Papa diſponere, ergo non poſſunt beneficia conferre cum diminutione, ſed conferrent cum diminutione, ſi conferrent accepta pecunia pro illo iure percipiendi temporales prouentus, ſeparando propria auctoritate illa duo iura ab inuicem, ergo &c. Minor probatur, tùm quia ius commune Eccleſiaſticum non inducitur, niſi per Romanum Pontificem, ergo iſte ſolum poteſt de illo diſponere, quia ad eum ſolùm ſpectat de iure diſponere, ad quem ſpectat illud conſtituere; tùm quià nullus inferior ius habet in legem ſui Superioris. Subſumpta etiam minor ſic euincitur, quià recipiendo illud pretium pro collatione illius iuris ſimul cum beneficio perinde eſt, ac ſi minuat illud ius, quandòquidem illa ſolutio æquiualet detractioni illius iuris; perindè enim eſt, ac ſi tantum detraheret de illis prouentibus, quantum recipit de pecunia pro illo iure.

De iure communi beneficia ſunt conferēda ſine diminutione.

Solus Pōtifex poteſt diſpēſare in iis, quæ ſunt iuris communis Eccleſiaſtici.

Probatur ſecundo *ex cap. prohibemus de cenſibus*, vbi Epiſcopis, alijſque Prælatis prohibetur, ne partem redditCURRENTuum Eccleſiarum ſuis vſibus appropriare præſumant, ſed libertatem, quam ſibi maiores conſeruare deſiderant minoribus ſuis bona voluntate conſeruent appoſita pæna, quod ſi alitèr fecerint, irritum, quod egerint, habeatur, ibique meritò ſubdit Gloſa in verbo *præſumant. Epiſcopus fructus Parochialium Eccleſiarum, ſiuè etiam Præbendarum ſibi retinere non debet vltrà modum ſibi permiſſum* iuxta textum *in cap. quià cognouimus 10. quæſt. 3. & cap. vno, & Eccl. benef.*, ſed ſi poſſet pretium recipere pro illo iure poſſet etiam reditum illarum Eccleſiarum in proprios vſus applicare. Quid enim eſt pretium recipere pro illo iure, niſi illud recipere, vt ſubſtitutum pro parte eorundem reddituum, ergo &c.

Epiſcopis alijſque Prælatis vetitū eſt ſeparare ius ad prouentus à beneficio.

Ex quibus fas etiam erit deducere priuatas perſonas poſſidentes huiuſmodi beneficia multominus recepto pretio poſſe ea vendere etiam in ordine ad ius ad illos temporales prouentus. Ratio eſt, quia, ſi in Epiſcopis non eſt ius faciendi illam ſeparationem, cum tamen ipſi in proprijs Diœceſibus ſint præordinatores, & vt plurimum collatores, ergo multo minus erit in priuàtis beneficiarijs; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur ex textu in *c. ad quæſtiones de rer. permut.* vbi dicitur, in permutatione beneficiorum licitum eſſe ſimul cum beneficio minus pingui dare pecuniam in ſupplementum beneficij pinguioris, ſi illa pecunia conferatur occaſione prouentuum temporalium pinguiorum -Ibi- *Reſpondens quidem, quod cum de dictis Parochialibus Eccleſijs per ſe queat commutatio celebrari, & in permutatione poſſeſſorum per ſe non ſit inhibitum, ſi altera ratione poſſeſſorum alteri præponderat pecuniam poſſe refundi de ipſarum poſſeſſionibus adinuicem, prout viſum fuerit expedire, refuſa certa pecunia quantitate poterit contractus permutationis iniri,*

Hæc, quæ dicuntur procedunt ſolummodò in ſuppoſitione ſeparationis.

ſic

ſic tamen, quod illi contractus nequaquam ſibi inuicem miſceantur, ergo illa ſeparatio poteſt fieri etiam per priuatas perſonas alienare volentes, ſi enim poſſunt ſeparare illa iura, vt in textu allegato, in ordine ad permutationem, cur etiam non poterunt ſeparare in ordine ad venditionem? Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ibi ſolummodò dicitur, quod facta ſeparatione illa poſſint beneficia commutari facta refuſione pecuniæ in ſupplementū pinguiorum prouentuum, qui ſunt in altero beneficio, quod à nobis non negatur; non dicitur autem qua auctoritate poſſit fieri illa ſeparatio, quod eſt meta præſentis quæſtionis: vnde ſtandum eſt iuri communi, ſecundum quod non niſi Pontificia auctoritate poteſt induci per ea, quæ latè diximus *tom. 2. ſub tit. Contractus VI. de permutatione in Diſquiſ.* §. 16. *num.* 6. iuxta mentem *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 34. num. 9. Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 84. ſect. 6. num.* 107. *Bonacina tract. de ſimonia quæſt.* 4. §. 12. *num.* 21.

Suarez. Ognate. Bonacina.

4 Aduerſus ea, quæ dicuntur in hac illatione, multa congerunt Doctores argumenta, quæ mox congero, & diſſoluo. Primum eſt, quia beneficiarius poteſt locare fructus ſui beneficij ad aliquos annos, & etiam ſecluſo iure poſitiuo ad ſuam vitam, quæ quidem locatio eſt quædam ſpecies alienationis, ergo etiam ius ad huiuſmodi fructus percipiendos poterit vendere. Secundum eſt, quia beneficiarius, qui eſt perſona priuata, dum confert alteri beneficium, quod poſſidet, priuat ſe commodis temporalibus, & ſubijcit ſe incommodis, & iacturis temporalibus, ergo iuſtè poterit exigere compenſationem. Tertium eſt, quia ſtando præcisè in iure diuino poteſt beneficiarius vendere partem fructuum ſui beneficij, & poſtea beneficium alteri reſignare, cum reliqua parte fructuum, ergo &c. Sed facile huiuſmodi argumentis fit ſatis.

Primum argumentum deſumptum à iure, quod habet beneficiarius locādi fructus beneficij, & alia duo.

Ad primum etenim dicendum eſt, quod ſiuè huiuſmodi fructus locentur ad tres annos attento ſolummodò iure poſitiuo, ſiuè ad vitam præciſa prohibitione Eccleſiaſtica, & ſolo iure diuino conſiderato, ità locentur, vt ſemper annexi maneant beneficio, & ad illum per ſe ſolummodò pertineant, ad quem pertinet titulus beneficij, vndè conductor ſolum habet colligere fructus vice ipſius beneficiarij, & ex vi contractus illos ſolummodò acquirit ſecundum illum ſtatum, quem habent poſtquam ſunt recepti, & ſub priuato dominio beneficiati; ex quibus non ſequitur, quod per priuatam auctoritatem talis beneficiarij fiat illa ſeparatio iurium, de qua ſuprà, cum ad illam nullam habeat poteſtatem, cum enim illa annexio facta fuerit publica, & gubernatiua poteſtate, nonniſi publica poteſt diſſolui.

Soluitur primum argumentum.

Ad ſecundum etiam dicendum eſt, ſtante etiam præcisè iure diuino non poſſe priuatum beneficiarium propriâ auctoritate vendere partem fructuum ſui beneficij, & deinde ipſum beneficium reſignare in fauorem alterius, cum reliqua parte fructuum, & ratio eſt, quià ipſe non habet ius percipiendi fructus, niſi ratione tituli eiuſdem beneficij, ergo pro illo tempore, pro quo, vel ex neceſſitate, vel ex propria voluntaria dimiſſione non gaudet titulo non poteſt babere ius ad illos fructus, adeòque non poteſt de illis pro illo tempore diſponere, præcipuè cum præbenda integra ſit per Eccleſiam deputata ad ſuſtentationem beneficiarij.

Soluitur ſecundum argumentum.

Ad tertium dicendum eſt, non poſſe propria auctoritate ſe immunem reddere ab illis incommodis, vndè cautum eſt, quod ſi illis nolit ſubiacere, beneficium retineat, vel ſi habeat legitimam cauſam renuntiandi, recurrat ad ſuperiorem; quod non ſolum aſſerunt aliqui verificari attento iure poſitiuo, ſed etiam attento iure naturæ, quia ex inſtitutione Eccleſiæ onus, & commodum in beneficijs ab inuicem diſiungi non poſſint, niſi attenta ſuperiori auctoritate; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, Parochum, quantumuis propriam iuriſdictionem non poſſit alteri pro pretio delegare, poſſe tamen, dum alterum ad adminiſtranda ſacramenta ſubſtituit, ab eodem ſibi reſeruare fructus, vel partem eorundem fructuum ad ſe conſtituendum indemnem a grauaminibus, quæ inde pateretur, ergo etiam beneficiarius renuntians beneficium in alterius fauorem, ex qua renuntiatione temporalia ſubiret incommoda ſibi poterit reſeruare partem fructuum eiuſdem &c. Non, inquam, obeſſe poteſt, nam in primo caſu ſibi titulum retinet, intuitu cuius ſibi debentur illa emolumenta, & ſic nullo modo ſegregat ius ad temporales prouentus ab ipſo titulo; in ſecundo autem vtique poneret talem ſeparationem, quod vtique propria auctoritate præſtare nequit.

Soluitur tertium argumentum.

Aſſertio IV. Vniuerſa, quæ dicta ſunt ſuperiùs, ſi cum debita proportione ſumantur, æquè verificantur in ordine ad beneficia, ſiuè ſint ſimplicia, ſiuè curata. Ita ſentiunt Doctores communitèr aduerſus aliquos, qui tamen incongruè pro contraria ſententia allegantur, vt videre eſt apud *Suarez d. lib. 4. cap. 24. num.* 20. vnde ſicuti ſuperius dictum fuit, quod in beneficijs indefinitè non poteſt fieri ſeparatio illorum iurium, niſi per auctoritatem Pontificis, & quod facta illa ſeparatione non ſit contra ius diuinum eadem beneficia 5

Æquè intelligitur de beneficijs ſimplicibus, ac de curatis.

Suarez.

ven-

vendere in ordine ad temporales prouentus, & quod ab alijs Prælatis inferioribus non poſſit fieri illa ſeparatio, ità hæc omnia intelligenda ſint in ordine ad beneficia ſimplicia.

Probatur, quià non minus in beneficijs ſimplicibus diſtinguuntur illa duo iura ad ſpirituales functiones, & ad temporales reditus, ac diſtinguantur in beneficijs curatis, ergo ea omnia, quæ dicta ſunt de beneficijs in genere ſunt proportionalitèr intelligenda de beneficijs ſimplicibus; vbi enim eadem ratio militat, ibi idem omninò ius debet vigere; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, in beneficijs ſimplicibus minus ſpiritualitatis vigere, ac in curatis, quandòquidem in iſtis viget non ſolum ratio ordinis, ſed etiam ſpiritualis iuriſdictionis; in illis verò, vt plurimum ſolum ratio clericalis ordinis, nullius autem iuriſdictionis; non, inquam, obeſſe poteſt, quià ratio maioris, vel minoris ſpiritualitatis non extrahit materiam à ratione ſimoniæ ſi vendatur, nam & ſi ſit minimum ſpirituale adhuc eſt materia ſimoniæ.

Ratio maioris, & minoris ſpiritualitatis nõ tollit rationẽ materiæ ſimoniacæ.

PRÆNOTIO XXIV.

Examinantur reliqua omnia circà materiam ſimoniæ.

SVMMARIVM.

Non eſt ſimonia iure naturæ prohibita accipere temporale, & de eodem paciſci in ingreſſu ad Religionem in ordine ad congruam ſuſtentationem eius, qui ingreditur 1.

Nec etiam eſt ſimonia de iure poſitiuo 2.

Sacramentalia ſiuè in actione, ſiuè in termino, ſiuè in vtroque ſunt materia ſimoniæ 3.

Sacramentalia in termino ratione materiæ, qua conſtant non ſunt ſecundum ſe materia ſimoniæ 4.

Excipe, niſi aliqua lege poſitiua illa materia vendi prohibeatur 5.

Enumerantur caſus, in quibus eſt Eccleſiaſtica prohibitio vendendi 6.

Omnia Sacramenta nullo penitus excepto ſunt materia ſimoniæ 7.

Sacramenta, ſi ſumantur, prout ſunt conflatum ex quodam ſigno tanquam re materiali, & ſignificatione tanquam formali etiam ſecundum materiale, quod habent ſunt materia ſimoniæ 8.

Sacramenta, ſi ſumantur in ordine ad materiam remotam non ſunt materia ſimoniæ 9.

Sacramenta in ordine ad materiam proximam vtique ſunt inuendibilia 10.

Si ſepultura ſumatur pro loco materiali non ſacro extrà Eccleſiam non eſt materia ſimoniæ 11.

Situs ille materialis non euadit materia ſimoniæ ex eo, quod aliqua corpora ibi fuerint ſepulta 12.

Si ſepultura ſumatur pro ſitu aliquo, ſeù cœmeterio ad ſepulchrum fidelium benedicto, vel publicè dicato vtique eſt materia ſimoniæ, ſi adæquatè ſumatur 13.

Sepultura communi ritu benedicta eadem benedictione, qua Eccleſia benedicitur adæquatè ſumpta, eſt materia ſimoniæ 14.

Sepultura honoratior ratione rei ſacræ eſt materia ſimoniæ, ſecus ſi ſit honoratior ratione alicuius reſpectus materialis 15.

Sepultura benedicta ſumpta ſecundum eſſe materiale non eſt materia ſimoniæ de iure diuino, probabilius eſt talis de iure Eccleſiaſtico 16.

Si ſepultura ſumatur pro officio illo defunctorum, & exequijs, quæ celebrantur, eſt materia ſimoniæ 17.

Ius, quod quis habet in aliquo ſepulcro tanquam proprio, vtpote proprijs ſumptibus empto, vel ædificato non eſt materia propria ſimoniæ, ſi vendatur quoad proprietatem quoad valorem fundi, & reſpectu habito ad expenſas in eodem factas 18.

PLura ex occaſione ſuprà attigimus circa ingreſſum in Religionem, circà ſacramenta, & ſacramentalia, circa gratiam ſanctificantem, & gratiam gratis datam, circa collationem ordinum, & ſuſceptionem. Nunc ad complementum eorum, quæ pertinent ad huiuſmodi materiam erunt aliqua ſingularitèr diſcutienda, & ne diutiùs quæſtiones protrahantur, omnia ſub huius prænotionis titulo comprehendam ſingula examinando per propria, & ſingularia quæſita.

Quæres primò, an ſit ſimonia accipere aliquid pretio æſtimabile in ſuſtentationem pro ingreſſu in Religionem. Simoniam eſſe accipere, ſeù conuenire de aliquo pretio æſtimabili pro ipſo ingreſſu, ſeù pro ipſa receptione formalitèr clariſſimè conſtat *in cap. iam ſatis* 8. *de ſimonia*, vbi labe talis vitij notantur tàm recipientes, quam ſoluentes pretium. Ibi *tàm ille, qui dederit, quàm ille, qui receperit, vel conſenſerit partem cum Simone non dubites habiturum*, & *ex cap. veniens* 2. *de ſimonia*. Ibi *tàm in dantes, quàm in accipientes*, & eſt in confeſſo apud omnes fere Doctores. *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 4. *Silueſter verbo ſimonia quæſt.* 15. *dict.* 2. *Sotus* 9. *de iuſt. quæſt.* 6. *art.* 2. *ad quartum Archi-Diaconus ſecunda part. tit.* 1. *in princip. Nauarrus conſ.* 88. *num.* 1. *de ſimonia lib.* 5. nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem talis receptio non ſolum in ſe, ſed etiam ratione finis eſt res maximè, & eximiè ſpiritualis.

Simonia eſt pretiũ ſoluere pro ingreſſu formalitèr in Monaſteriũ.

D. Thomas. Silueſter. Sotus. Archi-Diaconus. Nauarrus.

Diſ-

Difficultas igitur reducitur ad hoc, an ſit ſimonia, ſi de pretio conueniatur, vel idem accipiatur pro eodem ingreſſu non formalitèr, ſed in ordine ad ſuſtentationem recepti, vel recipiendi, & quidem hoc non ſolum in ordine ad ius naturæ, ſed etiam in ordine ad ius poſitiuum.

1 Reſpondeo primò, non eſſe ſimoniam iure naturæ prohibitam accipere temporale, & de eodem conuenire in ingreſſu ad Religionem in ordine ad ſuſtentationem eius, qui ingreditur *D. Thomas ſecunda ſecunda quæſt.* 100. *art.* 3. *ad quartum, & in quarto diſt.*25. *quæſt.* 3. *art.* 3. *quæſtiuncula* 1. *Paludanus quæſt.* 5. *num.* 20. *Caietanus in ſumma verb. excommunicatio cap.* 37. *Filliutius tract.* 45. *cap.* 4. *quæſt.* 6. *num.* 21. *Sotus* 9. *de iuſt. quæſt.* 6. *art.* 2. *ad quartum*, & potiſſimum deducitur ex ijs, quæ ſupra dicta ſunt.

D. Thomas. Paludan. Caietanus. Filliut. Sotus.

Ratio huius reſponſionis ea potiſſimum eſt, quia ſimonia non eſt, vbi non datur temporale pro ſpirituali, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, illud temporale, quod erogatur, ſeù de quo conuenitur non eſt pro ſpirituali, ſed pro merè temporali, pro temporali ſcilicet ſuſtentatione eiuſdem recepti, ſeù recipiendi, ergo &c. Neque dicas, hac ratione poſſet etiam fieri conuentio de aliquo pretio æſtimabili pro renuntiatione beneficij, non quidem pro ipſo beneficio formalitèr, ſed pro congrua ſuſtentatione renuntiantis, ſeù pro iure illo ad temporales prouentus, quod eſt quid merè temporale, quandòquidem eadem militat ratio; vtrumque enim eſt ſecundum ſe temporale, & vtrumque connectitur cum ſpirituali; ex quibus deduces, quod ſicuti committitur ſimonia contra ius diuinum ad ſuperius notata, ſi beneficium vendatur etiam in ordine ad temporales prouentus, niſi per Pontificis auctoritatem fiat illa ſeparatio iurium, de qua ſuprà, ità committatur ſimonia contra ius diuinum, & naturæ, ſi pro receptione in Religionem aliquid recipiatur pretio æſtimabile in ordine etiam ad ſuſtentationem, niſi eadem Pontificis auctoritate fiat eadem ſeparatio; contrà enim impugnaberis, nam quamuis vtrumque in vtroque caſu videatur ſpiritualibus annexum, non tamen pro vtroque eadem militat ratio, primò, quià in beneficijs illa duo iura non ſunt ſeparabilia, niſi auctoritate Summi Pontificis; in ingreſſu autem in Religionem conſuetudine iam legitimè præſcripta neceſſitate vt plurimum ſic poſtulante ſunt ſolum Prælatorum Regularium auctoritate ſeparabilia; ſecundò, quia non ita connectitur ius ad alimenta in ſtatu Religioſo, ſicuti ius ad temporales prouentus in beneficijs, quandòquidem antiquitùs monaci arte, & labore ſuo victum quærebant, & ius ad tales prouentus modò non eſt immediatè ex ipſo ſtatu Religioſo, ſed ex alio contractu, ſecundum quem receptus obligat ſe verſus Religionem ad obeunda munera ipſius; monaſterium verò, ſeù Religio ſe obligat verſus receptum ad alimenta, & victum; ex quibus ſit.

Non datur temporale pro ſpirituali.

In beneficijs illa duo iura non ſunt ſeparabilia, niſi auctoritate Summi Pontificis, in ingreſſu verò in Religioné etiam auctoritate Prælatorum.

Ratio ſecunda deducta ex paritate valdè conſona. Ingreſſus in Religionem eſt quoddam ſpirituale matrimonium per quandam analogiam ad temporale, ſed in matrimonio corporali, quantumuis reperiatur ratio ſpiritualitatis ratione ſacramenti, quia tamen reperitur etiam contractus quidam humanus inuoluens ſecundum ſe plura onera, & præcipue alimentorum vxoris non eſt contra, ſed potius iuxtà ordinem naturæ, ſi aliquid exigatur ad ſuſtinenda onera eiuſdem matrimonij, ergo; cum etiam in matrimonio ſpirituali, & reperiatur ratio ſpiritualitatis, ratione ſtatus, & contractus ille humanus inuoluens onera, ſecundum quem receptus obligatur ad obſequia verſus Religionem, & religio ad ſuſtentationem illius, non erit incongruum, ſi aliquid exigatur ad ſuſtinenda onera talis ſuſtentationis.

Ingreſſ. in Religionem eſt quoddam ſpirituale matrimonium.

2 Reſpondeo ſecundò, nec eſſe ſimoniam iure poſitiuo prohibitam accipere temporale, & de eodem paciſci pro tali ingreſſu in ordine ad ſuſtentationem *D. Thomas ſecunda ſecunda quæſt.* 100. *art.* 3. *ad quartum, & in quarto diſt.* 25. *quæſt.* 3. *art.* 3 *quæſt.* 1. *Caietanus in ſumma verbo excommunicatio cap.* 7. *num.* 3. *Ananias in rub. de ſimon. Silueſter verb. ſimonia quæſt.* 15. *Angelus verbo ſimonia* 4. *per totum Suarez lib.* 4. *de ſimonia cap.* 17 *nu.* 8. *Valentia tom.* 3. *diſp.* 6. *quæſt.* 16. *punct.* 2. *col.* 5. & alij innumeri apud *Ognate tract.* 23. *de ſimonia diſp.* 82. *sect* 9. *num.* 222.

D. Thomas. Caietanus. Ananias. Silueſter. Angelus. Suarez. Valentia Ognate.

Ratio hæc vnica adducitur, quia nullibi reperitur textus hanc improbans receptionem, ergo cum ex vno capite ex natura ſua non ſit diſſona rationi, nec iuri poſitiuo ipſam prohibenti ex alio, erit ex omni capite conueniens.

Dices primò, prohibitionem iuris canonici reſultare ex *cap. non ſatis* 8. *de ſimonia*, vbi abſolutè, & indefinitè præcipitur nihil eſſe recipiendum pro ingreſſu in Religionem Ibi-*Prohibemus igitur, ne ab ijs, qui ad Religionem tranſire volunt, aliqua pecunia requiratur*, vbi Gloſa videtur aſſerere, hanc prohibitionem extendi etiam in ordine ad ſuſtentationem, & quidem ſub nota ſimoniacæ prauitatis. Sed contra reſpondet Panormitanus *in d. cap. non ſatis* 8. *de ſimon. num.* 6. & quidem non incongruè, Pontificem per illum textum vetare dumtaxat receptionem pretij, ſeù rei pretio æſtimabilis pro ingreſſu in Religionem materialiter

Panorm. *Loquitur textus pro ingreſſu formaliter in Religioné.*

pretium eiuſdem ingreſſus formalitèr, non autem ad finem ſuſtentationis eiuſdem recepti, cui explicationi conformis eſt *Gloſa in d. cap. non ſatis*, licet hæc limitet explicationem in caſu ſolummodò, quo monaſterium eſſet tenue, vt non poſſet receptum alere, ex quo tamen non infertur, quod ſi monaſterium ſit pingue non poſſit ſine labe ſimoniæ illud ſtipendium ſuſtentationis exigere, ſed ſolummodò, quod non poſſit ſine labe auaritiæ, vanitatis, & luxus ſecundum opinionem *Soti lib. 9. de iuſt. quæſt. 6. art. 3. ad quartum*; Nihilominus quidquid dixerit Sotus communior, & tutior eſt opinio admittens limitationem eiuſdem Gloſæ, cui multum fauet *Trident. ſeſſ. 25. cap. 3. de Reformatione* dum præcipit neminem recipi in monaſterijs, qui ex reditibus eius commodè ali non poſſit, & licet dictum Tridentinum non explicet talem receptionem eſſe ſimoniacam, nihilominus ex communiori Doctorum placito accipitur, vt talis, præcipuè cum Eccleſia non prohibuerit tantùm illam receptionem ratione iniuſtitiæ, ſed etiam intuitu Religionis *Suarez lib. 4. de ſimon. cap. 27. num. 10.*, & iuxta hunc ſenſum verificatur textus *in cap. tua nos de ſimonia* ibi *Si clerici, qui illum in Fratrem admittunt non eſſent eum, niſi commoda temporalia perciperent, recepturi.*

Gloſa,
Sotus;
Suarez.

Dices ſecundò prohibitionem illam colligi *ex cap. dilectus 2. de ſimonia* ibi *Cantuarienſem Diœceſim viſitans in Monaſterijs, & Religioſis locis pullulaſſe repererit ſimoniacam prauitatem, ità quod in eis multi pretio ſint recepti, qui potius gratis recipi debuiſſent &c.* vbi Pontifex imponit tam in dantes, quàm in recipientes canonicè ſeueritatis exercendam vltionem, ergo &c. Sed contra, quià & hic textus procedit ſolummodò in ea hypotheſi, ſecundum quam pretium ſit erogatum pro ipſa receptione formalitèr, non vt ſtipendium congruæ ſuſtentationis. Deinde manifeſtè patet ibi eſſe locutionem de monaſterio pingui, quod ſuis reditibus ingredientem alere tenebatur, quod certè iuxta ſuperius dicta ex diſpoſitione Eccleſiæ ſimoniacam redolet prauitatem. Cæterùm reſpectu monaſterij tenuis non eſt prohibita illa pretij receptio ob ſuſtentationem recepti aſſerente D. Thoma *Licet recipere aliquid pro ſuſtentatione perſonæ, quæ recipitur, ſi ad hoc non ſufficiant monaſterij opes.*

D. Thomas.

Alij plures textus poſſunt afferri aduerſus appoſitam aſſertionem; ſed huiuſmodi textus, ſi afferantur, eaſdem, vel ſimiles patiuntur explicationes, quas admittunt præallegati, vndè non eſt, cur vlterius immoremur.

Quæres ſecundò quid ſentiendum ſit de ſacramentalibus? Huiuſmodi ſacramentalia, alia ſunt ſacramentalia præcisè in actione, quæ ab aliquibus appellantur ſacramentalia inuocatiua dumtaxat, ab alijs ſacramentalia tranſeuntia, atque huiuſmodi ſunt benedictiones nuptiales, Exorciſmi, qui nullum relinquunt poſt ſe effectum ſacrum; alia ſunt talia in termino, quæ poſt ſe relinquunt effectum ſacrum, & ſpiritualem, cuiuſmodi eſt benedictio olei, conſecratio calicis, quæ ab aliquibus dicuntur ſacramentalia conſtitutiua, ab alijs ſacramentalia permanentia, quæ etiam dici poſſunt talia non ſolum in termino ratione effectus ſacri permanentis, ſed etiam in actione propter inuocationem, qua huiuſmodi effectus conſtituuntur. De ijs omnibus potiſſimum controuertitur primò, an ſi adæquatè, & ſecundum ſe ſumantur ſint materia ſimoniæ. Secundò, an etiam ſint talia, ſi ſumantur ſecundum materiam, qua conſtant præcisè, & alia ex his ſubſequentia.

Sacramentalia, vel ſunt in actione, vel in termino, vel in vtroq;

Reſpondeo primò, ſacramentalia omnia ſiuè in actione, ſiuè in termino, ſiuè in 3
actione ſimul, & termino eſſe materiam propriè ſimoniæ. In hanc reſponſionem ferè omnes conſentiunt, vt videre eſt apud *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 14. nu. 2. Ognate tract. 23. diſp. 82. ſect. 5. num. 95. 96. 97. 98.* vbi iura, & Doctores allegant.

Suarez.
Ognate.

Ratio in vniuerſum eſſe poteſt, quia huiuſmodi ſacramentalia quomodocunque ſumantur inuoluunt ſecundum ſe rationem ſpiritualitatis, quamuis quandòque includant etiam aliquid corporale ratione materiæ, ergo ſecundum ſe propter illam rationem ſpiritualitatis, quam habent, ſunt materia propria ſimoniæ. Antecedens probatur diſcurrendo per ſingula huiuſmodi ſacramentalia, & quidem primò, ſi accipiantur ſecundum quod ſunt talia conſtitutiuè, ſeù in termino vix eſſe poteſt ratio dubitandi, quandòquidem ipſe terminus ſecundum ſe eſt ſacer, & per actionem ſacram conſtituitur; vndè meritò emanauit diſpoſitio iuris *in cap. ſi quis obiecerit 1. quæſt. 3.* vbi indefinitè ſtatuitur, quod res, quæ ex conſecratione proueniunt, venales non ſint, ſi verò ſecundò accipiantur, ſecundum quod talia ſunt ſolummodò in actione, ſeù tranſeuntèr, tunc videtur maior ratio dubitandi eò, quia huiuſmodi, & ſimiles actiones fieri etiam poſſunt conuenientèr à Laicis, vt quandò Pater filium benedicit, Senex iuuenem, vel Pater familias menſam; nihilominus adhuc ſic euincitur, quia huiuſmodi actiones, prout conſtituunt ſacramentalia procedunt à poteſtate ſupernaturali ordinum, & ad ſpiritualem finem ordinantur, cuiuſmodi non ſunt illæ actiones, quæ fiunt à priuatis per-

Quomodocunque ſumantur inuoluunt rationem ſpiritualitatis.
Prout conſtituunt ſacramentalia procedunt à poteſtate ſpirituali

perſonis laicalibus, ergo &c. vndè meritò ſtatutum eſt per Eccleſiam ſacra miniſteria non vendi *cap. cum ad noſtram, cap. cum in Eccleſia cap. ſuam de ſimonia*; ſacramentalia autem ſunt ſacra miniſteria *Nauarrus cap. 23. nu. 99. Sotus lib. 9. de iuſt. quaſt. 6. art. 1. Redoanus de ſimonia part. 3. cap. 17. num. 18.* Neque dicas, per huiuſmodi ſacramentalia tranſeuntia res benedictas non ſeparari à communibus, & profanis vſibus, adeòque ipſa ſacramentalia non eſſe propriè materiam ſimoniæ; Non, inquam, hoc dicas, quià ſacramentalia huiuſmodi in actione dumtaxat non conſiſtunt in re, circà quam fiunt, adeòque ipſam non extrahunt à communibus, & profanis vſibus, ſed ſimplicitèr in ipſa inuocatione, ſicque reſponſio noſtra non procedit de ipſis rebus, ſed de talibus actionibus, quæ propterea exerceri nequeunt pro pretio.

Nauarrus. Sotus. Redoan.

4 Reſpondeo ſecundò, ſacramentalia in termino ratione materiæ, qua conſtant non ſunt ſecundum ſe materia propria ſimoniæ, & licitè vendi poſſunt, dummodò pretium non augeatur ratione conſecrationis, ni aliqua lege poſitiua in determinato aliquo genere vendi prohibeantur *D. Thomas ſecunda ſecunda quaſt. 100. art. 4. ad primum, ſecundum, & tertium Durandus in 4. diſt. 25. quaſt. 3. Richardus quodlib. 2. quaſt. 24. D. Antoninus 2. part. tit. 1. cap. 5. num. 23. Silueſter verb. ſimonia quaſt. 12. Caietanus verb. ſimonia reg. 1.* aduerſus *Gloſam in cap. placuit 1. quaſt. 1. & in cap. ea qua, & c. non ſatis de ſimonia, Aſtenſem in ſumma lib. 6. tit. 55. art. 9. & alios* exiſtimantes res conſecratas quandiu conſecrationem retinent, non poſſe vendi ſine labe ſimoniæ.

D. Thomas. Durand. Richard. D. Antoninus. Silueſter. Caietanus. Gloſa. Aſtenſis.

Ratio huius reſponſionis eſſe poteſt, quia materia illa ſecundum ſe eſt pretio æſtimabilis, nec valorem amittit ex eo, quod ipſi adijciatur conſecratio, ergo, ſi non adſit aliquod ius prohibens, æquè erit vendibilis, ac ſi non eſſet conſecrata, ſeù benedicta.

Dices primò, etiam ius ad temporales prouentus, quod eſt in beneficijs eſt ſecundum ſe pretio æſtimabile nec amittit valorem ex eo, quod coniungatur cum titulo ſpirituali, & tamen propter connexionem, quam habet cum eodem titulo, non eſt vendibile ſine labe ſimoniæ, ergo quamuis materia ſacramentalium permanentium ſit ſecundum ſe pretio æſtimabilis propter connexionem tamen, quam habet cum ipſa conſecratione, erit omninò inuendibilis. Sed contra, iam habes reſponſionem ex ſupradictis, tùm quia ius ad temporales prouentus eſt annexum ſpirituali conſequentèr, adeòque eſt quaſi acceſſorium ad ſpirituale, quod propterea nequit ſine illo ſubſiſtere, materia autem in ſacramentalibus permanentibus eſt annexa conſecrationi antecedentèr, adeòque eſt quaſi principale, quod propterea poteſt ſubſiſtere quodamodò ſine acceſſorio, ſaltem per intentionalem ſeparationem; tùm quià in ordine ad venditionem conſuetudine iam legitimè præſcripta materia ſacramentalium eſt ſeparabilis ſufficientèr intentionalitèr per ſolam intentionem vendentis, beneficium autem ab officio, non niſi auctoritate Summi Pontificis.

Ratio diſparitatis inter temporales prouentus connexos beneficio, & materiam annexã conſecrationi.

Dices ſecundò, aduerſari reſponſioni noſtræ textum *in cap. ſi quis obiecerit 1. quaſt. 3.* vbi dicitur - *Si quis obiecerit non conſecrationem emi, ſed res ipſas, qua ex conſecratione proueniunt, penitus deſipere probatur*, ergo nec ſacramentalia in termino ratione materiæ ſunt vendibilia. Sed contra, quia in eo textu non eſt ſermo de Eccleſia materialitèr ſumpta, ſed de Eccleſia benedicta formalitèr conſiderata, & ſecundum ſe *Bonacina tract. de ſim. quaſt. 4. §. 2. num. 4. verſ. obijcies primo in fine*; neque obſtare poteſt, ſi aſſeratur in eo textu fieri vtriuſque ſegregationem dum dicitur, *non conſecrationem emi, ſed res ipſas, qua ex conſecratione proueniunt*; non, inquam, obſtare poteſt, quia vt bene explicat *Gloſa in verbo, ſed res* nomine rei non eſt ſermo de rebus corporalibus, ſed de iure ſpirituali, cui hæret officium, vel de iure percipiendi res, vel de rebus conſecratis iuxta textum *in cap. ſi forte 12. quaſt. 4. & cap. hec quippe 3. quaſt. 3.* Addo ibi eſſe ſermonem non de ſacramentalibus, ſed de beneficijs, vt explicat eadem Gloſa ibid. dum dicit. *Quidam ſimoniaci excuſabant ſe dicentes, ſe non emere prabendas, ſed fructus prabendarum; Sed dicit Paſchalis, quod ſi quis pro temporali fructu pecuniam offerat ſine quo Eccleſiaſticum beneficium eſſe non poteſt, neutrum inuenditum derelinquit*; circa quæ beneficia ſpecialis eſt ratio, quia vtſupra dicebamus illa duo iura ad temporalia ſcilicet, & ſpiritualia ſunt inſeparabilia, niſi per auctoritatem Summi Pontificis. Adde ſecundò illum textum ſolummodò procedere ſecundum præſumptionem, non ſecundum veritatem.

Eſt ſermo de Eccleſia benedicta formalitèr. Bonacina.

Gloſa.

Dices tertiò, ſi pro ſacramentalibus ratione materiæ ſine labe ſimoniæ poſſet exigi pretium, poſſet etiam pro laboribus, & operibus requiſitis ad conſecrationem, & miniſtrationem ſacramentorum exigi proportionatum pretium, ſed hoc eſt contra ſuperius dicta, ergo &c. Maior probatur, quia etiam in miniſtratione ſacramentorum, & conſecratione poſſunt diſtingui materiale, & ſpirituale nempè labor, defatigatio, & ipſum actuale miniſterium, & ipſum formale conſecrationis, & miniſtrationis, ergo &c. Sed contra in primis diſpar eſt omninò ratio, quia materia

Argumentum à paritate deſumptum eiuſque diſſolutio.

reſpectu ſacramentalium eſt omninò antecedens, & ſe habet per modum principalis, cui accedit conſecratio, & benedictio, vt quid omninò conſequens; materiale verò in illis actionibus, de quibus procedit Inſtantia, non eſt quid antecedens, ſed quid ſimpliciter concomitans, & quaſi intrinſecum eidem formali, ſeù ſpirituali per ea, quæ ſupra docuimus; procedit etenim difficultas de illis actionibus, quæ per ſe connectuntur cum ipſa conſecratione, & adminiſtratione; atque ita ſentit *Suarez d. lib. 4. cap. 14. num. 14.* Deindè dici poteſt in conſecratione, & miniſtratione ſacramentorum non poſſe vendi ipſum corporale, quod eſt, ſeù conſiderari poteſt in ipſis, quia illud corporale ità coniunctum eſt in talibus operationibus cum ſpirituali, vt illud locum teneat ſpiritualis, cum ita ſit eleuatum per inſtitutionem, vt intelligatur intimè tale, cum ſecundum ſe contineat intrinſecum cultum Dei; in ſacramentalibus verò poteſt vendi ipſa materia, quia ſecundum ſe non eſt intimè ſpiritualis, cum ſecundum ſe ſemper maneat in eſſe corporali, atque ità ſentit *D. Bonauentura in 4. diſt. 25. quæſt. 5. dub. 5.*

Suarez.

5 Dixi, *ni aliqua lege poſitiua in determinato aliquo genere vendi prohibeantur*, quandòquidem Eccleſia quandòque ad maiorem ſacramentorum, rerumque ſacrarum decentiam, ornatum, & reuerentiam prohibuit, eaſdem vendi etiam intuitu materiæ. Vt autem clariùs procedamus, placet hic breuiter omnia prohibita enumerare; & quidem

Exceptio à communi regula.

6 Primò prohibentur vendi actiones omnes materiales, quæ pro ſe requiruntur ad confectionem ſacramentorum, quamuis importent laborem ſecundum ſe pretio æſtimabilem, quandòquidem, vt ſupra aſſerebamus, huiuſmodi actiones ità ſunt intrinſecæ moraliter ipſi ſpiritualitati ſacramentorum, rerumque ſacrarum, vt quodamodò tranſeant in ſpirituales *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 13. & 14. Filliutius tract. 44. cap. 3. quæſt. 10. num. 22.*

Prohibentur primo vendi actiones materiales, quæ per ſe requiruntur ad cõfectionem ſacramẽtorum. Suarez. Filliut.

Secundò prohibentur vendi veſtes ſacræ, non quidem ſimpliciter, ſed in ordine ad profanos vſus, niſi mutetur forma, & figura, ita vt benedictionem amittant, quod idem dicendum eſt de vaſis ſacris *Armilla in ſumma verb. ſimonia num. 34. Argent. 4. diſtin. 25.* & colligitur *ex cap. aurum 12. quæſt. 2. & ex cap. ea enim §. hoc ius 10. q. 2.* Nota tamen, hanc prohibitionem in ordine ad humanos, profanoſque vſus inductam eſſe non ad finem vitandæ ſimoniæ, ſed ad vitanda ſacrilegia iuxta diſpoſitionem iuris *in reg. ſemel dicatum de reg. iuris, & in cap. in ſancta, cap. veſtimenta de conſecr. diſt. 1.* Cæterum in ordine ad vſus ſacros ratione materiæ vendi poſſe communis eſt Doctorum conſenſus, & quidem fundatur in rationibus ſuperius allatis. Nota hic etiam, huiuſmodi veſtes, & ſacra vaſa poſſe alteri Eccleſiæ in ordine ad ſimiles vſus, pro quibus fuerunt conſtituta, non ſolum diuendi attento præcisè valore materiæ, ſed etiam attento valore artificij, quo facta ſunt, ſiquidem non minus materia ipſa, quam artificium ſunt ſecundum ſe pretio æſtimabilia *Vgolinus tab. 1. cap. 44. §. 2. num. 10.*, quod alij non improbant, licet expreſsè non approbent; attendendum tamen eſt, ne propter conſecrationem pretium augeretur, quia tunc ratione illius exceſſus contractus tranſiret in ſimoniacum.

Prohibentur vendi veſtes ſacræ in ordine ad profanum vſum. Armilla. Argent. Vgolin.

Tertiò prohibentur vendi chriſmata ſacramentalia, quæ adhibentur in baptiſmate; & in confirmatione *can. quidquid. 101. ex Concil. Tol. 1. quæſt. 1. & can. dictum ibidem 1. quæſt. 1.*, quod etiam euincitur *ex cap. non ſatis 8. de ſimonia, & cap. ea, quæ 16. eod. tit.* quod idem omninò dicendum eſt de oleis etiam ſacris cathecumenorum, & infirmorum propter paritatem rationis, & iurium.

Prohibentur item vẽdi chriſmata ſacramẽtalia.

Quartò prohibentur vendi reliquiæ ſanctorum, quinimmò etiam exhiberi pro pretio *cap. vlt. de reliq. & vener. ſanctorum, & ibi Gloſa, Abbas, & Doctores communiter Silueſter verb. reliquia Filliutius cap. 2. quæſt. 12. num. 27.*

Item reliquiæ Sanctorum. Silueſter. Filliut.

Quintò prohibentur vendi Agnus Dei tùm propter declarationem Gregorij XIII. vetantis huiuſmodi Agnos pingi, & ſic pictos venales exponi, tùm propter ſpeciales prohibitiones in Vrbe Romana, de quibus teſtatur *Valentia tom. 3 diſp. 6. quæſt. 16. punct. 2. colum. 7. verſ. poſterioris.*

Item Agnus Dei.

Quæres tertiò, quid ſentiendum ſit de ſacramentis. Hæc quoque ſacramenta conſiderari poſſunt, vel ſecundum materiale, quod habent, vel ſecundum eſſe formale. Porrò huiuſmodi ſacramenta conſiderari poſſunt, prout conſtituunt ſub diuerſa ratione formali diuerſa aggregata; vel enim ſumuntur, quatenus ex rebus, & verbis fiunt, illis tanquam cauſa materiali, iſtis tanquam cauſa formali ſacramentali, vel quatenus ex toto ſacramento conſtituto ex tali materia, & forma tanquam ex re ſignificante, adeòque tanquam ex materia, & ex ſignificatione tanquam ex forma reſultant. Circa hoc quæſitum difficultas erit primò, an omnia ſacramenta ſecundum ſe conſiderata ſint materia propria ſimoniæ; ſecundo, an etiam habeant rationem talis materiæ, ſi conſiderentur præcisè ratione materiæ, vtroque modo mox explicato ſumptæ.

Difficultates circa ſacramenta, earumque expoſitio.

7 Reſpondeo primò, omnia ſacramenta ſecundum ſe ſumpta nullo penitus excepto

ſunt

D. Thomas. Suarez. Filliuc. Silueſter.

ſunt materia propria ſimoniæ *D. Thomas ſecunda ſecunda quæſt.* 100. *art.* 2. *& 3. Suarez lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 5. *Fillintius tract.* 45. *cap.* 3. *quæſt.* 2. *num.* 2. *Silueſter verb. ſimonia quæſt.* 8. *& alij communiter.*

Sacramẽta ſunt eleuata virtute Chriſti ad eſſe ſupernaturale.

Probatur in vniuerſum, quia ipſa ſacramenta ſecundum ſe ſumpta, quantumuis inſtituta ſint in rebus omninò corporalibus adhoc, vt ſint accommodatiora humanis vſibus puta in rebus, & verbis, quæ ſecundum ſe ſunt quid purè materiale ſunt tamen eleuata virtute Chriſti inſtituentis ad eſſe ſupernaturale, & ad effectus ſupernaturales efficiendos, ergo ſecundum ſe ſumpta ſunt materia propria ſimoniæ. Confirmatur primò, quia huiuſmodi ſacramenta ex Diuina inſtitutione habent relationem ſigni ad gratiam, quam non ſolum ſignificant, ſed etiam abſolutè conferunt, ergo &c. Confirmatur ſecundò, quia ad huiuſmodi ſacramenta confluunt ceremoniæ quædam ſacræ a Chriſto Domino inſtitutæ ad diuinum cultum, ergo in eorum venditione &c.

Glosæ.

Sacramẽtum etiã matrimonij eſt verè, & propriè ſimonia.

Hæc adeò vera ſunt, vt nullus ſit, qui ambigat; Solum peculiaris quædam ratio dubitandi eſſe poteſt circa ſacramentum matrimonij tùm propter ſenſum *Gloſa in cap. cum in Eccleſia de ſimonia* ſentientis non eſſe materiam ſimoniæ, adeòque vendi poſſe, quià per ipſum non confertur gratia iuxta *cap. connubia* 32. *quæſt.* 2. *& cap. nuptiarum* 27. *quæſt.* 1. tùm propter dotes, quæ pro matrimonijs aſſignantur, tùm propter donationes propter nuptias, quibus quandòque vxor attrahitur. Nihilominus abſolutè ſentiendum eſt, & ſacramentum matrimonij eſſe veram, & propriam materiam ſimoniæ *Sotus 9. de iuſt. quæſt.* 6. *art.* 1. *ad vltimum Suarez lib.* 4. *cap.* 10. *nu.* 9. *Fillintius tract.* 14. *cap.* 3. *quæſt.* 3., & alij communitèr. Ratio eſt, quia matrimonium eſt verum, & reale ſacramentum nouæ legis inſtitutum a Chriſto Domino, vt definitum eſt *in Concil. Trid. ſeſſ.* 7. *& ſeſſ.* 24. *cap.* 1. & re vera confert gratiam, niſi tempore celebrationis eiuſdem adſit in contrahentibus obex. Quamobrem ad id, quod mox afferebatur pro ratione dubitandi dicendum eſt, ea, quæ afferebantur ex Gloſa, falſo inniti fundamento, quandòquidem ſacramentum matrimonij veram, & realem confert gratiam, vt definitum eſt *in dicto Conc. Trid. d. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. Ad id, quod ſubditur de dote patet ex ſuperius dictis, quid ſit reſpondendum; dos etenim non eſt propter ſacramentum, ſed propter contractum oneroſum, qui connectitur, ſeù præſupponitur ad idem ſacramentum ad ſuſtinenda onera eiuſdem matrimonij; Ad id, quòd ſubditur de donationibus propter nuptias dicendum eſt, vel omninò

Sotus. Suarez. Filliuc.

Dos eſt propter contractũ oneroſum.

liberalitèr, & gratuitò conferri, vel dari ad conſtituendam æqualitatem in contractu, non quatenus ſacramentum eſt, ſed quatenus præcisè contractus, quandòque etenim contingit, vt ſit quædam inæqualitas inter contrahentes, ad quam inæqualitatem, quantum fieri poteſt, tollendam per ſponſum ponuntur illæ donationes; quandòque etiam ſub conuentione *Suarez lib.* 4. *de ſimonia cap.* 10. *num.* 10. *&* 11. *Ognate tract.* 23. *de Simon. diſp.* 82. *ſect.* 3. *num.* 52. *&* 53. *Reginaldus lib.* 23. *cap.* 14. *num.* 197.

Arrhæ dantur liberalitèr.

Suarez. Ognate. Reginaldus.

7 Reſpondeo ſecundò, ſi ſacramenta ſumantur, quatenus ſunt quoddam conflatum ex quodam ſigno tanquam ex re materiali, & ſignificatione tanquam forma etiam ſecundum materiale, quod habent, ſunt materia ſimoniæ. Ratio eſſe poteſt, quia tunc totum ſacramentum ſecundum ſe habet rationem materialis in ordine ad illud conflatum, & ſub hac conſideratione importat non ſolum materiam remotam, ſed etiam proximam eorundem ſacramentorum, ſed materia proxima ſacramentorum eſt materia propria ſimoniæ *D. Thomas ſecunda ſecunda quæſt.* 100. *art.* 2. *Suarez lib.* 4. *de ſimonia cap.* 11. *num.* 3. *D. Antoninus ſecunda part. tit.* 1. *cap.* 5. *§.* 16. *Durandus in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 3. *Paludanus etiam in* 4. *d. diſt.* 15. *quæſt.* 5. & apertè colligitur *ex cap. cum in Eccleſia de ſimonia*, ergo &c. Sed clariùs conſtabit ex infra dicendis.

D. Thomas. Suarez. D. Antoninus. Durand. Paludan.

8 Reſpondeo tertiò, ſacramenta, ſi ſumantur in ordine ad materiam remotam vtique vendi poſſunt ſine labe ſimoniæ *Suarez lib.* 4. *de ſim. cap.* 11. *num.* 2. *Bonacina quæſt.* 4. *§.* 1. *num.* 2. & eſt communis. Ratio eſt, quia materia illa ſacramentorum, licet coniungatur cum ſpiritualibus, antecedit tamen ſpirituale, nec amittit ſuam æſtimationem per connexionem cum illo, ergo vtique vendi poteſt, dummodò in venditione non veniat ipſum ſpirituale, & certè ſine ſimonia; nam ſi per conſecrationem v. g. non amittit ſuam æſtimationem, certè requiritur, quod ſi ante illam vendi poterat ſine ſimonia, etiam ſine illa vendi poſt illam, Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, per ipſam conſecrationem fieri inæſtimabilem, & inuendibilem; non, inquam, obeſſe poteſt, quia conſecratio conſequitur ad eandem materiam, adeòque illi quodamodò tanquam acceſſorium adiungitur; principale autem ex ſuperius dictis poteſt ſaltem intentionalitèr diuidi ab acceſſorio, & ſine illo ſubſiſtere, in qua certè intentionali ſeparatione ſuam retinet æſtimabilitatem.

Suarez. Bonacina.

Licet coniũgatur cum ſpiritualibus antecedit tamẽ ſpirituale.

Principale poteſt ſaltẽ intentionalitèr diuidi ab acceſſorio.

Dices, materiam remotam ſacramentorum Baptiſmi, confirmationis, & extremæ vnctionis ſunt aqua, Chriſma, & oleum non nudè, ſed ſumpta, vt conſecrata &

bene-

benedicta; nam proxima eſt ipſa ablutio, & vnctio, ſed oleum, vt conſecratum, & aqua vt benedicta ſunt materia propria ſimoniæ, ergo materia horum ſacramentorum &c. Sed contra reſponſio ad hanc inſtantiam colligenda eſt ex dictis ſupra *in hac eadem Pranot. ſub primo quæſito*. Deindè nomine materiæ remotæ hic non intelligimus, niſi illam materiam ſecundum ſua naturalia ſumpta, & licet materia proxima propriè ſumpta conſiſtat in illis actionibus ſuppoſita materia remota, per quas conſtituitur in eſſe proximo, non propterea ſequitur, quod oleum conſecratum, & aqua benedicta ſit materia abſolutè remota, ſed ad ſummum in actu primo proximo, licet non in actu ſecundo; vnde tunc independentèr ab illis actionibus habes ſolummodò rationem ſacramentalis permanentis, de quo propterea eadem dicenda ſunt, quæ ſuperius de eiſdem ſacramentalibus dicta fuerunt.

Nomine materia remota intelligimus res ſecundum ſua naturalia.

9 Reſpondeo IV. Sacramenta in ordine ad materiam proximam vtique vendi non poſſunt ſine labe ſimoniæ *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 2. *Tabiena, & Silueſter verbo ſimonia D. Antoninus d. p.* 2. *tit.* 1. *cap.* 5. §. 16. Ratio eſt, quia ad conſtituendam talem materiam proximam in miniſtro exercente huiuſmodi opus duo conſiderari poſſunt, & ipſa actio corporalis, vt eſt ablutio in ſacramento baptiſmatis, vnctio in confirmatione, & extrema vnctione, conſecratio in Euchariſtia, & ſimilia, & item labor, qui regularitèr impenditur in ipſa actione corporali, ſed ex neutro ex ijs poteſt pretium exigi ſine labe ſimoniæ, ergo &c. Minor quoad primam partem non indiget probatione, quia illa actio corporalis, quæ conſiſtit in ablutione, & vnctione procedit à poteſtate ſpirituali, & ſupernaturali, ſicque tota ſecundum ſe eleuatur ad eſſe diuinum, & ſupernaturale, & ordinatur ad finem, ſeù terminum ſupernaturalem, & euincitur etiam potiſſimum *ex cap. ſi quis* 1. *quæſt.* 3. Quoad ſecundam verò deducitur ex ſupradictis, quandòquidem ille labor ita eſt concomitans, & quaſi moralitèr intrinſecè affixus præfatæ actioni, vt ſimul cum illa tranſeat in eſſe ſpirituali. Aduertè hic, quod loquimur de labore, & defatigatione, qui per ſe coniungitur cum miniſterio operis ſupernaturalis, nam de labore accidentario, ſeù per accidens contingente ratione alicuius circunſtantiæ extrinſecæ, quæ ſit extra rationem formalem talis operis idem dicendum eſt, quod ſupra dictum fuit.

D. Thomas. Tabiena. Silueſter. D. Antoninus.

Illa actio corporalis procedit à poteſtate ſpirituali

Solum hic remanet dubitandum, quomodò hæc, quæ in hac reſponſione dicuntur, cohæreant cum communi praxi, iuxta quam pro traditione corporum in ſacramento matrimonij, in qua conſiſtit materia proxima talis ſacramenti pecunia traditur, nec tamen tradentes, & recipientes damnantur ſimoniacorum. Sed facile reſponderi poteſt, ſi aſſeratur illud pecuniarium, quod traditur, eſſe non in ordine ad ipſam corporum traditionem, ſed in ordine ad alias circunſtantias annexas puta ad onera matrimonij ſuſtinenda, ſi ſit dos, vel ad conciliandam beneuolentiam, ſi ſit donatio propter nuptias, quæ regularitèr eſt ex motiuo gratuito, vel ad conſtituendam æqualitatem, ſi ſit aliqua inæqualitas, quod reſpicit materiam dumtaxat remotam, nempe corpus contrahentium. Deinde dici poteſt non emi ipſum corpus, ſed aliqua eius conditio puta nobilitas, peritia in aliqua arte, vel compenſari aliquis defectus ex parte alterius contrahentis.

Illud pecuniarium, quod ſoluitur in matrimonio non eſt in ordine ad ipſam corporum traditionem.

Quæres quartò, vtrum ſepultura ſit, ſeù eſſe poſſit materia ſimoniæ, ſeù an committatur ſimonia concedendo ſepulturam pro pretio. Nomine ſepulturæ, prout ad ad præſentem locum attiner tria venire poſſunt, de quibus omnibus poteſt eſſe controuerſia, an ſit materia propria talis deformitatis ſimoniacæ ſiuè iuris diuini, ſiuè iuris dumtaxat humani. Primò venit terra illa, in quam mortui inferuntur; quæ terra adhuc multiplicitèr poteſt conſiderari, nam vel ſumitur, prout eſt ſitus quidam materialis extra Eccleſiam non ſecundum ſe deſtinatus ad humanda defunctorum corpora, nec ab Eccleſia benedictus, vel prout eſt quidem ſitus materialis deputatus tamen ad talia munera, & ab Eccleſia benedictus, vel prout eſt in Eccleſia ad hæc munera deſtinatus, & fortè etiam in cæmeterio Eccleſiæ benedicto eadem dumtaxat benedictione, qua tota Eccleſia benedicitur, vel tandem pro ſitu materiali in Eccleſia exiſtente, & ab eadem benedicto non ſolum eo ritu, quo tota Eccleſia benedicitur, ſed ſimul ritu quodam ſpeciali, quo cæmeteria, & loca mortuorum benedicuntur, vt patet in Miſſali Romano. Secundo venit officium defunctorum, & exequiæ, quibus defuncti iuſta perſoluuntur. Tertiò venit ius inferendi in ſepulchrum aliquem in particulari, vel ſimul cum illo conſanguineos illius. Pro ſolutione præcipue in ordine ad primum

Nomine ſepulturæ tria veniunt, & enumerantur.

Venit officium defunctorum, & exequiæ.

Aduerte ſitum illum, de quo poteſt eſſe controuerſia, an ſit materia ſimoniæ, ſi fuerit in loco ſacro, puta in cæmeterio, vel Eccleſia, poſſe quandòque eſſe honoratiorem altero etiam exiſtente in loco ſacro ex duplici titulo, vel ratione alicuius reſpectus merè temporalis, vel reſpectu alicuius circunſtantiæ, vel rei ſacræ, & ſpiritualis. Primo modo dicitur honoratior, vel

Situs poteſt eſſe honeſtior, vel reſpectu alicuius temporalis, vel ratione ſpiritualis.

ratio-

ratione artificij, quo locus ille conditus eſt, vel ratione eminentiæ &c. Secundo modo dicitur honoratior, quatenus eſt intra Eccleſiam, non in cæmeterio, vel quatenus eſt propinquius altari, & per conſequens corpori Chriſti Domini. His pro notitia ſuppoſitis.

10 Reſpondeo primò, ſi ſepultura ſumatur pro ſitu quodam materiali extra Eccleſiam non ſacro, nec communi pro ſepultura, non eſt materia propria ſimoniæ *Bonacina quæſt.4. de ſimonia §. 6. num. 1. Ognate tract. 23. diſp.82. ſect.7. num.159.* Ratio eſt, quià talis locus venalis eſt *l. 2. §. purus ff. de relig. & l. locum C. eod. tit.* nec ex eo, quod ordinetur poſtea, & etiam ex fine intento ad humanda defunctorum corpora deſinit eſſe talis, ſicuti ex eo, quod locus aliquis ſecundum ſe profanus acquiratur in ordine ad fundandam in ipſo Eccleſiam deſinit eſſe purus, & venalis, vt per ſe patet; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur apud infideles etiam, & paganos locum deſtinatum ad mortuorum ſepulchrum habitum fuiſſe pro Religioſo, & ſacro, adeòque &c.; non, inquam, obeſſe poteſt, quia in primis tunc habebatur pro ſacro, & Religioſo, quandò iam ibi defunctorum corpora erant humata. Deinde quantumuis tunc haberentur huiuſmodi loca pro ſacris, & Religioſis, nunquam tamen verum erat, vt eſſent res ſacra, & ſupernaturalis, & vt ad ſimoniæ materiam verè pertinerent.

Bonacina. Ognate.

Reijcitur, quadam antiquitas de ſepulchris Ethnicorum.

11 Reſpondeo ſecundò, nec ſitum illum materialem ſecundum ſe ſumptum euadere materiam ſimoniæ ex eo, quod aliqua corpora ibi fuerint condita. *Silueſter verb. ſimonia quæſt. 11.* & colligitur *ex gloſ. in cap. abolenda 13. de ſepult.* Ratio eſt, quià ex ſuperius dictis locus ille ſecundum ſe purus eſt, & venalis, nec per illationem alicuius corporis defuncti ipſo iure ſit ſacer, cum nec corpus illud ſacrum ſit, nec habeat virtutem ſacrandi, quandòquidem non maiorem vim habet, ac habeat corpus viuum, ergo non ſit per eandem illationem materia propria ſimoniæ. Quod ſi quandòque huiuſmodi loca etiam in iuribus dicantur ſacra, & Religioſa, hæc dicta procedunt de gentilica ſuperſtitione, & quidem etiam ſecundum quandam honeſtatem moralem, non ſecundum veritatem realem fundatam in ſupernaturali ratione.

Silueſter.

Humatio corporum nõ conſtituit per ſe locum ſacrum.

12 Reſpondeo tertiò, ſi ſepultura ſumatur pro ſitu aliquo, ſeù cæmeterio ad ſepulchrum fidelium benedicto, vel publicè dicato, vtique eſt materia ſimoniæ, ſi adæquatè ſumatur *D. Thomas d. quæſt. 100. art. 4. ad tertium Gloſ. Panormitanus, & alij in cap. abolenda 13. de ſepulturis.* Ratio eſt, quia ſepultura hoc modo ſumpta computatur inter ſacramentalia in termino, quandòquidem per actionem procedentem a poteſtate ſpirituali conſtituitur talis, vt videre eſt in alijs omnibus, ſed ſacramentalia in termino, ſi ſecundum ſe, & adæquatè ſumantur, ſunt materia propria ſimoniæ per ea, quæ latè dicta ſunt in hac eadem prænot. ſub 1. quæſt. ergo &c.

D. Thomas. Panorm.

Sepultura benedicta computatur inter ſacramentalia in termino.

13 Reſpondeo quartò, ſepultura communi ritu benedicta eadem benedictione, qua tota Eccleſia benedicitur, etiam ſecundum ſe, & adæquatè ſumpta eſt materia ſimoniæ *Abbas in cap. quanto de iudic. num. 13. D. Antoninus 2 part. cap. 1. tit. 5. §. 22. Silueſter verb. ſimonia quæſt. 11.* iuxta *cap. ad noſtram cap. cum in Eccleſia, & cap. non ſatis de ſimonia.* Ratio eſt, quia in data hypotheſi dicta ſepultura eſt pars Eccleſiæ, ergo, ſicuti Eccleſia ipſa benedicta, ſi ſecundum ſe, & totum id, quod dicit, vt formalitèr talis eſt materia ſimoniæ, etiam erit talis ſepultura in ipſa contenta, eadem ſi ſit affecta benedictione, ſiquidem ſi illa benedictio ipſam Eccleſiam conſtituit benedictam, & omnes ipſius partes conſtituere tales dicenda eſt, eadem enim ratio, quæ eſt de toto, de omnibus eius partibus adeſſe debet; ex quibus a fortiori deduces materiam eſſe ſimoniæ, ſi non ſolum ritu communi, ſed etiam ſpeciali eadem ſepultura ſit ſacrata, ſeù benedicta, vt latè proſequitur *Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 82. ſect. 7. num. 149.* quem tu recole.

Abbas. D. Antoninus. Silueſter.

Sepultura eſt pars Eccleſiæ.

Ognate.

14 Reſpondeo quintò, ſepultura honoratior ratione circunſtantiæ, ſeù rei ſacræ vtique eſt materia ſimoniæ, ſecus ſi ſit honoratior ratione alicuius reſpectus merè temporalis *D. Antoninus 2. part. cap. 1. tit. 5. § 22. Silueſter verb. ſimonia quæſt. 11. Suarez lib. 4. cap. 14. num. 22. Reginal. lib. 23. num. 226. Fillintius cap. 3. quæſt. 11.* Ratio primæ partis eſt, quia ſi quod pretium erogaretur pro illo loco honoratiori intuitu commodi ſpiritualis vtique eſſet pro re magis ſpirituali, ergo eſſet erogatio abſolute ſimoniaca. Antecedens probatur, quia id, quod emeretur, nil aliud eſſet, quam ſanctitas loci, & quidam reſpectus ad maiorem ſanctitatem, quæ reſultat ex tali loco, ergo illud, quod erogaretur eſſet pro re magis ſpirituali; ſicuti igitur iuxta ſuperius dicta, ſi in commutatione beneficij pinguioris ratione ſpiritualium munerum cum minus pingui interueniret ſimonia, ſi ratione pinguioris ſolueretur pecunia, ita ſi pro loco honoratiori ratione circunſtantiæ ſpiritualis ſolueretur pretium, ſeù res pretio æſtimabilis committeretur propriè ſimonia. Quod ſi dicas, illud pretium non erogari ratione ſanctitatis, quæ eſt in tali loco, ſed ratione cuiuſdem humani honoris, qui ex eodem reſultat, ſtatim impugnaberis, nam peto ex quonam reſultet ille

D. Antoninus. Silueſter. Suarez. Reginaldus. Fillint.

Id, quod emeretur nihil aliud eſſet, quam ſanctitas loci.

maior

Maior honeſtas non eſt, niſi ratione maioris ſanctitatis.

maior humanus honor? certè non ex aliquo materiali, cum non ſupponatur locus honoratior ratione alicuius materialis reſpectus, ergo ex maiori ſanctitate eiuſdem loci, adeòque fundamentum talis honoris eſt quid ſpirituale, nempe maior illa ſanctitas; acquirere autem aliquod ſpirituale, ex quo reſultet humanus honor pro pretio eſt ſimoniacum; Quis enim diceret non eſſe ſimoniam, ſi quis acquireret ſoluendo pretium beneficium ex eo, quod ratione talis beneficij reſultaret in acquirente humanus honor?

Illa honorificentia conſiſtit in mera hominum æſtimatione.

Ratio ſecundæ partis eſt, quià illa honorificentia ratione temporalis alicuius reſpectus eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, & licet connectatur rei ſpirituali, ipſam tamen præcedit ratione materiæ, ergo, quia eſt intuitu rei temporalis non eſt materia ſimoniæ, quià præcedit ſpirituale, cum quo connectitur, poterit, vt ab eodem diſtincta, præcisè attendi ſecundum ſe, ſicque vt merè temporalis eſt. Confirmatur, quia illa honorificentia, vtpotè præciſa a reſpectu ſpirituali conſiſtit in mera hominum exiſtimatione, & apprehenſione, quæ ſecundum ſe non conſtituunt quid ſpirituale, ergo ſine præſumptione ſimoniacæ labis erit pretio acquiſibilis, & ſicuti non arguendus, & damnandus eſt ſimoniæ qui pretio acquirit locum honoratiorem, vt ſedeat, ita nec damnandus eſt qui pretio honoratiorem emit ſepulturam, vbi mortuus quieſcat

Suarez. Bonacina.

15 Reſpondeo ſextò, ſi ſumatur ſepultura quantumuis benedicta ſecundum eſſe materiale præcisè, quo conſtat, nempe pro terra illa attento præcisè iure naturæ non eſt propriè materia ſimoniæ, attento verò iure Eccleſiaſtico probabilius videtur materia ſimoniæ iuris humani. In hanc reſponſionem in vniuerſum propendent *Suarez lib. 4. cap. 14 num. 20. Bonacina d. quæſt. 4. §. 6. num. 3. verſ. ego vero.* Ratio primæ partis deducitur ex ſuperius dictis, quia illud materiale ſecundum ſe ſumptum eſt pretio ſecundum ſe æſtimabile, nec per connexionem eum ſpirituali benedictione amittit ſuam æſtimationem, ergo ſicuti ex ſuperius dictis alia annexa ſpiritualibus, ſi ſint antecedentia ad eadem ſpiritualia poſſunt vendi ſine labe ſimoniæ, dummodò non augeatur pretium ratione ſpiritualis annexi, ita ſepultura ſecundum illud eſſe materiale vtique vendi poterit modo &c.

Allegantur iura inducentia ſimoniam Eccleſiaſticam.

Ratio ſecundæ partis deducitur ex varijs iuribus, & præcipuè *ex cap. abolendæ de ſepult.*, vbi ſic legitur *Non prius permittatur effodi ſepultura, quam pro terra, in qua ſepeliendi ſunt, certum pretium Eccleſiæ perſoluatur*, & ſtatim apponitur prohibitio non ſolum pro benedictione, ſed etiam pro terra ipſa *Suarez d. lib. 4. cap. 14. num. 19.* nec video qua ratione, quoue iure idem Suarez allegetur ab *Oguate d. lib. 23. diſp. 82. ſect. 7. num.* 15 t. quaſi quod contrarium ſentiat præcipuè cum *num.* 20. dicat *Non dubito quin peccatum contrà illam prohibitionem ſit ſimonia ſaltem, quià prohibita*; nec exiſtimandus eſt Suarez ibi loqui de ſepultura, tam prout importat materiale ipſum, quàm prout importat eandem ſecundum eſſe ſpirituale, in quo ſolummodò ſenſu aſſerunt eſſe ſimoniam; non, inquam, exiſtimandus eſt, quia, cum dicat eſſe ſimoniam, quia prohibitam, vtique non intelligit de ſepultura adæquatè ſumpta, prout importat etiam benedictionem, quia tunc eſſet materia ſimonia iuris diuini, & naturalis. Intelligit, ergo de ipſa ſepultura ſecundum eſſe materiale ſolummodò, cuius venditionem aſſerit *Bonacina d. quæſt. 4. §. 6. num. 3.* prohibitam eſſe ad vitandam ſimoniæ ſuſpicionem, & periculum, & ſic peccatum contra talem prohibitionem non poteſt eſſe, niſi ſimoniacum, quia peccatum in ea ſpecie conſtituitur, in qua eſt motiuum, cuius intuitu prohibitum eſt; nec nouum hoc debet apparere, quandòquidem plura alia ſacramentalia in termino prohibita ſunt etiam ſecundum eſſe materiale vendi, vt liquet ex dictis *in hac ead. Pranot. ſub quæſt. 1. in fin.*

Suarez. Ognate. Bonacina. Peccatum in ea ſpecie conſtituitur, in qua eſt motiuũ.

Vgolin.

Hinc patet non audiendum eſſe *Vgolinum de ſimon. real. tab. 1. cap. 44. §. 2. nu. 12.* aſſerentem eum, qui venderet ſepulturam benedictam ſecundum eſſe materiale fore quidem reum auaritiæ, & inhumanitatis, non autem ſimoniæ propriè ſumptæ, nec aliud intendere iura prohibentia, quæ aſferuntur *ex cap. quæſta, & cap. poſtquam, & cap. præcipiendum 13. quæſt. 2.* Patet, inquam, non audiendum eſſe, quandòquidem licet Pontifices per talia iura intenderint auaritiam ſubmouere, materia tamen, circa quam verſantur, cum ſit ſpiritualis, & Religioſa non poteſt, niſi conſtituere ſimoniam, ea proportionali ratione, qua Pontifices vetarunt pro ſacrificio Miſſæ v. g. pretium exigi ad vitandam etiam auaritiam; quis autem denegaret ſimoniam committi in illius venditione? cum materia, circa quam verſantur illæ prohibitiones ſit merè ſpiritualis; vndè meritò *in cap. audiuimus de ſimonia* cum alijs ſimoniæ vitijs hoc etiam numeratur. Deindè *in d. cap. in Eccleſiaſtico* allegato ab eodem Vgolino 13. *quæſt.* 2. ſub eodem motiuo prohibetur, & ſub eodem præcepto fieri illa venditio ſepulturæ etiam ſecundum eſſe materiale, quo cætera ſpiritualia, dum in eodem pro eadem ſepultura dicitur. *Gratis accepiſtis, gratis date.*

Reijcitur expoſitio Vgolini.

Hic nonnulli exiſtimant apud *eundem*

Sua-

Suarez d. lib. 4. cap. 14. num. 21. illam prohibitionem vendendi ſepulturam etiam ſecundum eſſe materiale extendendam eſſe dumtaxat ad caſum, quo ſepultura benedicta eſſet, & communis omnibus fidelibus, non autem ad caſum, quo eſſet priuata, & propria alicuius determinatæ perſonæ pro ſe, & conſanguineis, eo quia illa conceſſio ſepulturæ pro pecunia eſſet quędam locatio eiuſdem terræ, quod non videtur eſſe ſecundum ſe quid malum. Sed hæc ratio ad ſummum euincit, quod illa conceſſio non eſſet per ſe mala attento præciſè iure naturæ, de quo ſuprà. Cæterum attento iure poſitiuo non videò, cur præfata iura prohibentia non debeant extendi etiam ad hunc caſum. Certè ipſa indefinitè loquuntur, vt præcipuè colligitur *ex d. cap. in Eccleſiaſtico 13. quæſt. 2.* vbi generaliter dicitur *Interdictum ſit omninò Chriſtianis &c.*

Extenditur præfata iura etiam ad ſepulturā, quādo hæc eſſet alicuius priuatæ perſonæ, & familiæ.

16 Reſpondeo VII. Si ſepultura ſumatur pro officio illo defunctorum, & exequijs, quæ celebrantur, eſt materia ſimoniæ, nec vendi poteſt pro pretio *Hoſtienſis in ſumma tit. de ſepulturis, Silueſter verb. ſepultura num. 2. D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 3. ad ſecundum Sotus 6. de iuſtitia quæſt. 9. art. 2. verſ. igitur Redoanus part. 1. cap. 16. num. 34.* Non difficilis eſt huius reſponſionis probatio, quandòquidem huiuſmodi officia eiuſdem rationis ſunt, ac cætera officia diuina, quæ publica Eccleſiæ auctoritate fiunt, de quibus propterea idem dicendum eſt, quod ſupra dictum fuit *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimonia Prænot. 19.* quæ hic recolenda ſunt, non repetenda; atque huic reſponſioni conformes ſunt textus *in can. caritatem 12. quæſt. 2. cap. ad Apoſtolicam de ſimonia, & cap. cum ſuper, & cap. certificari, & cap. in noſtra 10. de ſepult.*

Hoſtienſis. Silueſter. D. Thomas. Redoan.

Huiuſmodi officia publica Eccleſiæ auctoritate fiūt.

Non negauerim tamen, pro huiuſmodi officijs, & exequijs poſſe aliquid exigi, non tamen, vt pretium formalitèr eorundem, ſed dumtaxat, vt congruum ſtipendium ordinatum ad congruam miniſtrorum ſuſtentationem ea proportionali ratione, qua ſuperius dictum eſt etiam pro celebratione Miſſarum poſſe aliquid exigi, non tamen formalitèr, vt pretium ipſarum, ſed vt congruum ſtipendium ſuſtentationis.

Poteſt tamen pro illis aliquid exigi, non vt pretium, ſed vt congrua ſuſtentatio.

17 Reſpondeo VIII. Ius, quod quis habet in aliquo ſepulchro tanquam proprio, vtpotè proprijs ſumptibus empto, vel ædificato non eſt materia propria ſimoniæ, ſi vendatur quoad proprietatem quoad valorem fundi, & reſpectu habito ad expenſas in eodem ædificando factas *Silueſter verb. ſimonia quæſt. 12. verſ. 3. D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 4. ad tertium Suarez lib. 4. cap. 14. num. 18. Vgolinus tab. 1. cap. 44. §. 2. num. 10.*, non enim iure naturæ repugnat talis venditio, ſicuti non repugnat venditio aliarum rerum ſacrarum, puta veſtium, & ſacrorum calicum, ſi ſecundum materiale ſumantur ad ſuperius probata, de quibus non eſt diſpar ratio, nec aliquo iure poſitiuo prohibetur, quandòquidem iura ſuperiùs allegata procedunt dumtaxat de iure inferendi aliquem in aliquam ſepulturam benedictam, & communi omnibus fidelibus retento dominio, & proprietate apud vendentem, tale ius, ſeù locantem proprietatem illius terræ ad illud munus, quod poſtea ampliauimus etiam ad ſepulturam priuatam, & propriam, ſi fuerit benedicta; nō autem extenduntur ad venditionem illius proprietatis, quia vt teſtatur *Suarez d. lib. 4. cap. 14. num. 18.* nulla iura poſitiua de hoc expreſsè loquuntur, & cum iura poſitiua inducta quoad prohibitionem in ſimilibus diſcordent a iure naturæ non ſunt amplianda, ſed reſtringenda ad limites verborum, quibus expreſsè talis prohibitio inducitur.

Silueſter. D. Thomas. Suarez. Vgolin.

Iura nō extenduntur ad venditionem illius proprietatis.

PRÆNOTIO XXV.

Quid veniat nomine pretij ſimoniaci adæquatè ſumpti.

SVMMARIVM.

Diuiſio muneris à manu, lingua, & ab obſequio eſt adæquata, & comprehendit omnia, quæ venire poſſint nomine pretij in ſimoniaca prauitate 1.

Enumerantur omnia, quæ reducuntur ad munus à manu 2.

Enumerantur ea, quæ pertinent ad munus ab obſequio 3.

Si obſequia temporalia fuerint præcedentia, & non cum onere retributionis, ſed gratis collata, licet cum ſpe futuræ collationis, non ſunt propriè pretium beneficij, nec ſimonia 4.

Si obſequia fuerint præcedentia, & propter eadem detur beneficium in compenſationem committitur ſimonia 5.

Si obſequia fuerint ſubſequentia, & in eadem collatione beneficij impoſitum onus ea adimplendi non committitur ſimonia, ſi talia obſequia ſint annexa beneficio, vel annectantur in fauorem Eccleſiæ 6.

Si obſequia fuerint ſubſequentia, & ex ſe non annexa beneficio, & vtilia dumtaxat conferenti beneficium, ſi hoc detur propter illa, committitur ſimonia 7.

Obſequia purè ſpiritualia antecedentèr exhibita, quantum eſt ex iure naturæ, non ſunt propriè pretium ſimoniæ 8.

Niſi obſequijs ſpiritualibus eſſent annexa, &

debita commoda temporalia, quæ cederentur pro beneficio 9.

Poteſt tamen eſſe ſimonia iuris poſitiui 10.

Non conſtituitur ſimonia de iure naturæ prohibita, ſi conferatur beneficium cum onere ſpiritualium obſequiorum, nec de iure Eccleſiaſtico, ſi talia ſpiritualia obſequia, vel ex natura ſua, vel in prima inſtitutione, vel eodem vacante ab habente legitimam poteſtatem fuerint annexa, vel annectantur eidem beneficio 11.

Secus, ſi imponantur ſolummodò à conferente in propriam vtilitatem. ibid.

Poteſt concedi res temporalis Eccleſiæ ſub conditione, vel modo præſtandi aliquod obſequium ſpirituale 12.

Enumerantur ea, quæ pertinent ad munus à lingua 13.

Non eſt ſimonia conferre beneficium propter preces quantumuis ipſæ preces ſint formale motiuum collationis 14.

Conferre beneficium cum onere, vt fundantur humanæ preces pro conferente inducit ſimoniam 15.

Ea omnia, quæ dicta ſunt de humanis precibus ſunt proportionalitèr applicanda alijs obſequijs à lingua 16.

HActenùs egimus de materia circà quam verſatur ſimonia, prout reſpicit terminum ſpiritualem, nunc aliqua proponimus examinanda circa pretium, quod eſt alterum extremum, per quod conſtituitur, & quidem nomine pretij venire pecuniam, & quodcunque aliud temporale pretio æſtimabile clarè liquet ex ſparſim ſuperius allegatis, & probatis. Nunc omnia, quæ poſſunt ſe habere, vt pretium eiuſdem ſimoniæ ad ſingularia quæque capita reducentes inquiremus, an omnia reduci poſſint ad illam diuiſionem D. Gregorij vbique decantatam, muneris à manu, muneris à lingua, & muneris ab officio, ſeù ab obſequio, vbi nota, quod nomine muneris ab obſequio veniat quicunque actus indebitæ ſeruitutis, nomine muneris à manu veniat pecunia, & quæcunque res mobilis pretio æſtimabilis, nomine muneris à lingua veniat quicunque fauor.

Diuiſio muneris à manu muneris à lingua, muneris ab obſequio.

Hic erit in primis diſputandum, an hæc diuiſio ſit adæquata, ſeù quod idem eſt, an comprehendat omnia, quæ nomine pretij concurrere poſſunt ad veram ſimoniam conſtituendam? Deinde quinam fauores per ly munus à lingua inducant ſimoniam, & quinam non. Rurſus, quæ nam veniant per ly munus à manu: Tandem quænam in particulari per ly munus ab obſequio.

Rationes dubitãdi.

1 Aſſertio I. Per aſſignatam diuiſionem comprehenduntur omnia, quæ ex parte pretij concurrere poſſunt ad ſimoniam conſtituendam, ſeù quod idem eſt, allata diuiſio eſt ſufficiens, & adæquata *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 37. num. 6. Ognate tract. 23. diſp. 84. ſect. 2. num. 19. Fillintius tract. 45. quæſt. 4. num. 7.*

Suarez. Ognate. Filliut.

Probatur primò, enumerando ſingula in particulari, quæ ad præfata membra, ſeù capita reducibilia ſunt. Deindè excludendo rationes aliquas, quibus videtur euinci aliqua ad ipſa non poſſe reduci.

Sic primò ad munus à manu reducitur propriè, & primariò pecunia *§. item pretium Inſtit. de empt. & vendit. cap. nobis, cap. de hoc; & cap. cum eſſes de ſimonia.* Hæc autem pecunia ad conſtituendam ſimoniam non requiritur, quod ſit in aliqua determinata quantitate, ſed poteſt eſſe maior, vel minor, dummodò detur, vt pretium rei ſpiritualis *Gloſa in cap. extrà, & ibi Panormitanus, Felinus, & alij, D. Antoninus 2. part. tit. 1. cap. 5. Durandus in 4. diſt. 25. quæſt. 4. num. 6. Maior ibidem quæſt. 3. concl. 7.* nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem etiam ſi modica ſit pecuniæ quantitas, quæ erogatur pro re ſpirituali, nihilominus eadem, quinimmò maior eſt inordinatio ad rem ſpiritualem, quæ prohibetur in prohibitione ſimoniæ, & ea omnia, & fortè maiora incommoda ſubſequuntur, quæ obueniunt, quandò pecunia, quæ erogatur, eſt maior &c. 2

Primò pecunia, quæ poteſt eſſe in maiori, vel minore quantitate.

Gloſa. Panorm. Felinus. D. Antoninus. Durand. Maior.

Secundò ad idem munus reducitur quodcunque temporale pretio æſtimabile ſiuè illud fuerit mobile, ſiuè immobile, ſiuè etiam iura incorporalia cuiuſmodi ſunt annui reditus, cenſus &c. *Suarez cap. 38. num. 4. Fillintius cap. 9. quæſt. 7. num. 12. Silueſter verbo ſimonia quæſt. 8. in fin.* Ratio huius eſt, quia iſta omnia veniunt in lata ſignificatione nomine pecuniæ *Auguſtinus in lib. de Doctrina Chriſtiana, & habetur 1. quæſt. 1. per totum*, & æquiualent pecuniæ numeratæ, cum ſint in eadem pecunia reducibilia *§. quod parum, vbi Angelus in auth. de nuptijs Specul. in tit. de fructibus, & intereſſe Cardin. Pariſ. conſ. 79. num. 45. vol. 2.*

Secundò quodcunque temporale pretio æſtimabile ſiuè mobile, ſiuè immobile.

Suarez. Filliut. Silueſter. Auguſtinus. Angelus. Specul. Card. Pariſ.

Tertiò ad tale munus à manu ſpectat remiſſio debiti, talis enim remiſſio æquiualet dationi *l. peculium in princ. & ibi Bartolus in verſ. item not. de pecul. Bartolus in l. actione in 2. col. in fin. verſ. alij ſoluunt C. de tranſaction. Gloſa, & Paulus de Caſtro in l. contrà iuris in princip. in verbo facere, & in l. tale in princip. ff. de pactis*; quid enim aliud eſt remittere debitum, quam donare rem debitam *Panormitanus, Aretinus, & Felinus in cap. veniens cap. 1. extrà de teſt.*

Tertiò remiſſio debiti.

Bartolus. Gloſa. Paul. de Caſtro. Panorm. Aretinus Felinus.

Quartò ad tale munus reducitur obligatio ciuilis mutuandi; hæc etenim, vt fusè dixi *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 4. §. 7. num. 2.* quia talis obligatio ciuilis eſt pretio ſecundum ſe æſti-

Quartò obligatio ciuilis mutuandi.

æſtimabilis eſt, & æquiualet virtuali pretio; non ſolum autem pretium formale, & actuale ſpectat ad munus à manu, ſed etiam virtuale, & æquiualens

Quintò impoſitio penſionis ſuper beneficio. Nauarrus. Filliut.

Quintò pertinet ad tale munus impoſitio penſionis ſuper beneficio *Nauarrus lib. 5. conſ. tit. de ſimonia per varia conſilia, & in ſumma cap. 17. num. 107. Filliutius cap. 9. quæſt. 7. num. 12. verſ. ſexto penſio.* Ratio eſt, quià talis impoſitio inuoluit promiſſionem ſolutionis eiuſdem penſionis promiſſæ, ad quam penſionarius ciuilitèr ſe obligauit, & alia plurima huiuſmodi generis, & rationis

Ad munus ab obſequio pertinet primò ſeruitus.

3 Sic etiam primò ad munus ab obſequio ſpectat quæcunque ſeruitus, quæ ſecundum ſe ſit pretio æſtimabilis, & compenſabilis; tunc enim datur aliquid pretio æſtimabile, & temporale pro ſpirituali. Ad clariorem tamen rei cognitionem aduerte, obſequium eſſe in duplici quodamodò differentia; aliud ſcilicet merè temporale, aliud ſpirituale. Primum eſt quodcunque opus hominis, quod ſecundum ſuam rationem formalem non egreditur à naturali perfectione, ſit tamen ſecundum ſe pretio æſtimabile, cum ſit ordinatum ad hominis vtilitates. Secundum eſt quæcunque functio ſpiritualis, quæ ſit ab homine exercita, & ordinata ſecundum ſe ad cultum Dei, & ad finem ſupernaturalem.

Obſequiū duplex aliud tēporale, aliud ſpirituale.

Procedit de obſequio temporali.

Procedit potiſſimum id, quod hic dicitur, de obſequio temporali. Ratio eſt, quià huiuſmodi obſequium eſt ſecundum ſe pretio æſtimabile, quinimmò regularitèr pretio compenſatur; dare autem quid pretio compenſabile, ſeù æſtimabile pro ſpirituali eſt manifeſtè ſimonia; ad quod magis corroborandum accedit, quod ſimonia non eſt ſolum in genere emptionis, & venditionis, ad quam requiritur formalitèr pretium, & res, ſed etiam in genere commutationis, ad quam interuenit res pro re, vndè in definitione eiuſdem dictum fuit, quod ſit *contractatio rei ſpiritualis pro temporali*;

Obſequia pro beneficio, vel ſunt antecedētia, vel ſubſequentia.

Circà huiuſmodi generis obſequia temporalia, iuxta quod diuerſimodè poſſunt conſiderari, poſſunt variæ conſurgere dubitationes, quas mox expendo; pro quibus aduerte obſequia temporalia, de quibus eſt controuerſia, an poſſint impendi pro ſpiritualibus, & præcipuè pro beneficio Eccleſiaſtico, vel eſſe præcedentia ipſam beneficij collationem, vel ſubſequentia. Rurſus, ſi fuerint præcedentia, adhuc poſſint conſiderari, vel vt gratis impenſa ſine vllo onere, ſeù obligatione ciuili retributionis, ſed ad ſummum, vt conciliatiua beneuolentiæ conferentis, & ſub ſpe collationis, non cum onere, vel vt impenſa appoſito tali onere compenſationis, adeò vt, ſi per Prælatum beneficium conferatur, ſit quodammodò in compenſationem, & quaſi ſolutionem debiti ex iuſtitia; ſi verò fuerint ſubſequentia, adhuc poſſunt ſumi, vel vt ſunt annexa tali beneficio, ſeù ex genere ſuo, ſeù ex inſtitutione talis beneficij, vt v.g. ſi tali beneficio ſit annexum onus docendi Theologiam, Grammaticam, concionandi &c. vel vt nullo modo eadem ſunt annexa ex propria inſtitutione, ſed dumtaxat ex arbitrio conferentis. Porrò, ſi talia onera non ſint ex genere ſuo, vel ex ipſa inſtitutione annexa beneficio, ſed tantum ex beneplacito conferentis, vel ità imponuntur, vt conferant in vtilitatem eiuſdem imponentis, ſeù conferentis, vel vt conferant in vtilitatem Eccleſiæ, ſeù aliorum de populo &c. Quibus pro notitia ſuppoſitis.

Variæ cōſiderationes circà huiuſmodi obſequia, & rationes dubitādi.

Dico iam primò, ſi obſequia fuerint præcedentia, & non cum onere retributionis, ſed gratis collata, licet cum ſpe futuræ collationis non ſunt propriè ſimoniæ materia, ſicque non eſt ſimoniaca beneficij collatio, ſi propter eadem fiat *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 5. Sotus lib. 9. de iuſt. quæſt. 7. art. 3. Adrianus quodlib. 9. art. 2. Gloſa in cap. cum eſſet, & ibi Panormitanus de ſimonia.* Ratio ex eo deduci poteſt, quod illa obſequia ſub hac conſideratione ſumpta non habent rationem pretij, nec vllam inducunt obligationem ex iuſtitia ad conferendum beneficium, ergo non inducunt ſimoniam. Probatur antecedens, tùm quia nulla eſt conuentio, quod propter illa obſequia conferatur beneficium, tùm quia, ſi Epiſcopus non conferret, non diceretur iniuſtus, nec infidelis, ergo &c. Confirmatur, quia ſi quis ob recepta obſequia ab aliquo eidem conferret mutuum nulla præcedente conuentione de retributione propter eadem obſequia, non conſtitueret recipientem tale mutuum vſurarium, quia hoc eſſet effectus gratitudinis, non onus iuſtitiæ, ergo, ſi quis ob recepta obſequia ſine vlla prorſus conuentione beneficium conferret, non conſtitueret recipientem ſimoniacum. 4

D. Thomas. Sotus. Adrianus. Gloſa. Panorm.

Epiſcopus ſi haberet illis obſequijs non eo ferret beneficiū non eſſet iniuſtus, nec infidelis.

Ex ijs, quæ hic dicuntur nonnulla inferre licet, & primò, quod, ſi Epiſcopus ob ſibi præſtita varia obſequia, & contractus ſine vlla conuentione retributionis pro illis conferat ſic obſequenti, & comitanti beneficium aliquod, non propriè committat ſimoniam, ſi illud non conferat, vt debitum iuſtitiæ, & ſub tali titulo ab obſequente non recipiatur. Ratio eſt, quià illa collatio eſt merè effectus gratitudinis, & liberalitatis. Dixi, *ſi illud non conferat, vt debitum iuſtitiæ, & ſub tali titulo ab obſequente recipiatur*, quia ſi ſub tali titulo conferretur, & reciperetur eſſet ad ſummum

Hinc ſi Epiſcopus conferat beneficiū non vt debitum iuſtitiæ non committit ſimoniam.

 ſimo-

Secus eſſet ſimonia ſaltē mentalis.

ſimonia mentalis, ea proportionali ratione, qua *tom. 1. ſub tit. Contractus III. Prænot. 9. num. 5. & ſeqq.* diximus committi vſuram mentalem, ſi quid vltra ſortem erogatur in mutuo etiam ſine præcedenti expreſſa conuentione, & illud conferatur, & recipiatur, vt debitum ex iuſtitia. Secundò hæc, quæ mox dicta ſunt, æquè poſſe extendi, ſiuè Epiſcopus pro talibus obſequijs conferat ex conuentione congruum ſtipendium, ſiuè nullum conferat. Quoad hanc ſecundam partem, quandò Epiſcopus nullum confert ſtipendium obſequiorum eſt aliqualitèr contra *Suarez. lib. 4. de ſimonia cap. 39. num. 6. & 7.* qui videtur ſentire, quod quandò famulis, alijſque obſequentibus nullum confert ſtipendium per collationem beneficij videatur conferre illud tanquam ſtipendium, & debitam compenſationem, Nihilominus etiam quoad hanc partem ſenſus noſter ſic euincitur, quia nulla eſt repugnantia, quin obſequia quis gratis conferat licet ſub ſpe acquiſitionis beneficij, & ille, in cuius fauorem talia obſequia impenduntur in retributionem præciſè gratitudinis conferat quid aliud; non enim ſpes illa inducit aliquam obligationem, & recipiens obſequia non diceretur iniuſtus, ſi non retribueret, ſed ad ſummum ingratus, ſi hoc, vel illo modo aliquid non conferret in retributionem, ergo &c. Verum tamen eſt, quod, quandò Epiſcopus non erogat iuſtam compenſationem temporalem tali obſequio proportionatam, & poſteà conferat beneficium ſit vehemens pręſumptio, quod beneficium conferatur, vt debitum in compenſationem, quod in fortioribus terminis eueniret, ſi facta fuiſſet conuentio de eroganda iuſta compenſatione temporali pro talibus obſequijs, & deindè eadem non poſita conferret beneficium, quià tunc non eſſet irrationabile fundamentum, quod illa collatio beneficij poneretur loco illius compenſationis naturalis debitæ, vt per ſe patet.

Suarez.

Spes non inducit aliquam obligationem.

5 Dico ſecundò, ſi obſequia fuerint præcedentia, & propter eadem detur beneficium in eorum compenſationem, & quaſi ſolutionem debiti ex conuentione verè, & propriè committitur ſimonia. *Pauormitanus in cap. cum eſſent de ſimonia. Gloſa in cap. ſunt nonnulli 1. quæſt. 1. Suarez. lib. 4. de ſimonia cap. 39. num. 5. Victor relect. de ſimonia num. 36.* Ratio huius noſtræ dictionis in eo conſiſtit, quia vel huiuſmodi collatio beneficij propter illa obſequia præcedentia eſt in compenſationem eorundem præcedente pacto, vel in talem compenſationem nullo præcedente pacto, ſed cum animo extinguendi illam obligationem debitam; quocunque ex his modis ſumatur ſemper importat ſimoniam, vel realem,

Panorm. Gloſa. Suarez. Victor.

vel conuentionalem, vel mentalem, ergo &c. Minor probatur, quia quæcunque pactio temporalis pretio æſtimabilis pro ſpirituali inducit ſimoniam per ea, quæ latè, & ſparſim ſupra commendauimus, ſed de illis obſequijs temporalibus eſſet pactio, quod pro ipſis conferretur beneficium, nec obeſſe poſſet, quod eſſent præcedentia, quandòquidem, ſicuti poteſt debitum aliquod ſiuè anticipata, ſiuè præpoſtera ſolutione extingui, vt ſuppono ex quæſtionibus de iuſtitia, & iure, ita non debet eſſe difficultas, quin per obſequia præcedentia ex conuentione acquiratur ius, vt ratione ipſorum beneficium ipſum acquiratur, ergo &c. Si verò dicatur, collationem beneficij fieri in compenſationem obſequiorum nullo præcedente pacto, ſed cum animo extinguendi illam obligationem debitam; iam ſtatim patet eſſe ſimoniam ſaltem mentalem, quandòquidem illud beneficium confertur tanquam debitum ad extinguendam prius debitum obſequiorum ea proportionali ratione, qua ſupra dicebamus de vſura, ſeù de lucro propter mutuum ex illo animo ſatisfaciendi pro debito ex mutuo.

Eſt ſemper ſimonia, vel realis, vel conuentionalis, vel mentalis.

Confertur tanquam debitū ad extinguendū onus,

Probatur ſecundò hæc eadem dictio. Conferre beneficium pro remiſſione debiti pecuniarij eſt ſimonia per ea, quæ ſuprà diximus, dum de munere à manu in hac eadem prænot. ergo etiam conferre beneficium pro remiſſione debiti ex obſequio erit ſimoniaca prauitas. Conſequentia probatur, quia non minus eſt pretio æſtimabilis remiſſio debiti pecuniarij, ac remiſſio debiti ex obſequijs, ſicuti non minus eſt æſtimabilis pecunia, ac ſint æſtimabilia eadem corporalia obſequia; ſimonia autem non ſolum committitur per ſolutionem, & receptionem pecuniæ pro beneficio, ſed etiam per exhibitionem, & receptionem cuiuſcunque pretio æſtimabilis, vt ſuprà dictum eſt.

Non minus eſt pretio æſtimabilis remiſſio debiti pecuniarij, ac remiſſio debiti ab obſequijs.

Dico tertiò, ſi obſequia fuerint ſubſequentia ad collationem beneficij, & fuerit impoſitum onus ex conuentione eadem adimplendi propter eandem collationem, non committitur ſimonia, ſi talia obſequia ſint annexa rei ſpirituali, vt beneficio, & cedant in fauorem Eccleſiæ, ſeù ſubditorum eiuſdem Eccleſiæ; ſint, inquam, annexa, vel ex natura ſua, vel ex ipſa beneficij inſtitutione, vel ab habente legitimam auctoritatem. In hanc dictionem noſtram propendent *Filliutius cap. 9. quæſt. 10. num. 24. Suarez. lib. 4. de ſimonia cap. 39. num. 8. Ognate tract. 23. diſput. 84. dub. 2. num. 38.* & præcipuè colligitur *ex cap. 1. & 4 de magiſtris, & ex Trid. ſeſſ. 5. cap. 5. de reformatione, & ſeſſ. 23. cap. 18.* Ratio autem horum omnium, quæ hic dicuntur, in eo conſiſtit, quod huiuſmodi obſequia ſunt exhibenda 6

Filliut. Suarez. Ognate.

ex

ex vi præciſè collationis beneficij, cui ſunt annexa, & qui ſuſcipit aliquod onus, debet ea omnia adimplere, quæ comitantur, ſeù ſubſequuntur ad tale onus, ergo per illam conuentionem, quod talia obſequia impendantur, non committitur ſimonia. Antecedens non patitur difficultatem ſuppoſita illa connexione talium obſequiorum cum ipſo beneficio. Conſequentia probatur, quià conuentio, quod adimpleantur adimplenda ex vi, & inſtitutione beneficij, quod confertur, non eſt praua, nec difformis rationi, ſed conformis cuicunque iuri ſiuè diuino, ſiuè Eccleſiaſtico, ergo per illam non committitur ſimonia. Confirmatur, quià nulla eſt repugnantia, quin beneficium habeat annexum miniſterium aliquod temporale maximè, ſi ſit pingue, cum reditus ex illo prouenientes poſſint proportionari tanquam ſubſidium ſuſtentationis propter ſpiritualia munera, & tanquam mercedes propter illud temporale miniſterium, ergo nec erit aliqua iniuſtitia, ſi in collatione eiuſdem beneficij conueniatur de talibus temporalibus obſequijs.

Huiuſmodi obſequia ſunt adimplenda ex vi præciſè beneficij obtenti.

Conuentio, vt adimpleantur adimplenda non eſt praua.

Neque hæc, quæ hic dicuntur, verificantur tantum, quandò talia obſequia ex natura eiuſdem beneficij, vel ex prima eiuſdem inſtitutione ipſi ſunt annexa, ſed etiam quandò vacante beneficio, vel per mortem, vel per reſignationem beneficiarij ab habente legitimam auctoritatem conferendi eidem beneficio annectuntur. Ratio eſt, quia inſtitutio beneficij cum talibus, vel talibus obſequijs, ſi ſint proportionata eidem, vel vtilia Eccleſiæ, vel populo humana eſt, & dependens ab Eccleſia, cuius gubernatores ſunt Prælati legitimè inſtituti, ergo &c. Hic tamen nota, quod ad hoc, vt poſſint rei ſpirituali annecti huiuſmodi temporalia obſequia, debeant eidem rei ſpirituali eſſe annexa commoda temporalia, quibus illa obſequia proportionata ſint, & ratio deducitur ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. 2. ſub tit. Contractus VI. de permutatione Prænot. 7. num. 7.* nempe ſpiritualia, qua talia ſunt, non poſſe conferri pro temporalibus, vndè ſi quandòque conferuntur temporalia pro ſpiritualibus, hæc erunt, quia correſpondent redditibus temporalibus annexis eidem rei ſpirituali, quod tamen præcipue in beneficijs fieri nequit, niſi accedente Pontificis auctoritate, Vide, quæ ſanè commendat quoad hoc *Suarez lib. 4. de ſimonia cap 39. num. 10.*

Poſſunt de nouo vacante beneficio ab habente legitimam poteſtatem hæc obſequia annecti.

Debent tamen rei ſpirituali eſſe annexa cõmoda temporalia, vt eidem annectantur talia obſequia.

Suarez.

7 Dico quarto, ſi obſequia fuerint ſubſequentia, & ex ſe non annexa beneficio, & ſolum vtilia conferenti beneficium, & ipſum beneficium detur propter ipſa ex conuentione vtique committeretur ſimonia. *Gloſa, & Doctores in cap. cum eſſet de ſimonia Suarez lib. 4. cap. 39. num. 8.* vbi pro ſe citat *Victoriam relect. 1. de ſimon. n. 6. Soto quæſt. 5. de iuſtitia art. 1. verb. ex his Ognate tract. 23. diſp. 84. ſect. 2. dub. 2. num. 37.* Ratio autem huius dictionis in eo conſiſtit, quià talia obſequia ſunt ſecundum ſe pretio æſtimabilia, & cum non ſint per ſe annexa eidem beneficio, nec annectantur in vtilitatem eiuſdem, ſeù Eccleſiæ, ſed præciſè in vtilitatem, & fauorem eiuſdem conferentis beneficium, ſi ponantur ex conuentione, non videntur alio titulo poni, quam in retributionem eiuſdem beneficij collati, nec obeſſe poteſt, quod de futuro eadem obſequia ſint conferenda; non, inquam, obeſſe poteſt quià, vt aſſerit *Suarez d. cap. 39. nu. 8.* eadem eſt ratio promiſſionis in futurum, ac promiſſionis præcedentis debiti. Ad magis corroborandam hanc dictionem plurimum facit textus *in d. cap. cum eſſent de ſimonia*, vbi cum quidam Prælatus promiſſionem feciſſet de quodam beneficio conferendo certæ perſonæ, ſi quoddam proprium negotium in Romana Curia promouiſſet, dictum fuit, quod in ſimoniacam inciderit prauitatem, ergo etiam in ſimoniacam incidet prauitatem, ſi beneficium quis conferat impoſita ciuili obligatione præſtandi de futuro temporalia obſequia. Conſequentia tenet, quià non minus eſt ſimoniaca prauitas, ſi quis antecedenter accipiat pecuniam cum onere poſteà conferendi beneficium, ac ſi prius conferat beneficium cum onere poſtea pecuniam pro eodem perſoluendi reſpectu recipientis, ergo etiam non minus erit ſimonia, ſi quis promittat beneficium de futuro pro onere præſtandi de præſenti obſequia, ac ſi conferat beneficium de præſenti cum onere præſtandi obſequia de futuro; non enim minus committitur ſimonia præſtitis obſequijs temporalibus pro beneficio, ac præſtita pecunia, ergo ſi committitur ſimonia in pecuniæ erogatione ſiuè illa erogetur antecedentèr, vel ſubſequentèr ex conuentione, etiam committetur in præſtatione obſequiorum ſiuè eadem antecedentèr, ſiuè ſubſequentèr exhibeantur ex præcedenti conuentione.

Gloſa. Suarez. Victor. Sotus. Ognate. Suarez.

Eadem eſt ratio promiſſionis in futurum, ac promiſſionis præcedentis debiti.

Hinc in particulari docet *Victoria d. relect. 1. num. 6.* quod ſi Epiſcopus conferret alicui beneficium cum onere, vt beneficiarius doceret ſe Geometriam, eſſet ſimoniacus, quia onus illud docendi, cum ſit pretio ſecundum ſe æſtimabile, & vendibile vtique haberet rationem pretij reſpectu eiuſdem beneficij. Hinc etiam docet idem dicendum eſſe *Sotus lib. 5. de iuſt. art. 1. verſ. ex his* de qualibet alia ſimili actione ſecundum ſe pretio æſtimabili.

Victor. *Epiſcopus conferens beneficium, & obligans beneficiarium ad ſe docendum geometriam, eſſet ſimoniacus.* Sotus.

Ne hic aliquid deſideretur, quod conſiderari poſſit in ordine ad ſimoniam per obſe-

obſequia, attendenda etiam ſunt obſequia purè ſpiritualia, circà quæ erit primò controuertibile, an, ſi fuerint antecedentèr exhibita, poſſint habere rationem pretij ad conſtituendam veram ſimoniam. Secundò, an conſtituant ſimoniam, ſi præſtentur ſubſequentèr ad beneficium ex præuia tamen conuentione. Tertiò, an idem dicendum ſit, ſiuè illa obſequia ſint annexa beneficio ſpirituali, ſiuè non. Quartò, an ſpirituale obſequium poſſit annecti rei temporali, ſeù res ſpiritualis conferri Eccleſiæ cum onere certi obſequij ſpiritualis.

Proponuntur aliqua circa obſequia purè ſpiritualia.

8 Ad primum dicendum eſt, obſequia illa ſpiritualia antecedentèr exhibita non eſſe propriè pretium ſimoniæ, adeòque ſecundum ſe ſimoniam non committi, ſi pro illis beneficium conferatur etiam ex conuentione, quantum eſt ex iure naturæ *Fillincius cap. 9. quaſt. 10. num. 29. Suarez cap. 39. num. 11. Ognate tract. 23. quaſt. 84. ſect. 2. dub. 2. num. 39.* Ratio ex eo deducitur, quia illa præcedens obſequiorum ſpiritualium oblatio nec eſt prohibita iuræ naturæ, nec diuino, ergo &c. Antecedens quoad primam partem non vertitur in dubium, quia ius naturæ non prohibet commutationem ſpiritualium inter ſe, cum ex eadem illa diſſonantia non ſequantur, quæ conſequuntur in commutatione ſpiritualium cum temporalibus, prout non incongruè diximus *tom. 2. ſub tit. Contractus VI. de permutatione Pranot. 7 num.* 8. iuxta mentem *Panormitani, & Canoniſtarum in cap. ad quaſtiones de rerum permut. Azoti in ſumma num. 4 Hoſtienſis item in ſumma nu. 3.* Facit ad hoc maximè *c. quaſitum 5. de rer. permut. & can. ſanctorum 70. diſt.* & ſic permutari poteſt vna Eccleſia pro altera *cap. ad quaſtiones de rer. permut.* vnum beneficium Eccleſiaſticum pro altero *cap. cum vniuerſorum eod tit.* nec ab ijs diſcordat ratio, quandòquidem finis adæquatus prohibitionis ſimoniacæ eſt, ne fiat comparatio rei ſuperioris ordinis, & incompenſabilis ad res temporales, quæ ſunt ordinis incomparabilitèr inferioris, quæ certè non militant, vbi ſpiritualia pro ſpiritualibus conferuntur.

Fillinc. Suarez. Ognate.

Ius naturæ nō prohibet cōmutationem ſpiritualium inter ſe.

Panorm. Azotus. Hoſtienſis.

9 Dixi, *ſecundum ſe*, quià poteſt quandòque contingere ratione alicuius oneris ſpirituali obſequio annexi, quod committatur ſimonia per collationem beneficij intuitu eiuſdem obſequij ſpiritualis. Res ſic componitur. Poteſt ſupernaturalis functio coniungi cum onere alicuius temporalis conferendi non quidem tanquam pretium eiuſdem functionis, ſed tanquam ſtipendium congruæ ſuſtentationis. Hoc poſito, ſi ille, in cuius fauorem facta fuit illa ſpiritualis functio, quique deberet erogare ſtipendium congruæ ſatisfactionis illi proportionatum conferret ad extinguendum onus illius ſtipendij beneficium Eccleſiaſticum vtique committeret ſimoniam, quià tunc conferretur ſpiritale pro temporali nempè pro illa obligatione ſtipendij temporalis, quæ licet conſurgeret ex obſequio ſpiritualis eſſet tamen in ſe mere temporalis, quemadmodum eſt temporalis obligatio, quam quis habet erogandi eleemoſinam pro celebratione Miſſarum tanquam ſtipendium ſuſtentationis.

Tunc conferretur temporale pro ſpirituali.

Dixi item, *ſecundum ſe*, quià quamuis ex natura ſua non ſit in data hypotheſi ſimonia, poteſt tamen eſſe ex iure poſitiuo, ſicuti eſt in caſu, quo duo beneficia quantumuis ſpiritualia adinuicem commutarentur ſine ſuperioris auctoritate per ea, quæ latè diximus *tom. 2. ſub tit. Contractus VI. de permut.* cum potiſſimum eadem ſit de permutatione rerum, & iurium ſpiritualium, ac de permutatione ſpiritualis iuris cum ſpirituali obſequio; atque ita ſentiunt *Gloſa in cap. tua nos de ſimonia verb. conuentio, Abbas in cap. cum eſſes eod. tit. num. 5. Panormitanus in cap. ſignificatum de Prabendis num. 7. Redoanus part. 2. cap. 6. Victoria relect. de ſimonia num. 36. D. Antoninus 2. part. tit. 1. cap. 4. §. 2. & cap. 5. §. 5.* quod multis declarant exemplis, & primò in Epiſcopo promittente Vicario ſuo beneficium, ſi per aliquod temporis ſibi obſequia ſpiritualia præſtet. Secundò in promittente beneficium pro electione ad Epiſcopatum, quod præcipuè colligitur *ex cap. de hoc de ſimonia.* 10

Gloſa. Abbas. Panorm. Redoan. Victoria. D. Antoninus.

Ad ſecundum etiam dicendum, eſt non conſtitui ſimoniam de iure naturæ prohibitam, ſi conferatur beneficium cum onere ſpiritualium obſequiorum præſtandorum; nec item de iure Eccleſiaſtico, ſi talia ſpiritualia obſequia, vel ab ipſa inſtitutione, vel etiam poſt eodem beneficio vacante per annexionem factam ab habente legitimam poteſtatem ſint eidem beneficio annexa, ſecus autem, ſi non fuerint annexa, ſed ſolummodò imponantur a conferente in propriam vtilitatem, vel alicuius alterius determinatæ perſonæ. Prima pars liquet ex ſuperius dictis; ſi enim non eſt ſimonia etiam ex pacto, ſeù conuentione conferre beneficium pro ſpiritualibus obſequijs antecedentèr præſtitis, nec videtur eſſe poſſe, ſi conferatur pro talibus obſequijs ſubſequentèr ex conuentione ponendis. Secunda pars eſt *Gloſa in cap. ſignificatum de Prabendis Abbas in cap. Iacobus num. 3. de ſimonia. Innocentius in cap. 3. ne Pralati vices ſuas D. Thomas in 4. diſt. 25. quaſt. 3. art. 3. quaſt. 1. ad. 5.* Tertia pars eſt *D. Antonini 2. part. tit. 1. cap 4. §. 2. Victoria, relect. 1. num. 36. Silueſtri verb. ſimonia quaſt. 16. & aliorum.* Omiſſa probatione 11

Gloſa. Abbas. Innocentius. D. Thomas. D. Antoninus. Victoria Silueſter.

pri-

Illa conuentio eſt per modũ explicationis præcedentis obligationis.

primæ partis, de qua ſatis conſtat, ſecunda ſic euincitur, quia illa conditio, ſeù conuentio, quæ de nouo expreſsè apponitur, non ſe habet per modum pacti, ſed per modum explicationis præcedentis obligationis ſecundum ſe annexæ eidem beneficio, vt benè aduertit *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 39. num. 16.* & quando etiam importaretur per modum pacti, adhuc non induceret ſimoniam, quia non eſſet rei indebitæ; vnde ſicuti *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 6. num. 3.* diximus, quod quandò in mutuo conuenitur de aliquo ſupra ſortem, quod fit ex alio titulo debitum non committatur vſura, ità etiam proportionalitèr nunc dicimus, quod quandò apponitur pactum de aliquo præſtando propter beneficium, quod ex alio titulo independenter a tali pacto præſtandum eſt, non committatur ſimonia. Tertia tandem pars ſic euincitur ex dictis ſupra ad primum verſ. *Dixi item ſecundum ſe*, quia poſita illa conuentione non minus eſt permutatio, ſi conferatur beneficium propter præcedentia obſequia ſpiritualia, ac ſi conferantur per ſubſequentia ex tali conuentione ponenda, ergo ſi de iure poſitiuo Eccleſiaſtico inducitur ſimonia, quandò fit commutatio ſine ſuperioris auctoritate beneficij pro obſequijs præcedentibus, etiam eodem iure inducetur, ſi fiat pro ſubſequentibus ex conuentione ponendis.

Hic tamen inſurgit aliqualis difficultas, an ſicuti, vt diximus *tom. 2. ſub tit. Contractus VI. de permut. Prænot. 6. num. 9.* iuxta textum *in cap. cum olim de rerum permut.* ad permutationem beneficiorum requiritur, & ſufficit auctoritas Epiſcopi, vt vitetur labes ſimoniaca, ita requiratur, & ſufficiat talis auctoritas in permutatione beneficij cum obſequijs illis ſpiritualibus, ſiuè præcedentibus, ſiuè ſubſequentibus. Probabilius crediderim ſufficere auctoritatem eiuſdem Epiſcopi, niſi aliud in iure exprimatur, quod mihi non conſtar, præcipuè cum Epiſcopi ipſi in collatione ordinum exigant ab ordinatis miſſas aliquas, vel præcationes imponant.

Sufficit diſpenſatio Epiſcopi ad vitãdum illam ſimoniam.

Ad tertium patet ex ijs, quæ modò dicta ſunt, quid reſpondendum.

12 Ad quartum dicendum eſt poſſe ſpirituale obſequium annecti rei ſpirituali, ſeù quod idem eſt poteſt concedi res temporalis Eccleſiæ ſub conditinne, vel modo præſtandi aliquod obſequium ſpirituale. In hoc aſſertum propendet *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 3. ad ſecundum. Maior in 4. diſt. 25. quæſt. 6. ad 1. & 2. Gabriel 28. lect. in can. lit. L. qui etiam citat Scotum quodl. 20. Suarez lib. 4. cap. 39 nu. 18. & 19.* Ratio eſt, quia talis conceſſio ſub tali modo, ſeù conditione nec eſt prohibita iure naturæ, nec diuino, nec humano, non diuino, quia ibi non fit emptio rei ſpiritualis pro temporali, (quod falsò arbitrantes *Innocentius, & ibi Canoniſtæ in cap. 3. Ne Prælati vices ſuas, & Panormitanus in cap. ſignificatum de Præbendis* damnarunt tanquam ſimoniacum illum modum conferendi temporale ad ſpiritualia munera eo fortè decepti erroneo ſenſu, quod idem quodamodò ſit ſpiritualia obſequia annecti temporalibus, ac temporalia vendere pro ſpiritualibus) ſed temporalia conceduntur, vt fiant quodamodò ſpiritualia, ſeù per Prælatos Eccleſiaſticos ordinentur, ſeù conſecrentur in ordine ad ſpiritualia munera, quod non eſt contrà dictamen naturalis rationis, cum potiſſimùm bona ipſa temporalia debeant ordinari ad ſupremum Dei cultum; non Eccleſiaſtico, quia nullibi reperitur ius prohibens, quin potius rationes, & iura approbantia, & commendantia, vt videre eſt *in cap. olim de reſtit. ſpol.* vbi commendatur tanquam laude digniſſima conceſſio domus facta ſub conditione, quod in ea ædificaretur oratorium, & diuina celebrarentur, adeò vt non teneret conceſſio, niſi fieret illa conſecratio. Item *in cap. verum de condit. appoſ.* Nec obeſſe poteſt *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 3. ad 2.* dum dixit, *Si autem huiuſmodi pacto interueniente fiant, vel intentione emptionis, & venditionis committatur ſimonia.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem D. Thomas in eo loco voluit dumtaxat indicare, quod committatur ſimonia, vel conuentionalis, ſi fiat interueniente pacto emptionis, & venditionis, vel pure mentalis, ſi fiat cum ſola intentione eiuſdem emptionis; verba enim illa *interueniente pacto* connectuntur cum ſubſequentibus, *vel intentione emptionis, & venditionis*, adeò vt hunc reddant ſenſum, quod committatur ſimonia, ſi ibi narrata fiant interueniente pacto emptionis, vtique conuentionalis, vt ſupra, vel ſola intentione eiuſdem emptionis, ſi ſit tantum mentalis, atque in hanc explicationem conſentiunt *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 39. nu. 21. in fin. Ognate d. tract. 23. diſp. 84. ſect. 2. dub. 2. num. 44. vbi alios plures citat.*

D. Thomas. Maior. Gabriel. Sotus. Suarez.

Nullo iure videtur prohiberi talis conceſſio.

Iura potius inducentia negationẽ ſimoniæ poſitiui iuris.

D. Thomas.

Suarez. Ognate.

Sic ad munus à lingua reducunt aliqui humanas preces, ſupplicationes, laudes, adulationes &c. Alij quæcunque obſequia ſpiritualia conſiſtentia in laudibus Dei, & orationibus, ſed quia de ijs actum eſt ſupra, dum de munere ab obſequio ſpirituali, ideò hic nil remanet repetendum. Solum igitur hic erit ſermo de humanis precibus, ſupplicationibus &c. circa quas erit primò diſputandum, an ſi beneficium conferatur propter preces, adeò vt formale motiuum collationis ſint ipſæ preces committatur 13

Enumerãtur ea, quæ pertinent ad munus à lingua.

ſimo-

ſimonia. Secundò, an ſaltem ſit ſimonia, ſi conferatur beneficium cum onere fundendi humanas preces pro conferente. Tertiò, an ſit ſimonia, ſi fiat conuentio de beneficio conferendo, ſi quis preces antecedentèr effuderit pro eo, qui promiſſit ex conuentione conferre. Quartò, quid ſentiendum ſit de interceſſionibus, adulationibus, laudibus, alijſque beneuolentiæ ſignis.

14 Prima reſponſio ad primum. Non eſt ſimonia conferre beneficium propter preces, quantumuis ipſæ preces ſint formale motiuum collationis, ſine quibus beneficium ipſum non conferretur *Gloſ. in cap. filius §. non itaque verb. ordinandi 1. quaſt. 1. Innocentius, & Hoſtienſis in cap. per tuam de ætat. & qualit. ſupplementum Gabriellis in 4. diſt. 25. art. 3. dub. 4. Sotus lib. 9. de inſt. quaſt. 7. art. 3.* aduerſus *Adrianum quodlib. 9. art. 2. dub. 1. Durandum in 4. diſt. 25. quaſt. 4. Silueſtrum verb. ſimonia quaſt. 16. Gloſam in cap. ordinatione 1. quaſt. 1.* Ratio huius reſponſionis in eo conſiſtit, quod dare aliquid propter preces non eſt ex obligatione, ſed ex liberalitate concedentis ob preces; non enim preces obligant, ſed tantum ſuadent, non vim inferunt ad dandum ex iuſtitia, ſed tantum alliciunt ad gratuitò conferendum. Quis enim diceret, quod ego conferam ex obligatione aliquod munus ex eo, quod precibus motus conferam? Certè non extrahit munus à ratione muneris, ex eo quod detur intuitu precum; ex quibus rectè inferri poteſt, quod ſi dare ad preces non ſit dare ex obligatione, nec precibus petere ſit inducere obligationem; conferre autem beneficium non ex obligatione, ſed ex liberalitate non eſt ex genere ſuo ſimonia.

Gloſa. Innocentius. Hoſtienſis. Sotus. Adrianus Durand. Silueſter.

Preces, nõ inducunt aliquam obligationem.

Aduerſus hanc reſponſionem nonnulla congeri poſſunt argumenta, quæ tamen facile diſſoluentur. Primum deducitur *ex cap. pueri 1. quaſt. 1.* vbi ſic legitur. *Nulla ſit in ordinatione venalitas, potentia, vel ſupplicatio perſonarum* ex quibus deduces, quod ſicuti, ſi in ordinatione ſit venalitas, committitur ſimonia, ita ſi ſit ſupplicatio, cum in eadem ſerie ponatur, in qua venalitas, committatur etiam ſimonia. Secundum eſt, quià collatio beneficij propter preces fundatur in amicitia, quæ eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, adeòque perindè eſt, ac ſi eſſet propter pretium. Tertium in eo fundatur, quod non ſolum per munus a manu, & ab obſequio committatur ſimonia, ſed etiam per munus a lingua, cæteroqui allata diuiſio non eſſet bona, quandòquidem poneretur ſub diuiſo aliquod membrum diuidens, quod ſub illo non contineretur; hoc autem munus a lingua non poteſt in alio conſiſtere, quam in eiſdem precibus. Facile, inquam, diſſoluentur; nam ad primum dicendum eſt, in eo textu ſolum prohiberi in ordinatione ibi enumerata, non tamen, quia omnia ſint ſimoniaca, ſed quia aliqua ſunt talia, aliqua verò alia damnata propter præſumptiones damnorum, quæ indè Eccleſiæ prouenirent; nec hoc gratis, & ſine fundamento dictum exiſtimetur, quandòquidem hæc interpretatio clarè colligitur *ex cap. 1. 8. quaſt. 2.* vbi Pontifex, cum ſimile decretum mox allegato habuerit, in quo prohibuit pro electione quamcunque dationem præmiorum, & quarumcunque perſonarum patrocinium, poſteà nulla reddita ratione de tali datione, cum ex ſe videatur expreſsè ſimoniaca, pro patrocinio rationem ſubiungens aſſerit. *Nam ſi quorundam patrocinio fuerit quiſquam electus, voluntatibus eorum obedire reuerentia exigente compellitur, ſicque fit, vt res illius minuantur Eccleſia, & ordo Eccleſiaſticus non ſeruetur.* Ecce quomodo Pontifex ſegregans hanc vtramque rationem abinuicem pro prima ſupponit cauſam ſimoniæ, pro ſecunda aliam valdè diuerſam, nempe præſumptionem damnorum, quæ indè Eccleſiæ obuenirent, quod ſatis eſt ad explicationem per nos traditam corroborandam. Ad ſecundum dicendum eſt, quod, licet collatio beneficij propter preces fundetur in amicitia, quia preces amicorum facilius exaudiuntur, & licet amicitia ipſa quandòque ſit pretio æſtimabilis, nihilominus non ſit ſimoniaca, quià non eſt pro amicitia, ſeù in pretium amicitiæ, ſed ad ſummum propter amicitiam, & intuitu eiuſdem, quod cautè aduertendum eſt. Deindè, ſicuti dictum eſt *tom. 1. ſub tit. Contract. III. de mutuo, & vſuris Prænot. 9. nu. 1.*, non eſt vſura mutuare pecuniam ea intentione, vt acquiratur beneuolentia mutuatarij, & aliquid dependentèr ab ipſa titulo gratitudinis, ita non videtur eſſe poſſe ſimonia, ſi propter eandem beneuolentiam aliquid conferatur ſpirituale ſcilicet beneficium; ſi enim propter eandem beneuolentiam acquirendam poteſt conferri mutuum, cur ex eadem acquiſita non poteſt conferri? & ſi vſura in mutuo non committitur, ſi eadem beneuolentia attendatur, ſiuè vt præſens vt motiuum, ſiuè vt futura, vt effectus gratitudinis ex eodem, cur dicenda eſt committi ſimonia, ſi eadem beneuolentia attendatur, ſiuè vt præſens, ſiuè vt futura? Ad tertium patebit infra, in quo ſenſu intelligendum ſit, quod munus a lingua conſtituat ſimoniam.

Nonnulla argumenta aduerſus mox poſita.

Soluuntur argumenta ibi propoſita.

Solutio à paritate mutui.

Secunda reſponſio ad ſecundum. Conferre beneficium cum onere, vt fundantur humanæ preces pro conferente inducit propriè ſimoniam, *D. Thomas ſecunda* 15

D. Thomas.

ſecun-

Sotus. Filliut.

ſecunda quæſt. 100. *art.* 5. *Sotus* 9. *de iuſt. quæſt.* 7. *art.* 3. *ad tertium. Fillintius tract.* 45. *de ſimonia cap.* 9. *quæſt.* 8. *num.* 118. quod idem dicendum eſt, ſi preces antecedentèr fundantur cum onere, vt pro ipſis beneficium, ſeù quid ſpirituale conferatur. *Suarez lib.* 4. *de ſimonia cap.* 40. *num.* 12. & in hac reſponſione maximè elucet diuerſitas quoad vltimas has particulas à dictis in præcedenti, quandòquidem licet in vtroque caſu præſupponantur preces præcedere, in hoc tamen ſecundo habent rationem pretij, non tamen in primo, quia aliud eſt preces apud aliquem effundere, aliud preces pro alio effundere, vt per ſe patet. Ratio huius reſponſionis quoad vtramque partem ex eo deducitur, quod per iura canonica, omneſque eorundem iurium interpretes inter munera conſtituentia ſimoniacam prauitatem numeratur munus à lingua *cap. ſunt nonnulli* 1. *quæſt.* 1. ſed ſub alia conſideratione ab iſta non poſſunt habere rationem talis muneris conſtituentis ſimoniam *Suarez lib.* 4. *cap.* 40. *num.* 12. *Ognate tract.* 23. *quæſt.* 84. *ſect.* 2. *dub.* 3. *num.* 56. ergo &c. Minor probatur, quia preces ſub ea conſideratione, qua effunduntur apud aliquem, vt quid ſpirituale conferat, ex dictis in præcedenti reſponſione non habet rationem pretij, nec muneris conferentis, ergo non ſub alia conſideratinne vim habere poſſunt talis pretij, ſeù muneris, niſi quatenus &c. Rurſus huiuſmodi preces ſecundum hanc conſiderationem acceptæ ſunt ſecundum ſe quid temporale, humanum, pretio æſtimabile, & cedunt in fauorem eius, qui confert beneficium, ſeù quid ſpirituale, ergo ſi pro illis ex conuentione conferatur aliquod beneficium, ſeù quid ſpirituale propriè committetur ſimonia, quandòquidem hæc non conſtituitur ſolum per pecuniam formalitèr ſumptam, ſed etiam per quodcunque aliud æquiualens pecuniæ, ſeù pretio æſtimabile. Antecedens probatur, quià huiuſmodi preces connumerantur inter humana obſequia, quæ, ſi ſint in fauorem alterius præſtita, certè merentur pretium, cum recipiant æſtimationem.

Suarez.

Etiam ſi preces antecedenter fundātur cū onere, vt pro ipſis ſpirituale conferatur.

Suarez. Ognate.

Huiuſmodi preces ſunt aliquod temporale humanum pretio æſtimabile.

Hinc facile erit deducere, quod, ſi Epiſcopus petat ab aliquo, vt pro ſe apud Principem intercedat promittendo beneficium, ſi id faciat, manifeſtè contrahat ſimoniam. Item ſi in collatione beneficij obliget ipſum recipientem beneficium, ſeù beneficiarium ad fundendas pro ſe preces apud alium &c.

Si Epiſcopus petat, vt quis pro ſe apud Principem intercedat offerendo beneficiū ſimoniacus eſt.

Tertia reſponſio ad tertium clarè deducitur ex ijs, quæ in mox poſita ſecunda reſponſione ad ſecundum explanata ſunt.

16 Quarta reſponſio ad quartum. Ea omnia, quæ dicta ſunt de humanis precibus ſecundum eaſdem diſtinctiones, & reſtrictiones ſunt proportionalitèr applicanda alijs obſequijs à lingua, puta interceſſionibus, laudibus, adulationibus, alijſque beneuolentiæ ſignis *Suarez d. cap.* 40. *num.* 14. *Ognate d. diſp.* 84. *ſect.* 2. *dub.* 3. *num.* 59. quos abſolutè recole.

Suarez. Ognate.

His in vniuerſum ſic explicatis quoad ea omnia, quæ comprenduntur ſub triplici illo munere à manu, ab obſequio, & à lingua, quæ diximus integrare, & adæquare totum diuiſum; nunc nonnulla ſunt reicienda, ex quibus conantur aliqui euincere, vel quod contineatur aliquid in membris diuidentibus, quod non continetur in toto diuiſo, vel quod contineatur aliquid in toto diuiſo, quod non continetur in membris, adeòque quod diuiſio illa non ſit adæquata; ſic primò dicunt numerari in membris diuidentibus obſequia præſtita Epiſcopo, & tamen non continentur in toto, cum præſtare beneficium propter obſequia non ſit ſimoniacum, quandòquidem propter ipſa & Epiſcopi conferunt, & Reges præſentant nemine reluctante, quod idem dic de precibus. Secundò aſſerunt conſanguinitatem contineri in toto diuiſo, quandòquidem conferre beneficium propter conſanguinitatem eſt ſimonia iuxta textum *in cap. nemo de ſimonia*, & tamen nec continetur in munere à manu, nec munere ab obſequio, nec munere à lingua, vt ſe patet. Tertiò aſſerunt, metum conſtituere ſimoniam, ſi ſcilicet beneficium propter ipſum conferatur, nec tamen hunc comprehendi in allegatis membris, ergo vel illa diuiſio eſt inadæquata, vel excedens diuiſum.

Nonnulla aduerſus diuiſionē allatam congeruntur, & diſſoluuntur.

Reicienda quidem ſunt, & primò ad ea, quæ dicuntur de obſequijs, & precibus patet quid ſit dicendum ex ſuprapoſitis; nam vel ipſa obſequia, & preces cadunt ſub conuentione tanquam pretium, vel præcedunt, vel ſubſequuntur ex motiuo gratitudinis, vel conciliandi beneuolentiam conferentis, ſi ſint precedentia, vel ſatisfaciendi gratitudini, ſi ſint ſubſequentia; ſi primum aſſeratur, & continetur in membris diuidentibus, & in toto diuiſo, quandòquidem inducunt ſimoniam, vt patet ex dictis; ſi ſecundum nec continentur in toto, nec in membris &c. quandòquidem non inducunt ſimoniam.

Si ſint antecedētes vt pretiū eſt ſimonia.

Ad ea, quæ dicuntur de conſanguinitate, dicendum eſt, nec hoc contineri in toto diuiſo, quandòquidem conferre beneficium propter conſanguinitatem non eſt ſimoniacum, quamuis quandòque poſſit eſſe iniuſtum, vt optimè docet *D. Thomas ſecunda ſecunda quæſt.* 100. *art.* 5. *ad tertium Adrianus quodlib.* 6. *ad tertium*, *Victoria relect. de ſimonia num.* 16. *Coaruuias* 1. *var. cap.* 5.

D. Thomas. Adrianus. Victoria. Coaren.

cap. 5. num. 4. cum dans beneficium propter conſanguinitatem non det pro temporali; tùm quia nihil recipit, tùm quia non dat pro conſanguinitate, ſed propter conſanguinitatem; neque ea, quæ hic dicuntur aduerſantur alicui iuri poſitiuo, non allegato textui *in cap. nemo de ſimonia*; ſiquidem, quamuis facta numeratione aliquorum geſtorum dicatur, *Quid ſimoniacum eſt vtrumque*, hæc tamen verba, vt benè conſiderat *Suarez. d. lib. 4. c. 37. n. 7.* non referuntur ad conſanguinitatem, ſed ad alia capita ibi enumerata. Deindè, quamuis daremus illa verba referri ad totum textum, nihilominus, vt ibi conſiderat *Hoſtienſis*, intelligenda ſunt non de ſimonia propria, ſed de ſimilitudinaria; Non item aduerſantur textus *in cap. vt Eccleſiaſtica beneficia*; nam ibi ſolum reprehenditur Epiſcopus, qui contulit beneficium ex carnalitate, non tanquam ſimoniacus, ſed tanquam acceptator perſonarum; ſubditur enim ibi ratio talis reprehenſionis. *Quid non ex affectu carnali, ſed diſtreto iudicio debuiſti Eccleſiaſticum officium, & beneficium in perſona magis idonea diſpenſare*, quæ certè maximè conferunt ad ea, quæ mox dicta ſunt, *licet quandoque poſſit eſſe iniuſtum*; atque iuxtà hunc ſenſum explicandi ſunt alij textus, ſi afferantur. Solum aliquid difficultatis videtur deduci ex Bulla Pij V. Incip. *Quanta* 58. præcipientis, ne collatores conferant beneficia ſuis, aut reſignantium conſanguineis, aut affinibus, & quidquid contra id attentatum fuerit irritum, & inane haberi. Nihilominus hæc etiam non officiunt aſſertioni, quandòquidem Pontificis diſpoſitio attingit dumtaxat reſignationes, in quibus ſtatuit, ne collatores beneficia reſignata conferant ſuis, nec reſignantium conſanguineis, affinibus &c. quod duplici ratione ſtatutum exiſtimo; primò, ne beneficia fiant quodamodò hæreditaria; Secundò propter præſumptiones, ne affectu carnalitatis, & ſanguinis quandoque transferantur in indignos. Cæterum per tale decretum tales reſignationes, licet declarentur irritæ, non tamen declarantur ſimoniacæ.

Non eſt ſimoniacũ conferre beneficiũ propter conſanguinitatem.

Suarez.

Hoſtienſis.

Statutũ eſt, ne beneficia quodamodò fiant hæreditaria.

Non tamen declarantur ſimoniaca.

Ad ea tandem, quæ dicuntur de timore, ſeù metu, dicendum eſt, vel non inducere ſimoniam, vel ſi quandòque interuenientibus debitis circunſtantijs eandem inducit, reduci ad munus à lingua, quatenus dicit preces armatas, vt loquitur *D. Thomas in 4. diſt. 25. quæſt. 3. art. 3. ad quartum.* Sed in ijs non immoror, quia erit ſermo vberimus in diſquiſitionibus ſecundum omnes diſtinctiones.

D. Thomas.

DISQVISITIONES I.

A prima ad ſextam prænotionem incluſiuè.

§. I.

An ſimoniam commiſerit, qui fictè promiſit pretium pro beneficio, & an teneatur illud dimittere.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries, & rationes circà ipſam dubitandi 1.

Collatio beneficij facta per Epiſcopum alicuì cum conuentione, vt hic pretium retribuat, quod promiſit, non tamen cum animo ſe obligandi, ſed ſolum decipiendi collatorem non eſt ſimoniaca ex parte decipientis, ſed ad ſummum mentaliter ex parte conferentis 2.

Reijcitur opinio Nauarri contendentis ex parte conferentis eſſe ſimoniam conuentionalem, quandò confert animo recipiendi pro illo beneficio pretium, quandò recipiens nec confert pretium, nec animum habuit illud conferendi 3.

Per illam apparentem conuentionem non incurreventur pœna iuris 4.

Qui beneficium recipit fictè promittendo pretium pro illo poteſt illud retinere, nec tenetur ipſo iure illud dimittere quamuis poſſit per ſententiam illo priuari 5.

Epiſcopus, qui accepto pretio fictè promiſit collationem beneficij, non tenetur poſteà illud conferre, tenetur tamen ad reſtitutionem pretij accepti 6.

Diſquiſitio I. In collatione beneficij facta per Epiſcopum Franciſco Sacerdoti facta fuit conuentio, quod iſte pro beneficio ſolueret certam pecuniæ quantitatem, quam certè promiſit, non tamen cum animo ſe obligandi, ſed dumtaxat decipiendi collatorem; vel è conuerſo facta fuit conuentio, quod Franciſcus hic, & nunc ſolueret illam pecuniarum ſummam, & Epiſcopus poſtea conferret beneficium, qui quidem promiſit, non tamen cum animo conferendi, ſed ſolum decipiendi. Oritur hic controuerſia primò, an in tali conuentione propriè interuenerit ſimonia, Secundò, an per talem conuentionem incurrantur pænæ iuris contra ſimoniacos. Tertiò, an Franciſcus poſſit poſteà illud beneficium retinere, an verò teneatur illud dimittere; Quartò, an Epiſcopus 1

Rationes dubitandi circà ipſam.

qui

qui ſictè promiſit, teneatur poſteà beneficium conferre, vel pretium receptum reſtituere.

2 Reſpondeo primò, in tali conuentione nullam ex parte decipientis interuenire ſimoniam, licet interueniat ſaltem mentalis ex parte intendentis contractum inire. Prima pars eſt *Caietani opuſ. 9. quaeſt. 2. Soti lib. 6. de iuſtitia quaeſt. 8. art. 1. Nauarri cap. 23. num. 106.* qui tamen in aliquo videtur ſibi contradicere, dum aſſerit primò, decipientem poſſe ſibi beneficium a legitimo collatore conceſſum retinere, poſteà verò ſubdit committere ſimoniam ſaltem conuentionalem, quod tamen, ſi attentè perpendantur ipſius principia, non eſt contradictorium.

Caietanus. Sotus. Nauarrus.

Ratio primae partis in eo conſiſtit, quià in hac conuentione, nec actualitèr interuenit collatio temporalis pro ſpirituali, nec obligatio illud conferendi, nec è contra, ſi collator accepto pretio non intendat conferre beneficium, ergo ex parte decipientis nulla interuenit ſimonia. Haec conſequentia tenet, quia ſimonia non eſt, vbi non eſt contractatio rei ſpiritualis pro temporali, ſiuè actualitèr poſita, ſiuè ex obligatione ponenda. Antecedens quoad primam partem ex ſe patet, cum decipiens nihil ſoluerit, quoad ſecundam ſic euincitur, quia in contractibus, qui ex genere ſuo ſunt vltrò, citròque obligatorij ratio obligationis conſurgit ex libero conſenſu contrahentium tanquam a forma ſubſtantiali contractus, ſed vbi eſt deceptio, ſeù animus ſe non obligandi non eſt talis conſenſus reſpectu illius, qui decipit, ſeù ſe obligare non intendit, ergo &c. Minor ex ſe patet, quia ex ſuis intrinſecis principijs conſenſus ad obligandum, & animus ſe non obligandi opponuntur. Confirmari poteſt; fictum aurum non eſt propriè aurum, quantumuis appareat tale, ergo neque ficta ſimonia ſaltem reſpectu eius, reſpectu cuius eſt ficta, eſt vera ſimonia.

Simonia non eſt, vbi nō eſt contractatio rei ſpiritualis pro temporali.

Ficta ſimonia nō eſt propriè ſimonia.

Contendunt hic aliqui, quod re vera ſimonia ficta non ſit ſimonia, quandò fictio ſe tenet ex parte eius, qui ſimulauit promiſſionem rei ſpiritualis, ſecùs autem, quandò ſe tenet ex parte illius, qui fictè promiſit pro ſpirituali ſolutionem rei temporalis. Rationem diſcriminis in eo conſtituunt, quod in primo caſu elucet defectus eius intentionis ad id, quod principalitèr attenditur in ſimonia, nempe ad ſpirituale; in ſecundo verò ad id, quod minus principalitèr attenditur. Sed aſſignatum diſcrimen nullius roboris eſt, quandòquidem contractus ſimoniacus eſſentialiter, & indiuiſibilitèr reſpicit vtrumque, adeòque &c.

Contractus ſimoniacus indiuiſibilitèr reſpicit vtrumq; contrahentem.

Ratio ſecundae partis in eo conſiſtit, quod ille, qui confert beneficium pro illà ficta promiſſione ſolutionis pecuniae, verè confert animo ſimoniaco cum intentione ſcilicet recipiendi pretium illud promiſſum, ergo, quantum eſt ex ſe, ſimoniam ſaltem mentalem committit. Antecedens ex ſe patet, quia in tantum confert beneficium, in quantum ſibi facta eſt promiſſio illa ſolutionis pretij, ſine qua certè non conferret. Conſequentia verò probatur, quia actiones internae deſumunt ſuam ſpecificationem ab ea ratione formali, ſub qua eliciuntur, ergo, cum illa collatio facta fuerit animo merè ſimoniaco affectus ad illam, non poterit eſſe, niſi ſimoniacus. Confirmatur ex ijs, quae dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Praenot. 9. num. 2.* nempe ſemper eſſe vſuram mentalem, & prohibitam mutuare cum intentione lucri, quod debeatur tanquam ex obligatione iuſtitiae propter mutuum *D. Thomas ſecunda ſecundae quaeſt. 78. art. 2. Caietanus ibid. art. 1. ad quartum Sotus lib. 6. de iuſt. quaeſt. 1. art. 2. Nauarrus in comment. de vſura 14. quaeſt. 3. cap. 1. num. 20. Conradus de contractibus quaeſt. 29. concl. 2.* cuius rationem ibi adducebamus, quia illa intentio lucri ſecundum illam hypotheſim eſt de obiecto ex ſe, & ab intrinſeco malo, ergo etiam erit ſimonia mentalis, & prohibita conferre beneficium cum intentione rei temporalis, quae attingatur tanquam debitum ex iuſtitia ratione conuentionis, ſeù promiſſionis. Conſequentia tenet, quia non minus eſt obiectum ex ſe, & ab intrinſeco prauum mutuare cum intentione lucri tanquam debiti ex iuſtitia in mutuo, ac ſit obiectum ex ſe tale in ſimonia conferre beneficium cum intentione pretij temporalis recipiendi, vt debiti ex conuentione.

Conferens animo ſimoniaco eſt ſimoniacus ſaltem mentalitèr.

D. Thomas. Caietanus. Sotus. Nauarrus. Conrad.

Eſt ex obiecto ſecundum ſe malo.

Contendit hic *Nauarrus in comment. ad cap. fin. de ſimonia num. 10. & cap. 23. num. 106. verſ. ad tertium* ſimoniam illam ex parte conferentis beneficium animo verè conferendi pro pretio, licet pretium illud per alterum fuerit fictè promiſſum, ſeù ex parte illius, qui verè contulit pretium cum animo verè recipiendi beneficium ſibi fictè promiſſum non eſſe purè mentalem, ſed conuentionalem, cuius rationes ad hanc vnam reſtringuntur, quia illa collatio rei ſpiritualis non eſt omninò gratuita, ſed oneroſa, quod ex multiplici capite euincitur primò, quia illa actio promittendi, quantumuis fuerit ficta, eſt tamen actio realis, & temporale quid, & pretio aeſtimabile, nam ſic promittens aliquid facit valde oneroſum, & periculis obnoxium. Secundò, quia promittens aliquot aureos pro beneficio cum intentione tradendi illos fictos ex auricalcho adhuc com- 3

Nauarrus.

Aſſeruntur rationes, quibus euincitur eſſe ſimoniam non purè mentalem, ſed conuentionalem.

mitteret ſimoniam, ergo &c. Nihilominus ſentiendum abſolutè eſt, non eſſe ſimoniam, niſi mentalem, quia conuentio, qua conuentio eſt, ex ſuo conceptu appellat vtriuſque contrahentis conſenſum, qui certè ex parte decipientis non eſt, vt ex ſe patet. Ad rationes, quæ ex Nauarro afferebantur, facile eſt reſpondere, eſſe quidem illam collationem oneroſam, quantum eſt ex affectu conferentis, qui ſibi ſuadet recipere promiſſum, non quantum eſt in re ipſa, & intentione recipientis; nec valet dicere, quod actio illa promittendi ſit quid pretio æſtimabile, & quod ipſa conferatur loco pretij, ratione cuius propterea illa collatio dicatur oneroſa; non, inquam, valet dicere, quia ipſe collator non intendit conferre beneficium propter illam promiſſionem, ſeù melius pro illa promiſſione nudè ſumpta, ſed pro re, ſupra quam cadit illa promiſſio, vnde eadem promiſſio eſt tantum conditio applicans animum conferentis ad conferendum, non ratione ſui, ſed intuitu rei promiſſæ tanquam obiecti motiui ad conferendum, quod clarè ex ea ratione elucet, quod etiam in promiſſione vera non attenditur eadem promiſſio tanquam obiectum, ſeù pretium rei ſpiritualis, cæteroqui, vt benè notat *Suarez d. lib. 4. cap. 42. num. 5.* quotieſcunque conferretur beneficium aliquod pro promiſſione vera rei ſecundum ſe pretio æſtimabilis eſſet ſimonia realis ex vtraque parte completa etiam ante traditionem talis rei pretio æſtimabilis, quandòquidem iam eſſet illa promiſſio, quæ haberet rationem obiecti, ſeù pretij, quod tamen non eſt dicendum. Ad id, quod ſubditur de promiſſione aureorum pro beneficio cum intentione ipſos conferendi fictos ex auricalcho dicendum eſt, tunc verè committi ſimoniam conuentionalem, quia re vera tunc eſt intentio ſoluendi aliquod pretio æſtimabile licet minoris valoris, ac ſi eſſet aurum verum, quod ſufficit ad ſimoniam, quæ æquè conſtituitur per pretium magnum, ac per paruum per ea, quæ latè ſuperius diximus.

Conuentio, vt talis appellat vtriuſque contrahentis conſenſum.

Promiſſio eſt tantum conditio applicans animum conferentis.

Suarez.

Tunc eſſet intentio ſoluendi aliquod pretio æſtimabile.

4 Reſpondeo ſecundò per illam apparentem conuentionem non incurri pœnas iuris. *Caietanus tom. 1. opuſc. tract. 9. quæſt. 2. Sotus lib. 9. quæſt. 8. art. 1. Toletus in inſtruct. lib. 5. cap. 90. num. 4. Petrus Nauarra lib. 2. de reſtit. cap. 2 num. 411.* Clarè colligitur hæc reſponſio ex ijs, quæ diximus ſuprà *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimonia Prænot.* 10. quorum ratio ea eſt, quia leges pœnales conſtitutæ contrà aliquod delictum non intelliguntur afficere delinquentes, niſi delictum ipſum ſit ex omni parte conſumatum iuxta regulam generalem, quod *odia ſint reſtringenda*; non eſt autem ex omni parte conſummatum, quinimmò nec intentum, quandò vnus non verè, ſed fictè omninò promittit decipiendo alterum contrahentem. Confirmatur, quià pœnæ impoſitæ contra delictum verum non extenduntur ad fictum, nec præſumi debent eos afficere, qui non habent animum prauum delinquendi in tali genere delicti, contra quod latæ ſunt tales pœnæ, ergo &c.

Caietanus. Sotus. Toletus. Petrus Nauarra.

Pœna contra delictum verum non extendatur ad fictum.

5 Reſpondeo tertiò, qui beneficium recepit fictè promittendo pretium pro illo poteſt illud detinere, nec tenetur ipſo iure illud dimittere, quamuis poſſit per ſententiam illo priuari. *Nauarrus cap. 23. nu. 106. Caſſadorus deciſ. 5. de conſtit. Gomez in reg. de triennali quæſt. 12. Vgolinus de ſimonia tab. 1. cap. 5. Coarunias reg. peccatum 2. part. §. 8. num. 7.* Ratio autem huius reſponſionis eſt, quia onus illud ipſo iure beneficium dimittendi pro illa ficta ſimonia, nec prouenit à iure naturæ, nec à iure poſitiuo, ergò &c. Antecedens probatur quoad primam partem argumento deducto à fortiori ex ijs, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. Prænot. 4. aſſert. 4.* ſi enim ex vi iuris naturæ per ea, quæ ibi diximus collatio beneficij per ſimoniam realem, & completam facta non eſt ipſo iure nulla, adeòque ex vi eiuſdem iuris ipſum beneficium non eſt dimittendum iuxta mentem *Nauarri d. cap. 23. num. 103. & 104. Coarunij reg. peccatum part. 2. §. 8. Leſſij lib. 2. cap. 35. dub. 29. num. 166.* a fortiori non erit nulla, nec beneficium dimittendum, quandò non eſt completa, quinimmò nec intenta ab altero contrahente. Vide, quæ latè loc. cit. diximus. Probatur iam quoad ſecundam partem, quia iura poſitiua diſponentia de tali irritatione, & onere dimiſſionis, vtpotè pœnalia ſunt reſtringenda, & ſtrictè interpretanda, ergo debent ſumi, prout reſpiciunt delictum vſquequaque completum, non alitèr. Recole, quæ dicta ſunt *ſub hoc eodem tit. Contractus VIII. Prænot. 10. per totum*, & hic applica

Nauarr. Caſſador. Gomez. Vgolin. Coaruu.

Nec iure naturæ, nec poſitiuum præcipit ipſo facto dimittendum.

Nauarrus. Coaruu. Leſſius.

6 Reſpondeo quartò, Epiſcopus, qui accepto pretio fictè promittit collationem beneficij, non tenetur poſteà illud conferre, tenetur tamen ad reſtitutionem pretij inde recepti *Medina C. de reſtitutione tract. de vſuris quæſt. 4. §. iam ad rationem Bartholomæus Medina in ſumma cap. 14. §. 21. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 59. num. 45. Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 85. ſect. 3. nu. 100. & 101.* qui tamen omnes loquuntur dumtaxat de onere reſtitutionis eiuſdem pretij. Prima pars facile ex eo deducitur, quia nemo tenetur complere actionem ſecundum ſe peccaminoſam, ad quam non habuit animum ſe obligãdi, quinimmò etiam ſi talem animum habuerit, quia vnuſquiſ-

Medina. Bartol. Med. Suarez. Ognate.

que tenetur, quantum fieri poteſt, declinare à malo. Secunda pars etiam facile euincitur ex dictis *loc. cit. ſub hoc eod. tit. nempè Pranot. 5. aſſert. 3.* quandòquidem illa receptio pretij omninò iniuſta eſt, & procedit ex intentione omninò iniuſta, & ſi quandò etiam promiſit accepto pretio conferre beneficium cum animo verè conferendi, tenetur tamen adhuc pretium receptum reſtituere, à fortiori videtur obligari ad talem reſtitutionem, quandò quidèm promiſit, ſed ſine animo ſe obligandi. Vide quæ latè diximus *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. Pranot.* 5. per totum, & hic applica.

Nemo tenetur cōplere actionem peccaminoſam, ad quam non habuit animū ſe obligandi.

Ex dictis inferre licet primò non idem omninò eſſe ſimoniam eſſe nullam, & eſſe fictam; prima etenim eſt, quæ nullos parit effectus, eſtque talis ex multis iuribus, vel naturæ, vel poſitiuis irritantibus; ficta verò eſt, quæ fit ſine animo obligandi ſe; nec hæc propriè eſt ſimonia reſpectu illius, qui animo ſimulato promiſit. Secundò illam diuiſionem in nullam, & fictam non eſſe propriam, ſed analogi in analo-
3 gata.

Aliud eſt ſimoniam eſſe nullā, ac eſſe fictam.

§. II.

An ſit ſimonia, ſi ex conuentione in collatione beneficij aliquid detur non collatori, ſed in fauorem Eccleſiæ, cui præficitur beneficiarius.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries in caſu particulari 1.

Si fiat illa oblatio ad præciſè inclinandum animum collatoris ad ſibi beneficium conferendum non impoſita obligatione ciuili per illam probabilius non inducitur ſimonia 2.

Nec eſt ſimonia, quantumuis illa oblatio fiat per modum expreſſa conuentionis 3.

1 Diſquiſitio II. Vacante aliquo beneficio plures ad idem concurrebant æquè idonei. Ad animum collatoris inclinandum vnus ex illis hanc eidem oblationem fecit, vt, ſi ipſe beneficiarius eligeretur, in ſubſidium Eccleſiæ, cui præficeretur, conferret certam pecuniæ quantitatem, vel ad reparanda damna eidem imminentia, vel ad ornatum eiuſdem &c. Orta hic fuit controuerſia, an aliqua in data hypotheſi commiſſa fuerit ſimonia. Pro ſolutione

Facti ſeries expoſita.

Aduerte illam oblationem dupliciter poſſe fieri, primò ad excitandum præciſè ipſius collatoris animum ſine aliquo pacto. Secundò cum expreſſo pacto, & conuentione, qua acceptata collator teneatur beneficium conferre, ipſe verò pecuniam Eccleſiæ promiſſam erogare.

Oblatio poteſt dupliciter fieri, & quomodò.

Reſpondeo primò, ſi fiat illa oblatio ad 2
præciſè inclinandum animum collatoris ad ſibi beneficium conferendum non impoſita obligatione ciuili per illam probabilius non inducitur ſimonia *Turrianus in ſelect. part. 2. diſp. 16. dub. 3. Diana part. 5. tract. 14 reſol. 75.* à quibus non diſſentire videtur *Abbas in cap. cum M. de conſtit.* Ratio, quia illa oblatio non habet rationem pretij, nec inducit aliquam obligationem ciuilem conferendi in collatore, ergo &c. Antecedens probatur, tùm quià illa oblatio non fit ad ponendam æqualitatem inter datum, & acceptum, ſed dumtaxat ad inclinandum animum conferentis; tùm quia illud non erogatur in commodum conferentis, ſed in cauſam piam vtilitatis Eccleſiæ; tùm quià illud, quod promittitur maximè congruit tali beneficio, & ex conuenientia ſaltem conſequitur ad illud. Confirmatur ex ſuperius dictis, quià propriè non eſt ſimonia, ſi aliquid promittatur infideli ad excitandum eius animum, ſi conuertatur ad fidem *Turrianus in ſelect. part. 2. diſp. 16. dub. 3. Diana loco mox citato*, ergo neque erit ſimonia, ſi aliquid promittatur Eccleſiæ ad eius decorem, & vtilitatem, ſi ipſi conferatur beneficium.

Turrian. Diana. Abbas.

Illa oblatio non fit ad ponendā æqualitatem inter datum, & acceptum

Turrian. Diana.

Ratio ſecunda eſſe poteſt, quià in hac hypotheſi neque eſt commutatio rei ſpiritualis pro temporali, nec emptio, & venditio, ergo non eſt propriè ſimonia. Probatur antecedens quoad primam partem, quia permutatio ex dictis *tom. 2. ſub tit. Contractus 6. Pranot. 1. num. 2. & ſeqq.* eſt vnius rei pro alia vicaria præſtatio, ſed in data hypotheſi res illa temporalis non præſtatur pro beneficio, licet occaſione beneficij, non enim confertur collatori, ſed Eccleſiæ, cui præficitur, nec aliquid commodi eidem reſultat, ergo &c. Confirmatur primò, quia poteſt quis ſe obligare ad conſtruendam Eccleſiam adiecta conditione, vt ipſe eidem præficiatur, vel in eadem ius patronatus acquirat *Gloſa in cap. pia mentis 17. quæſt. 7.* iuxtà illud

Non præſtatur res illa pro beneficio licet occaſione beneficij.

Gloſa.

Patronum faciunt, dos, ædificatio, fundus

ergo etiam poteſt acquirere beneficium in eadem per obligationem eandem reædificandi, ſeù reparandi, ſeù aliqua conferendi ad ipſius ornatum. Confirmatur ſecundò. Poteſt Epiſcopus vacante beneficio ante collationem eiuſdem aliqua onera eidem annectere, quæ cedant in vtilitatem eiuſdem, quibus, ſi ſe obligent eligendi,

ſimo-

Bonacina.

ſimoniam non committunt *Bonacina tract. de ſimonia quaſt*. 1. §. 1. *num*. 9. *verſ. obſerua tamen*, quod etiam latè nos ſupra diximus, ergo etiam poterit ipſe beneficiarius ad conciliandam ſibi beneuolentiam collatoris, ſe offerre ſine labe ſimoniæ ad illa onera, in quæ conſentiat ipſe collator. Conſequentia probatur, quia parum referre videtur, quod beneficiarius conſentiat oneribus ab Epiſcopo iniunctis, vel quod ſe offerat ad illa exequenda.

3 Reſpondeo ſecundò, nec eſſe ſimoniam, quantumuis illa oblatio fiat per modum expreſſæ conuentionis. Ratio eſt, quià poſita illa conuentione adhuc illa oblatio non haberet rationem pretij reſpectu illius beneficij, nec aliquis contemptus fieret virtuti Religionis, cui aduerſatur vitium ſimoniæ, ergo &c. Antecedens quoad primam partem ſic euincitur, quià illud, quod erogatur ex conuentione, non cederet, niſi in vtilitatem Eccleſiæ, cui talis beneficiarius præficeretur, & quamuis ſit motiuum ad alliciendum animum collatoris, & intuitu eiuſdem fiat collatio, non ſit tamen pro illo, ſed ad ſummum propter illud, ſicque non habet rationem pretij. Idem antecedens etiam quoad ſecundam partem ſic euincitur, quià in data hypotheſi non fit comparatio rei ſpiritualis cum temporali, nec beneficium ipſum ordinatur ad illud temporale tanquam ad finem, nec tanti æſtimatur res temporalis, quæ confertur, quanti ſpirituale, quod erogatur, ergo nullus fit Religioni contemptus. Antecedens quoad omnia ſic comprobatur, quià, vtſuprà afferebamus, beneficium non datur pro illo temporali, quamuis detur propter illud tanquam per motiuum alliciens.

Illa oblatio, quamuis ex conuentione non ſit pro beneficio.

Non tanti æſtimatur res ſpiritualis, ac pretium temporale.

---

§. III.

An ſit ſimoniaca ſponſio vulgò *ſcommeſſa* cum tertio, vel etiam cum collatore.

SVMMARIVM.

Exponitur, quid ſit propriè illa ſimoniaca ſponſio, ſeù ſcommiſſa 1.

Per illam ſponſionem iuxtà modum expoſitum non euitatur ſimonia 2.

Per illam ſponſionem factam iuxtà ſecundum ſenſum etiam committitur ſimonia 3.

1 Diſquiſitio III. Optabat Caius, vt beneficium quoddam vacans filio ſuo conferretur; atque, vt quodamodò collatorem compelleret ad illud eidem conferendum, hunc tractatum, quem Itali *ſcommeſſa*, Hyſpani *apueſtam* appellant cum eodem habuit, quo aſſerebat, ſe ità certum eſſe, quod beneficium illud non foret cōferendum filio ſuo, vt tunc de præſenti ſponderet, ſeù ſcommiſſam centum aureorum haberet, quod eidem filio non conferretur. Hac ſponſione commotus Collator beneficium de facto contulit filio, vt illam affequeretur. Rurſus ſuppono, quòd idem Caius illam ſponſionem non immediatè cum collatore fecerit, ſed cum tertia quadam perſona eidem collatori valdè familiari, quæ ad acquirendum promiſſum, ſeù exhibitum ſe excitat ad intercedendum, & de facto pro eodem filio beneficium illud obtinuerit. Quæritur modò in vtroque caſu, an propriè interceſſerit ſimonia, vel conuentionalis, vel ſaltem mentalis, ſi Epiſcopus beneficium contulerit, & Caius promiſſum, ſeù oblatum non ſoluerit, vel etiam realis, ſi vterque compleuerit per actualem collationem, & ſolutionem.

Exponitur facti ſeries cū omnibus ſuis conditionibus.

2 Reſpondeo primò, in prima hypotheſi per illam ſponſionem non euitari labem ſimoniæ. *Nauarrus in man. cap*. 23. *de ſimonia reali num*. 155. quidquid aliqui dixerint apud *Dianam part*. 4. *tract*. 5. *reſol*. 151. qui tamen non loquuntur de illa ſponſione facta immediatè cum collatore, ſed cum tertia perſona, quæ ad lucrandum conuentum poſtea interceſſerit pro obtinendo beneficio, & in re obtinuerit, de qua rerit ſermo in ſequenti reſponſione. Ratio huius reſponſionis ea eſt, quià collator in ea ſuppoſitione confert beneficium intuitu illius ſponſionis, vt ſcilicet illud acquirat, quod per illam ex hibitum eſt, & ſpondens ideò exhibet, & quodamodò ſcommittit, vt collatorem inducat ad conferendum, ergo propriè, & in rigore ſimonia committitur, realis quidem, ſi quod exhibitum eſt, perſoluatur, mentalis, ſeù conuentionalis, ſi non perſoluatur. Conſequentia tenet, quia conferre beneficium ad finem percipiendi aliquod temporale ſponſum, ſeù promiſſum ſub conditione collationis eſt ſimonia, ſed in ea ſuppoſitione, de qua loquimur, hoc verè ſequitur, ergo &c. Minor probatur, quià illa ſponſio, ſeù ſcomiſſa, cum fiat ad inducendum collatorem ad conferendum, æquiualet actuali conuentioni, ſeù oblationi pretij; mouetur ſiquidem collator ad conferendum, vt conſequatur promiſſum.

Nauarrus. Diana.

Illa ſponſio æquiualet actuali ſolutioni.

Dices primò, poſita adhuc illa ſponſione, ſeù ſcomiſſa adhuc remanet liber collator ad conferendum, & non conferendum, ergo illa non æquiualet actuali conuentioni. Conſequentia probatur, quià

actualis conuentio obligat ciuilitèr vtrumque contrahentem ad adimplenda conuenta, ergo, ſi collator poſita illa ſponſione adhuc remanet liber, illa ſponſio non habet vim conuentionis. Sed contrà, quià propriè ſimonia eſt, ſi quis facta ſibi oblatione centum aureorum pro beneficio illud conferat immediatè, quantumuis ſe prius non obligarit ad conferendum, vt eſt in confeſſo apud omnes, & tamen illa poſita adhuc intelligitur liber ad conferendum, vel non conferendum, ergo ex eo capite libertatis non tollitur, quin illa ſponſio poſſit eſſe ſimoniaca. Ratio fundamentalis eorum, quæ hic dicuntur, ea eſt, quià ſcilicet ipſa actualis collatio pro illa ſponſione, ſeù pro eo, quod conſequitur ad eandem ſponſionem, eſt formalitèr ex vi eiuſdem ſponſionis, & ipſa æquiualet determinationi; valet enim ſemper dicere; quod facta fuerit ex vi illius ſponſionis; ſecus ſi facta exhibitione pecuniæ pro beneficio hoc immediatè conferretur ſine præcedenti expreſſa acceptatione conferentis non committeretur ſimonia, quod quis diceret?

Ex capite libertatis non tollitur, quin illa ſponſio poſſit eſſe ſimoniaca.

Dices ſecundò, licita eſt ſecundum ſe illa ſponſio, ſeù *ſcommiſſa*, cum ſpondens, ſeù ſcommittens æquè ſe exponat periculo amiſſionis, ac ſpei acquiſitionis, vt regularitèr haberi ſolent huiuſmodi ſcommiſſę, cum conſiſtant dumtaxat in fortunæ alea; Quot enim ſic conueniunt. Demus operam ludo. Tu aſſeris, quod ille erit Epiſcopus, ego nego. Si erit, dabo tibi centum nummos, ſi non erit, dabis mihi. Sed contrà. Licita quidem eſt ſponſio, quandò non eſt in poteſtate alterius, cui fit ſponſio, eludendi ſpondentem, & quandò ipſa ſponſio non eſt formalis ratio conferendi beneficium, vt euenit in caſu noſtro, ſecundum quem licet illa ſponſio pallietur titulo ſcommiſſæ, habet tamen quoad ſubſtantiam rationem cauſæ formalis ad conferendum beneficium; ex quo patet diſparitas quoad ea, quæ hic dicuntur, ab ijs, quæ dicuntur de regulari illa ſcommiſſa, de qua eſt ſermo in hac inſtantia, quandòquidem regularis hæc ſcommiſſa eſt præcisè inter ſcommittentes cum æquali fortunæ alea, nec poteſt habere ſecundum ſe vim ad conferendum beneficium, cum procedat ex libera voluntate conferentis ſine vllo motiuo temporalis boni mouentis, vt ex ſe patet.

Eſt licita illa ſponſio, quandò non eſt in poteſtate alterius, cui fit ſponſio, eludendi ſpondentem.

Ratio ſecunda reſponſionis hæc eſt, quià dicere *Dabo tibi centum nummos aureos, ſi mihi conferes beneficium vacans*, ac dicere. *Ità certus ſum, quod mihi non conferes beneficium, vt exponam centum nummos aureos, quos ſoluam, ſi mihi conferas*, idem quoad ſubſtantiam omninò ſunt, ſed in primo caſu verè, & propriè committitur ſimonia, ſi beneficium conferatur, ergo & in ſecundo. Maior probatur. Quid enim aliud eſt dicere, Certus ſum, quod non dabis beneficium, ità vt dabo centum, ſi dabis, quam dicere dabo centum, ſi dabis, ergo &c.

Idem eſt in ſubſtantia dicere, dabo centum, ſi mihi dabis beneficium.

Reſpondeo ſecundò, In ſecunda hypotheſi per illam ſponſionem propriè, & verè 3
committitur ſimonia, In hanc reſponſionem propendere videntur *Sanchez. lib. 2. opuſc. cap. 3. & Nauarrus dict. cap. 23. de ſimonia reali num.* 105. Ratio reſponſionis ea eſſe poteſt, quià, vt patet ex ſuprà probatis, non minus intercedit ſimonia inter dantem, & recipientem, ſed etiam inter eoſdem, & mediatores iuxta textum *in Extrau. 2. inter communes de ſimonia*; quo ſuppoſito ſic arguo. Offerens mediatori certam pecuniæ quantitatem, vt intercedat pro ſe ipſo apud collatorem, & obtinens vi illius beneficium verè, & propriè ſimoniacus eſt, ergo etiam erit talis, qui cum tertia perſona valdè collatori familiari ſcommiſſam habuit modo ſuprà expoſito, vi cuius illa tertia perſona interceſſit, & obtinuit beneficium, Conſequentia probatur, quià ſicuti illa ſponſio facta immediatè collatori æquiualet actuali oblationi, ità non eſt, cur eidem non æquiualeat, ſi facta fuit mediatori, & ſi etiam committitur ſimonia, quandò fit oblatio pecuniæ mediatori ad intercedendum, non eſt cur etiam non committatur, ſi cum eodem fiat illa ſponſio æquiualens eidem oblationi.

Sanchez. Nauarrus.

Æquè interuenit ſimonia, ſiuè proſſum verſetur inter dantē, & recipientem, ſiuè etiā inter mediatorem

Dices, ſpondentem, ſeù ſcommittentem per illam ſponſionem non compellere illam tertiam perſonam ad intercedendum, cum non dicat, vt intercedat, ſed eandem tertiam perſonam ex ſe moueri ad illam interceſſionem, vt acquirat expoſitum per ſpondentem, ſicque illum non eſſe ſimoniacum. Sed contra, quia quamuis non compellat explicitè, mouet tamen quodamodò implicitè apponendo id, per quod ſcit mediatorem mouendum, & ſine quo ſciret non mouendum ad illam interceſſionem, quod ſatis eſt ad inducendam labem ſimoniacam. Dicere deinde, quod ille ex ſe moueatur ad illam interceſſionem non euacuat difficultatem, quià non mouetur ex fine liberalitatis, & beneuolentiæ, ſed ex motiuo lucri, quod eſt acquiſiturus ex vi illius ſponſionis, quinimmò & ipſe ſpondens, quamuis non exprimat, præſumitur tamen ſemper, quod ſpondeat, ſeù ſcommittat cum animo excitandi ad intercedendum.

Licet non compellat explicitè mouet tamen implicitè.

§. IV.

§. IV.

An committat ſimoniam Canonicus, qui principalitèr reſidet propter diſtributiones quotidianas, & Sacerdos, qui principalitèr celebrat propter ſtipendium.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries cum ſua ratione dubitandi 1.

Diſtinctio Panormitani inter motiuum, & finem principalem 2.

Canonicus principalitèr reſidens propter diſtributiones quotidianas, & Sacerdos celebrans propter ſtipendium non committunt ſimoniam. Ibid.

1 Diſquiſitio IV. Receptus quidam in canonicum in aliqua Cathedrali, ſeù Eccleſia Collegiata Horis Canonicis in Choro, alijſque Canonicatus functionibus perſonalitèr reſidebat ex fine principali lucrandi quotidianas diſtributiones, ſine quo certè regularitèr non reſideret, adeò vt motiuum principale, & primarium talis reſidentiæ ſit lucrum earundem diſtributionum, quod idem intellige de Sacerdote, qui ex fine principali ſtipendij mouetur ad celebrandum, ſine quo certè non celebraret. Hic ſuboritur immediatè difficultas, an illud principale motiuum lucri, ſeù ſtipendij in perſonali reſidentia, ſeù celebratione propriè, & verè inducat ſimoniam.

Facti ſeries, & ratio dubitandi.

2 Reſpondeo, per eam intentionem, ſeù finem principalem non committi per illum Canonicum, ſeù Sacerdotem ſimoniam *Panormitanus in cap. ex parte il primo num 4. de officio delegati*, qui tamen non abſolutè loquitur, ſed diſtinguit inter motiuum, & finem principalem, adeò vt aſſerat eſſe ſimoniam, ſi aſſiſtat ob quotidianas diſtributiones, & ob ſtipendium ſuſtentationis tanquam ob finem principalem, adeò vt non aſſiſteret, nec celebraret, ſi ille finis non vigeret, ſecus verò, ſi aſſiſtat tantum ob illa tanquam ob motiuum aſſiſtendi, & celebrandi. *Sanchez in conſil. moral. part. 1. lib. 2. cap. 3. dub.* 12. abſolutè ſine ulla diſtinctione ſuſtinet non eſſe ſimoniam, ſicque abſolutè conſentit noſtræ reſponſioni, quæ ſic

Panorm.

Diſtinctio inter motiuum, & finem principalem.

Sanchez.

Probatur primò, quià exigere quotidianas diſtributiones ob perſonalem reſidentiam, & ſtipendium ſuſtentationis ob celebrationem Miſſarum non eſt ſecundum ſe iniquum, nec illicitum, ergo neque erit illicitum, nec ſimoniacum intendere principalitèr illud, ſeù illas in aſſiſtentia perſonali Diuinis Officijs, & in celebratione Miſſarum. Antecedens non vertitur in dubium. Conſequentia probatur, quia principalitèr intendere in aliqua actione id, quod in eadem licitum eſt, non eſt quid prauum ſaltem læthalitèr, licet ex inordinatione quandòque ſit veniale, vt videre eſt, in exercente aliquam actionem ſecundum ſe meritoriam propter inanem gloriam, ergo cum exigere quotidianas diſtributiones, & ſtipendium ſuſtentationis in aſſignatis actionibus ſpiritualibus non ſit iniquum, nec erit iniquum illa principalitèr intendere, quantumuis ſint quid minus principale in eiſdem.

Intendere principalitèr in aliqua actione id, quod in eadem licitū eſt non eſt quid prauum ſaltē læthalitèr.

Probatur ſecundò, quià non eſt ſimonia, vbi aliquid pretio æſtimabile non exigitur pro re ſpirituali tanquam pretium eiuſdem, ſed tanquam ſtipendium in ordine ad munera temporalia, quæ eidem rei ſpirituali adiunguntur, quod ſtipendium ſuadente ratione, & naturali æquitate iuſtè ſecundum ſe exigi permittitur, nec conſtituitur in tali ratione ſimoniæ ex eo, quod principalius in tali opere intendatur, ſicuti quià lucrum licitum eſt in arte mercandi non ſit illicitum ex eo, quod principalius ipſum lucrum in tali exercitio acquiratur; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur reddi læthalitèr illicitam, & peccaminoſam illam principalem intentionem ſtipendij, ſeù quotidianam diſtributionem in perſonali aſſiſtentia, & celebratione Miſſarum, quià id, quod ſpirituale, & ſuperius eſt, ordinaretur ad temporale, & inferius tanquam ad finem, ſicque eſſet inordinatio finis ad media; non, inquam, obeſſe poteſt, quià dato etiam, quod eſſet talis intentio, & inordinatio peccaminoſa, non propterea eſſet ſimoniaca, quandòquidem licet ſpirituale quodamodò ordinaretur ad temporale, non propterea ordinaretur ad idem tanquam ad pretium, cum illud temporale eſſet non pro ipſo ſpirituali, ſed pro perſonali aſſiſtentia, & in ſtipendium ſuſtentationis, cæterum eſſet etiam ſimoniaca intentio illa, qua quis acquiſito beneficio ipſum ſimplicitèr ordinaret ad ſua temporalia commoda, & ad ſuas paſſiones, & appetitus explendos, quod nemo dicet. Deinde ordinatio finis ad media non eſt peccaminoſa, niſi ſub ea ratione, qua medium ipſum eſt peccaminoſum, & etiam ſub ea formalitate, ſic, vt bene notat *Sanchez d. part. 1. lib. 2. c. 3. dub.* 12. qui reciperet ſacramenta ob inanem gloriam non contraheret, niſi noxam venialem ambitionis, non tamen ſimoniæ, quia medium illud, quod ex intentione operantis habet rationem finis, non eſt, niſi peccatum veniale, & ſub formalitate ambitionis. Cum igitur

Illud, quod exigeretur non eſſet ob aliquod ſpirituale.

Nec ſpirituale ordinaretur ad temporale tanquam ad pretium.

Ordinatio finis ad media nō eſt peccaminoſa, niſi ſub ea ratione, ſub qua mediū eſt peccaminoſum.

illa

illa aſſiſtentia perſonalis, & celebratio, quæ ſecundum ſe deberent principalitèr ordinari ad cultum diuinum, ex intentione operantis ordinarentur ad illum finem acquirendi diſtributiones, & ſtipendium ſuſtentationis non habet inducere, niſi quandam ad ſummum leuem noxam auaritiæ, & turpitudinis ex parte eiuſdem operantis. Quod ſi diximus *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimonia Prænot. 3. aſſert. 4. verſ. probatur 2.* malitiam ſimoniæ potiſſimum ex eo deſumi, quod aduerſus dignitatem, & reuerentiam rei ſacræ debitam ordinetur id, quod perfectius eſt, & altioris ordinis ad id, quod eſt imperfectius, & ordinis inferioris, quod idem videtur contingere in hypotheſi, de qua loquimur; hoc tamen nihil negotij facesſeit nobis, quandòquidem ea, quæ ibi dicta ſunt, non procedebant de illa ordinatione quomodocunque accepta, ſed de ordinatione rei ſpiritualis ad temporale tanquam ad pretium, & menſuram eiuſdem rei ſpiritualis, quatenus ſcilicet ex affectu contrahentium illa duo coadæquarentur, quæ certè non militant in caſu, de quo hic loquimur, vt conſideranti ſit manifeſtum, non enim illud ſubſidium quotidianarum diſtributionum, & ſtipendium ſuſtentationis exigeretur tanquam pretium pro ſpirituali.

Obiectio deſumpta ex ſuperius dictis, einſque ſolutio.

Probatur tertiò potiſſimùm aduerſus eos, qui docent in data hypotheſi committi fimoriam, quandò Canonicus principalitèr aſſiſtit, & Sacerdos celebrat, ille propter quotidianas diſtributiones, iſte propter ſtipendium ſuſtentationis tanquam propter finem principalem, ſecùs autem quandò propter motiuum præcisè; probatur, inquam, quia principale motiuum in ordine intentionis, & cauſa finalis principalis coincidunt in ratione mouendi, & ſub ea ratione, qua quid finalizat, mouet, ergo ſi non inducit ſimoniam ſub ea ratione, ſub qua mouet, neque inducet ſub ea, ſub qua finalizat. Antecedens probatur, quià agentia rationalia mouentur potiſſimum propter finem, ergo &c. Deindè ſiuè illa intentio acquirendi quotidianas diſtributiones, ſeù ſtipendium ſuſtentationis fuerit finis, ſiuè motiuum aſſiſtendi, ſeù celebrandi, nunquam tamen eſt pretium rei ſpiritualis, ſed dumtaxat remanet in ratione talis ſtipendij, nec illud intendens intendit, vt pretium, quantumuis intendat principalitèr, ſed ſtipendium ſuſtentationis, qua tale eſt, in miniſterio rerum ſacrarum non conſtituit ſimoniam, ergo &c.

Motiuum principale in ordine intentionis, & cauſa finalis principalis coincidunt.

§. V.

An, & quomodò ſimonia ſit Hæreſis.

SVMMARIVM.

Proponitur ratio dubitandi 1.

Duplex qualitas, ſecundum quam poteſt conſiderari ſimoniacus 2.

Simonia ſine illo prauo affectu, quo quis credat licitè poſſe fieri, non eſt propriè hæreſis 3.

Simonia cum illo prauo iudicio, quod ſit licita, eſt propriè hæreſis 4.

Diſquiſitio V. Expreſsè ſimoniacè contraxerat Fabius, atque ex vi illius contractus ſimoniaci veri, realis, & expreſſi acquiſierat beneficium Eccleſiaſticum. Suborta tunc fuit controuerſia, an verè, & propriè fuerit ſimoniacus ille hæreticus, & potuerit pænis iuris per Inquiſitores hæreticæ prauitatis torqueri, prçcipuè quod *in cap. fertur, & cap. Presbyter 1. quæſt. 1. & cap. quoties de ſimonia, & alibi* crebrò appellatur ſimoniaca hæreſis, & Sancti Patres, alijque Theologi paſſim Simonem Magum, à quo deſumpta eſt ethimologia ſimoniæ, vocant hæreticum. Pro ſolutione 1

Status præſentis controuerſiæ.

Aduerte cum *D. Thoma ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 1.* ſimoniacum poſſe conſiderari ſecundum duplicem qualitatem; primò quatenùs præcisè ex prauo voluntatis affectu ſpiritualia pro temporalibus contractat, non credens tamen iuſtè fieri poſſe talem contractationem. Secundò, quatenus vltrà prauum voluntatis affectum ſibi erroneè fingit, quod iuſtè poſſit fieri talis ſpiritualium pro temporalibus contractatio; atque iuxtà hunc ſecundum ſenſum optimè aſſeruit *Azorius Inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 1. quæſt. 4.* impiè erraſſe Simonem Magum, qui non ſolum voluit contractare ſpiritualia pro temporalibus, ſed etiam iniquè credidit, ſe iuſtè illud potuiſſe peragere, qui per conſequens pro formali hæretico à Sanctis Patribus, & Theologis reputatus eſt. His poſitis 2

D. Thomas.

Simoniacus, vel poteſt eſſe talis, quatenus ſimpliciter contractat ſpiritualia pro temporalibus, vel quatenus credat, hoc licitè poſſe fieri.

Reſpondeo primò, ſimoniacum ex prauo illo voluutatis affectu præcisè ſine erronea credulitate, quod licitè poſſit fieri illa contractatio, non eſſe verè, & propriè hæreticum, adeòque iuxta hunc ſenſum ſimoniam non eſſe hæreſim *D. Thomas, & Azorius loc. cit. Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 81. ſect. 10. num. 249.* Ratio huius reſponſionis in eo conſiſtit, quod hæreſis, qua talis formalitèr, eſt peccatum infi lelitatis 3

D. Thomas. Ognate.

eſſentiauter inuoluens iudicium erroneum contrà reuelata à Deo, ſicque eſt peccatum formalitèr intellectus, quantumuis dirigatur a voluntate, vt ſentiunt communitèr Theologi cum D. Thoma in ſecunda ſecundæ in quæſtionibus de fide, ſed ſimonia ſecundum illam qualitatem, ſecundum quam hic accipitur, non inuoluit iudicium illud erroneum contra reuelata à Deo, cum dicat præcisè prauum illum actum voluntatis, ratione cuius dicitur *ſtudioſa voluntas*, ergo &c.

Hæreſis inuoluit eſſentialitèr iudicium erroneum contrà reuelata.

4 Reſpondeo ſecundò, ſimoniacum iuxtà ſecundam qualitatem ſuprà expoſitam eſſe verè, & propriè hæreticum, atque iuxta hunc ſenſum ſimonia propriè eſt hæreſis. Conſonat primò huic reſponſioni textus *in cap. Presbyter* 1. *quæſt.* 1. Ibi *Altare, & decimas, & Spiritum Sanctum emere, vel vendere ſimoniacam hæreſim eſſe nemo ſanctorum ignorat*. Secundo textus *in cap. benedicta, & cap. quiſquis* 1. *quæſt.* 1. Ibi *Quiſquis igitur contrà ſimoniacam, & Neophytorum hæreſim pro officij ſui loco vehementèr non exarſerit*. Tertio textus *in cap. fin.* 1. *quæſt.* 7. vbi Paſchalis Papa ſic habet, *Patet ſimoniacos veluti primos, & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus præcauendos*, & paucis interpoſitis ſubdit, *omnia enim crimina ad comparationem ſimoniacæ hæreſis pro nihilo reputantur*, qui omnes textus, vel dicendi eſſent, quod vim non haberent, niſi quandam energiam ad oſtendendam ſimoniæ grauitatem, vel ſi vim formalitèr habent, verificari non poſſunt, niſi quatenùs inuoluunt erroneum illud iudicium propter aſſignatas rationes in præcedenti reſponſione.

Varia iura comprobantia aſſertum expreſſè.

Probatur iam reſponſio ratione, quià credere Deum non habere dominium rerum ſpiritualium ſupernaturalium, vel ipſas non habere ſupernaturalitatem, vel poſſe pretio temporali exæquari eſt manifeſta hæreſis, declinat enim quis ſic credendo a reuelatis à Deo, ſed qui crēdit iuſtè poſſe fieri illam cotractationem ſpiritualium pro temporalibus ſaltem implicitè credit etiam Deum non habere Dominium rerum ſupernaturalium, vel illas non habere ſupernaturalitatem, vel &c, ergo &c. Minor probatur, quia, qui iuſte credit poſſe fieri, credit implicitè contractum illum habere ęqualitatem dati ad acceptum, & ſic ſupernaturale non eſſe ſupra naturalia pretio æſtimabilia, ſicque dominium illud eſſe transferibile a Deo ex vi illius contractus ſimoniaci, ergo &c.

Rationes, ob quas euincitur ſimoniacum illo erroneo iudicio eſſe hæreticū.

Dices, per hanc rationem nihil penitùs euinci, quandòquidem, ſicuti Deus conſtituendo homines dominos rerum temporalium non abdicat dominium illarum à ſe ipſo, nec deſinit eſſe eſſentialitèr dominus, ita etiam transferendo res ſupernaturales in homines non deſinet eſſe illarum eſſentialitèr Dominus. Sed contra, quià ex communi Theologorum conſenſu hoc intercedit diſcrimen inter ſupernaturalia, & purè naturalia, quod quoad ſupernaturalia ſpiritualia dominium quodcunque tàm ſupremum, quam baſſum quodamodò ſit ſolummodò de facto penes Deum, qui ſolummodò Prælatos conſtituit adminiſtratores, non dominos multiformis gratiæ ſuæ, & licet maxima controuerſia ſit apud Theologos, an illud dominium baſſum quoad ſpiritualia ſit ponibile in creaturis, omnes tamen conueniunt, quod de facto non ſit conceſſum, quoad naturalia verò licet dominium ſupremum, & independens eſſentialitèr reſideat penes Deum, ab eoq; ſit inabdicabile, baſſum tamen eſt ponibile in creaturis, & de facto poſitum iuxtà illud Geneſeos *Dominamini Piſcibus Maris, & Volatilibus Cæli &c.* ex quibus ſequitur &c.

Diſcrimē inter ſupernaturalia, & purè naturalia.

§. VI.

An ſit ſimoniaca collatio ſpiritualis cum onere retribuendi ſpirituale, vel in eodem, vel in diuerſo genere.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis in terminis particularibus 1.

In illis conuentionibus nulla propria interuenit labes ſimoniæ 2.

Probabilius eſt nec labem peccati in illis conuentionibus interuenire, niſi alter eſſet obligatus ad talia munera 3.

Nonnulla corrollaria ex dictis inferuntur 4.

Diſquiſitio VI. Duo Sacerdotes adinuicem hanc ineunt conuentionem. 1
Si tu audieris peccatorum meorum confeſſionem, ego tuorum audiam, vel tibi aliud Sacramentum adminiſtrabo, quam conuentionem etiam inire poſſunt duo adultæ ætatis homines, ſecundum quam vnus alteri dicat. Baptiza tu me, & ego te baptizabo. Oritur iam hic difficultas, an in huiuſmodi conuentionibus interueniat aliqua ſpecies ſimoniæ, an ſaltem ſpecies aliqua peccati

Facti ſeries in caſu particulari.

Ex ijs, quæ dicta ſunt *tom.* 2. *ſub tit. Contractus VI. de permutatione Prænot.* 7. *num.* 8. *& 9.* (vbi quamuis dictum fuerit, quod res ſpirituales Eccleſiæ poſſint adinuicem permutari, dictio tamen fuit reſtricta ea conditione, *ſi cum debito moderamine accipiatur*, hoc eſt cum auctoritate Epiſcopi, ſeu

Præ-

Prælati Eccleſiaſtici, vt habetur *in cap. cum olim 6. de rer. permut.* adeo vt ſine tali auctoritate ſit genus ſimoniæ Eccleſiaſticæ) videtur propriè in hac hypotheſi interuenire ſimoniam Eccleſiaſtici iuris, quinimmò ex ibi dictis non videtur ſine ſimonia in permutatione earundem rerum ſpiritualium interuenire poſſe pactionem aliquam inter partes, vt colligitur ex *Archidiacono poſt gloſ. in cap. quæſitum eod. tit. de rer. permut.* & tamen in hac hypotheſi, de qua loquimur interuenit. Nihilominus

Ratio dubitãdi deſumpta ex alibi dictis.

2 Reſpondeo primò. In illis conuentionibus nullam propriè interuenire labem ſimoniæ *Sotus lib 9. de iuſt. quæſt. 5. art. 2. ad tertium. Maior in 4. diſt. 25. quæſt. 6. concl. 1. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 3. quæſt. 2.* Ratio eſt, quia per huiuſmodi conuentiones nulla irrogatur irreuerentia rebus ſacris, nec vlla ponitur inordinatio, nullumque ex illis abſurdis, quæ enumerata fuerunt in præcedentibus, conſequentia ad permutationem rerum ſpiritualium, cum temporalibus, nec vllum adeſt ius poſitiuum prohibens, ergo &c. Antecedens quoad illa incommoda, & irreuerentiam patet ex dictis *d. tom. 2. ſub tit. Contractus VI. de permutat. Prænot. 7. num. 8.* iuxta *cap. quæſitum 5. de rer. permut & Can. Sanctorum 7. quæſt. cap. ad quæſtiones 5. eod. tit.* quæ ibi recole præcipuè in prima probatione; quoad ſecundam etiam patet, quia nullibi reperitur ius prohibens ſub labe ſimoniæ.

Sotus. Maior. Azorius.

Nec irreuerentia rebus ſacris, nec inordinatio propriè ponitur.

Dices, huiuſmodi iura prohibentia comprehendi *in cap. quæſitum de rer. permut.* vbi dicitur *Generalitèr itaque teneas, quod commutationes præbendarum de iure fieri non poſſunt &c.* quæ ſi verificantur in ordine ad permutationem beneficiorum, adeò vt interueniat ſimonia Eccleſiaſtici iuris, niſi accedat Epiſcopi auctoritas, non eſt, cur non debeant verificari etiam in ordine ad permutationem Sacramentorum, quæ magis habent de ſpirituali. Sed contra, quià ſuppoſita validitate, & honeſtate conuentionis de iure naturæ quæcunque prohibitio, quæ ſit de iure poſitiuo, ſtrictè ſemper eſt interpretanda, vt minus, quantum fieri poteſt, declinet à tali iure naturę. Cum igitur iura poſitiua loquantur dumtaxat de permutatione beneficiorum, & præbendarum non ſunt extendenda vltra ſonum verborum ad permutationem aliorum ſpiritualium adinuicem; & quidem ſpecialior ratio militat quoad beneficia, quæ non militat quoad alia ſpiritualia, quandòquidem in eiſdem requiritur idoneitas ſubiectorum, quæ poteſt in ordine ad vnum beneficium eſſe in vno, & non in altero, & propterea ſuperioris auctoritas ex diſpoſitione iuris in eorum permutatione requiritur, quæ certè non militant in permutatione aliorum ſpiritualium.

Iura poſitiua loquuntur dumtaxat de permutatione beneficiorũ, & præbendarum.

Dices ſecundò, ius poſitiuum prohibens colligi etiam *ex cap. quæſitum de rer. permut.* vbi dicitur *Præſertim pactione præmiſſa, quæ circà ſpiritualia, vel annexa ſpiritualibus labem ſemper continet ſimoniæ*, & ibi Gloſa. *In ſpiritualibus omnis pactio illicita eſt, & reprobatur*, quod idem colligitur *ex c. vltimo de pactis*, vbi ſic legitur *Pactiones factæ à vobis pro quibuſdam ſpiritualibus obtinendis, cum in huiuſmodis omnis pactio, omniſque conuentio debeat omninò ceſſare nullius penitus ſunt meriti*; ex quibus fortè collegit *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 1. ad 5.* quod nomine emptionis veniat quæcunque pactio, ſeù contractus non gratuitus. Hæc autem omnia non dicuntur in caſu particulari permutationis beneficiorum, ſed indefinitè de omnibus ſpiritualibus, ſeù annexis ſpiritualibus. Sed contrà, vnico verbo poſſum ab ijs omnibus, quæ opponuntur ex allegatis textibus me eximere aſſerens ea procedere dumtaxat de pactione temporalium pro ſpiritualibus, vel reſtringi ad ſola beneficia, nec quidem gratis, & ſine iuris fomento hæc dicuntur, quandòquidem perpendatur textus *in d. cap. quæſitum*, vbi præciſè eſt ſermo de permutatione beneficiorum, & quamuis ex occaſione ibi ſubdatur *Pactio circà ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa labem ſemper continet ſimoniæ*, vbi ly *circa ſpiritualia*, & ly *ſemper* videntur importare extenſionem, & generalitatem ad omnia; nihilominus, vel hæc reſtringuntur iuxta reſtrictionem quæſiti, quod eſt ſolummodò de dignitatibus, & præbendis, vel intelliguntur dumtaxat de pactione illicita, non quomodocunque, vt benè obſeruauit ibi Gloſa, quæ ſic legenda eſt. *In ſpiritualibus omnis pactio illicita reprobatur*; non prout refertur in inſtantia. *In ſpiritualibus omnis pactio illicita eſt, & reprobatur*. Deinde attentè etiam conſideretur textus *in d. cap. vlt. de pactis*, vbi idem dumtaxat, quod in præcedenti, colligitur, vel etenim ibi eſt ſolummodò ſermo in ordine ad beneficia, vel de conuentione illicita, ſeù de re turpi; vel dic omnes allegatos textus velle ſolummodò tales pactiones eſſe illicitas, non ſimoniacas.

Gloſa.

D. Thomas.

Ea procedunt de pactione ſpiritualium pro temporalibus, vel de permutatione beneficiorum.

Gloſa.

Probatur ſecundò eadem reſponſio, quià in illis conuentionibus dumtaxat vicariæ operæ in pactum deducuntur, vt benè obſeruauit *Sotus d. lib. 9. de iuſtitia quæſt. 5. art. 2. ad tertium*, quod certe pactum ibi non reprobat, & exemplificat in eo, qui diceret *Baptizabo te, ſi me baptizaueris, ſi me volueris audire confeſſionem, tuam viciſſim audiam* cum hoc ſit ſolummodò ſibi mutuo prodeſſe in ordine ad bona ſpiritualia, & alterum alterius onera portare.

Sotus.

Hoc eſt ſolum ſibi mutuo prodeſſe in ordine ad ſpiritualia.

3 Reſpondeo ſecundò. Probabilius eſſe in illis conuentionibus nullam labem ſaltèm grauem interuenire, niſi in caſu, quo alter ipſorum teneretur ex officio, vel ex alio titulo alteri miniſtrare. Hæc reſponſio videtur eſſe contrà *Riccardum in 4. diſt. 25. art. 3. quæſt. 1. ad primum, Aſtenſem in ſumma lib. 4. tit. 55. art. 3. quæſt. 4. Angelum in verb. ſimonia 2. nu. 32. Armillam eod. verb. num. 42. quibus non modicum fauere videtur Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 3. quæſt. 2. verſ. ratio dubitandi in fin.* Ratio ex eo deduci poteſt, quià per tales conuentiones illi Sacerdotes, ſeù Adulti ſe dumtaxat mutuo conducerent ex cauſa non interueniente pretio, ſed facta compenſatione laboris pro labore, ſed ſe inuicem conducere ad operas ex cauſa non eſt illicitum, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur illas conuentiones eſſe contrà ius diuinum, ſecundum quod diſponitur, quod ſpiritualia omninò gratis conſerantur iuxtà illud *Gratis accepiſtis, gratis date*; non conferrentur autem gratis, ſi conferrentur cum, ſeù pro illa obligatione; non, inquam, obeſſe poteſt, quià in primis ex hoc capite deduceretur, illas conuentiones, nedum eſſe illicitas, ſed etiam ſimoniacas, quod *Azorius loc. mox citato*, qui multum fidit in illa inſtantia quoad eſſe illicitum, negat quoad eſſe ſimoniacum. Deindè, ſi ſubſiſteret inſtantia, neque accedente auctoritate Pontificis poſſent illis conuentionibus fieri illæ permutationes, quod tamen non eſt dicendum, cum per ſolam Pontificis, quinimmò etiam Epiſcopi auctoritatem permutentur beneficia cum beneficijs, quæ tamen ſunt ſpiritualia. Deindè, dum dicitur, quod gratis conferuntur, intelligendum eſt in ordine ad temporalia, quatenus non debent conferri cum onere alicuius temporalis, quod non euenit in hypotheſi, de qua loquimur.

Riccard. Aſtenſis. Angelus. Armilla. Azorius.

Se ſolummodò conducerent ad operas.

Neque illa conuentiones eſſent contrà ius diuinum.

4 Ex ijs, quæ hactenùs dicta ſunt, nonnulla corrollaria poſſunt inſerri, & primò non eſſe ſimoniacam, nec illicitam conuentionem, qua duo Canonici v. g. ita paciſcuntur. Celebra tu hodie ſolemnitèr Miſſam, quam ego celebrare teneor, & ego identidem altera die ſolemnitèr pro te celebrabo, qua tu celebrare teneberis *Azorius Inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 3. quæſt. 2. verſ. vnde ſi quæres Silueſter verb. ſimonia quæſt. 16. in fin.* cuius ratio ea eſt, quia hic fit dumtaxat commutatio obligationis pro obligatione temporali, quæ obligationes non ſunt per ſe, & neceſſariò, ſed tantum per accidens cum ſacrificio Miſſæ, quæ certè obligationes ſunt adinuicem licitè commutabiles, ſicuti ex ſuperius dictis ſunt proportionato pretio compenſabiles. Secundò non eſſe ſimoniam, nec peccatum, ſi fiat conuentio hoc pacto propter eandem rationem. Dic tu Miſſam in tali loco, templo, vel altari nomine meo, & ego dicam pro te in loco, templo, vel altari, quo tu teneris dicere. Tertiò etiam cum pacto non eſt ſimonia illa conuentio, qua quis dicit. Ora pro me, & ego rogabo Deum pro te propter rationes adductas in ſecunda reſponſione.

Azorius. Silueſter.

Fieret ſolummodò commutatio obligationis temporalis pro alia temporali.

---

§. VII.

An abſoluens ab excommunicatione, alijſque delictis poſſit ſine labe ſimoniæ aliquid pretio æſtimabile exigere.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ 1.
Quot modis poſſit fieri illa ſolutio 2.
Si ipſa pecunia erogetur pro ipſa formali abſolutione eſt ſimonia in vtroque foro 3.
Si erogetur quodamodò in pœnam cenſurarum in foro externo, & in pœnam aliorum delictorum in foro interno non eſt propriè ſimonia 4.

1 Diſquiſitio VII. Confeſſarius quidam audita alterius confeſſione, ex qua reſultabat excommunicatione maiori eſſe irretitum, aliorumque læthalium peccatorum reum, renuebat eidem beneficium abſolutionis impendere, niſi certam pecuniæ quantitatem ſibi erogaret. Pænitens, ne fructu abſolutionis priuaretur, talem pecuniam perſoluit. Controuertitur iam, an illa abſolutio fuerit ſimoniaca, & illicita. Pro ſolutione

2 Aduerte, duplicitèr potuiſſe fieri illam ſolutionem, vel pro illa abſolutione formalitèr, quatenus verè detur illa pecunia, vt ipſe pænitens abſoluatur, vel quodamodò in pænam excommunicationis, aliorumque delictorum. Rursùs, vel illa abſolutio maximè in ordine ad excommunicationem, aliaſque cenſuras Eccleſiaſticas in foro exteriori conſideratur, vel prout fit in foro interno conſcientiæ.

Varij modi, quibus poteſt fieri illa ſolutio.

3 Reſpondeo primò, ſi ipſa pecunia erogetur pro ipſa formali abſolutione, ſiuè in foro externo, ſiuè in interno conſcientiæ ſemper committitur ſimonia *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 2. ad tertium. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 4. quæſt. 3.* & clarè colligitur ex ijs, quæ ſuprà dicta ſunt nempè, quod pretium illud conferretur pro actu poteſtatis ſupernaturalis ſpiritualis, adeòque pro re ſpirituali, ergo pro-

D. Thomas. Azorius.

Eſſet pro actu poteſtatis ſupernaturalis.

propriè, & in rigore fieret ſimonia.

4 Reſpondeo ſecundò, ſi erogetur quodamodò in pœnam cenſurarum, & contumaciæ in eiſdem in foro externo, & in pœnam aliorum delictorum in foro interno animæ non eſt ſimonia *D. Thomas ſecunda ſecunda queſt.* 100. *art.* 2. *ad tertium. Archiepiſcopus Florent. in ſecunda part. ſumma tit.* 1. *cap.* 4. §. 2. *verſ. quarto ratione punitionis Angelus in verb. ſimonia* 2. *num.* 34. *verſ. ſextus decimus, Gulielmus Redoanus de ſimonia part.* 2. *cap.* 3. *num.* 2. qui omnes loquuntur quoad pœnam cenſurarum in foro externo. Quoad forum verò internum pœnitentiæ in ordine ad alia delicta reſponſionem expreſsè ſuſtinent idem *Archiepiſcopus Florent. ibid. verſ. eod. quarto ratione punitionis, Gulielmus Redoanus de ſimonia part.* 3. *cap.* 2. *in fin. Bartholomæus Vgolinus de ſimon. in genere tab.* 1. *cap.* 9. §. 9. *num.* 5. Prima pars facilè deducitur *ex cap. venerabilibus* §. *porrò de ſent. excommunicationis in* 6. vbi dicitur, quod in pœnam peccati, & contumaciæ poſſit per Iudicem Eccleſiaſticum imponi pœna pecuniaria *Felinus in cap. irrefragabili* §. *caterum de off. ord.* Confirmatur etiam ex eo, quod ſtatutum non improbatur, quo cautum eſt, vt excommunicatus ſoluat tot ſingulis menſibus, quouſque perſeuerabit in excommunicatione *Hoſtienſis in cap. ad aures, & ibi Abbas de ſimonia, ibique etiam Soc. Sen. & Joannes Andraas num.* 2. *& Zabarella verſ. oppono primo, Vgolinus in tract. de cenſuris tab.* 1. *cap.* 5. *num.* 1. *Gulielmus Redoanus de ſim. part.* 2. *cap.* 3. *nu.* 7, talis etenim pœna pecuniaria eſt motiuum inducens ad non perſeuerandum in eadem, ergo etiam per Iudicem Eccleſiaſticum poterit talis pœna imponi, cum per hanc poſſit delinquens facilè declinare à malo, & ab eiſdem culpis. Horum omnium ea potiſſimum ratio eſt, quia illa pecunia non exigitur pro ipſa ſpirituali abſolutione, ſed pro pœna peccati, & contumaciæ, quod certè peccatum, & contumacia ſunt punibilia etiam pœnis pecuniarijs, vt eſt in confeſſo apud omnes, & vt optimè obſeruauit *Vgolinus de ſimonia in genere tab.* 1. *cap.* 9. §. 9. *num.* 1. *& ſeqq.*

D. Thomas. D. Antoninus. Angelus. Redoan. D. Antoninus. Redoan. Vgolin. Hoſtienſis. Abbas. Ioannes Andreas Zabarel. Vgolin. Redoan. Vgolin.

Secunda pars etiam facile euincitur, quia etiam in Sacramentali Confeſſione poteſt Iudex pœnitentiæ, ſeù Confeſſarius imponere in pœnam erogationem pecuniæ in pios vſus pauperum, in ornatum Eccleſiarum, & in beneficium Sacerdotum, vt optimè adnotauit *d. Archiepiſcopus Florent. loc. cit. d. verſ. quarto ratione punitionis arg. cap. communis de pænitent.* per ea, quæ tradidit *Concil. Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 8. *de pænit. & Gulielmus Redoanus de ſimonia part.* 3. *cap.* 2. *in fin.*

Archiep. Florent. Concil. Trid. Gulielm. Redoan.

Cauendum tamen eſt ad vitandam notam auaritiæ, & etiam ſuſpicionem ſimoniæ, ne pœnam illam pecuniariam ſibi applicet confeſſarius, ſed in pauperes, alioſque pios vſus diſtribuendam curet; quod ſi tamen ipſe foret pauper, tunc in foro conſcientiæ ipſum non damnarem alicuius noxæ, licet ſemper valdè ſuſpectus eſſet in foro externo, quod illam pœnam imponeret non exigente ſtatu pœnitentis, & qualitate delictorum, ſed vel propria ſuadente cupiditate, vel proprio commodo conſulente, à quo maximè præcauendum eſt, ne ſpecies aliqua, & ſuſpicio prauitatis inducatur in affectu imponentis talem pœnam, & ſic paruipendatur ipſa abſolutio, & ſacramentum, quod etiam accuratè notarunt Gulielmus *Redoanus de ſim. part.* 3. *cap.* 2. *in fine, & Vgolinus de ſim. tab.* 1. *cap.* 9. §. 9. *num.* 5.

Ad vitãdã ſuſpicionẽ auaritiæ illa pecunia eſt in pios vſus impendenda.

Redoan. Vgolin.

---

§. VIII.

An abſoluens in foro exteriori ab excommunicatione maiori poſſit ſine labe ſimoniæ exigere ante abſolutionem impenſas factas in excommunicando.

SVMMARIVM.

Refertur caſus, in quo conſiſtit difficultas 1.
Per illam antecedentem exactionem propriè non committitur ſimonia 2.
Notabile circà præcedentem exactionem, & conuentionem 3.

Diſquiſitio VIII. Euulgata fama de certo delicto a Petro commiſſo inſtitutum fuit aduerſus ipſum judicium cum plena cauſæ cognitione, & conſlito de veritate delicti fuit declaratus excommunicatus; cumque Petrus intenderet abſolutionem ab excommunicatione, excipiebatur non eſſe abſoluendum, niſi ſolueret omnes impenſas factas in inſtitutione iudicij, & cognitione cauſæ. Modò controuertitur, an illa petitio impenſarum ante abſolutionem inuoluat aliquam ſpeciem ſimoniæ. 1

Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod abſolutio illa videtur poni pro pretio, quandòquidem ſine illo non poneretur, & licet dicatur, quod illud pretium non ponatur formaliter pro ipſa abſolutione, ſed pro cognitione cauſæ ad compenſandos labores, vel expenſas in ipſa factas, nihilominus, quia ipſa abſolutio denegaretur principalitèr ad finem illius compenſationis obtinendæ, cum poſſet aliundè per

Rationes dubitandi circa propoſitũ ſitum.

viam

viam iuris haberi, ideò ſi ponitur ex illo pacto præcedente illius compenſationis, ſeù ſolutionis, videtur ſimoniacè poni.

Nauarrus. Vgolin.

2 Reſpondeo tamen, in ea hypotheſi ſimoniam non committi *Nauarrus in conſ. 14. num. 7. de ſimonia lib. 5. Vgolinus de ſim. in genere tab. 1. cap. 9. §. 9. num. 6.* & clarè habetur *in c. venerabilis §. porrò verſ. ſecus autem de ſenten. excommunicationis in 6.* Ratio huius reſponſionis ea eſt, quæ fuit attacta in ratione dubitandi, quia ſcilicet illud pretium non exigitur pro abſolutione formalitèr, ſed pro intereſſe Iudicis, & partis exigente ſecundum ſe, & actione expenſarum, & laboris compenſatione, & ſicuti poteſt Eccleſia aduerſus debitorem legem ſtatuere, ne abſoluatur, niſi prius ſatisfecerit, ita non eſt, cur Iudex Eccleſiaſticus non poſſit nolle abſoluere à ſententia excommunicationis, niſi prius expenſæ, & labores, & opera in ipſa facta compenſentur, cum huiuſmodi opera ſecundum ſe ſint æquè pretio compenſabilia, ac debitum eodem, ſeù proportionato pretio redimibile, ergo &c.

Illud pretium non exigitur pro abſolutione formalitèr, ſed pro intereſſe Iudicis.

3 Aduertendum tamen eſt, ſeù potius ex *d. cap. venerabilis §. porrò de ſent. excommun. in 6.* colligendum, quod ad hoc, vt poſſit fieri præcedens conuentio de illa ſolutione, antequam ponatur abſolutio, potiſſimum ſi ſententia excommunicationis fuerit lata in, ſeù pro contumacia excommunicati, debeat vera interueniſſe contumacia, & culpabilis, quatenus citatus potuerit comparere, & noluerit, ſecus ſi legitime impeditus non comparuerit, quandoquidem, ſi allegato legitimo impedimento eſt abſolutè abſoluendus non obſtante exceptione expenſarum facta per partem, vt colligitur *ex d. cap. venerabilis §. porrò* ex diametro ſequitur, quod ſi ante abſolutionem fieret conuentio de illis expenſis fieret pro re ſpirituali conuentio de aliquo pretio æſtimabili alio titulo indebito, adeòque &c. Verum tamen eſt, quod in ea etiam hypotheſi, quamuis manifeſta interueniret iniuſtitia, non tamen propriè interueniret ſimonia, quia illud, de quo fieret illa præuia conuentio, non eſſet formalitèr pro abſolutione, ſed pro prætenſis iuribus, intereſſe &c. quod tamen eſſet indebitum.

Sententia excommunicationis lata pro contumacia exigit contumaciam.

Eſſet iniuſtitia, non autē propriè ſimonia.

Ratio ſecunda reſponſionis eſſe poteſt, quia non eſt ſimonia quotieſcunque in collatione alicuius ſpiritualis ſit conuentio de aliquo temporali aliundè debito, ſiquidem hoc non correſpondet ipſi rei ſpirituali, ſed alteri iuri temporali, ſeù quaſi temporali, intuitu cuius eſt debitum, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, illud, de quo fieret conuentio, eſſet ex alio titulo debitum, ergo &c. Maior probatur ex paritate deducta ex mutuo iuxtà dicta *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Pranot. 10. num. 2. verſ. probatur tertia pars*, ſiquidem non eſt vſurarium mutuare obligando mutuatarium ad reſtituendum alio titulo debitum mutuanti, ergo neque erit ſimonia conferre aliquod ſpirituale obligando recipientem ad conferendum id, quod aliundè, ſeù ex alio titulo debet conferre.

Eſſet illud tēporale aliundè debitum.

Dices, quod, quamuis illa compenſatio impenſarum, ſeù intereſſe ſit ex alio titulo debita, ſit tamen ſimoniaca, vel ſaltem illicità ex eo, quod exigatur ex vi collationis rei ſpiritualis, ſeù quod clarius eſt, reddat ipſam collationem rei ſpiritualis illicitam, quatenus ſine illa compenſatione non conferretur abſolutio, ſeù res ſpiritualis, quæ ſecundum ſe debet gratis conferri, nec differri ex motiuo intereſſe temporalis. Sed contrà, quia ſicuti non redditur mutuum vſurarium, quantumuis debeat ex vi iuris diuini, & naturalis conferri gratis ex eo, quod fiat cum onere reſtituendi id, quod ex alio titulo debitum eſt, ità non eſt ſimoniaca collatio rei ſpiritualis, quantumuis debeat eſſe gratuita, ex eo, quod fiat cum obligatione ponendi compenſationem intereſſe, ſi ſit ex alio titulo debitum. Dicere deindè, quod res ſpiritualis gratis conferenda non debeat differri, ſeù non poni ex motiuo intereſſe temporalis, cum hoc alia via poſſit acquiri, non obſtat noſtræ reſponſioni, quandòquidem hæc eſt via, ſecundum quam nemine reluctantè Eccleſia, vt plurimum compellit delinquentes ad reſarcienda damna, ad compenſandum intereſſe, ad reſtitutiones faciendas &c. ſine qua huiuſmodi reparationes, compenſationes, & reſtitutiones crebrò non fierent, nec hoc tollit, quin illa collatio rei ſpiritualis ſit gratuita, quia onus illud compenſationis non attingit ipſam collationem formalitèr, ſed tantum occaſionalitèr, nec eſt pro ipſa collatione, ſed pro debito intereſſe, & illa dilatio, ſeù non poſitio abſolutionis, niſi ponatur compenſatio, poteſt habere iuſtum, & ſalutarem finem, vt arceantur ſcilicet delinquentes a delictis, & contumacia.

Inſtantia cōtrà præcedentem probationem, eiuſque reſponſio.

Compenſatio non attingit collationē formalitèr, ſed ad ſummum occaſionalitèr.

Ad rationem dubitandi, quæ in principio afferebatur, iam patet, quid ſit reſpondendum ex mox dictis, vnde non eſt, cur amplius in hoc immoremur.

§. IX.

§. IX.

An cogi poſſunt laici ad laudabiles conſuetudines ſeruandas in ſpiritualium adminiſtratione.

SVMMARIVM.

Refertur id, in quo conſiſtit difficultas, & ratio dubitandi 1.

Ex laudabili conſuetudine in Sacramentorum adminiſtratione poteſt aliquid licitè dari, & recipi 2.

Stante conſuetudine legitimè inducta poſſunt compelli laici ad illam ſeruandam 3.

Vt talis conſuetudo ſit pia, & laudabilis non debet quid erogari, vt pretium ſpiritualium, ſed alio titulo 4.

Debet eſſe ſaltem decennalis 5.

Huiuſmodi conſuetudini non poteſt derogari per ſtatutum laicale 6.

Poteſt tamen fieri derogatio per Pontificis decretum, & etiam per Epiſcopum in ſua Diœceſi 7.

Proponitur obiectio, & diſſoluitur 8.

1 DIſquiſitio IX. Mos quidam vigebat in quadam vrbe huius Prouinciæ, vt quotieſcunque per Parochum conferretur infanti Sacramentum Baptiſmatis, vel eidem Parocho immediatè, vel Eccleſiæ aliquid pretio æſtimabile, vel per Patrem Infantis, vel per Patrinum Spiritualem Baptiſmatis erogaretur. Non obſtante tali more, ſeù conſuetudine iam multo ab hinc tempore inducta plurimi renuebant ſtare huiuſmodi conſuetudini. Oritur iam hic multiplex difficultas examinanda, & primò, an ex laudabili conſuetudine in Sacramentorum adminiſtratione poſſit aliquid licitè dari, & recipi, ſeù quod idem eſt, an ſit laudabilis illa conſuetudo, qua aliquid pretio æſtimabile datur, & recipitur in Sacramentorum adminiſtratione. Secundò ex ſuppoſitione, quod poſſit eſſe laudabilis illa conſuetudo, quot, & quænam conditiones requirantur, vt ſit legitima, & laudabilis. Tertiò, an ſtante tali conſuetudine poſſint laici compelli ad illam ſeruandam. Quartò, an per ſtatutum laicale poſſit illa conſuetudo abrogari. Quintò, an per Epiſcopale edictum, vel per Pontificis decretum.

Proponitur ſtatus quæſtionis, & rationes dubitandi.

2 Reſpondeo primò ex laudabili conſuetudine in Sacramentorum adminiſtratione poteſt aliquid licitè dari, & recipi *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 2. *ad* 4. *Caietanus in ſumma verb. ſimonia ibi Tertio Gulielmus Redoanus part.* 1. *cap.* 6. *num.* 20. *verſic. & Sacerdos. Gomeſius in reg. de triennali poſſeſſione quæſt.* 12. *verſ. & iſta quæ dicta fuerant, Ancharanus in cap. ad Apoſtolicam num.* 1. *& ibi Ioannes de Anan. & Zabar. verſ. quæro, quæ ſint de ſimonia.*

D. Thomas. Caietanus. Gulielm. Redoan. Gomeſ. Anchar. Ioannes de Anan. Zabarel.

Probatur reſponſio primò, quià conſuetudo non extrahit dationem aliquam ab eo titulo, ſub quo ſit talis datio, ſed non eſt aliquid illicitum, quod pro adminiſtratione Sacramentorum, aliarumque ſacrarum functionum, puta benedictionis nuptiarum aliquid detur, & recipiatur non ex motiuo iuſtitiæ, ſed meræ liberalitatis, ergo neque eſt illicitum, quod aliquid detur, vel recipiatur ex conſuetudine iam inducta. Minor probatur, quia ſicuti non eſt illicitum, quod ſiat ſimplicitèr donatio nullo omninò præexiſtente titulo talis donationis, ità neque eſt illicitum, quod ſiat præcedente aliqua actione non obligante, ſed ad ſummum exiſtente ex motiuo gratitudinis.

Nil datur ex motiuo iuſtitiæ, ſed meræ gratitudinis.

Dices conſuetudinem æquiparari pacto *Baldus in l. liberti* 10. *col. verſ. quæritur de op. libert.* & ſapit naturam pacti *Gloſa, & Baldus in l.* 1. *de ſeru. fug.* ſed dari aliquid temporale, & recipi in adminiſtratione Sacramentorum, aliarumque ſacrarum functionum ex pacto manifeſtam redolet ſimoniam, ergo etiam dari, & recipi ex conſuetudine. Sed contrà dico conſuetudinem æquiparari pacto in ea ratione, quod poſita tali conſuetudine videtur conſurgere aliquale onus, ſicuti in pacto; cum hoc tamen diſcrimine, quod per pactum inducitur obligatio ciuilis ex conſenſu vtriuſque paciſcentis, & ex illo oritur onus in miniſtro conferendi ſpiritualia, & in recipientibus onus retribuendi conuentum, per conſuetudinem verò non inducitur in miniſtro obligatio conferendi ſpiritualia, cum gratis omninò conferat, & ſi quod onus conſurgit in recipiente conferendi conuentum fuit ex pia cauſa, ſeù liberalitate inductum, quod certè non poteſt habere rationem pretij reſpectu rerum ſpiritualium, cum non inducat obligationem, nec ipſa inducta ſit ad eum finem, ſed ex quadam æquitate, & ex motiuo gratitudinis, ſeù beneficentiæ.

Baldus. Gloſa.

Conſuetudo non æquiparatur pacto, ita vt inducat obligationem ciuilē ex vtriuſq; conſenſu.

Probatur ſecundò. Inducta eſt legitimè conſuetudo in collatione ſacrorum ordinum dandi, & recipiendi cereum, & ſudariolum, nec vllus eſt qui damnet talem conſuetudinem tanquam ſimoniacam, & illicitam *Ancharanus in cap. ad Apoſtolicam num.* 1. *& Ioannes de Anan. de ſimon.*, ergo non eſt improbanda conſuetudo aliquid dandi, vel recipiendi in adminiſtratione Sacramentorum, aliarumque ſacrarum functionum. Confirmatur, Non eſt ſimonia-

Anchar. Ioannes de Anan.

niacum, neque illicitum, ſi quid per teſtatorem legetur ea conditione, vt conferatur Parocho, alijſque Sacerdotibus ex re legata aliquid, quotieſcunque aliquod Sacramentum miniſtrant, quamuis ad illud miniſtrandum teneantur, ergo neque erit ſimoniacum, nec illicitum, ſi aliquid pro eodem fine ex conſuetudine conferatur. Conſequentia probatur, quia conſuetudo habet vim legati *Baldus in cap. 1. col. 3. qui feud. de poſ.* Ratio autem fundamentalis horum omnium eſt, quià illud, quod erogatur, non erogatur, vt pretium Sacramentorum, non aduerſatur iuri naturæ, ſed ad ſummum iuri poſitiuo; conſuetudo autem legitimè inducta derogat iuri communi, cum æquiparatur ſtatuto *l. Magiſtratus ff. ad munic. l. ſemper ff. de iu. immun. Inſtit. de iure nat. §. ex non ſcripto, & §. conſtat Baldus in tract de tabell. 2. quaſt. & in l. omnes populi 2. col. de iuſt. & in. Clem. 1. & ibi Card. de vſur. cap. cum dilectus de conſuet.* & vim habeat priuilegij *Innocentius in cap. 1. in gloſ. 1. in fin. de Apoſtat. & Baldus in marg verb. conſuetudo verſ. 4.*

Conſuetudo habet vim legati.

Baldus. Baldus. Cardin. Innocentius. Baldus.

3 Reſpondeo ſecundò, Stante illa conſuetudine legitimè inducta poſſunt compelli laici ad illam ſeruandam. *Felinus in d. cap. ad Apoſtolicum, & ibi Gloſ. fin. in fin. de ſimonia*, qui Felinus de communi teſtatur, *Bartholomaus Vgolinus tract. de ſimon. in genere tab. 1. cap. 9. §. 10. num. 3.*

Felinus. Bartholomæus. Vgolin.

Probatur conſuetudines in ijs, quæ non aduerſantur naturæ rei ſunt ſeruandæ ad vnguem, quia ſunt actus practici *Baldus in l. quicunq; 7. col. verſ. ſeries autem, quod id C. de ſeru. fug. & tenaciter in cap. 1. qui feu. dar. poſ.* ſed talis conſuetudo iuxta dicta in præcedenti reſponſione non aduerſatur naturæ rei, nec improbatur, ergo ad vnguem ſeruanda eſt, & non ſeruans compellendus ad ſeruandum, quandòquidem conſuetudinarium non eſt arbitrarium. *Baldus in l. quacunque C. de ſeru. fug. & in l. 1. C. de fruct. & lit. expen.* & conſuetudo ipſa vim habet conſtitutionis *l. 1. §. denique ol 2. & ibi Bartolus ff. de aqu. plau. arc.* & dicitur ius commune in loco, in quo eſt *cap. cum veniſſent de eo, qui mit. in poſ. & Alexander in l. de quibus ff. de legi.*

Baldus.

Cōſuetudines non aduerſãtes naturæ rei ſūt actus practici, & ſeruandi.

Baldus. Bartolus. Alexander.

Dices primò, conſuetudo non poteſt obligare, niſi ſub ea ratione, & titulo, ſub quibus inducta fuit, ſed inducta fuit dumtaxat ſub ratione, & titulo gratitudinis, & pietatis, ergo non poteſt obligare, niſi ſub eodem titulo, & ratione, ſed in ijs, quæ ſunt meræ gratitudinis, & pietatis non poteſt dari aliqua coactio, & compulſio, quandòquidem omninò libera, & gratuita eſſe debent, ergo &c. Sed contra, quia quandòque ea, quæ ſunt ab initio meræ voluntatis ex poſt facto fiunt quodamodò neceſſitatis, maximè interuenientibus ijs omnibus, quæ ex diſpoſitione iuris poſſunt inducere talem neceſſitatem, quod multis poteſt explicari exemplis, ſic ea, quæ donantur procedunt ex libera voluntate donatoris, poſita autem donatione ex neceſſitate tranſeunt in donatarium, adeò vt non poſſint amplius reuocari, ſic ea, quæ præſcribuntur ante tempus à iure præſcriptum pendent à Domini veri voluntate, elapſo autem determinato tempore à iure præſcripto ad præſcriptionem non amplius ab eadem voluntate pendent, nec ſunt amplius per eandem reuocabilia. Licet igitur ea, quæ dantur in ſacrorum adminiſtratione liberè omninò conferrentur ante inductam legitimam conſuetudinem, poſita tamen tali conſuetudine non amplius libere, ſed quadam neceſſitate ſunt conferenda compellente iure conſuetudinario, quod habet vim ſtatuti *Inſtit. de iu. nat. §. ex non ſcripto, & §. conſtat. Baldus in l. omnes populi 2. col. de iuſt. & iur. Clem. 1. & ibi Cardinal. de vſuris*; vnde ad id, quod determinatè in inſtantia aſſerebatur, quod ſcilicet conſuetudo non obliget, niſi ſub ea ratione, & titulo, ſub qua eſt inducta, dicendum certè eſt, quod illa conſuetudo originalitèr non obliget, niſi ſub illa ratione & titulo, formalitèr verè, & conſecutiuè iure ſic diſponente obliget etiam alio titulo quaſi ſtatutario, quatenùs ſcilicet conſuetudo ad obligandum habet vim ſtatuti vt ſuprà; nec hoc mirum debet apparere, quandòquidem etiam ea, quæ leguntur, procedunt regularitèr ex motiuo, & titulo meræ liberalitatis, & gratuitæ donationis, quæ tamen poſtea alio titulo neceſſitatis ſunt debita

Quæ ſunt ab initio meræ voluntatis, fiunt ex poſt facto neceſſitatis.

Explicatur varijs exemplis.

Baldus. Cardinalis.

Si nō obligat originalitèr, obligat tamen ſaltem conſecutiuè.

Dices ſecundò *ex cap. non ſatis, cap. cum in Eccleſia, cap. ea, quæ, cap. veniens, cap. Iacobus de ſimonia, & ex cap. quaſta 3. quaſt. 2.* improbantur quæcunque conſuetudines, ſecundum quas in adminiſtratione Sacramentorum, aliarumque ſpiritualium functionum inductum fuit, vt aliquod pretio æſtimabile conferatur, ergo &c. Sed contra, allegata iura tantum improbant illas conſuetudines, quandò per illas daretur temporale tanquam pretium rerum ſpiritualium, ſeù Sacramentorum, quæ certè improbatio iuſtiſſima eſt, cùm enim ex ſuprà dictis ſimonia non tantum iure poſitiuo, ſed etiam diuino, & naturali ſit prohibita, & ab intrinſeco mala, nulla certè ratione, ſeù conſuetudine poteſt cohoneſtari, non tamen improbant illas conſuetudines, ſecundum quas permittitur, vt aliquid erogetur non pro pretio rerum ſpiritualium, ſed ob aliam cauſam puta pietatis, vt in caſu, de quo loquimur, prout benè notauit *Vgolinus d. tab. 1. cap. 9. §. 10 num. 3.*

Non improbantur omnes cōſuetudines, ſed illæ dumtaxat, quæ aduerſãtur naturæ contractus.

num. 3. prope finem, & colligitur etiam ex præallegatis iuribus, ſicuti ſunt improbanda quæcunque legata, per quæ eſſet aliquod temporale conferendum tanquam pretium ſpiritualium, non autem ea, per quæ eſſet aliquid conferendum ex mera pietate legantis, ſeù teſtatoris.

Dices tertiò. Non poteſt induci conſuetudo obligatoria in ijs, quæ pendent à mera, & libera voluntate offerentium
Bartolus. *Bartolus in l. cum de in rem. verſo num. 9. &*
Abbas. *ſeqq. ff. de vſuris Abbas, Felinus, & Doctores*
Felinus. *in cap. ſuam de ſimonia*, ſed ea, quæ tribuuntur in adminiſtratione Sacramentorum, pendent omninò a libera voluntate offerentium, ſiquidem nullum ius poſitiuum nec naturale obligat ad offerendum, ergo &c. Sed contra, quia ea, quæ dicuntur in inſtantia, ad ſummum verificantur quoad ea, quæ pendent a libera voluntate offerentium nulla cauſa præcedente, ſecus autem cauſa præcedente, prout etiam benè
Bartolus. aduertit idem *Bartolus in d. l. cum de in rem*
Abbas. *verſo, Abbas in d. cap. ſuam num. 6. Redoanus*
Redoan. *in tract. de ſimonia 3. part. cap. vlt. num. 28.* ea autem, quæ in hypotheſi noſtræ reſponſionis offeruntur, procedunt ex cauſa pietatis in propriam ſcilicet offerentium, & ſuorum ſalutem, & titulo gratitudinis erga Deum ob recepta beneficia in tali ſacrorum, quæ fuerunt adminiſtrata, participatione. Fauore igitur piæ cauſæ potuit ta-
Vgolin. lis conſuetudo induci, vt bene *Vgolinus d. tab. 1. cap. 9. §. 10. num. 3.*

Dices quartò, titulus pietatis, & motiuum gratitudinis non poteſt ſimul compati cum obligatione, ſecundum quam poſſit compelli quis ad erogandum id, ad quod conferendum poteſt tali titulo moueri, ergo ex illa conſuetudine non poteſt quis compelli ad erogandum aliquid in Sacramentorum adminiſtratione, quandòquidem ſolus titulus pietatis, & motiuum gratitudinis ad id mouet. Confirmatur, quia non poteſt quis obligari ex pacto ad conferendum aliquid vltra ſortem in mutuo ex gratitudine, nec in collatione ſacrorum ſine labe ſimoniæ, ergo neque poterit obligari in adminiſtratione Sacramentorum ad conferendum aliquid ex conſuetudine inductum ex motiuo pietatis, ratione cuius poſſit compelli. Antecedens patet ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. 2. ſub tit. Contractus VI. de permutat. Prænot. 10. nu. 1.* vbi etiam confutauimus ea, quæ prius dixeramus potius recitatiuè ex aliorum placito, quam aſſertiuè ex mente propria *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 4. §. 1. per totum*. Conſequentia probatur, quia conſuetudo æquiparatur pacto per ea, quæ habentur *in cit. l. Magiſtratus ad Munic. & l. ſemper de in. immun.* Sed contra, quià quamuis ex titulo pietatis præcisè, & gratitudinis non poſſit quis compelli, poteſt tamen quando talis titulus pietatis eſt coniunctus cum iure conſuetudinis, quia iuxta ſuperius dicta ius conſuetudinarium non eſt arbitrarium, & conſuetudo populi habet vim iuris ciuilis *Baldus in l. certum 4. col. verſ. idem videtur an conſuetudine C. vnde cogn. Iaſon. May. in l. de quibus 47. col. ff. de legi.* Baldus. Iaſon. ſicuti quamuis poſſeſſio nudè ſumpta, & ſecundum ſe non inducat tale ius, ratione cuius poſſidens non poſſit compelli rem alienam poſſeſſam relinquere, prout tamen eſt coniuncta cum tempore a iure præfinito ad præſcribendum tale ius inducit per ea, de quibus latè egimus *tom. 1. ſub tit. Contractus I. de contractibus, vt ſic Prænot. 3.* Ad confirmationem patet ex ſuperius dictis quid dicendum.

Poteſt cōpelli, quādo titulus pietatis eſt coniūctus cum iure conſuetudinis.

Dices quintò, conſuetudo non poteſt eſſe obligatoria, & compulſiua, niſi fuerit inducta per animum ſe obligandi per eos, qui talem conſuetudinem induxerunt, ſed talis animus in piè erogantibus, & titulo gratitudinis non eſt præſumendus, ergo isti non poterunt compelli &c. Sed contra, quia fruſtra talis animus eſt inquirendus, vbi ius ipſum ſuppoſitis determinatis conditionibus obligationem inducit, ſicuti in præſcriptionibus fruſtra inquiritur in poſſidente animus continuandi in poſſeſſione ad tempus a iure præfinitum, quandò ius ipſum ſuppoſita illa præcisè continuatione ius transfert præſcriptionis in ipſum, vnde meritò dicitur, quod conſuetudo dandi eleemoſinam certę Eccleſiæ debeat perpetuo ſeruari, nec poſſit tolli per ſtatutum, nec ibi ſupponitur animus offerentium ſe obligandi ad talem eleemoſinam, cum illam erogent ex mero motiuo pietatis *Bartolus in l. priuilegia verſ. ex tertia particula habetis C. de Sacroſ. Eccl. Ioan. Anan. in addit. Specul. de inſtru. edi. §. nunc vero aliqua per c. ad Apoſtolicam de ſimonia* Bartolus. Ioannes de Anan. Specul. quinimmò talis conſuetudo poteſt deduci in iudicium per viam actionis per viam exceptionis, & per officium iudicis *Bartolus in l. de quibus in vlt. col. in lec. verſ. quæro qualitèr ff. de legib.* Bartolus.

Non eſt inquirendus animus ſe obligandi, quādo ius ipſum obligat.

Reſpondeo tertio, adhoc, vt talis con- 4
ſuetudo ſit pia, & laudabilis, id, quod erogatur, non debet erogari tanquam pretium ſpiritualium, ſed vt effectus gratitudinis, ad ſalutem animarum, & propter Dei amorem *Abbas in cap. ſuam num. 4. Felinus ibi num. 2. & Mar. Soc. Sen. num. 12. de Simonia, & ij omnes in cap. ad Apoſtolicam de ſimonia* Abbas. Felinus. Socinus Sen., debet inſuper, vt ex vi illius poſſint laici compelli, talis conſuetudo eſſe ſaltem decennalis, ſeù ſpacio decem annorum præſcripta *idem Abbas, & Felinus in d. cap. ſuam, ille num. 9. iſte nu. 2. Gulielmus* Abbas. Felinus.

Redoan. *Redoanus in tract. de ſimon. 3. part. cap. vltimo in fine* ea potiſſimum ratione, quod decennalis præſcriptio, ſeù conſuetudo contrà laicos teneat *arg. in l. de quibus ff. de legib.* præcipuè cum ſit pia, & gratioſa. Item debet eſſe moribus vtentium communitèr comprobata, non aliqunrum tantū, quandòquidem aliqui tantum non poſſunt conſuetudinem habentem vim legis obligantis omnes inducere, vt ex ſe patet. Debet item talis conſuetudo fuiſſe laudabilis in ſuo principio, & origine, & in dubio ſemper eſt præſumenda laudabilis, & ratio eſt, quià, quod in origine vitioſum eſt, ſemper trahit ſecum ſaltem præſumptiuè tale vitium, in dubio autem hoc non præſumitur, quia delictum in dubio præſumi non debet *arg. cap. 2. de reg. iu. & l. merito ff. pro ſocio* nam quotieſcunque actus indifferens eſt ad vitium, vel ad carentiam eiuſdem accipi debet in meliorem partem, ne ſcilicet vitium ſonet *Bartolus in l. non ſolum §. ſed vt probari num. 3. ff. de op. nou. nunt.*

Debet eſſe moribus vtentium cōmunitèr comprobata.

Bartolus

6 Reſpondeo quartò, huiuſmodi laudabili conſuetudini legitimè inductæ non poteſt derogari per ſtatutum laicale. *Bartolus in l. priuilegia verſ. ex tertia particula habetis C. de Sacroſan. Eccl. Felinus in cap. ad Apoſtolicam de ſimonia, Vgolinus in d. tab. 1. de ſimonia in genere cap. 9. §. 10. num. 4. & 5. Paulus de Caſtro conſ. 134 in fin. Abbas in cap. penult. in fine de ſepult.* & ratio eſt, quià hoc ſtatutum eſſet contrà Eccleſiaſticam libertatem, quod propterea nullius roboris eſſe poteſt *arg. cap. quæ in Eccleſiarum, & cap. Eccleſia Sancta Maria de conſuet. & auth. Caſſa C. de Sac. San. Eccl.* non enim ſtatuta laicalia habere poſſunt ius aduerſus iura iam ab Eccleſia quæſita.

Bartolus. Felinus, Vgolin. Paul. de Caſtro. Abbas.

Eſſet contra Eccleſiaſticam libertatē.

7 Reſpondeo quintò. Nedum per Pontificis decretum, ſed etiam per Epiſcopale edictum in ſua Diœceſi poteſt tali conſuetudini fieri derogatio ſaltem quoad ius compellendi laicos renuentes ſtare tali conſuetudini, & quandòque expedit ità fieri. Ratio autem huius reſponſionis ea poteſt eſſe, quia quamuis illa conſuetudo ſecundum ſe, & in ſubſtantia, ſi debitæ ſeruentur conditiones, de quibus ſupra, ſit pia, & laudabilis, præſeſerre tamen poteſt ſpeciem aliquam auaritiæ reſpectu recipientium, potiſſimum, ſi laici compellantur ad erogandum conſuetum; Ad Pontificem autem, alioſque Eccleſiarum moderatores nedum ſpectat malum, ſed etiam quamcunque ſpeciem mali ab Eccleſia Dei auertere; vnde merito *Sanctiſſimus D. N. Innocentius XI. Pontifex nunc regnans ſub die prima Octobris* 1678. laudauit, approbauit, & ſeruari mandauit decreta cuiuſdam Congregationis S.R.E. Cardinalium, aliorumque Prælatorum per ipſum deputatæ, quibus ſancitum eſt, non obſtante quacunque conſuetudine, ne quis Epiſcopus, aut alius Prælatus, aut Vicarius Generalis, aut particularis etiam ſub nomine voluntariæ donationis poſſit exigere, aut aliquid recipere ſiuè in pecunia, ſiuè in quacunque alia re pretio æſtimabili, quod reſpiciat adminiſtrationem Sacramentorum Baptiſmatis, Confirmationis, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis, impoſito etiam Epiſcopis, Prælatis, eorumque Vicarijs, & officialibus onere, ne permittant Parochis, alijſque Miniſtris aliquid recipere in Extremæ vnctionis adminiſtratione, ſcilicet nec vas, ſuper quod reponitur vas olei ſacri, nec in collatione baptiſmatis vas, in quo reponitur vas chriſmatis, nec ſudariola, & his ſimilia. Excipitur tamen ab hoc generali decreto prohibente oblatio cerei, quæ fit ordinanti per ordinatum in collatione ordinum iuxta liberum arbitrium eiuſdem ordinati quoad qualitatem & pondus; nec incongrua ſatis ratione, & iure huiuſmodi decretum fuit aduerſus talem conſuetudinem inductum, & alia ſimilia poſſunt induci, quandòquidem conſuetudo poteſt caſſari per habentem legitimam poteſtatem, & caſſata intelligitur etiam per clauſulam generalem *Non obſtante aliqua conſuetudine*, vt habetur *in Clem. 2. §. vt autem, & ibi Cardinalis de Relig. Dom. & in § præmiſſa Baldus in auth. omnes in 2. col. verſ. vlterius not. iunct. verſ. ſequen. C. communia de ſucceſ. Baldus in auth. Nauigia in 2. not. C. de furt.*

Decretū Sacræ Cōgregationis ſub Innocentio XI.

Excluditur ea, quæ recipitur in adminiſtratione Sacramētorum.

Excipitur oblatio cerei in collatione ordinum.

Cardinalis. Baldus.

Aduerſus ea, quæ dicta ſunt, quod etiam talis conſuetudo caſſari poſſit per Epiſcopale edictum in ſua Diæceſi, militare poteſt hæc ratio, quia per talem conſuetudinem ius propriè acquiſitum eſt Eccleſiæ, eiuſque miniſtris, adeòque eſt propriè ius Eccleſiaſticum, ſed Epiſcopus iura Eccleſiæ iam quæſita non poteſt alienare, nec tollere ſine beneplacito Apoſtolico per ea, quæ ſtatuuntur in Extrauag. *Pauli II. Incipiente Ambitioſæ de reb. Eccl. non alienandis*, ergo &c. Sed facile occurri poteſt huic rationi, ſi aſſeratur primò, quod omnis ratio dubitandi iam ſublata eſt per allegatum decretum Congregationis approbatum ab Innocentio XI. Deindè tale ius Eccleſiæ non eſt in re, ſed ad rem, non ad conſiderabilia, ſed ad leuia, & proinde &c.

Obiectio, eiuſque ſolutio.

Paulus II.

§. X.

§. X.

An in ſuppoſitione, quod talis conſuetudo non ſit caſſata poſſit debitum ex eadem exigi ante adminiſtrationem ſpiritualium.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſia 1.
Praeuia huiuſmodi exactio, niſi ſpontè fiat illius oblatio, eſt illicita 2.
Non tamen eſſet ſimoniaca 3.

1 Diſquiſitio X. In ſuppoſitione praecedentis diſquiſitionis, ſecundum quam ſtatutum eſt, quod, ſi talis conſuetudo non ſit retractata, poſſint etiam compelli laici ad illius obſeruantiam, caſus euenit in quadam Diaeceſi, in qua talis conſuetudo vigebat, vt quidam de populo illi conſuetudini reſiſterent renuentes ſoluere conſuetum. Parochus, ne ægrè poſt adminiſtrationem ſpiritualium exigeret compellendo eoſdem per viam actionis, ſeù officio Iudicis, ſtatuit non adminiſtrare, niſi prius conſuetum ſibi conferretur. Orta hic fuit magna controuerſia inter Doctores, an iuſtè potuerit fieri illa præuia exactio. Ex textu *in cap. cit. ad Apoſtolicam de ſimonia* colligi videtur poſſe iuſtè antecedentèr exigi, ibi enim habetur *Pias conſuetudines præcipimus obſeruari ſtatuentes, vt liberè conferantur Eccleſiaſtica Sacramenta, ſed per Epiſcopum loci veritate cognita compeſcantur, qui malitioſè nituntur laudabilem conſuetudinem immutare*; ſi enim poteſt Sacerdos, ſeù Parochus ſubſequentèr officio Epiſcopi laicos ad conſueta compellere, cur ad vitandas lites, & difficultates in exigendo non poterit præuie exigere? Sub hoc titulo duplex examinabitur difficultas; prima erit, an talis præuia exactio, vbi talis conſuetudo exigendi aliquid in Sacramentorum adminiſtratione non eſt reuocata, ſit licita, an verò illicita. Secunda ex ſuppoſitione, quod ſit illicita, an ſit ſimoniaca

Rationes dubitandi circa propoſitũ titulum.

2 Reſpondeo primò, talem præuiam exactionem illius, quod dari conſueuit, niſi ſpontè fiat illius oblatio, non eſſe licitam *Abbas in d. cap. ad apoſtolicam in fin. & ibi Mar. Soc. Senior num. 5. cum ſeqq. Felinus ibid. in princip. verſ. tertio, Caietanus in ſumma verb. ſimonia 4. not. Vgolinus de ſimonia in genere tab. 1. cap. 9. §. 10. num. 11. verſ. quid concludendum?* Ratio autem huius reſponſionis potiſſimum deducitur *ex d. cap. ad Apoſtolicam*, vbi Pontifex prius præcipit, vt ſacramenta Eccleſiaſtica liberè conferantur, & poſteà compeſcantur nolentes obſeruare laudbailem conſuetudinem, non enim ſpiritualibus donis quis eſt priuandus, quæ ex libera Dei voluntate gratis ſunt conferenda propter defectum temporalium, ad quæ ius viget ſubſequenter, quinimmò nec liberè conferrentur huiuſmodi ſpiritualia, ſi prius ageretur de exactione temporalium, ſine quibus non conferrentur contra diſpoſitionem textus *in d. cap. ad Apoſtolicam*; quo ductus fundamento *Felinus in cit. cap. ad Apoſtolicam* dixit omninò extirpandum eſſe talem clericorum vſum, quo denegantur Sacramenta, niſi prius conſuetum ſoluatur, & *Mar. Soc. Senior ibid.* aſſeruit, non poſſe prius exigi promiſſionem, aut vllam aliam cautionem, ergo multo minus rem ipſam. Confirmatur, quia illicitum omninò eſt in adminiſtratione Sacramentorum intendere magis principalitèr lucrum temporale, quam commodum ſpirituale ſibi, vel alteri, ſed in data ſuppoſitione magis principalitèr intenderetur illud lucrum, ergo &c. Minor probatur, quia poſito tali lucro poneretur id, per quod commodum ſpirituale haberetur, ipſo non poſito commodum illud ſpirituale in Sacramentorum, ſeù ſpiritualium participatione non haberetur, ergo &c. Confirmatur ſecundò, quia in Sacramentorum, & ſpiritualium adminiſtratione, quæ ſunt fontes, & origines cuiuſcunque puritatis, & honeſtatis non ſolum eſt illicitum conſortium alicuius malitiæ, ſed etiam quæcunque ſpecies malitiæ, ſed in illa præuia exactione adeſſet, ſi non malitia formalis, ſaltem ſpecies eiuſdem, ergo &c. Minor probatur, tùm quià in ipſa elucet ſpecies auaritiæ in miniſtro Eccleſiæ, tùm quia, vt optimè notat *Abbas in d. cap. ad Apoſtolicam* viderentur ipſa Sacramenta alienari &c.

Abbas. Socin. Sen. Felinus. Caietanus. Vgolin.

Non liberè conferentur, ſi prius exigerentur.

Felinus.

Socin. Sen.

Intenderetur magis principalitèr lucrum temporale, quam commodũ ſpirituale.

Elucerret ſpecies auaritia.

Reſpondeo ſecundò, talem præuiam exactionem quantumuis illicitam non fore tamen ſimoniacam. *Caietanus in ſumma verbo Simonia verſ. 4. nota Nauarrus conſ. 35. de ſimonia lib. 5. Vgolinus de ſimonia genere tab. 1. cap. 9. §. 10. num. 11. verſ. verum quid ſi contraſiat.* Ratio eſſe poteſt, quia talis exactio non eſt ſimoniaca nec ex natura ſua, nec ex iure poſitiuo; non ex natura ſua, quandòquidem id, quod exigeretur, non eſſet pretium Sacramentorum, ſeù ſpiritualium, ſed id, quod ex laudabili conſuetudine ob motiuum pietatis eſt debitum, quod ſecundum ſe non inuoluit ſimoniam per notata *in cap. ad Apoſtolicam*, & licet in eodem textu prohibeatur anticipata exactio, non tamen prohibetur ſub nota ſimoniæ, nec talis nota inde reſultat, quod 3

Caietanus. Nauarrus. Vgolin.

Nõ reſultat ſimonia nec ex iure natura, nec ex iure poſitiuo.

ſic euincitur; Non eſt vlla nota ſimoniæ, ſi ſubſequentèr exigatur tanquam debitum ex laudabili conſuetudine per ſuperius notata *ad d. cap. ad Apoſtolicam*, ergo neque erit talis nota, ſi antecedentèr petatur. Conſequentia probatur, quia quotieſcunque aliquid eſt debitum, nec ſecundum ſe eſt ſimoniacum non effici poteſt tale per qualitates præuias, vel ſubſequentes, quod argumento à contrario ſenſu ſic deducitur. Æquè eſt ſimonia, ſi aliquid exigatur non debitum ſiuè exigatur antecedenter, ſiuè ſubſequentèr *arg. cap. de hoc autem, & cap. non ſatis de ſimonia*, ergo æquè non erit ſimonia, quandò exigitur aliquid debitum ex alio titulo laudabili, ſiuè exigatur præuiè, ſiuè exigatur ſubſequentèr.

Argumentum à contrario ſenſu deſumptum.

---

§. XI.

An, ſi ſtatuto caueatur, vt in adminiſtratione ſpiritualium aliquid detur, poſſit recipi ſine labe ſimoniæ.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries, & illius ſenſus 1.
Si huiuſmodi ſtatutum ſit laudabile, quatenus procedat ex motiuo pietatis, & id, quod datur, non ſit tanquam pretium ſpiritualium, non inducit ſimoniam 2.
Nonnulla corrollaria ex dictis deducenda 3.

1 DIſquiſitio XI. Multis in locis ſtatuto Eccleſiarum cautum eſt, vt in ſpiritualium adminiſtratione aliquod pretio æſtimabile conferatur in vſus tamen pios, vel Eccleſiæ, vel adminiſtrantium, vel pauperum conferendum. Excitata fuit controuerſia inter maximę notæ Doctores, an illud ſtatutum ſit laudabile, & an, ſi quid ratione illius erogetur, inducat ſimoniacam prauitatem, an non. *Abbas, & Mar. Soc. Sen. & Felinus in cap. cum Iacobus, & ibi etiam Dec. num. 28. verſ. in gloſ. in verb. præciperet de ſimonia* abſolutè improbant ſtatutum illud, & id, quod ex illo erogatur tanquam ſimoniacum damnant. Innocentius *verò cum nonnullis alijs in cap. cum M. num. 8. de conſtit.* talem dationem ex ſtatuto eximit a labe ſimoniæ, ſi ſpontè, ac liberè nulla interueniente promiſſione, ſeù pactione fiat; ſed inconſequentèr hoc aſſeri videtur; non enim ſpontè, & liberè dari poſſe videtur, quod per ſtatutum imponitur, vt detur, vt bene notant *Abbas in d. cap. cum M num. 6. & ibi Felinus num. 2. de Conſtit.* vbi etiam Decius aſſerit, non ſpontè quid fieri ab aliquo, ad quod cogi poteſt, eſto non coactus id faciat. Pro ſolutione

Prima ſententia affirmans ſimoniacā prauitatem. Abbas. Socin. Sen. Felinus. Decius. *Secunda ſententia negans ſimoniam.* Innocentius. Abbas. Felinus.

Aduerte ſtatutum, de quo poteſt eſſe controuerſia, poſſe ex duplici motiuo procedere, primò, quatenus decernat aliquid dari pro eodem, ſeù eiſdem Sacramentis formalitèr tanquam pretium eorundem, ſub quo reſpectu certè non eſt laudabile, cum expreſsè inducat labem ſimoniacam; Secundò, quatenus decernat aliquid in adminiſtratione ipſorum præſtari ex motiuo pietatis, vel vt promoueatur diuinus cultus, vel vt excitentur Clerici ad ſacra peragenda &c. atque ſub hoc reſpectu laudabile eſſe hoc ſtatutum clarè liquet ex eo fine, ſub quo conditum eſt. Hanc diuerſitatem ſtatutorum agnouit *Sacroſanta Trident. Sinodus ſeſſ. 24. cap. 14. de reformat.* dum ordinauit locorum Ordinarijs, vt diligentèr conſuetudines, & ſtatuta cognoſcerent, & laudabiles tantum conſuetudines, & ſtatuta approbarent, praua verò, & ſcandaloſa eijcerent, & abolerent. Quibus ſuppoſitis

Duplex motiuū, ex quo poteſt eſſe ſtatutū. Concil. Trid.

Reſpondeo, ſi huiuſmodi ſtatuta ſint laudabilia, quatenus procedant ex motiuo pietatis, & non reſpiciant id, quod ſtatuunt tanquam pretium Sacramentorum non eſſe ſimoniam, ſi aliquid ex vi ipſorum detur, vel recipiatur in adminiſtratione ſpiritualium *Nauarrus in man. cap. 23. num. 102. verſ. vndecimo, Gomeſius in reg. de triennali poſſeſ. quæſt. 12. verſ. & iſta quæ dicta ſunt, Vgolinus de ſimon. in genere tab. 1. cap. 9. §. 11. num. 1. verſ. quid igitur concludendum.* 2

Non eſt ſimoniacū, ſi non detur tanquā pretium ſpiritualiū. Nauarrus. Gomez. Vgolin.

Probatur primò *ex eod. Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 14. de reformat.* vbi præcipit damnandas, ſeù damnanda eſſe prauas conſuetudines, & ſtatuta, approbandas autem per locorum ordinarius, ſeù approbanda laudabiles, ſeù laudabilia conſuetudines, ſeù ſtatuta; ſed ſtatuta, de quibus nos hic loquimur, ſunt laudabilia, ergo &c. Probatur minor ex eod. Trid. loc. cit. vbi tantum improbantur illa, quæ inducunt labem ſimoniæ, & per conſequens illa ſupponuntur laudabilia, quæ talem labem non redolent; cum igitur hæc ſtatuta, de quibus loquimur, non reſpiciant id, quod datur tanquam pretium ſpiritualium, ſed quo vel miniſtri ſuſtententur, vel libentius excitentur ad diuina, vel ſacro cultui deſeruiant, vel &c. non eſt, cur non ſint laudabilia, vtpotè non ſimoniaca.

Prima ratio deducta ex Concil. Trid.

Probatur ſecundò conſuetudo, & ſtatutum æquiparantur *l. Magiſtratus ad munic. l. ſemper de iur. immunitatis Inſtit. de iur. nat. §. ex non ſcripto, & §. conſtat, & Baldus in tract. de tabel. 2. quæſt. Idem Baldus in l. omnes populi 2. col. de inſt. & in Clem. 1. & ibi Cardin. de vſuris, & cap. cum dilectus de conſuetud.*, quod etiam conſideraſſe videtur *Trid. loc. cit.* vbi conſuetudinem, & ſtatu-

Secunda ratio probans aſſertum. *Conſuetudo, & ſtatutum æquiparantur.* Baldus. Cardinalis.

tum

tum exæquat, ſed per not. in §. 9 *præced.* non eſt ſimoniacum, quod aliquid detur, & recipiatur ex conſuetudine inducta per motiuum pietatis &c. ergo neque &c.

Dices primò, quod datur ex vi ſtatuti, non liberè, nec ſpontè datur; ſtatutum enim proprium voluntarium non habet, ſed neceſſarium, *Abbas in d. cap. cum M. num. 25. de conſtit. Felinus in cap. Iacobus num. 2. de ſimonia*, ſed quod non ſpontè, & liberè datur in ſpiritualibus inducit Simoniam, *Innocentius, & Abbas in d. cap. cum M.* ergo quod datur &c. Sed contra, quia non ideò quid eſt ſimoniacum, quia non ſpontè, & liberè conferatur, ſed quia conferatur tanquam pretium rei ſpiritualis, ſeù pro re ſpirituali; quot enim inuitè conferuntur, quæ ſimoniacam non redolent prauitatem? Certè Pontifex *in d. cap. ad Apoſtolicam* ſtatuit, vt nolentes ſeruare compeſcantur, quod certè dicit coactionem, & tamen ibi non interuenit ſimonia *arg. cap. tua nos de ſimonia*.

Abbas. Felinus. Innocentius. Abbas.

Non eſt ſimoniacũ, quia liberè non cõferatur, ſed quia conferrur tanquam pretium.

Dices ſecundò *ex can. ex multis 1. quæſt. 3.* vbi ſtatuitur, ne quid pro ſpiritualibus conferendis detur, & recipiatur, quantumuis id, quod datur, ſit in pios vſus conuertendum, ergo etiam per ſtatutum ex motiuo pietatis nequit recipi. Sed contra; rectè procedit allegatus canon, quandòquidem ſupponit, quod id, quod datur, detur tanquam pretium ſpiritualium, quod colligitur ex illis verbis *pro ſpiritualibus*, quod certè importat mercem pretij, quod non militat in hypotheſi, in qua verſamur, ſecundum quam ſupponitur, quod illud, quod ex ſtatuto præſtandum eſt, non præſtetur, vt pretium ſpiritualium, ſed ex alio titulo, vt ſupra. Dicere deindè, quod non liberè illud temporale detur, non facit ad rem, quia præterquamquod ex ſupra dictis hoc ſubterfugium concluſum eſt, adhuc ſic non incongruè clauditur argumento à contrario ſenſu deducto. Poteſt adhuc eſſe ſimonia, quantumuis illud temporale, quod erogatur, ſpontè pręſtetur, dummodò præſtetur, vt pretium rei ſpiritualis, vt videre eſt in eo, qui libentèr pretium offerret pro beneficio, ergo à contrario ſenſu poterit non eſſe ſimonia, ſi aliquid conferatur quantumuis inuitè, dummodò non conferatur, vt pretium eiuſdem rei ſpiritualis. Hoc argumento vtitur *Vgolinus de ſimon. in genere d. tab. 1. cap. 9. §. 11. num. 1. verſ. Innocentius autem in fin.*

Textus loquitur, quãdo cõfertur tẽporale tãquã pretium.

Vgolin. Innocentius.

3 Ex ijs, quæ hactenus dicta ſunt, inferre licet primò, quod, ſi ſtatuto cautum ſit, vt aliquid in huiuſmodi adminiſtratione conferatur, vel in ſuſtentationem miniſtrorum, vel ad incitamentum ad libentiùs ſacris vacandum, vel in ornatum ſacrorum, nullam præſeferat labem ſimoniæ. Secundò non inducere ſimoniam ſtatutum, quo cautum ſit, vt quotieſcunque quis in canonicum recipitur aliquid tribuat, quod vel in vtilitatem Eccleſiæ cedat, aut in pauperum indigentias ſubleuandas, quod certè colligitur *ex d. Concil. Trid. loc. cit.* vbi Epiſcopis præcipitur, vt quæ in huiuſmodi receptionibus dantur, ne dari permittant, ſi in pios vſus non conuertantur *arg. l. 1. ff. de offic. eius*, & his ſimilia.

Nonnulla corollaria ex dictis inferuntur.

---

§. XII.

An conuentiones mutuæ inter Regulares de ſe inuicem eligendis in dignitatibus Religionis ſint ſimoniacæ.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ 1.
Quamuis hic modus conueniendi ſit execrabile vitium, non eſt tamèn propriè ſimoniacus 2.
Etiam ſi ille modus eſſet ſimoniacus, non tamèn ſic contrahens ſubiret pœnas iuris contrà ſimoniacos 3.
Corollaria ex dictis 4.

Diſquiſitio XII. Irrepſit execrabilis adeò inter pias aliòqui, & Religioſas perſonas dominandi ambitus, vt quaſi in morem tranſierit, vt in Generalibus, vel Prouincialibus commitijs plurimi in hunc modum adinuicem conueniant. *Elige me in Generalem, vel Prouincialem, & ego te eligam in Præpoſitum, vel in talem aliam dignitatem, vel ſi me elegeris &c. ego te eligam &c.* Abominabilis adeò in ſacris ordinibus hæc deformitas eſt, & pernitioſa, vt plurimæ Pontificum conſtitutiones emanariot, ſecundum quas ſub grauibus pœnis execrabile hoc crimen auertere ſtudeant. Quod, ſi ſtudioſa voluntas ſciſcitandi huiuſmodi dignitates grauibus adeò cenſuris, & pœnis impetitur, quidni erit, dum per conuentiones, vel explicitas, vel implicitas progreditur? Omiſſis iam pœnis, quæ huic delinquendi generi ſtatuuntur, id, quod in præſenti controuertendum occurrit, eſt, an in talibus conuentionibus interueniat propriè ſimonia, & conſequentèr, an electiones huiuſmodi ſint ipſo iure irritæ, & conuenientes ſubiaceant pœnis iuris. 1

Factiſecies iuſtiſſ ſeruantis.

Reſpondeo primò, quamuis hic modus conueniendi ſit execrabile vitium canonicis ſanctionibus valde difforme, non eſt tamen propriè, & rigoroſè ſimoniacus *Sanchez tom. 1. conſil. mor. lib. 2. cap. 3. dub. 44. Sotus lib. 9. de iuſt. quæſt. 5. art. 2. ad tertium* 2

Non eſt propriè ſimoniaca labes.

Sanchez. Sotus.

Maior

Maior.

Maior in 4. diſt. 25. quaeſt. 6. concl. 1. & valde conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimon. Diſquiſ. 1. §. 6.* quæ ibi tu recole. Ratio eſt, quia, quantumuis talis modus importet ambitum ſacris canonibus maximè exoſum, ſacriſque ordinibus perniciosum, vt potè qui iura benemerentium deſtruit, vt ſuperbientes attollat, nihilominùs ſecundum ſe non inuoluit contractationem ſpiritualium pro temporalibus, & per conſequens non ſimoniam iure naturæ, ſeù diuino vetitam, nec ſubeſt alicui iuri damnanti talem modum tanquam ſimoniacum, ergo &c. Antecedens quoad primam partem de iure naturæ ex ſe liquet; quoad ſecundum de iure poſitiuo facilè etiam innoteſcit, quandòquidem nullum ius tale eſt aſſignabile, quo prohibeatur ſub tali labe; nec aſſignari poteſt textus *in cap. quaeſitum de rer. permut.* non, inquam poteſt aſſignari, quandoquidem, vt benè exponit Sanchez *d. tom. primo conſ. mor. lib. 2. cap. 3. dub. 44. & Sotus, Aragonius, Beia, Victoria, Emmanuel Rodriquez apud eundem Sanchez*, in eo textu nomine ſpiritualium veniunt dumtaxat beneficia, prout etiam nos explicuimus *ſub hoc eodem tit. Diſquiſ. 1. §. 6. verſ. dices huiuſmodi, & latè per tot.*

Non inuoluit contractationem ſpiritualium pro temporalibus.

Sanchez. Sotus. Aragon. Beia. Victoria. Rodriq.

3 Reſpondeo ſecundò, dato etiam, quod per illum modum conueniendi committeretur ſimonia, non propterea ſic conuenientes ſubiacerent pœnis iuris *Sanchez loc. cit. Nauarrus cap. 23. num. 111. verſ. ſeptimo, Azorius tertia parte l. 12. de ſimon. cap. 21. quaeſt. 9. ad fin. verſ. Quaeſ. Bonacina de ſimonia quaeſt. 7. punct. 2. num. 24. & ſeqq.* Ratio eſſe poteſt, quia leges pœnales, vtpotè odioſæ non extenduntur vltra expreſſa in iure inducente tales pœnas iuxtà *reg. odia de reg. iur. in 6.* ſed in iure inducente huiuſmodi pœnas non comprehenduntur, niſi beneficia Eccleſiaſtica per ea, quæ latè tradidimus *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. Praenot. 9. aſſert. 1.* inter quæ propriè non enumerantur Prælaturæ Regulares ſaltem in rigore loquendo *Caietanus verb. excommunicatio cap. 75. Suarez tom. 5. de cenſuris diſp. 22. ſect. 5. nu. 24. & diſp. 31. ſect. 4. num. 45.* & nos etiam latè tradidimus *ſub hoc eod. tit. Praenot. 9. aſſert. 2.*, ergo &c.

Non ſubiacet pœnas iuris contra ſimoniacos.

Sanchez. Nauarrus. Azorius. Bonacina.

Prælaturæ regulares non ſunt in rigore beneficia.

Caietanus. Suarez.

Dices eſto, quod Prælatura Regularis non ſit propriè beneficium, ęquatur tamen beneficio parochiali *Ludouicus Lopez prima part. inſtruct. nou. cap. 305. fol. 953. p. 2. Bannez, Medina, Mancius, Gallo, & alij*, quos refert *P. Henriquez lib. 6. cap. 6. num. 2. in Gloſ. litt. E, & F*, quorum aliqui per conſequens docent, quod Prælati Regulares, abſque approbatione Ordinarij poſſint eligi a ſæcularibus in Confeſſarios virtute Bullæ Cruciatæ, ſicuti poſſunt Parochi *Ioannes Vallerus* relatus à *Barnaba Gallego in Bulla Cruciata cap. 9. dub. 84. Nannus in addit. ad tertiam partem quaeſt. 8. art. 5. dub. 8.* Sed contrà, quia in pœnalibus non valet extentio ad æquipollentia *cap. ſtatutum de elect. lib. 6. cap. pœna de pœnit. diſt. 1. cap. odia de reg. iur. in 6. Gloſ. in clem. vnic. de conſang. & affin. verſ. 6. eos.* Deindè non eſt illa æquipollentia, quæ ſupponitur in argumento, quandòquidem prælaturæ Regulares non habent illas conditiones, quæ requiruntur ad rationem beneficij Eccleſiaſtici, quas nos numerauimus ſuprà *ſub hoc eod. tit. de ſimonia d. Praenot. 9. aſſert. 2. verſic. probatur quià.* Deindè falſum omninò eſt, Prælatos Regulares non indigere approbatione, vt ſint eligibiles in confeſſarios virtute Bullæ Cruciatæ, prout latè tradidit citatis *Petro Ledeſma, Boſſio, Leandro à ſacramento, Emmanaele Rodriquez, Diana, Card. de Lugo, Henriquez, Suarez, Granado, Hurtado, Fagundez, Andreas Mendo tom. in Bulla Cruciata diſp. 22. n. 30.* quæ opinio poſt Trid., & Bullam Pij V. adeò eſt certa, vt contrarium nequeat defendi.

Lopez. Bannes. Medina. Mancius. Gallo. Henriq.

Vallerus Gallegus Nannus.

In pœnalibus non valet extenſio ad æquipollentia.

Indigent approbatione, vt eligantur in confeſſarios.

Ledeſma Boſſius. Leandrus. Rodriq. Diana. Lugus. Henriq. Suarez. Granado Hurtad. Fagúdez. Mendo.

Ex quibus omnibus habes primò, quod, ſi duo adinuicem fuerint promoti media illa conuentione *Elige me &c. & ego eligam te &c.* non teneantur, quantum eſt ex vi 4
diſpoſitionis iurium ſimoniacorum deponere Prælaturas, ſeù dignitates, prout diſponitur quoad beneficia propriè accepta *in cap. Matthaeus de ſimon. & in cap. ſicut tuis eod. tit.* & ratio eſt, quia huiuſmodi iura reſtringuntur dumtaxat ad ſimoniacam beneficiorum collationem, quæ propterea non ſunt extendenda ad id, quod non eſt propriè, & formalitèr tale iuxtà iura *in d. cap. ſtatutum de elect. in 6. & in cap. pœna de pœnit. diſt. 1.*

Habes ſecundò, quod ſic promoti ad Prælaturas regulares, etiam quantum eſt ex vi diſpoſitionis iurium ſimoniacorum, non ſubiaceant pœnis excommunicationis, alijſque cenſuris propter eaſdem rationes, & iura, quibus dicitur, quod pœnalia non ſint extendenda vltrà expreſſa. Dixi *ex vi diſpoſitionis iurium ſimoniacorum*, quandòquidem ex alijs capitibus inductam eſſe pœnam excommunicationis, aliaſque cenſuras contrà procurantes prælaturas Regulares non ignoro, ſed de his fusè agam, dum erit ſermo de Crimine ambitus &c.

Ex vi diſpoſitionis iurium ſimoniacorum nō ſubiacent pœnis excommunicationis.

§. XIII.

An ſit ſimonia punibilis pretium ſoluere pro interceſſione ſiuè mediata, ſiuè immediata ad beneficium.

SVMMARIVM.

Proponitur ſenſus difficultatis cum duplici ſententia extremè oppoſita 1.

Rationes dubitandi pro ſententia negante 2.

Simonia eſt, ſi erogetur pretium pro interceſſione immediatè penes collatorem ad obtinendum beneficium 3.

Non verò, ſi erogetur pro labore ipſius mediatoris in eundo, & redeundo, & pro damno inde ſecuto 4.

Etiam ſimonia eſt, quantumuis pretium erogetur pro interceſſione mediata 5.

Limita in caſu, quo erogaretur pro labore, & damnis, vt ſuprà 6.

1 DIſquiſitio XIII. Caius cupidus aſſequi beneficium quoddam vacans adiuit quendam valde familiarem Epiſcopi collatoris, vt apud ipſum pro ſe ipſo intercederet ad illud aſſequendum. Rurſus adiuit non familiarem immediatum eiuſdem Epiſcopi, ſed familiarem familiaris eiuſdem, vt iſte familiaris mediatus intercederet apud immediatum ad finem, vt iſte immediatus precibus moueret collatorem ad ſibi conferendum, & in prima hypotheſi pretium obtulit familiari immediato pro interceſſione, in ſecunda familiari duntaxat mediato. Hic inſurgit difficultas non modica, an in vtraque data hypotheſi propriè interueniat ſimonia. Negant eſſe ſimoniam *Roiaſul in praxi Theol. mor. lib. 3. tom. 2. de ſeptimo precepto Decal. cap. 6. num.* 183. *Sotus de iuſt. lib. 9. quaſt. 7. art. 3. in fin. corporis, Ioannes de Soria in Epithome ſumma part. 2. tit. 1. ſect. 4. diſp. 5.* Quibus etiam adhærere in parte videtur *Paſqualigus apud Dianam part. 11. tract. 6. Miſcel. reſol.* 31. Affirmant verò *Nauarrus lib. 5. conſ. tit. de ſimonia conſ. 54. Sanchez in conſ. mor. tom. primo lib. 2. cap. 3. dub. 26. num. 7. Buſemban in medul. Theol. mor. lib. 3. tract. 1. cap. 2. dub. 3. art. 1. num. 2. Suarez tom. primo de Relig. lib. 4. de ſimonia cap. 40.*

Sententia negãs eſſe ſimoniã.
Roiaſul. Sotus. Ioannes de Soria. Paſqual. Diana.
Sententia affirmans eſſe ſimoniam.
Nauarrus. Sanchez. Buſẽbau. Suarez.

Ratio dubitandi pro ſententia negante
2 in vtraque hypotheſi intercedere ſimoniam in eo ſita eſt, quod illud pretium non datur pro re ipſa ſpirituali, ſed pro ipſa interceſſione, quæ eſt quid merè temporale, quod præcipuè verificatur in interceſſione mediata, & roboratur exemplo eius, qui pretium erogaret alicui, vt indulgeat aditum ad alloquendum Prælatum, a quo petatur beneficium, in quo certè caſu non committitur ſimonia *D. Antoninus ſecunda part. tit. primo cap. 5. §. 7. Silueſter verb. ſimonia quaſt. 8. dict. 5. Adrianus quodlib. 9. litt. C. & D. Roſella verb. ſimonia 1. num. 34. Angelus eod. verb. ſimonia 3. num.* 23. quod videtur eandem inferre rationem quoad interceſſionem ſiuè immediatam, ſiuè mediatam, cum vtrumque ſit merè temporale. Nihilominus

D. Antoninus. Silueſter. Adrianus. Roſella. Angelus.

Reſpondeo primò. Simonia eſt, ſi erogetur pretium pro interceſſione immediata apud collatorem ad obtinendum beneficium Eccleſiaſticum, & vtique punibilis. Ita Doctores omnes præallegati pro ſententia affirmante &c. & vlterius *Azorius tertia part. inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 24. quaſt. 4. Innocentius in cap. tanta de ſimon. Nauarrus in man. cap. 23. num.* 106. *verſ. ad quintum Panormitanus, & Bellamera in cap. ſuam de atat. & qual. ordinan. Silueſter verb. ſimonia quaſt. 16. verſ. 3. ad fin.* Ratio huius reſponſionis ea eſſe poteſt, quia in præallegata *extrauag. inter communes de ſimonia* habetur, quod committatur ſimonia, quotieſcunque confertur pretium pro collatione, electione, præſentatione, interceſſione, ſiuè mediatione ad obtinendum beneficium -Ibi- *Per electiones verò poſtulationes, confirmationes, prouiſiones, ſeu quaſuis alias diſpoſitiones*; per ly autem *quaſuis alias diſpoſitiones* intelligit *Nauarrus lib. 5. conſil. tit. 3. de ſimonia conſ. 58. verſ. 4.* fauorem, interceſſionem, mediationem, quæ certe ſunt diſpoſitiones ad acquirendum beneficium. Confirmatur *ex cap. præſentium 1. quaſt. 5.* vbi Pontifex damnat, vt ſimoniacum eum, qui contulit pretium cuidam, vt obtineret ab Epiſcopo, vt ſibi ordines conferret, ex quibus rectè ſequitur idem eſſe dicendum, quotieſcunque alteri tale pretium erogatur, vt ſibi ab Epiſcopo obtineatur beneficium, cum par ratio videatur in vtroque caſu.

3
Interceſſio immediata pro pretio induit ſimoniam.
Azorius. Innocentius. Nauarrus. Panorm. Silueſter.
Nauarrus.
Nomine diſpoſitionis venit interceſſio

Probatur ſecundò ratione eadem reſponſio, quia per illam erogationem pecuniæ factam interceſſori immediato paratur via ipſi eroganti ad obtinendum beneficium, ergo verè, & propriè committitur ſimonia. Antecedens probatur, quia ideò erogatur illud pretium, vt beneficium obtineatur, atque hic eſt præcipuus, & primarius finis talis erogationis, ergo &c. Conſequentia primi argumenti ſic euincitur, quia iura prohibentia ſimoniam intendunt auertere quamcunque pecuniæ ſolutionem, per quam acquiratur res ſpiritualis, ſeu Eccleſiaſticum beneficium.

Per interceſſionem paratur via collationi beneficij.

Dices primò, non eſſe propriè ſimoniam prohibitam, quia pretium non erogatur

col-

Digitized by Google

collatori, a quo accipitur beneficium, & per conſequens non eſt propriè pretium eiuſdem beneficij. Sed contrà, quià parum referre poteſt, quod pretium conferatur collatori, vel alteri; ſemper enim verificatur, quod beneficium ipſum obtineatur pro pretio, ſeù quod pretium erogetur, vt obtineatur beneficium, quod rectè conſiderauit *D. Bonauentura in 4. diſt. 25. circà litteram dub. vlt.* dum dicit committi ſimoniam dando collateralibus, licet non detur Epiſcopo, & clarius *Nauarrus in man. cap. 23. num. 106. verſ. ad quintum, & Innocentius in cap. ſuam de ætate, & qual. & in cap. tanta de ſimonia*, vbi aſſerit parum eſſe dare collatori, & dare tertio, vt moneat collatorem ad conferendum, in quo ſenſu *in d. extrauag. inter communes de ſimonia* damnantur ſimoniæ mediatores, quod ex mente Nauarri ſuprà allegati non ſolum intelligendum eſt, quandò ipſe mediator nomine alterius pretium offert ipſi collatori, ſed etiam quandò ipſe accipit, vt mediet.

D. Bonauentura. Nauarrus. Innocentius. *Intelligitur de mediatoribus, quandò pretiũ recipiunt, vt mediant.*

Dices ſecundò, in hac hypotheſi ipſe collator nullo modo poteſt eſſe ſimoniacus, cum omninò gratis, & liberè conferat beneficium, nec ipſe mediator, cum ipſe non conferat beneficium, adeòque pretium non recipit pro beneficio, ſed pro ſuo labore, actione, ſeù fauore humano, quod idem dicendum eſt de dante pecuniam, quia licet per illam intendet conſequi beneficium, non tamen emendo illud, ſed tantum conducendo ipſum mediatorem, vt moueat collatorem ad conferendum liberè, vndè illa pecunia non eſt pretium beneficij, ſed ſtipendium locationis &c. Sed contrà eſto, quod ipſe collator non ſit ſimoniacus, cum gratis omninò conferat, illa tamen aſſecutio beneficij eſt ſecundum ſe abſolutè ſimoniaca non ſolum quantum eſt ex parte ipſius erogantis pecuniam, ſed etiam quantum eſt ex parte conferentis beneficium, ſi non Phyſici, ſaltem moralis, & ratio ea eſt, quam optimè explicat *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 53. num. 15.*, quia ſcilicet, quandò confertur beneficium intercedente altero ipſe interceſſor ſaltem moralitèr confert, ſeù eſt cauſa moralis talis collationis, cum inducat ad talem collationem, & ſic eſt ſimonia realis ex vtraque parte completa per illam pecuniæ erogationem, & receptionem factam per mediatorem, quod latius expendens *Nauarrus in comment. de dat. & promiſ. not. 32. num. 45. & conſ. 56. & 57. de ſimonia* dixit hanc interceſſionem virtualitèr eſſe quid ſpirituale, quià non emitur, niſi vt virtute continens collationem beneficij; ex quibus rectè reſponderi poteſt ad id, quod dicebatur in inſtantia de ipſo interceſſore, & mediatore, & etiam de ipſo ſoluente pecuniam; non enim ipſe mediator, & dans pecuniam recipit, & dat pro ipſo labore, ſeù fauore humano ſimplicitèr, & quomodocunque accepto, ſed pro eodem, vt virtute continente collationem eiuſdem beneficij; quinimmò animus erogantis pecuniam interceſſori non eo dirigitur, vt eidem conferat remunerationem pro labore, ſed vt obtineat eo medio beneficium.

Ipſa aſſecutio beneficij eſt ſe ſimoniaca. Suarez. *Eſt ſimonia realis ex vtraq; parte cõpleta.* Nauarrus. *Interceſſio virtualitèr eſſet quid ſpirituale, & quomodò.*

4

Non negauerim tamen, eximi tùm interceſſorem, cum ipſum erogantem pecuniam à labe ſimoniæ, ſi aliquod pretio æſtimabile recipiatur, & erogetur principalitèr pro labore ipſius mediatoris in eundo, & redeundo ad collatorem, vel in recompenſationem alicuius damni, ſeù lucri emergentis, vel ceſſantis ex illa actione interceſſionis *Nauarrus d. cap. 23. de ſimonia num. 106. verſ. ad quintum*, & ratio facilè colligitur ex ijs, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimon. Prænot. 18.* nempe huiuſmodi labores in eundo, & redeundo, & cætera ſimilia accidentaria compenſabilia etiam ſunt ſine labe ſimoniæ in alijs etiam actionibus purè ſpiritualibus. Non negauerim etiam, eximi à tali labe, ſi ipſe mediator aſſumat præcisè onus informandi collatorem de idoneitate, & meritis talis perſonæ, & pro tali onere recipiat pretium, ſeù aliquam pecuniam. Cauendum tamen eſt ne quid amplius exigat, quam requirat tale munus, & ne adhibeat exhortationes, & quid magis ratione ipſarum poſtulet, & recipiat. Ratio autem, cur eximatur à tali labe, ea eſt, quià tale munus eſt merè temporale, & ipſe mediator in tali actione non ſe habet, vt formalitèr mediator, ſed vt Doctor, ſeù vt Aduocatus inſtruens, & docens de meritis cauſæ, ſed Aduocatus, & Doctor etiam in cauſis ſpiritualibus exercens tale munus poteſt iuſtè exigere ſtipendium talis muneris ſine vlla prorſus labe, ergo &c. Ratio autem limitationis, ſeù cautelæ ea eſſe poteſt, quia illud magis, quod exigeretur, non poteſt ex alio titulo exigi, niſi ratione beneficij, ad quod illud munus exhiberetur, quod certè ſimoniacam labem infert, nam ſicuti, ſi abſolutè aliquid conferretur pro tali interceſſione præſcindendo ab illo munere informationis eſſet ſimoniacum per ſuperius adnotata, & probata, ità ille exceſſus eſſet ſimoniacus, cum exigeretur præcisè ratione interceſſionis, & beneficij. Dixi, *& ne adhibeat exhortationes, & quid magis ratione ipſarum poſtulet* propter eandem rationem, nam ſicuti pro interceſſione ſimplicitèr, ſeù pro exhortatione nihil poteſt accipi ſine labe ſimoniæ, ità nec poteſt quid magis accipi ſupra id, quod exigit munus aduocatiæ,

Poteſt quid exigi pro labore in eũdo, & redeundo. Nauarrus. *Hoc pro onere informandi collatori de idoneitate perſonæ.* *In tali actione eſſet formalitèr vt Doctor, & Aduocatus.*

quan-

quandòquidem illud exigeretur ratione eiuſdem interceſſionis, ſeù exhortationis, & ſicuti ſe habet ſimplicitèr ad ſimplicitèr, ità ſe habet magis ad magis in ordine ad totum iuxtà vulgatiſſima iura.

Nonnulla iura pertinentia ad præsēs inſtitutū.

Probatur tertiò reſponſio nonnullis textibus iuris canonici, & præcipuè *ex cap. ſtatuimus* 1. *quæſt.* 1. vbi damnantur ſimoniacæ prauitatis ordinati à non ſimoniacis ſimoniacè, quod Doctores explicant de ordinatione facta pretio erogato per ordinatum non ordinanti, ſed alteri mediarori ab ipſo; vbi habes primò, ordinantem ſine pretio, & cum ignorantia pretij alteri erogati non eſſe reum ſimoniæ; Secundò poſſe eſſe ſimoniam per hoc præcisè, quod erogetur pretium, & recipiatur per mediatorem. Tertiò, quod ſi hæc, quæ dicuntur, locum habent in ordinatione, in qua ordinatus erogat pecuniam, & mediator recipit, locum etiam habere poſſint in collatione beneficiorum, in qua promotus erogauit pecuniam, & mediator pro interceſſione recepit, quandòquidem non minus eſt quid ſpirituale ordinatio, ſeù collatio ordinum, ac ſic collatio beneficiorum. Item *ex cap. præſentium* 1. *quæſt.* 5. vbi declaratur actio quædam ſpiritualis ſimoniaca, & tamen pretium non fuit collatum collatori, ſed alteri interceſſori ab ipſo, ipſo etiam ignorante.

5 Reſpondeo ſecundò. Etiam ſimoniam eſſe, quantumuis pretium erogetur pro interceſſione mediata *Nauarrus lib.* 5. *conſ. tit.* 3. *de ſimonia conſ.* 54., & ſic ſentire exiſtimo quotquot nobis adhærent in præcedenti reſponſione.

Nauarrus.

Probatur reſponſio; eſt ſimoniaca conceſſio pretij pro interceſſione immediata, vt clarè liquet ex dictis, ergo etiam erit ſimoniaca pro interceſſione mediata. Conſequentia probatur, quià ratio, quæ conſtituit ſimoniacam conceſſionem pro interceſſione immediata, conſtituit etiam ſimoniacam conceſſionem factam pro mediata, quandòquidem Doctores primam conſtituunt ſimoniacam, quia per illam ſternitur via ad ſpiritualia obtinenda pro illo pretio ſoluto mediatori, ſed etiam per illam conceſſionem factam interceſſori mediato ſternitur via &c. ergo &c. Minor ex ſe patet, ſiquidem pecunia illa ponitur ad finem conſequendi beneficium, & æquè effectus ſequitur per mediatam interceſſionem, ac per immediatam, & vtroque modo concurrente pretio. Dicere deindè, quod in primo caſu magis ſit proxima, & immediata interceſſio, quam in ſecundo non facit ad rem, cum finis, & effectus vtriuſque ſit idem, nempe conſecutio beneficij. Deindè magis eſt remota collationi beneficij præſentatio facta per Patronum, quam electio, & tamen, ſi pro vtraque pretium conferatur, committitur ſimonia, eſt in confeſſo apud omnes, ergo &c.

Ratio, quæ conuincit pro interceſſione immediata, conuincit etiam pro mediata.

Eſſe magis, vel minus proximā non facit ad rem.

Probatur ſecundò, quià tàm in caſu interceſſionis immediatæ, quàm in caſu mediatæ pretium non datur collatori beneficij, & tamen eſt ſimoniaca conceſſio pretij pro interceſſione immediata, quià reſpicit ipſum beneficium, ergo etiam, cum interceſſio mediata reſpiciat tanquam finem vltimum conſecutionem eiuſdem beneficij, conceſſio pretij pro eadem erit ſimoniaca; ſi enim talis conceſſio non extrahitur a ratione pretij rei ſpiritualis ex eo, quod conferatur tertio à collatore, quid refert, quod vni vel alteri ab illo conferatur? cum conferatur in ordine ad eundem effectum, & finem. Ad magis corroborandam hanc rationem adducunt *Nauarrus lib.* 5. *conſ. tit.* 3. *de ſimonia conſ.* 54. *Sanchez in conſ. mor. tom. primo lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 26. *num.* 7. *&* 8. paritatem de quodam petente quandam Eccleſiam Parochialem vacantem, qui promiſit cuidam Domino, ſi illam obtinuerit, ſe illam commutaturum cum beneficio alterius, cui Dominus ille fauere volebat in illo concurſu, ſi efficeret, ne ille alter ſecum concurreret, & ſic ſtante tali promiſſione permutationis effectum eſt, ne ille concurreret, & ità ipſe beneficium obtinuit, quo in caſu propriè interuenit ſimonia, vt docuit idem *Nauarrus loc. cit.* iuxta mentem *D. Thomæ ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 2. *ad quintum*, & tamen illa operatio ad obtinendum beneficium non fuit immediata, ſed mediata, vt per ſe patet, ergo &c.

Nauarrus. Sanchez.

Nauarrus. D. Thomas.

Limitanda tamen eſt etiam hæc reſponſio iuxtà terminos præcedentis; ſi enim ibi iuſtificatur illa ſolutio, & receptio pretij ob laborem in eundo, & redeundo ad collatorem, in compenſationem damni, vel lucri emergentis, & ceſſantis, non eſt, cur hic iuſtificari non poſſit ob eundem laborem in eundo, & redeundo ad interceſſorem immediatum in compenſationem &c; magis enim huiuſmodi labor &c. eſt remotus à beneficio. 6

Iuſtificari poteſt illa ſolutio intuitu laboris, & damni.

Ad rationem dubitandi, quæ in initio afferebatur, patet ex dictis quid ſit reſpondendum, ſolum remanet adducere diſparitatem, quæ afferebatur de eo, qui aditum præbet ad alloquendum cum collatore, qui iuxtà communem omnium conſenſum poteſt aliquid pretio æſtimabile recipere ſine vlla prorſus labe ſimoniæ. Diſparitas autem hæc eſt, quià illa aditus aperitio ſecundum ſe indiferens eſt, vel vt coniungatur cum petitione beneficij, vel cum petitione alicuius alterius rei, adeòque ſecundum ſe, & ex natura ſua non conducis ad idem beneficium, niſi ex intentione peten-

Satisfit rationibus dubitandi.

tis; interceſſio autem illa licet mediata ſecundum ſe ordinatur ad illius beneficij aſſecutionem, adeòque &c.

---

§. XIV.

An mediator ſimoniæ teneatur reſtituere fructus ab alio perceptos.

SVMMARIVM.

Proponitur ſenſus difficultatis 1.
Mediator in hac hypotheſi tenetur abſolutè fructus illos reſtituere 2.
Satisfit argumento ex aduerſo appoſito 3.

DIſquiſitio XIV. Obtinuerat Caius beneficium Eccleſiaſticum media interceſſione Franciſci, cui pro illa pretium obtulerat. Gauiſus eſt Caius longo tempore beneficio, illiuſque fructibus. Tandèm tactus dolore cordis intrinſecùs ipſum beneficium dimiſit non facta reſtitutione fructuum, quos inde percepit, vel propter impotentiam, vel propter aliam cauſam. Orta hic fuit controuerſia, an Franciſcus mediator in hac hypotheſi, cuius interuentu Caius beneficium obtinuerat, teneatur ad reſtitutionem fructuum ex illo beneficio per Caium perceptorum. Proponit latè hanc difficultatem examinandam *Nauarrus conſil. lib. 5. conſ. 57.*, vbi re pro vtraque parte diligentèr diſcuſſa videtur concludere teneri ad reſtitutionem talium fructuum.

Nauarrus.

2 Reſpondeo, mediatorem in data hypotheſi teneri abſolutè dictos fructus reſtituere. Ita videtur ſentire *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 62. art. 7.* cui adhæret etiam *Nauarrus loco citato*. Ratio eſſe poteſt, quia ipſe beneficiarius ſic ſimoniacè promotus, quantumuis fuerit ignorans ſimoniacæ prauitatis, tenetur ad reſtitutionem fructuum inde perceptorum *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 57. num. 28. Abbas in cap. penult. de elect. Rota deciſ.* 191. *nu. 5. part.* 1. *diuerſ. Valentia tom. 3. diſp. 6. quæſt. 16. Reginaldus lib. 23. num.* 178. per ea, quæ nos etiam latè tradidimus *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimon. Prænot.* 8. *aſſert.* 4. *per totum*, ergo in ſubſidium ipſius tenetur etiam ipſe mediator, qui per ſuam mediationem opem contulit tali ſimoniacæ prauitati. Conſequentia probatur, quia ex regula generali qui per opem, conſilium, & actionem ſecundum ſe iniquam cooperatur iniuſtæ acceptioni, tenetur ſubſidialitèr ad reſtitutionem, ſeù compenſationem iniuſtè accepti iuxtà illud, quod habetur *in cap. fin. de iniur.* Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur, & per conſequens tenetur illud compenſare.

D. Thomas. Nauarrus. *Tenetur in ſubſidium mediator reſtituere.* Suarez. Abbas. Rota. Valẽtia. Reginaldus.

Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, hæc, quæ dicuntur, verificari dumtaxat quoad eum, qui cauſam damni dat immediatam, non autem quandò tantùm mediatam, vt euenit in caſu, de quo hic loquimur, quandòquidem longè aliud eſt conferre beneficium nullitèr, & procurare vt nullitèr conferatur, quod etiam obſeruaſſe videntur *Caietanus ſecunda ſecundæ quæſt. 62. art. 7. & Sotus repet. 4. de iuſt. quæſt. 7. art. 3.* dum dixerunt, quod quandò dicitur. *Qui cauſam damni dat &c.* non intelligendum eſſe de cauſa, ſine qua non, ſeù de cauſis remotis, ſed de cauſa efficiente iniuſtam acceptionem, & ità de cauſa proxima; ille autem mediator non debet dici cauſa immediata, & proxima huius iniuſtæ acceptionis. Non, inquam, obeſſe poteſt, primò, quià Generalitèr accipitur illud effatum. *Qui cauſam damni dat damnum dediſſe videtur* ſine vlla diſtinctione cauſæ, ſiue mediatæ, ſiuè immediatæ, prout etiam vniuerſalitèr accipit ſine illa limitatione *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 63. art. 7.* dum dicit ſufficere, quod ſit cauſa, ſine qua non. Secundò hac ratione nec conſulentes, nec opem, nec fauorem præſtantes iniuſtæ acceptioni tenerentur ſubſidialitèr ad reſtitutionem, & compenſationem, quod nemo afferet, & tamen ipſi non ſunt cauſa Phyſica, & immediata talis acceptionis iniquæ. Tertiò quià, vt bene notat *Nauarrus loc. cit.* occiſor ſerui dati in pignus tenetur ad reſtitutionem debiti erga creditorem vſque ad valorem eiuſdem ſerui per notata *in l. qui occidit ff. ad leg. Aquil.* ſi debitor non ſit ſoluendo, & tamen non videtur occiſor cauſa immediata illius damni, ſeù debiti non ſoluti, ergo &c.

Cooperator tenetur reſtituere ſiuè fuerit cauſa immediata, ſiuè mediata. Caietanus. D. Thomas. *Sufficit, quod fuerit cauſa ſine qua non.* Nauarrus.

Probatur ſecundò. Detentio per ſimoniam æquiparatur detentioni per furtum, ſiquidem in vtraque iniuſtè recipitur, quod recipi non poteſt, ſed adiuuans in furto tenetur ſaltem ſubſidialitèr ad reſtitutionem per ea, quæ notat *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 62. art. 7.*, & cum eo ſentiunt omnes tam Theologi, quàm Iuris interpretes etiam quoad fructus ex tali re perceptos, ergo etiam adiuuans per opem, ſeù mediationem in ſimonia; Neque aſſeras, diſparem eſſe rationem de adiuuante, ſeù cooperante in furto, & de adiuuante, & cooperante in ſimonia, quandòquidem adiuuans in furto adiuuat in re, quæ ipſo lumine naturali eſt obnoxia reſtitutioni, nec vlla præſumptione poteſt cælari nec motiuo ignorantiæ probabilis ipſe adiuuans poteſt excuſari; adiuuans verò per mediationem in ſimonia poteſt cum ignorantia probabili excuſari, cum ex ſuppoſitione,

Detentio per ſimoniã æquiparatur detentioni per furtum. *Excluditur ratio ex aduerſo obiectæ.*

Digitized by Google

tione, quod beneficiarius ſimoniacus fructus conuerterit in vtilitatem Eccleſiæ, vel fuerit in hoc per Pontificem diſpenſatus &c; contrà enim impugnaberis, quià ceſſat quæcunque ratio in ijs, quæ dicuntur, quotieſcunque conſtat de ſimoniaca prauitate, & licet poſſit allegare ipſe mediator ignorantiam, quià tamen hæc eſt ignorantia iuris, de facto tamen non præſumitur, & debet ſibi imputare, quod operam dederit actioni ſecundum ſe iniuſtæ, quam certè ignoraſſe non eſt præſumendus.

3 Aduerſus hæc, quæ hactenus dicta ſunt militare poteſt hæc ratio, quià *in dicta extrauag. Pauli II. inter communes de ſimonia*, cum ageretur de onere reſtitutionis, facta fuit ſolummodò mentio de ipſo beneficiato, cum verò ageretur de pœna excommunicationis non ſolum comprehendit ipſum collatorem, & recipientem beneficium pro pretio, ſed etiam mediatores, & procurantes, ergo ad reſtitutionem ipſi mediatores non tenentur, quandòquidem prædicta extrauagans non eſt extendenda vltra terminos ſuos. Sed facile erit occurrere huic rationi, ſi aſſeratur primò, in prædicta extrauaganti, dum ageretur de onere reſtitutionis, factam ſolummodò fuiſſe mentionem de ipſo beneficiato, quia ipſe principalitèr tenetur, non autem de alijs, qui non obligantur, niſi ſubſidiariè, quia hoc ſequitur ex natura ſua, & ex vulgata ſuppoſitione iuris; ſuppoſito etenim, quod ex diſpoſitione iuris collatio beneficij ſimoniaca non ſubſiſtat, per conſequens ſequitur, quod qui ex illa percipit fructus illos non faciat ſuos, ſed illos iniquè vſurpet dependentèr a tali collatione inualida, & iniuſtè facta; ad iniquam autem vſurpationem, ſeù melius ad iniquæ vſurpationis compenſationem, ſeù reſtitutionem ex vulgatis iuribus principalitèr tenetur ipſe vſurpator ratione rei acceptæ, & iniquæ acceptionis ſimul, ſubſidiariè verò, & minùs principalitèr opem conſerens, conſilium, & mediationem, vt videre etiam eſt in furto, in quo nemine reluctante tam furans, quàm opem præbens obligatur, licet ille principalitèr, hic non niſi ſubſidiariè. Deindè antecedentia per ſubſequentia in dicta extrauaganti ampliantur, & ſubſequentia per antecedentia, quæ omnia denotantur per illam particulam *prætereà*, quæ ſecundum ſe eſt ampliatiua.

Tantum ſequitur de obligatis principalitèr, nō excludit tamen obligatos ſubſidiariò.

Ad iniquæ vſurpationis compenſationem obligātur ſubſidiariò opem ferentes.

§. XV.

An ſimoniam committat per pecuniam tollens impedimenta, quæ ad quærendum beneficium, ſeù ordinem opponi poſſunt.

SVMMARIVM.

Explicatur, in quo ſenſu ſit accipienda difficultas 1.

Offerens pecuniam alteri, ne concurrat, vel Æquiti, vt impediat ipſius concurſum, ex quo poteſt moralitèr ſperare ſe conſecuturum beneficium, committit ſimoniam 2.

Soluens pecuniam ad ſe redimendum ab iniqua vexatione non committit ſimoniam 3.

DIſquiſitio XV. Vacante quodam beneficio Parochiali non modicorum reddituum in hac Mediolanenſi Prouincia plures ad idem aſſequendum concurrebant, ſed vnus ipſorum timens de Paulo, quod ſi concurreret ob magnam idoneitatem eum excluſione aliorum conſecuturus eſſet brauium, vel eidem immediatè promiſit certam pecuniæ quantitatem ea conditione ne concurreret, vel eandem obtulit magni nominis equiti, vt efficeret, ne idem Paulus concurreret. Ruſus idem ſciens alium ſibi impoſiturum varia crimina, quorum tamen non erat reus, ad impediendam ſui ipſius promotionem, ſeù electionem ad tale beneficium eidem obtulit certam pecuniæ quantitatem eo intuitu, vt à tali iniqua vexatione deſiſteret, & ſic tolleret illud impedimentum, quod calumnioſi malitia interiacebat ſuæ electioni. Orta hic fuit controuerſia, an in vtraque hac hypotheſi per talem pecuniæ ſolutionem, ſeù oblationem propriè inducta fuerit ſimonia. Verſamur in iure nondum quæſito per electionem, vel prouiſionem, vel collationem, nam de tali iure iam quæſito erit ſermo in ſubſequentibus. 1

Exponitur ſenſus duplicis difficultatis hic examinanda.

Reſpondeo primò, in prima hypotheſi ſoluentem, ſeù offerentem illam pecuniam propriè committere ſimoniam *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 2. *ad quintum Nauarrus conſil. lib.* 5. *de ſimonia conſ.* 54. *Caietanus in d. ſecunda ſecundæ D. Thomæ quæſt.* 100. *d. art.* 2. quibus adhærere videtur *Azorius inſtit. mor. part.* 3. *lib.* 12. *cap.* 11. *quæſt.* 4. Ratio huius reſponſionis ex eo facile deduci poteſt, quia parare viam per pecuniam ad rem ſpiritualem obtinendam eſt ſimoniacum, ſed in data hypotheſi ſoluens, ſeù offerens illam pecuniam per ipſam ſibi pararet viam ad beneficium

D. Thomas. Nauarrus. Caietanus. Azorius.

Sic ſoluēs per pecuniam ſibi viam ſterneret ad cōſecutionem beneficij.

Yy 2 aſſe-

Digitized by Google

aſſequendum, ergo &c. Maior, præterquamquod admittitur à D. Thoma loc. cit. aliiſque communitèr, ſic tamen ratione euincitur, quia inquirere rem ſpiritualem per pecuniam eſt ſimonia, ſed parare viam ad rem ſpiritualem eſt ipſam inquirere, ergo parare viam ad ſpiritualia per pecuniam eſt ſimoniacum. Confirmatur, Simoniacum eſt tradere pecuniam ad tollendam vexationem, quæ de iure inferri poteſt, nec facit iniuriam alteri, ſi de facto ponatur *Gloſa in cap. cum dilectus de ſimonia Nauarrus conſ. 31. de ſimonia, Redoanus tertia parte cap. 22. num. vlt. Reginaldus lib. 23. dub. 3. num. 124. Azorius tertia parte lib. 12. cap. 3.* ergo & ſimoniacum erit tradere pecuniam, ne alius idoneus ad tale beneficium concurrat ad finem, vt ſibi obueniat, quandòquidem concurſus iſtius, cui ſoluit pecuniam, eſſet ſibi quodamodò noxius, & vexationem per conſequens ipſi inferret, quatenus poneret quoddam impedimentum &c.

Gloſa. Nauarrus. Redoan. Reginaldus. Azorius.

Dices primò, talem ſolutionem ad impediendum Pauli concurſum non eſſe ſimoniacam, eo quià non niſi remotè coniungitur cum re ſpirituali, ſeù cum collatione beneficij, & remouendo prohibens, non autem proximè, & poſitiuè influendo. Sed contra, quià finis principalis talis ſolutionis vltimò reſoluitur in collationem talis beneficij, ad quam via nedum ſternitur per poſitiuam tendentiam, ſed etiam per remotionem prohibentis, vtrumque etenim eſt medium conducens ad eandem, licet diuerſo modo, & ſic tam poſitiua tendentia, quam remotio impedimentorum connectitur cum ipſa beneficij conſecutione, & ideò remouentur talia impedimenta, quia intenditur ipſum beneficium, ſicque per conſequens ponitur talis ſolutio propter illud, quod certè ſimoniacam redolet prauitatem. Deindè, quod magis, vel minus proximè connectatur cum ipſa re ſpirituali, non tollit rationem ſimoniæ, prout patet paritate deſumpta ex ſuperius dictis, dum de mediatione, ſeù interceſſione, ſiuè mediata, ſiuè immediata, quæ certè verificari debent tàm de medijs poſitiuis, quam negatiuis, cum vtraque diſponant pariformitèr difformitèr ad talis beneficij aſſecutionem.

Finis principalis ſolutionis vltimò reſoluitur in collationē beneficij.

Dices ſecundò, illam ſolutionem non eſſe pro re ſpirituali, ſed pro negatione concurſus eiuſdem Pauli, quæ eſt quid merè temporale. Sed contra, quià illa negatio concurſus connectitur cum ipſa re ſpirituali, ſeù cum collatione beneficij eidem ſoluenti præſtanda, ordinatur etenim ad ipſam, ea proportionali ratione qua dicebatur ſupra de interceſſione, ſiuè mediata, ſiuè immediata, quæ conſtituit ſimoniacam collationem, ſi fiat pro pretio, quià ipſa ſemper tendit ad eandem collationem, & per illam ad hanc ſternitur via, vndè dici poteſt, quod ipſe non concurſus Pauli ſit collatio quodamodò cauſalis, & conſecutiua eiuſdem ſoluentis, vt per ſe patet.

Negatio concurſus connectitur cum ipſa re ſpirituali.

Dices tertiò, hæc, quæ dicuntur in hac reſponſione, valere dumtaxat, quandò ille, cui fuit ſolutio, poteſt obeſſe ſimul, & prodeſſe, non autem quandò ſolum poteſt obeſſe, vt expreſsè notauit *Paludanus in 4. diſtinctione 5. art. 3.* in hypotheſi autem, de qua loquimur Paulus concurrendo poſſet tantùm obeſſe, non prodeſſe ſoluenti, quatenus ad ipſum non ſpectat beneficium illud conferre. Sed contrà in primis, quià ipſe Paulus, qui concurrendo poteſt obeſſe, non concurrendo poteſt ſaltèm indirectè prodeſſe, ſicque vim non habet inſtantia. Deindè non eſt neceſſe, quod poſſit prodeſſe immediatè per ſe ipſum, ſed ſatis eſt, quod poſſit eſſe cauſa, quod alius habens ius, ſeù poteſtatem ad promouendum proſit; ex eo autem, quod Paulus ſe ſubtrahat à concurſu cauſa eſt ſaltem moralis, quod conferens beneficium conferat ipſi ſoluenti, vt videre eſt in mediatore, qui non habet poteſtatem conferendi per ſe ipſum, conſtituit tamen ſimoniam recipiendo pecuniam pro mediatione eo quià prodeſt media interceſſione per ipſum collatorem.

Paludan.

Poteſt ſaltèm indirectè prodeſſe.

3 Reſpondeo ſecundò. In ſecunda hypotheſi Simoniam non committit, qui pecuniam illam ſoluit ſe redimendo ab illa iniqua vexatione *Sotus lib. 9. quaſt. 6. art. 1. in reſp. ad quintum, Leſſius lib. 2. de iuſt. & iure cap. 35. dub. 18. num. 108. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 50. Bonacina de ſimon. quaſt. 6. punct. 5. num. 4. in fin.* qui omnes loquuntur in terminis, quibus ipſe ſoluens, & intendens acquiſitionem beneficij non habeat ius in re, ſed tantum ad rem, & vexans ſit perſona priuata, & particularis, cui non inſit ius conferendi. Probatur primò reſponſio, quia illud, quod per talem ſolutionem emitur, non eſt ipſa electio, ſeù beneficium, ſed deſiſtentia ab iniuria inferenda, ad quod ius habet ipſe ſoluens, vt ſe redimat, ergo per talem ſolutionem propriè non inducitur ſimonia. Conſequentia tenet, quià illa ſolutio non correſpondet iuri ſpirituali, ſed alteri rei merè naturali, nempe vexationi, quod eſt temporale impedimentum. Antecedens verò probatur, quia ſoluens per illam ſolutionem aliud non intendit, quam quod calumniator ceſſet a calumnia, & vexator à vexatione, & calumniator, ſeù vexator non aliud præſtat, quam ceſſare &c. Confirmatur, quia ille, qui vexatur habet ius acquiſitum in ſua

Sotus. Leſſius. Suarez. Bonacina.

Procedit in ſenſu beneficij quærendi, non quæſito.

Illa ſolutionē correſpondet iuri ſpirituali, ſed alteri rei.

ſua libertate, & fama, ergo poteſt aliquid dare ne in ea lædatur.

Dices primò ex dictis in præcedenti reſponſione eſt ſimoniacum parare ſibi viam per pecuniam ad ſpiritualia non ſolum ponendo poſitiua apta ad illorum conſecutionem puta interceſſionem, preces &c. ſed etiam remouendo prohibens, prout dictum eſt de eo, qui per pecuniam impediuit alterum ne concurreret, vt ipſe beneficium poſteà obtineret, ſed qui pecuniam ſoluit ad ſe redimendum ab iniuſta vexatione viam ſibi etiam parat ad beneficium obtinendum remouendo prohibens, quandòquidem ſtante illa vexatione illud non conſequeretur, ergo &c. Sed contrà, quià diſpar omninò eſt ratio, quia illa negatio concurſus iuxtà datam hypotheſim in præcedenti reſponſione directè connectitur, cum ipſa collatione beneficij facienda ſoluenti concurrenti, quandòquidem cum beneficium debeat conferri per viam concurſus alio non concurrente idoneo ex directo ipſi concurrenti conferri debet, quinimmò non concurrentia illius eſt quaſi collatio reſpectu iſtius; illa autem deſiſtentia ab iniuſta vexatione non directè, & per ſe connectitur cum ipſa collatione beneficij, ſed non niſi per accidens, & ad ſummum occaſionalitèr, & remotè, quandòquidem ipſa adhuc non poſita ex vi illius ipſe intendens tale beneficium non acquirit aliquod ius ad ipſum, cum adhuc ſit liberum collatori conferre, vel non conferre, & ſi confert, confert cum omnimoda libertate. Deindè ſoluere pro illa deſiſtentia ab iniuſta vexatione ſecundum ſe indiferens eſt ad varios, eoſque diuerſos fines, non ſic illa negatio concurſus, quæ ſecundum ſe videtur ordinari ad finem præciſum collationis. Tandem ille concurſus, quem impedit ſoluens per illam pecuniam non eſt iniuſtus, vexatio autem illa, de qua loquimur, ſupponitur omninò iniuſta, adeòque ſi aliquod pretio æſtimabile erogetur pro negatione illius videtur erogari principalitèr pro conſecutione rei ſpiritualis, quam impediret ille concurſus iuſtus, ſi verò erogetur pro redemptione illius vexationis iniuſtæ non videtur principalitèr erogari pro re ſpirituali, vt ex ſe patet, & optimè notat *Gloſa in cap. dilectus de ſimonia*.

Deſiſtentia ab iniuſta vexatione non connectitur directè, & per ſe cũ collatione beneficij.

Gloſ.

Dices ſecundò. Iniquus vexator peccat peccato ſimoniæ accipiendo pecuniam, vt deſiſtat à vexatione, ergo etiam eodem peccato peccat, qui eidem ſoluit pecuniam, vt ab illa deſiſtat. Sed contrà antecedens non eſt verum, niſi quatenus id, in quo vexat, eſt quid ſpirituale, & materia ſimoniæ, vt ſi iniuſtè denegaret abſolutionem à cenſuris, vel quid ſimile; in hypotheſi autem de qua hic loquimur id, in quo vexat non eſt quid ſpirituale, & deſiſtentia ipſa oppoſita tali vexationi non eſt quid ſpirituale, ſicuti eſt quid ſpirituale ipſa abſolutio à cenſuris, quæ eſt oppoſita negationi eiuſdem.

Id, in quo quis vexat non eſt quid ſpirituale.

Dices tertiò *ex cap. dilectus, & ex cap. ſicut, & cap. Matthaeus de ſimonia* haberi, quod in ſpiritualibus pro iure quærendo non ſit licitum aliquid dare etiam, vt eſſet impedimentum facti, quia vt ibi obſeruat *Panormitanus num. 4.* dando pecuniam quis videtur eſſe ambitioſus, quia dat, vt facilius, quod non habet, aſſequatur, & *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 11. quæſt. 4.* iuxta præcit. textum *in cap. Matthaeus de ſimonia* habet, quod per illam ſolutionem non redimatur propriè vexatio, ſed detur, vt facilius acquiratur ius Eccleſiaſticum ſpirituale, quod etiam facile ex eo poteſt conijectari, quod in tantum mouetur ad redimendam vexationem, in quantum illa eſt obſtaculum ad acquirendum beneficium, quod intendit acquirere, ergo illa ſolutio eſt vltimo ordinata ad ius ſpirituale, adeòque ſimoniaca. Sed contra, quia ex allegatis capitibus nihil tale, quod in inſtantia affertur, colligitur quandòquidem *in dicto cap. dilectus* ſolum habetur, quod qui pecuniam dedit Prælato ne ipſum in iure ſuo de facto moleſtet non committat ſimoniam, quin potius repetat ſolutum, ſi Prælatus promiſſa non ſeruet, quod potius nobis fauet, quam obſit, in dicto *verò cap. Matthaeus eod. tit.* declaratur ſimoniacus electus, qui ceſſante ratione pæcuniæ ad hoc erogatæ contradictione fuit confirmatus, quia ipſa ceſſatio a contradictione erat ſolummodò ratio talis confirmationis, & ipſa contradictio ratio impediens eandem, & in aliquo ſenſu ipſa ceſſatio erat ipſa confirmatio, & ſic verificatur, quod ipſa confirmatio fuerit poſita pro pecunia ad hoc ſoluta, quæ non verificantur in caſu de quo loquimur, quandòquidem ipſa redemptio vexationis non eſt per ſe ratio collationis, ſed relaxatio ad ſummum cuiuſdam impedimenti occaſionaliter, & remotè connexi cum eadem collatione, cuius veritatis ſignum eſt, quod ceſſante tali vexatione liber eſt collator ad conferendum, & eo modo non magis inclinat, aut determinat animum collatoris, quam per ſe erat inclinatus, quod idem dic *ad d. cap. ſicut eod. tit.* vnde ea, quæ ſubinferuntur a Panormitano, & Azorio ex proprię voluntatis arbitrio ſubinferuntur, non per rectam conſequentiam ex allegatis textibus. Fateor tamen, quod quodamodò per illam deſiſtentiam a vexatione, ſeù remoto illo obice ſpem maiorem poſſit concipere ille, qui erat vexatus, conſe-

Panorm.

Azorius

Nonnulla iura afferuntur, quæ videntur obeſſe ſenſui noſtro eorũdemque elucidatio.

In aliquo ſenſu ipſa ceſſatio erat confirmatio.

Impedimentũ illud occaſionalitèr tantum, & remotè erat connexum cũ negatione collationis.

quen-

quendi beneficium dependentèr à beneuolentia collatoris, quæ magis poteſt moueri, ſi extrinſecus non impediatur; per hoc tamen non ſequitur, quod ſi remoueat illum obicem per erogationem pecuniæ committat ſimoniam, ſi poſteà ex beneuolentia collatoris beneficium obtineat, vt manifeſto exemplo, ſeù paritate per *Leſſium lib.2. de iuſt.cap.35. dub. 18. num. 109. verſ. reſpondeo negando* allata bene infertur. Certè, vt idem Leſſius aſſerit, eſſe in familia Epiſcopi confert fundamentum maioris ſpei conſequendi ab eodem beneficium mediante ipſius beneuolentia, & tamen ſi hic det pecuniam Æconomo Epiſcopi, vt in ipſius familia admittatur quantumuis ex eo fine, vt habeat opportunitatem conſequendi beneficium ex beneuolentia ipſius conciliaturus ſibi eandem per perſonalia obſequia maiora, & promptiora, quam exhiberi ſoleant non intelligitur dare pro eodem beneficio, & per conſequens non committere ſimoniam, cùm det dumtaxat pro quadam opportunitate conciliandi talem beneuolentiam, à qua poſtea ſperat beneficium. Quamuis igitur etiam remouere talem obicem, ſeù vexationem conferat etiam fundamentum maioris ſpei, non propterea ſi eroget aliquam pecuniam ad illum, ſeù illam remouendam, quantumuis hoc præſtet eo fine, vt remota illa importunitate poſſit ex beneuolentia collatoris beneficium conſequi, cenſebitur erogare pro beneficio, & committere ſimoniam, cum det ſolummodò per illa importunitate illicita tollenda, qua ſublata concipit ſpem obtinendi tale beneficium ex beneuolentia collatoris erga ſe propenſi.

Leſſius.

Dans pecuniam Æconomo Epiſcopi, vt in illius familia adſcribatur cum ſpe, vt poſteà ex illius beneuolentia beneficiũ acquirat non eſt ſimoniacus.

Dices quartò, ſi ſubſiſteret ratio per nos adducta pro probatione reſponſionis non poſſet ſolum ſine labe ſimoniæ erogari pecunia pro vexatione iniuſta remouenda, ſed etiam pro iuſta; conſequens eſt contra ſuperius dicta, ergo, & antecedens non eſt admittendum. Sequela ſic euincitur. Ratio ob quam aſſeritur, quod poſſit pecunia erogari pro redemptione iniuſtæ vexationis ea eſt, quià illa pecunia non erogaretur pro re ſpirituali, ſed pro tali impedimento tollendo, quod eſt quid mere naturale, ſed etiam quandò erogaretur pro redemptione iuſti impedimenti, puta ne alter concurrat, non erogaretur pro ipſo beneficio, ſed pro non concurſu qui eſt quid merè naturale, ergo &c. Sed contrà neganda eſt abſolutè conſecutio, quia redemptio talis vexationis iuſtæ eſt primariò, & principalitèr propter conſecutionem, & ab illa ſe redimens ſternit ſibi viam ad ius ſpirituale, quod directè conſequitur ad illam redemptionem; redemptio verò vexationis iniuſtæ non eſt primario, & directè ad talem finem, ſed ad habilitatem perſonæ ordinata, non eſt autem iniquum interuentu pecuniæ, nec ſimoniacum procurare illam perſonæ habilitatem, quæ & iuſta eſt, & pretio comparari poteſt, ſicuti non eſt ſimoniacum emere pecunia ſcientiam, & Doctoratum, vt per illam, ſeù illum reddatur quis habilis ad obtinendum beneficium quantumuis &c. Hinc

Redẽptio iuſtæ vexationis eſt principalitèr propter cõſecutionem.

Non eſt iniquũ per pecuniam procurare habilitatẽ ad beneficium.

Probatur ſecundo reſponſio. Non eſt ſimoniacum per pecuniam tollere inhabilitatem, quam quis habet ad beneficium per eam acquirendo ſcientiam, ergo neque erit ſimoniacum per pecuniam tollere impedimentum, ſeù quodamodò inhabilitatem, quæ conſurgit ex infamia per alterum iniquè allata redimendo per eandem pecuniam famam bonam &c. Antecedens communitèr admittitur etiam cum illa intentione, & ordinatione ad beneficium, & præcipuè *à Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 50. num. 23. in fin.* Conſequentia probatur, quià quis habet maius ius in fama propria, quam poſſidet, ne in ea lædatur, quam ad acquiſitionem ſcientiarum quas nondum poſſidet, ergo ſi non eſt ſimoniacum ſcientias etiam in ordine ad ſpirituale beneficium interuentu pecuniæ acquirere, & per ipſas tollere inhabilitatem, nec erit ſimoniacum propriam ſamam conſeruare, ſeù redimere etiam in ordine &c. media pecunia, & per talem redemptionem habilem &c.

Non eſt ſimonia per pecuniam acquirere ſcientias in ordine ad beneficia.

Suarez.

---

§. XVI.

An ſit ſimoniacum in iure ſpirituali quærendo redimere pecunia vexationem iniquam ab eo, qui non ſolum obeſſe, ſed etiam prodeſſe poteſt.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis 1.
Simoniacum eſt redimere pecunia talem vexationem iniquam ab eo, qui non ſolum obeſſe, ſed etiam prodeſſe poteſt 2.
Satiſfit rationi dubitandi pro contraria ſententia 3.
Soluitur quædam obiectio aduerſus noſtram ſententiam 4.
Non eſſet tamen ſimonia, ſi ille qui poteſt obeſſe, & prodeſſe non ageret, vt collator 5.

Diſquiſitio XVI. Concurrente Petro, & Iacobo ad idem Beneficium Parochiale vacans illo idoneo, iſto non item Prælatus, ad quem ſpectabat beneficium illud 1

illud conferre iniquè excipiebat contrà Petrum, vel impingendo falſum crimen, vel allegãdo falsò in idoneitatem, vel eundem per Patronum legitimè præſentatum non ex iuſta cauſa, ſed ex propriæ voluntatis arbitrio non inſtituendo, ſeù eligendo. Petrus iniquam percipiens vexationem, quam patiebatur in illo iure ſpirituali obtinendo quandam pecuniæ quantitatem eidem Prælato erogauit non formalitèr pro ipſo beneficio, ſed pro auerſione talis impedimenti, ſeù vexationis, qua mediante ſe redemit, & nihil poſteà eodem Prælato excipiente conſecutus eſt illud beneficium. Quæritur in præſenti, an per illam erogationem pecuniæ, & interuentu ipſius per illam redemptionem vexationis commiſſa fuerit in conſecutione illius beneficij aliqua labes ſimoniacæ prauitatis.

In quo cõſiſtat difficultas exponitur.

Rationes dubitandi pro ſimoniam aſſerẽtes nõ commiſſã ſimoniam.

Ratio dubitandi ex eo conſurgere poteſt, quod ex vno capite illa vexatio abſolutè iniqua ſupponitur, à qua videtur licitum vnicuique ſe ſubtrahere; ex alio illa pretij erogatio non eſt formalitèr pro ipſo iure ſpirituali, ſeù pro ipſo beneficio, ſed pro auerſione praui affectus electoris, & pro ſaturanda ipſius auaritia, vt tandem ab iniurijs deſiſtat, prout rectè videntur conſideraſſe *Adrianus quodlib. 9. Nauarrus in manuali cap. 23. num. 102. Valentia apud Suarez d. lib. 4. de ſimon. cap. 50. num. 27. in fine*, qui Suarez ſecundum quid videtur aſſentiri propriè, & ex natura ſua in illa redemptione non committi ſimoniam, quamuis poſteà ſentiat eſſe ſimoniam ſaltem de iuré poſitiuo. Nihilominus

Adrian. Nauarrus. Valentia. Suarez.

2 Reſpondeo, in data hypotheſi propriè committi ſimoniam *Innocentius in d. cap. Matthaus verſ. vel iniuſtè contradictio fiat de ſimon. Abbas, & Mar. Soc. Sen. in cap. dilectus filius eod. tit. Felinus in d. c. Matthaus num. 3. verſ. in gloſ. 1. Silueſter verb. ſimonia num. 3. verſ. quarta regula Nauarrus in comment. de dat. & promiſ. pro inſt. vel gra. not. 9. num. 16. verſ. & dixi regularitèr, Suarez d. c. 50. num. 28. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 18. num. 106. Fillintius tract. 45. cap. 11. quaeſt. 3. num. 7.* & præ cæteris, qui mihi magnam vim facit *D. Thomas ſecunda ſecundæ quaeſt. 100. art. 2. ad quintum.*

Innocentius. Abbas. Socin. Sen. Felinus. Silueſter. Nauarrus. Suarez. Leſſius. Filliuc. D. Thomas.

Hæc reſponſio firma remanet ex multis textibus iuris canonici, & primò *ex cap. Matthaus de ſimonia*, vbi cum quis fuiſſet ad Eccleſiaſticum beneficium de voluntate maioris, & ſanioris partis nonnullis tamen contradicentibus electus fuit per Pontificem declaratus ſimoniacus ex eo, quod ad ſedandam contradictionem permiſerit ſciens, vt per amicum vni ex contradictoribus erogaretur pecunia ad finem obtinendæ confirmationis, quam verè obtinuit; in hoc certé caſu ius ad beneficium non fuerat ante confirmationem plenè quæſitum, & ſic erat de iure quærendo, ſeù ad ſummum de iure incohato, non tamen perfecto; item contradictio erat ab ijs, qui non ſolum poterant obeſſe, ſed etiam prodeſſe; erant enim ex electoribus, quibus ius inerat conferendi; item vexatio erat iniuſta, quandòquidem in textu cautum eſt, quod ideò contradicerent, quia volebant pecuniam; neque dicas in eo textu conſilium dumtaxat poni, vt beneficium deponatur, non præceptum, ſicque non interceſſiſſe ſimoniam, quæ obligat ex præcepto ad deponendum; contra enim impugnaberis, quia ex alibi ſub hoc eodem titulo dictis Pontifex ibi quoad modum enuntiandi videtur inferre conſilium, cæterum quoad rem importat præceptum, cum illud exprimat ſub interminatione damnationis æternæ, aſſerit enim, *quid prodeſt homini, ſi vniuerſum Mundum lucretur, anima verò ſua detrimentum patiatur?*

Dãnatio in iure quærendo per pecuniam ad redimendam vexationem iniuſtam.

Secundò *ex cap. ſicut tuis eod. tit.* vbi cum Epiſcopus vexaret quendam legitimè electum nolens ex propriæ voluntatis arbitrio illum confirmare, & inſtituere ex motiuo hauriendi pecuniam, cum poſteà illum confirmarit, & inſtituerit accepta pecunia dictum fuit per Pontificem fuiſſe commiſſam ſimoniam, quod idem colligi poteſt ex alijs iuribus, & præcipuè *ex cap. ex hoc eod. tit.*

Alius textus idem manifeſtè euincens.

Probatur iam ratione, quià conferre pecuniam ad redimendam iniquam vexationem ab eo, qui non ſolum poteſt obeſſe, ſed etiam prodeſſe in iure ſpirituali quærendo eſt directè per ſe, & propriè conferre pro ipſo iure ſpirituali obtinendo, ergo eſt propriè ſimonia. Antecedens probatur, quia redimere talem vexationem ab eo qui non ſolum poteſt obeſſe, ſed etiam prodeſſe, nihil aliud eſt, quam ſpirituale velle conferri, ergo conferre pecuniam ad redimendam talem iniquam vexationem in iure ſpirituali acquirendo eſt directè conferre pro ipſo iure ſpirituali. Antecedens probatur, quià talis vexatio in alio non conſiſtit, quam in voluntate non conferendi, ergo redemptio vexationis talis conſiſtit in ablatione, ſeù retractatione talis voluntatis, quæ certe retractatio poni non poteſt, niſi per contrariam voluntatem nempe per voluntatem conferendi.

Talis vexatio in alio non conſiſtit, quam in voluntate non conferendi, niſi per pecuniam.

Ad rationem dubitandi, quæ in principio afferebatur dicendum eſt, quod quamuis illa vexatio ſit abſolutè iniqua, non licet tamen ipſam pecunia redimere, quià talis redemptio per ſe, & directè coniungitur cum ipſa collatione, ex quo patet diſcrimen inter redemptionem vexationis iniquæ ab eo, qui tantum poteſt obeſſe, & 3

Reſoluitur ratio dubitandi in principio propoſita.

non

non prodeſſe, & redemptionem vexationis iniquæ ab eo, qui poteſt & obeſſe, & prodeſſe; illa etenim per ſe, & directè non coniungitur cum ipſa collatione, ſed ad ſummùm remotè, ſeù remouendo prohibens, cum quo ſtat plena libertas in collatore conferendi, vel non conferendi; iſta vero per ſe, & directè coniungitur cum ipſa collatione, cum conſiſtat in voluntate retractata non conferendi, & per conſequens in voluntate conferendi. Ad id, quod ex alio capite ſubdebatur, dicendum eſt, quod quamuis illa pecuniæ erogatio ſit pro prauo affectu collatoris remouendo, quià tamen ille prauus affectus conſiſtit in voluntate non conferendi, & per talem redemptionem talis affectus retractatur, vtique poſeat contrarium actum eiuſdem voluntatis, qui non poteſt eſſe, niſi velle conferre &c.

Diſcrimẽ inter eũ, qui poteſt obeſſe, & prodeſſe, & eũ, qui poteſt ſolũ obeſſe.

4 Aduerſus hanc noſtram reſponſionem præter iam dicta in ratione dubitandi, & ſoluta ex mox dictis, hoc vnum remanet argumentum ſoluendum, quod poſita præcipuè præſentatione, & electione præſentatus, ſeù electus ius habet ad inſtitutionem, ſeù confirmationem, niſi aliquid obſtet in iure, ergo quærendo redemptionem talis vexationis, ratione cuius eidem denegatur inſtitutio, & confirmatio nullam contrahet labem, quandòquidem vtitur iure ſuo. Sed facile erit ſoluere hoc argumentum, ſi aſſeratur, confirmationem, ſeù inſtitutionem debere etiam eſſe gratuitam, & quamuis electus, ſeù præſentatus ius aliquale habeat ad illa, non tamen poteſt illam inquirere pro pretio, quod vtique ſequeretur, ſi ad remouendam vexationem quoad illam pecunia illa erogaretur; vnde iure merito dicitur *in d. Extrauag. Pauli II. inter communes de ſimonia*, quod ſimonia committatur non ſolum in præſentationibus, electionibus &c. ſed etiam in inſtitutionibus, confirmationibus &c. Quod deinde electus, ſeù præſentatus ius aliquod habeat ad confirmationem ſolum infert, quod poſſit agere ad eandem, non autem, quod poſſit ſe redimere ab illa vexatione, & per conſequens acquirere illam confirmationem per pecuniam.

Nõ ſolum præſentatio, & electio, ſed etiam cõfirmatio, & inſtitutio debet eſſe gratuita.

5 Pro complemento eorum, quæ pertinent ad hanc diſquiſitionem, ſolum remanet examinare, an ſi ille, qui in iure ſpirituali acquirendo poteſt ſimul obeſſe, & prodeſſe, quatenus eſt collator, vexat inquirentem beneficium, nõ quatenus collator eſt, ſed efficiendo id, quod efficeret alia diſtincta perſona puta infamando, aut malè inducendo alios electores, aut alijs modis communibus non electoribus; committatur ſimonia, ſi talitèr vexatus redimat ſe a tali vexatione interuentu pecuniæ. Iuxtà dicta in præcedenti paragrapho probabilius crederem in hypotheſi illa non committi ſimoniam, prout etiam ſentiunt *Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 18. Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 50. num. 28. in fine*. Ratio antem ea eſſe poteſt, quià talis collator in ordine ad talem vexationem proindè ſe habet, ac ſi eſſet diſtincta perſona, & omninò materiale eſt, quod in eadem perſona coniungatur, quod poſſit prodeſſe; ſicuti igitur ex ſuperius dictis non peccat ſimoniacè, qui ſe redimit à tali vexatione ſibi illata à diſtincta perſona valente tantum obeſſe, non prodeſſe, qnià per talem redemptionem non emitur ipſa electio, ſeù beneficium, ità nec ſimoniacè peccare dicendus eſt, qui ſe redimit à tali vexatione ſibi illata à perſona, quæ poſſit ſimul obeſſe, & prodeſſe, quandò vexat ſolummodò ſub qualitate potentis obeſſe, non prodeſſe.

Leſſius. Suarez.

Non eſſet formaliter, vt collator, ſed vt diſtincta perſona.

---

§. XVII.

An ſit ſimoniacum per pecuniam ſe redimere a vexatione ſiue iuſta, ſiuè iniuſta in iure ſpirituali iam quæſito reſpectu eius, qui poteſt ſimul obeſſe, & prodeſſe.

SVMMARIVM.

Exponitur, in quo ſenſu ſit accipiendus titulus 1.

Beneficiarius iam confirmatus, & inſtitutus poteſt ſine labe ſimonia per pecuniam ſe redimere à vexatione iniuſta, qua impeditur, ne capiat poſſeſſionem 2.

Beneficiarius iam confirmatus, & inſtitutus poteſt ſe redimere à vexatione iuſta, quandò hac reſpicit ſolum poſſeſſionem, non titulum 3.

Beneficiarius ſe redimens à vexatione iniuſta poſt obtentum etiam per poſſeſſionem beneficium, quam timet ab Epiſcopo, non eſt ſimoniacus, ſecus ſi redimat à vexatione iuſta 4.

Si beneficiarius poſt obtentum pleno iure per inſtitutionem ſcilicet, & confirmationem, & etiam poſſeſſionem beneficium, iniquè, & iuſtè eedem ſpolietur, non committit ſimoniam, ſi pro recuperanda beneficij poſſeſſione eroget, ſecus ſi iuſtè ſpolietur 5.

Diſquiſitio XVII. Inſtitutus iam fuerat, & confirmatus in certo determinato beneficio Octauius, ſed nondum poſſeſſionem beneficij, in quo inſtitutus fuerat, & confirmatus, conſecutus fuerat renuente 1

eo,

co, ad quem ſpectat, illam concedere ex quadam cauſa non manifeſtata. Ruſsùs poſt confirmationem, & inſtitutionem conſecutus etiam fuit poſſeſſionem talis beneficij, ſed cum timeret, ne per Epiſcopum priuaretur eodem, vel ne lis aliqua excitaretur contra ipſum circa beneficium, quod poſſidet pacificè, & in bona fide pecunia ſe redimere ſtuduit à vexatione illa ſibi illata in iure iam quæſito. Tandem poſt confirmationem, inſtitutionem, & poſſeſſionem iniquè eodem fuit priuatus, ſed media pecunia recuperare intendit redimendo vexationem, qua fuit illo iniquè priuatus. Hic controuertendum proponitur, an in ijs omnibus caſibus per talem redemptionem vexationis interuentu pecuniæ committatur ſimonia, ſeù fuerit commiſſa.

Sensus, in quibus poteſt examinari titulus.

Reſpondeo primò. Octauium iam confirmatum, & inſtitutum poſſe ſine labe ſimoniæ interuentu pecuniæ ſe redimere à vexatione iniuſta, qua per eum, cuius eſt in poſſeſſionem mittere, impeditur, ne eam capiat. *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. Caietanus tract. de ſimonia quæſt. 3. Nauarrus cap. 23 num. 101. Leſſius lib. 2. de iuſt. in cap. 35. dub. 18. num. 110. & canoniſtæ communiter in cap. dilectus 18. de ſimon. & in cap. Matthæus 23. eod. tit.* Ratio eſſe poteſt, quia per illam pecuniam, qua redimitur talis vexatio iniuſta, non emitur aliquod ſpirituale, ſed aliquod purè naturale, & temporale, ergo per illam redemptionem factam interuentu pecuniæ propriè non committitur ſimonia. Antecedens probatur, quia poſſeſſio ipſa ſecundum ſe non eſt aliquod ſpirituale, ſed factum quoddam temporale; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod licet poſſeſſio ſit quid merè temporale, hoc tamen temporale ſit annexum ſpirituali, quatenùs eſt poſſeſſio rei ſpiritualis, quæ propterea pretio emi non poteſt, ſicùt non poteſt emi pretio temporale, quod eſt annexum beneficijs ſpiritualibus; non, inquam, obeſſe poteſt, quandòquidem licet ſit poſſeſſio rei ſpiritualis, poſſeſſio tamen ipſa eſt à re ſpirituali ſeparabilis, & attingibilis, in tantum enim dicitur annexa ſpirituali, in quantum pendet à titulo ſpirituali, & cum iam titulus ſpiritualis ſit plenè, & completè acquiſitus per inſtitutionem, & confirmationem certè ipſa poſſeſſio, quæ eſt conſequentèr, & ſucceſſiuè acquirenda, non attingitur, vt eſt annexa eidem titulo ſpirituali, ſed per ſe ſolam, quod etiam confirmari poteſt exemplo de fructibus eiuſdem beneficij, in quibus, ſi iniuſtè beneficiarius vexetur poſt acquiſitum perfectè beneficium, & vexatio tantum ſit facti poteſt ſine labe ſimoniæ à tali vexatione ſe redimere, vt benè

D. Thomas. Caietanus. Nauarrus. Leſſius.

Poſſeſſio ipſa non eſt ſecundum ſe quid ſpirituale, ſed factū aliquod temporale.

Poſſeſſio eſt à re ſpirituali ſeparabilis.

Ratio à paritate fructuum aſſumpta

notat *TurreCremata in c. altaria 1. quæſt. 3. art. 3. & in cap. decimas 2. 16. quæſt. 7.* quia licet ſint fructus, qui pendent à titulo ſpirituali, non tamen redimuntur, vt annexi. *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 50. num. 31. in fin.*

Turre Cremata Suarez.

Probatur ſecundò, quia, ſi quis poſt obtentum completè, & plene beneficium non ſolum per inſtitutionem, & confirmationem, ſed etiam per poſſeſſionem iniquè vexetur per priuationem talis poſſeſſionis, poteſt ſine labe ſimoniæ ſe redimere interuentu pecuniæ à tali vexatione. *Gloſa in d. cap. dilectus de ſimonia.* Ibi: *Non commiſit ſimoniam, qui dat pro ſua reſtitutione officij, vel beneficij.* Item *TurreCremata in cap. nullus 1. quæſt. 1. & in cap. decimas 16. quæſt. 7.* nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem per turbationem iniquam talis poſſeſſionis non læditur in iure ſpirituali, quod completè, & plenè iam obtinuit, & quod redimitur non eſt quid ſpirituale, quidquid dicat *Vgolinus tract. de ſimonia tab. 1. cap. 9. §. 8. num. 5.* qui motus *ex cap. in tantum de ſimonia.* dixit redemptionem vexationis iniuſtæ ab acquirenda poſſeſſione beneficij iam perfectè, & completè acquiſiti factam per pecuniam eſſe ſimoniacam addens rationem, quia & poſſeſſio beneficij Eccleſiaſtici quid ſpirituale eſt. *Abbas in cap. ad aures in fin. de ſimonia, Felinus in c. dilectus filius num. 3. eod. tit. Redoanus de ſimonia 3. part. cap. 22. num. 2.* quidquid, inquam, dicat præfatus Vgolinus, quandòquidem gratis omninò dicitur, quod ipſa poſſeſſio ſit quid ſpirituale, cum non ſit talis per ſe, ſed ſolummodò denominatiuè, quatenus eſt annexa eidem beneficio, ſeù titulo ſpirituali, à quo poteſt ſeparari modo prædicto, ergo etiam, ſi poſt obtentum beneficium per confirmationem, & inſtitutionem vexetur iniquè in adeptione poſſeſſionis eiuſdem, poterit ſe ſine labe ſimoniæ media pecunia redimere à tali iniqua vexatione. Conſequentia probatur, quia dato ſemel, quod poſſeſſio ſecundum ſe ſumpta poſſit ſine ſimonia acquiri media pecunia, parum referre poſſe videtur, quod media illa acquiratur, vel poſt beneficium obtentum ante acquiſitionem eiuſdem, vel etiam poſt acquiſitionem eiuſdem, & priuationem per recuperationem, ſiquidem in vtroque caſu eſt ſeparata à ſuo titulo, & ſecundum ſe eſt quoddam factum merè temporale.

Poteſt ſe redimere à vexatione ad recuperandam poſſeſſionem.

Turre Cremata. Vgolin.

Abbas. Felinus Redoan

Suppoſitā ſeparabilitate parū refert, quod vexatio redimatur, ſiuè ante, ſiuè poſt acquiſitā poſſeſſionē

Dices, ius ſpirituale quoad beneficium acquiſitum per confirmationem, & inſtitutionem non eſt plenum, & perfectum, niſi ſit firmatum per poſſeſſionem, ergo per acquiſitionem poſſeſſionis acquiritur ius ſpirituale perfectum, & completum, quatenus completur per ipſam poſſeſsionem,

ergo committitur ſimonia, dum pretio acquiritur talis poſſeſſio, ſiquidem per ipſam acquiritur ius in re ſpirituali completum. Antecedens probatur, quià ius beneficiarij non completur, nec firmatur, niſi per poſſeſſionem, nam ſicuti ante ipſam non tenetur ad penſum canonicarum precum, vt videntur communitèr ſuſtinere Doctores, ità nec videtur habere ius ad commoda eiuſdem beneficij ante adeptam eandem poſſeſsionem, ſed ſolùmmodò ius quoddam imperfectũ; ex quo ſequitur, quod ius dumtaxat perfectum acquirat per adeptionem poſſeſſionis. Sed contrà, quià quoad eſſe ſpirituale per ſolam inſtitutionem, & confirmationem iam eſt completum, per poſſeſſionem autem non perficitur, niſi quoad ſubſequentia temporalia, ſicque per poſſeſſionem ius ſpirituale non firmatur in ordine ad ſe, ſed dumtaxat in ordine ad factum temporale, per quod propterea, ſi pretio acquiratur, non conſtituitur ſimonia, quià per illud non acquiritur aliquid ſpirituale, vnde merito dixit *Leſſius d. lib. 2. cap. 35. dub. 18. num. 110. verſic. ſed communis ſententia*, quod accedente noua poſſeſſione non accedat noua ratio ſpiritualis.

Per poſſeſſionem nõ perficitur, niſi quoad ſubſequentia temporalia.

Leſſius.

3 Reſpondeo ſecundò. Octauium iam confirmatum, & inſtitutum poſſe etiam ſine labe ſimoniæ ſe interuentu pretij redimere à vexatione iuſta circa poſſeſſionem, quandò talis vexatio eſt ſolummodò circà poſſeſſionem, nullo autem modo concernit titulum. In hanc ſententiam exiſtimo propendere *Nauarrum d. cap. 23. num. 102. verſ. octauo, Cardinalem in cap. ad aures de ſimonia Alexand. de Neap. in addit. ad Abbat. in d. cap. dilectus eod. tit. Maiorem in 4. diſt. 25. quæſt. 5. ad ſecundum, Summam Piſanam verb. ſimonia* 1. Ratio primæ partis ex eo deduci poteſt, quod ex ſuperiùs dictis eadem poſſeſſio ſecundum ſe eſt quid merè temporale, ergo illam acquirere pro pretio non eſt ſimoniacum. Rurſus ex eo, quod vexatio, ſeù impedimentum quoad illam ſit iuſtum, non efficit, quod eadem poſſeſſio ſecundum ſe ſit quid ſpirituale, quinimmò ex eo, quod ſit iuſta, exigit, quod ſuadente iuſtitia redimatur, nec ex eo, quod redimatur, ſequitur, quod ematur ipſum ius ſpirituale, quandòquidem èſt perfectè acquiſitum ante ipſam, ergo per redemptionem eiuſdem factam interuentu pecuniæ non conſtituitur ſimonia.

Nauarrus. Cardinalis. Alexander. Abbas. Maior. Summa Piſana.

Ex eo, quod vexatio ſit iuſta, non efficit, quod poſſeſſio ſit quid ſpirituale.

Ratio ſecundæ partis eſt, quià quotieſcunque talis vexatio iuſta eſt, & attingit etiam titulum ſpiritualem, efficit, quod talis titulus non ſit cum pleno, & perfecto iure in ipſo beneficiario, ergo, ſi redimeret talem vexationem per pecuniam, propriè committeret ſimoniam. Antecedens probatur, quia ius non eſt apud aliquem plenè, & completè, quandò eſt ſub diſſidio, & poteſt legitimè controuerti *Abbas in cap. cum pridem nu. 9. de pactis, Felinus in cap. dilectus filius 1. num. 3. verſ. tertio limita de ſimonia Rebuffus eod. tit. num. 18. verſ. not. perpetuo*, & hoc idem ſentiunt omnes, qui ſuſtinent inter cæteras conditiones requiſitas ad licitè redimendam vexationem in iure ſpirituali quæſito, hanc eſſe, vt illud ius ſit certum, & indubitatum *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 50. num. 11. Reginaldus lib. 23. dub. 3. num. 131. Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 84. ſect. 12. n. 257. & 268.* Conſequentia probatur, quià talis redemptio nedum attingeret poſſeſſionem, ſed etiam ipſum ius ſpirituale reddendo ipſum certum de incerto, ſeù dubio, ſed acquirere ius certum ſpirituale pro pecunia, ſeù interuentu pecuniæ eſt ſimoniacum, ergo &c.

Ius nõ eſt apud aliquem plene, quando eſt ſub diſſidio.

Abbas. Felinus. Rebuffus. Suarez. Reginaldus. Ognate.

Reſpondeo tertiò. Octauius ſe redimendo à vexatione, quam rationabilitèr timet ab Epiſcopo poſt obtentum plenè, perfectè, ſeù cum pleno iure beneficium, & etiam acquiſitam poſſeſſionem ſe habiturum iniquè, & dumtaxat ex prauo affectu, & voluntate eiuſdem non committit ſimoniam, ſi id præſtet interuentu pecuniæ, ſecus ſi timeat talem vexationem ſibi iuſtè faciendam. Prima pars eſt *D. Thomæ ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 2. ad quintum Soti lib. 9. de iuſt. quæſt. 6. art. 1. Redoani tertia part. cap. 22. num. vlt. Suarez lib. 4. cap. 50. num. 2. Nauarri conſ. 31. per cap. dilectus el 2. de ſimonia Azorij tertia part. lib. 12. c. 3.* Secunda pars eſt implicitè eiuſdem *D. Thomæ loc. cit. Nauarri in conſ. 41. num. 1. de ſimonia lib. 5. & in conſ. 55. eod. Abbatis in cit. cap. cum dilectus num. 4. verſ. ſi verò iuſtè vexatur, Mar. Soc. Sen. ibid. num. 6. verſ. ſi verò iuſtè, Gulielmi Redoani in tract. de ſimonia tertia part. cap. 22. in princip. verſ. quarto, Vgolini de ſimon. tab. 1. cap. 9. §. 8. num. 7.* 4

D. Thomas. Sotus. Redoan. Suarez. Nauarrus. Azorius. D. Thomas. Nauarrus. Abbas. Mar. Soc. Sen. Redoan. Vgolin.

Ratio primæ partis ea eſſe poteſt, quià illa pecunia, quæ erogatur pro tali vexatione redimenda, non reſpicit tanquàm ſuum correlatiuum, ſeù tanquam rem venalem aliquod ius ſpirituale, ſed remotionem iniuriæ, quæ eſt quid merè temporale, illatæ per talem vexationem, ergo per illam non committitur aliqua ſimonia. Antecedens probatur, tùm quià per illam erogationem pecuniæ erogans nihil ſpirituale de nouo acquirit, cum iam plenè illud ius ſpirituale poſſideat; tùm quia erogatur pro eo, de quo poteſt timere; non poteſt autem timere de iniuſtitia inſtitutionis, cum ſupponatur omninò iuſta, ſed ſolummodò de curis, quibus affici poteſt per talem vexationem.

Correlatiuũ talis redẽptionis non eſt quid ſpirituale.

Dices, per illam redemptionem vexationis principalitèr ſibi acquirere confirmationem, ſeù maius ius in beneficio,

adcò-

adeòque aliquid ſpirituale, ſicque per illam pecuniam in ordine ad illum finem erogatam committere Simoniam. Sed contrà, quià, cum illa vexatio ſit ex omni parte iniuſta, vt ſupponitur, non confert aliquod ius legitimum ſuprà ius, quod iam acquiſitum eſt, ſi redimatur, ſed dumtaxat abrogat moleſtiam, quæ ab altero iniuſtè infertur, vndè, ſi auferretur per illam beneficium, eſſet ſpolium, & iniuſta vſurpatio, non priuatio iuris, quod virtualitèr in eodem perſeueraret, ſicque, dum redderetur, non eſſet noua collatio, ſed continuatio prioris remota illa moleſtia, ex quo ſequitur, quod illa redemptio vexationis non ſit confirmatio, ſed dumtaxat ablatio iniuſtæ moleſtiæ, ſeù iniuriæ, quod colligitur ex eo, quod ſublata illa moleſtia beneficiarius ipſe non indigeret noua collatione, & inſtitutione.

Si auferretur per illam beneficium eſſet ſpoliū, nō priuatio iuris.

Ad hæc, quæ dicta ſunt in præſenti reſponſione multùm conferre poſſunt variæ diſpoſitiones iuris canonici, & primò *in d. cap. dilectus 1. de ſimonia*, vbi cum quidam Præpoſitus varijs grauaminibus affligeretur, vt ſe redimeret pecuniam promiſit, & ſoluit, qui non fuit per Pontificem, vt ſimoniacus damnatus, ſed potius ordinatum, vt cogeretur vexans non vexare, ſed ſtare promiſſis de non vexando. Secundò *in cap. quæſitum 1. quæſt. 3.* vbi quidam Religioſi redimentes quaſdam preſſuras, quas ſuſtinere cogebatur ab Epiſcopis, non damnantur tanquam ſimoniaci, quod idem colligi poteſt ex pluribus alijs iuribus, quæ vos ipſi conſulere poteſtis apud Auctores.

[illegible] ex diſpoſitione iuris.

Ratio ſecundæ partis eſſe poteſt, quià quotieſcunque vexatio iuſta eſt, quæ infertur, vel rationabilitèr inferri poteſt, arguit ius, quod per beneficiarium quæſitum eſt, non ſit plenum, & completum, quandòquidem ſubeſſe poteſt legitimæ diſputationi, & controuerſiæ, nec idem ius poteſt eſſe plenum, completum, & iuſtum, & ſimul iuſtè vexari, ſiquidem non poteſt dari pugna ex vtraque parte iuſta, ergo ſi redimatur, per talem redemptionem acquiritur ius plenum, & perfectum, quod antecedentèr non erat, ergo, ſi talis redemptio fiat per pecuniam, erit abſolutè ſimoniaca; Hæc ſecunda conſequentia facilè ſic euincitur, quia per talem redemptionem attingeretur, ſeù acquireretur ius ſpirituale, vt per ſe patet.

Non poteſt ius eſſe plenū, & iuſtum cū iuſta vexatione.

Ex dictis in hac reſponſione facile erit colligere, quod, ſi ius ſpirituale quæſitum ſit dubium, nequeant vexationes circà illud redimi propter rationes mox inſinuatas, quià ſcilicet per pecuniam acquireretur ius ſpirituale plenum, & perfectum, quod prius non erat, prout rectè adnotauit *Ognate d. tract. 23. de ſimonia diſp. 84. ſect. 12. ſecunda part. num. 268.* & cum eo alij omnes ſupra allegati pro ſecunda parte huius reſponſionis.

Si ius ſpirituale quæſitum ſit dubiū nequeunt vexationes per ſimoniam redimi.

Reſpondeo quartò. Si Octauius poſt obtentum pleno iure per inſtitutionem ſcilicet, & confirmationem beneficium, & item poſt poſſeſſionem eiuſdem, iniquè, & iniuſtè eodem ſpolietur, non committit ſimoniam, ſi pro ſe eximendo ab iniuſta vexatione, ſeù pro recuperando beneficio, quo iniquè ſpoliatus eſt, pecuniam eroget, ſecus ſi iuſtè ſpolietur, ſeù fuerit ſpoliatus. Conformis eſt ijs, quæ diximus ſuprà *in hoc eod. §. in reſp. 3. verſ. dices in fin.* aduerſus *Vgolinum d. tab. 1. cap. 9. §. 8. num. 6.* qui pro ſe citat licet immeritò *Innocentium in cap. ad aures in fin. de ſimonia, & Gloſſam in cap. diximus 16. quæſt. 7.* 5

Vgolin. Innocentius. Gloſſ.

Probatur prima pars, quià per illam iniquam ſpoliationem, ſeù vexationem ad ſummùm ſpoliatus, ſeù vexatus intelligitur priuatus poſſeſſione, non autem iure illo ſpirituali, quo gaudebat, ergo illam pecunia redimendo non peccat ſimoniacè. Conſequentia tenet, quià ex ſuperius probatis poſſeſſio illa non eſt quid ſpirituale, ſed factum quoddam temporale, ergo, ſi illa recuperetur pretio, non committetur ſimonia. Primum antecedens probatur, quià priuatio facta contra omnem iuris ordinem non eſt priuatio, ſicutì ſententia, quæ eſt contrà iura, & canones, non eſt ſententia iuxtà vulgata iura, ſed illa eſt quoddam iniquum ſpolium, ſed per ſpolium non priuatur quis iure proprietatis, cum ſpolians non acquirat ius illud, ſed tantum vſurpet poſſeſſionem, vndè iure merito dicitur, quod ſpoliatus debeat reſtitui ante omnia *l. ſi quis ad ſe fundum C. ad leg. Iul. de vi. Oldrad. conſ. 223. incip. iſta ſunt allegationes, & omninò per Alexandrum in l. naturalitèr §. nihil commune de acq. poſ.*, quod intelligendum eſt vſque ad minimum quadrantem tùm poſſeſſionis, tùm fructuum *Iaſon conſ. 172. col. 2. vol. 4. Ioannes Cephalus conſ. 236. num. 12. vol. 2.* quod non alia ratione exiſtimo prouenire, niſi quatenus proprietas, ſeù ius adhuc remanet penès ſpoliatum.

Poſſeſſio nō eſt aliquid ſpirituale, ſed factū quoddam temporale.

Oldrad. Alexander. Iaſon. Cephalus.

Probatur ſecunda pars, quià ex ſuperius dictis vexatus in iure ſpirituali iam perfectè quæſito per inſtitutionem, & confirmationem vexatione iuſta, antequam priuetur tali iure, non poteſt ſe redimere per pecuniam à tali vexatione ſine labe ſimoniæ per ea, quæ ibi notauimus ex mente *D. Thomæ ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 2. ad quintum Nauarri conſ. 41. num. 1. de ſimonia lib. 5. & aliorum*, ergo a fortiori vexatus in tali iure vexatione iuſta, eoque de facto priuatus interuentu pecuniæ, non poterit ſe redimere a tali vexatione recuperando

D. Thomas. Nauarrus.

ius, quod prius amiſerat. Conſequentia probatur, quia fortius ius beneficiato exiſtit, quandò retinet beneficium, ac quandò non retinet, ſed ipſo eſt iuſtè priuatus, ergo, ſi quandò adhuc retinet, & iuſtè vexatur, non poteſt à tali vexatione ſine labe ſimoniæ ſe redimere, multò minus poterit ſine illa ſe redimere, quandò adhuc non retinet, ſed illo eſt ſpoliatus.

Fortius ius beneficiario aſſiſtit, quandò retinet beneficiũ, ac quandò non retinet.

§. XVIII.

An ſit ſimoniacum offerre pecuniam Collatori, ne eligat indignum.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus controuerſiæ, & Doctores de ipſa agentes 1.

Offerens pecuniam collatori, ne eligat indignum, non eſt ſimoniacus 2.

Licitum eſt etiam erogare pecuniam collatori, ut eligat dignum, vel digniorem non deſignando perſonam in particulari, ſed quodamodò in communi 3.

1 DIſquiſitio XVIII. Concurrentibus pluribus ad idem beneficium Parochiale vacans elector, ſeù collator ſtatuerat illud vni ex concurrentibus conferre, qui nedum comparatiuè ad cæteros, ſed etiam abſolutè non idoneus ad illud habebatur. Alter ex illis, vel fortè etiam tertia quædam perſona præuidens futuram illam non idonei electionem quandam pecuniæ quantitatem electori, ſeù collatori obtulit, & contulit, ne eum eligeret, ſeù ne beneficium eidem conferret. Orta fuit hic controuerſia, an per talem pecuniæ oblationem, ſeù collationem commiſſa fuerit ſimonia. Agunt fusè de hac controuerſia *Maior in 4. diſt. 25. quæſt. 5. ad ſecundum, Sotus lib. 9. de iuſtitia quæſt. 6. art. 1. Caietanus de ſimon. quæſt. 3. Suarez lib. 4. cap. 50. num. 36. Bonacina quæſt. 6. puncto 5. num. 11. & alij*, qui magis communitèr ſuſtinent, in ea hypotheſi nullam committi labem ſimoniæ.

Maior. Sotus. Caietanus. Suarez. Bonacina.

2 Reſpondeo iuſtè, & rationabilitèr hos omnes ſentire. Ratio ex eo deſumitur, quia per illam ſolutionem nec emitur, nec acquiritur aliquid ſpirituale, ergo non committitur ſimonia. Antecedens probatur, quia illa oblatio, & ſolutio non reſpicit beneficij collationem, ſed potius non collationem faciendam indigno, ergo per illam non emitur, nec acquiritur aliquid ſpirituale; Neque dicas, talem pecuniam dari pro non vſu ſpiritualis poteſtatis, ſed non vſus actuum ſpiritualium procedens à poteſtate iuriſdictionis ſunt regularitèr materia ſimoniæ *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 3. ad quartum, & in 4. diſt. 25. quæſt. 3. art. 2. quæſt. 2. ad ſextum Gloſſa in cap. nemo verb. vtrumque de ſimonia Paludanus in 4. diſt. 25. quæſt. 5.* quod nos etiam latè commendauimus *ſuprà ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimonia Pranot. 21. aſſert. 2. ex d. cap. nemo de ſimonia*, & ex alijs rationibus ibidem adductis, ergo talis pecunia offertur, ſeù ſoluitur pro aliquo, quod eſt materia ſimoniæ, adeòque ipſa ſolutio eſt ſimoniaca; contrà enim impugnaberis, quià non eſt non vſus ſimplicitèr ſpiritualis poteſtatis, ſed dumtaxat non exercitium illius, quod ſine prauitate exerceri non poteſt, ſicque illa pecunia datur pro deſiſtendo ab iniquitate, quod iuſtum eſt; conferre etenim indigno, iniquum eſt, & indignum, non conferre verò maximè dignum, quia eſt ceſſare ab iniquitate; Ad id, quod dicebatur ex mente D. Thomæ, aliorumquè citatorum, & ex ijs, quæ nos etiam commendauimus loco citato dicendum eſt, ea vera eſſe, quià procedunt de non vſu ſimplicitèr, non autem de deſiſtentia ab iniquitate, quod præcipuè colligitur *ex d. cap. nemo de ſimonia*, vbi dumtaxat negatio abſolutionis dicitur ſimoniaca, quandò Sacerdos dignè pænitentem a reconciliatione remouet, quod non intelligendum eſſet, ſi remoueret non pænitentem, ſeù indignè pænitentem. Deindè ille non vſus in caſu, de quo loquimur, non eſt actus ſpiritualis iuriſdictionis, ſed arbitrium voluntatis collatoris, quæ excitatur per pecuniam à non exercenda iniquitate, quam exercèret conferendo indigno.

Non reſpicit collationem, ſed potius non collationem faciendam indigno.

D. Thomas. Gloſſa. Paludanus.

Illa pecunia datur pro deſiſtendo ab iniquitate.

Inſtantia ex Doctoribus deſumpta, illuſq; ſolutio.

Ille non vſus eſt arbitrium voluntatis.

Probatur ſecundo eadem reſponſio, quià ius eſt in Eccleſia, vt non eligantur indigni, quinimmò nec minus digni, vt colligitur *ex Trident. ſeſſ. 24. cap. 18.* Ibi *Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit atque illi, & non alteri collatio Eccleſiæ fiat*, cui Concilij decreto adhærens Sanctiſſimus D. N. Innocentius XI. Pontifex nunc regnans in generali Congregatione S. Rom., & vniuerſalis Inquiſitionis habita feria 5. die 2. Martij 1679. damnauit tanquam ſcandaloſam in praxî, & Reipublicæ pernicioſam propoſitionem illam, quæ eſt in ordine quadrageſima ſeptima, qua dicitur, *Cum dicit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes moralitèr peccare, qui niſi quos digniores, vel Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint ad Eccleſias promouent, concilium vel primò videtur per hos digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparatiuo pro poſitiuo, vel ſecundo locutione minus propria ponit digniores, vt excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concurſus*, ergo, quomodocunque

Ius eſt in Eccleſia, vt non eligantur indigni.

Damnatio Innocentij XI.

hoc

hoc Eccleſiæ ius lædatur licitum vnicuique erit Eccleſiæ ius redimere, adeóque ſine labe ſimoniæ.

Dices, iniquus vexator illius iuris, quod habet Eccleſia, ne beneficia conferantur indignis, vel etiam minus dignis per voluntatem conferendi non idoneo, & indigno peccat peccato ſimoniæ accipiendo pecuniam, vt deſiſtat à vexatione, & læſione illius iuris, ergo etiam tali peccato peccat ille, qui per pecuniam redimit illam vexationem, ſeù læſionem iuris. Antecedens probatur, tùm quià accipit id, quod nequit accipere iuſtè, tùm quia accipit pro materia vexationis, quæ eſt ſpiritualis, nempè ius illud Eccleſiaſticum. Sed contra negandum eſt antecedens, nam licet iniquè accipiat, non tamen accipit pro materia ſpirituali, quandòquidem id, pro quo accipit, non eſt quid ſpirituale, cum nihil aliud ſit, quam depoſitio voluntatis prauæ conferendi indigno contrà diſpoſitionem iuris, quæ depoſitio eſt effectus merè naturalis. Quod autem iniquè accipiat, & per conſequens peccet peccato iniuſto, facile liquet ex eo, quod pecuniam extorqueat quodamodò ex motiuo, ex quo non poteſt exigere, adeòque per iniuriam, & quodamodò inuoluntariè; & coactè ab eo, à quo exigit. Ad id, quod ſubditur, quod ſcilicet accipiat pro materia ſpirituali, dicendum eſt, quod exigat quidem pro materia, quæ eſt circà ſpiritualia obiectiuè, non autem pro materia, quæ ſit formaliter, & in ſe ſpiritualis, cum hæc, vt aſſerebam, nihil aliud ſit, quam depoſitio voluntatis prauæ &c.

Inſtantia aduerſus reſponſionem, eiuſque confutatio.

3 Hic oritur difficultas, an ſi licitum eſt, vt mox diximus, erogare pecuniam collatori, vt deſiſtat ab electione indigni, licitum etiam ſit erogare, vt eligat dignum, vel digniorem non deſignando perſonam particularem, ſed quodamodò in communi. Excitatur hæc difficultas à *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 56. num. 36.* quam latè diſcutit, & tandem propendet in partem aſſerentem eſſe licitum, quem tamen non valdè commendat *Bonacina tract. de ſimonia quæſt. 7. punct. 5. num. 11.* aſſerens, quod tunc pecunia non datur ad remouendam voluntatem ab indigno, ſed ad electionem digni, quæ certè eſt functio ſpiritualis Eccleſiaſtica, pro qua propterea, ſi detur pecunia, committitur ſimonia. Nihilominus ſtandum eſt Suareſio, cum quo conſentiunt *Maior in 4. diſtinctione 25. quæſt. 5. ad ſecundum, Caietanus de ſimonia quæſt. 3. Sotus lib. 9. de iuſt. quæſt. 6. art. 1. ad quintum.* Ratio eſt, quia ſuppoſita voluntate electorum eligendi, & iure Eccleſiaſtico obligante ad eligendum ſoluere pecuniam ad eum effectum, ne eligantur indigni, ac ſoluere ad effectum, vt eligantur digni in re paria ſunt, ergo, ſi non eſt ſimoniacum per ſuperius probata erogare pecuniam collatori, ne conferat beneficium indignis, neque erit ſimoniacum erogare, vt conferat ſolum dignis in communi non exprimendo aliquam determinatam perſonam. Antecedens probatur, quià ſuppoſita determinatione ad eligendum, hoc, quod eſt conferre ſolum dignis, conſequitur neceſſariò ex natura oppoſitionis ex hoc, quod nequeat conferre indignis, ergo ſi per pecuniam poteſt obligari ad non conferendum indignis, poterit ex conſequenti obligari ad conferendum dignis in communi; neque hoc eſt, vt male ſupponebat *Bonacina loc. cit.* conferre pecuniam pro electione ad ſpiritualia, quod certe diceret ſimoniam, ſed conferre pro determinatione voluntatis, quæ ſecundum ſe erat inclinata ad oppoſitum, ad non conferendum indignis, quod licitum vtique eſt ex ſuperius probatis, ex quo poſtea ſequitur ex natura ſua, quod debeat conferre ſolum dignis ſuppoſito, quod ſecundum ſe teneatur ſimpliciter conferre; vnde intrinſecè illa ſolutio eſt ſolummodò ad abſtrahendam voluntatem ab omnibus indignis, ad quod ex neceſſitate poſteà conſequitur, quod ſolum dignis debeat fieri collatio.

Suarez. Bonacina. Suarez. Maior. Caietanus. Sotus.

Paria ſūt ſoluere, ne eligant ur indigni ac vt eligātur digni.

Illa ſolutio eſt ſolummodò ad abſtrahēdā voluntatem ab obtentis indignis.

---

§. XIX.

An ſit ſimoniacum conferre pecuniam collatori, ne eligat indignos, quandò ex tali conditione conſequitur, quod electio non poſſit cadere, niſi in determinatam perſonam, vel conferentis pecuniam, vel alterius.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus controuerſiæ 1.
Rationes dubitandi circà quæſitum 2.
Varij ſtatus, ſecundum quos poteſt examinari 3.
Vno dumtaxat exiſtente, qui dignus ſit Pontificalis dignitatis alijs indignis, non eſt ſimonia offerre pecuniam, vt eligatur dignus formalitèr 4.
Exiſtentibus pluribus dignis, & vno tantum digniore non eſt ſimonia pecuniam offerre, vt eligatur dignior 5.
Eſt aliquod illicitum offerre pecuniam, vt eligatur dignus, vel dignior non tantum formalitèr ſub ratione digni; vel dignioris, ſed etiam materialitèr ſub ratione Petri 6.

Non

Non eſt ſimoniacum etiam in alijs dignitatibus conferre pecuniam electori, ne eligat indignos, quandò vnus tantum eſt dignus 7.

Excipe, ni ſolueret cùm illa expreſſa, & materiali deſignatione, ſeù conuentione talis determinata perſona. Ibid.

Non eſt etiam ſimoniacum, ſi quis ſoluat pecuniam, ne eligantur indigni, quandò ſolus ipſe ſoluens eſt dignus 8.

In hac tamen ſuppoſitione eſſet vehemens præſumptio ſimoniacæ prauitatis 9.

Plura concurrunt ad cohoneſtandam redemptionem vexationis in electione Summi Pontificis, & in electione ad alias dignitates, & quænam 10.

1 DIſquiſitio XIX. Vacante quodam beneficio conferendo ſolummodò per concurſum duo dumtaxant concurrebant ad ipſum, ſeù poterant concurrere, cum alij eiuſdem non eſſet capaces, ſed alter ex illis duobus non erat idoneus, & dignus, alter verò idoneus. His poſitis alter, qui erat idoneus, & dignus obtulit electori pecuniam, ne eligeret non idoneum; vel alius etiam ab ipſo eodem idoneo inſcio illam fecit oblationem, ex qua ſecutum eſt, quod ipſe idoneus fuit electus. Orta hic fuit controuerſia apud magni nominis Doctores, an per illam oblationem, & ſolutionem factam, vel ab ipſo idoneo, vel ab alio ipſo inſcio commiſſa fuerit ſimonia.

2 Ratio dubitandi potiſſimum ex eo conſurgit, quod in ea hypotheſi videtur inſeparabilis redemptio vexationis ab emptione rei ſpiritualis, quandòquidem eo ipſo, quod duo tantum ſint eligibiles, & per illam redemptionem excludatur vnus ex illis ob inidoneitatem neceſſariò ſequitur, quod alter ſit eligendus, & ſic alterius excluſio, quæ fieret per redemptionem, neceſſariò connectitur cum incluſione, ſeù electione alterius; quandòcunque autem vnum ità connectitur cum altero, vt nequeant ad inuicem ſeparari, ſequitur neceſſariò, quod qui vult vnum neceſſariò debeat velle, &
3 alterum, & ſic qui pecunia vult excluſionem vnius eadem ex neceſſitate vult incluſionem alterius, quod non poteſt eſſe, niſi per ſimoniacam prauitatem.

Videtur in hoc caſu inſeparabilis redeptio vexationis, & emptio beneficij.

Hæc difficultas, quæ potiſſimum excitatur à *d. Caietano de ſimonia d. quæſt. 3. Soto lib. 9. de iuſtit. quæſt. 6. art. 1. ad quintum Nauarro d. cap. 23. nu. 102. verſ. octauo* in ordine ad electionem Summi Pontificis controuertitur apud Auctores, an ſit etiam extendibilis ad alias electiones Præbendarum, Canonicatuum, vel etiam Epiſcopatuum &c. quatenus ea, quæ dicuntur in ordine ad Pontificatum, ſint etiam applicabilia in ordine ad alias dignitates, ſeù officia Eccleſiaſtica. Circa quam difficultatem *Valentia tom. 3. diſp. 6. quæſt. 16. punct. 3. verſ. prima eſt Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 19. per tot.* extendunt ad quamcunque dignitatem, ſeù officium Eccleſiaſticum ſpirituale, alij verò inter quos *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 50. num. 42.* in aliquibus difficultatem extendunt ad omnes Eccleſiaſticas dignitates, in aliquibus ad ſolum Pontificatum reſtringunt, circà quæ ſermo erit infrà vberior. Interim pro ſolutione difficultatis in genere

Caietanus. Sotus. Nauarrus.

Excitatur controuerſia potiſſimè in ordine ad electionē Summi Pontificis.

Valentia. Leſſius. Suarez.

Aduerte, hanc controuerſiam poſſe ex- 5
tendi non ſolum in caſu, quod vnus tantùm eſſet idoneus, & cæteri non idonei, ſed etiam in caſu, quo vnus eſſet magis idoneus, reliqui verò non abſolutè non idonei, ſed dumtaxat comparatiuè ad illum minus idonei, adeò vt non ſolum poſſit fieri oblatio, ſeù ſolutio ſub hac conditione, vt non eligantur indigni exiſtente digno, ſed etiam ſub hac alia, vt non eligantur minus digni, ſeù minus idonei exiſtente magis idoneo, & digniori. Porrò exiſtente tantùm vno digno reliquis indignis, vel vno dumtaxat digniori reliquis minus dignis, vel poteſt fieri illa oblatio, ſeù ſolutio pecuniæ, ne eligantur indigni, vel minus digni, ſed dignus, vel dignior ſub ratione tantum digni, vel dignioris formalitèr, & non materialitèr ſub ratione Petri, vel Pauli, vel ſub ratione digni, & dignioris non ſolum formalitèr, ſed etiam materialitèr deſignando determinatam perſonam, quæ ſit digna, vel dignior; ſub primo reſpectu videtur quodamodò in illa oblatione fieri ſeparatio vexationis ab emptione rei ſpiritualis, ſeù ab electione ſpirituali, quià præciſè attingitur qualitas requiſita ad perſonam eligendam; ſub ſecundo non videtur poſſe cadere illa ſeparatio, quia per illam oblationem ſit applicatio illius qualitatis requiſitæ ad talem determinatam perſonam. His pro notitia ſuppoſitis

Verſ ſtatus, ſecùdum quos procedit examinari quæſitũ.

Deſignatio perſonæ dignioris, vel poteſt eſſe materialitèr, vel formalitèr, & quomodò.

Reſpondo primò, exiſtente dumtaxat 4
vno, qui dignus ſit Pontificalis ſummæ dignitatis reliquis omnibus indignis poteſt ſine labe ſimoniaca fieri illa oblatio pecuniæ, ne eligantur indigni, ſed tantum dignus non applicando illam dignitatem tali determinatæ perſonæ. *Sotus d. lib. 9. de iuſt. quæſt. 6. art. 1. ad quintum, Nauarrus cap. 23. num. 102. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 19. num. 114. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 50. num. 39.*

Sotus. Nauarrus. Leſſius. Suarez.

Non moueor ad hanc reſponſionem ea ratione, qua mouetur *Sotus loc. cit.* dum dicit, emptionem rei ſpiritualis non eſſe ità ab intrinſeco malam, vt non poſſit in caſu extremæ neceſſitatis honeſtari; talis autem extrema neceſſitas vrget in Eccleſia Dei, quando nonniſi vnus dignus reperitur, qui

propter

Ratio quam adducit Sotus inefficax ad intentum.

propter hanc rationem vlterius dicit, quod in eo caſu non ſolum licitum ſit erogare pecuniam, ne eligantur indigni, ſed ſolum dignus, quod eſt quædam ſpecies redemptionis, ſed etiam poſitiuè emere talem electionem, ſeù Pontificatum ipſum pro tali perſona. Non moueor, inquam, hac ratione, quià vt latè dixi *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimonia Prænot. 2. aſſert. 1. verſ. abſolutè ſentio* iuxtà mentem *D. Thomæ in 4. diſtinct. 5. quæſt. 2. art. 2. & diſtinct. 25. quæſt. 3. art. 2. & aliorum ibi citatorum* ſimoniã, vt ſimonia ità eſt abſolutè mala, vt nulla ratione poſſit ipſius malitia impediri, & ibi quoad hanc intrinſecam turpitudinem fuit comparata malitiæ periurij, & mendacij, quæ in nullo vnquam caſu, vt talia ſunt, poſſunt non eſſe mala, ſed quotieſcunque emitur Pontificatus, vt talis eſt, per pecuniam verè propriè, & formalitèr committitur ſimonia, quandòquidem Pontificatus ſecundum ſe eſt quid ſpirituale, & electio ad eundem eſt actus ſpiritualis poteſtatis a Deo immediatè conceſſæ, vt ex ſe patet, ergo in nullo vnquam caſu poteſt ipſius malitia impediri. Confirmatur, quià periurium, & mendacium, qua talia formalitèr ſunt, in nullo vnquam caſu etiam extremæ neceſſitatis poſſunt non eſſe peccaminoſa, ergo etiam ſimonia, qua &c.

D. Thomas.

Pontificatus, vt talis, eſt materia propria ſimoniæ.

Explicatur quomodò ſit ſeparabilis redemptio vexationis ab ipſa actuali electione.

Moueor igitur ad illam reſponſionem hac ratione, quià per illam ſolutionem non aliud intenditur, quam redemptio vexationis, & ſola negatio non faciendi iniuriam Eccleſiæ, vel eligendo, non autem poſitiua, & directa emptio illius iuris ſpiritualis, ergo propriè, & in rigore non committitur ſimonia. Conſequentia tenet, quià quotieſcunque ſeparabilis eſt redemptio vexationis, & negatio faciendi iniuriam Eccleſiæ ab ipſa actuali electione, non committitur ſimonia per ſolutionem, quandò hæc reſpicit illam redemptionem, non electionem, ſiquidem non reſpicit quid ſpirituale, ſed merè temporale; Neque dicas in hac hypotheſi, de qua loquimur, non poſſe præcindi illam redemptionem vexationis à formali electione, quià cum ſit onus eligendi, quod vitari non poſſe ſupponitur, non poteſt poni talis redemptio, quin etiam ſequatur immediatè, & ex neceſſitate electio; contrà enim impugnaberis, quia ille finis redemptionis vexationis, & negatio faciendi iniuriam Eccleſiæ habentis ius, vt non eligantur, niſi digni, eſt ſeparabilis ab ipſa emptione electionis, ſeù rei ſpiritualis, & licet in hoc particulari caſu ipſa electio naturalitèr conſequatur ad illam redemptionem omnino per accidens eſt, & contingens ex defectu aliorum ſubiectorum idoneorum, non ex ipſa natura talis redemptionis ſecundum ſe ſumptæ. Deindè emptio illa redemptionis non inducit ſecundum ſe illam electionem, ſed tantum remouet à malo, ſecundum ius, quod habet eadem Eccleſia, ne eligantur non idonei, quod deindè ſequatur, vt ille tantum eligatur, qui eſt idoneus, eſt ſolummodò determinatio ſecundum id, quod exigit recta ratio.

Illa redemptio vexationis ſolum remouet à malo.

Reſpondeo ſecundò. Exiſtentibus pluribus dignis, & vno tantum ijs digniore 5
ad Pontificatum non eſt ſimonia, ſi pecunia afferatur ea conditione, ne eligatur minus dignus comparatiuè ad digniorem, ſed tantum digniſſimus. *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 50. num. 40.* aduerſus *Sotum loc. cit.* qui ſuis principijs inhærens aſſerit non licere dare pecuniam pro digniſſimo eligendo, quia ceſſat illa ratio extremæ neceſſitatis in hoc caſu, quæ militat, quandò vnus dumtaxat eſt dignus cæteris omnibus indignis, ſiquidem ſufficientèr prouidetur Eccleſiæ per digni electionem.

Suarez.
Sotus.
Ceſſat ratio per Sotum extrema neceſſitatis.

Probatur aſſertio, quia ex mox dictis in præcedenti reſponſione ideò poteſt erogari pecunia eo intuitu, ne eligantur indigni quandò vnus tantum eſt dignus, quià quoad effectum finis intenti poteſt ſeparari redemptio vexationis ab electione digni, quæ non conſequitur ex natura redemptionis præciſè, ſed per accidens, vel ex defectu ſubiectorum idoneorum, vel ſic exigente iure, quod habet Eccleſia, ne præficiantur indigni, & ſic ſuadente recta ratione, ſed hoc idem militat, quandò erogatur pecunia, ne eligantur minus idonei, & digni, ſed tantum dignior, ergo &c. Probatur minor; quia eſt etiam aliqualis vexatio ſecundum quid Eccleſiæ eligere minus dignum relicto digniore, & ſicuti electio talis digni non conſequitur formalitèr ex ipſa redemptione, ne eligantur indigni, ſed tantum conſecutiue ex defectu aliorum dignorum, ità talis dignioris electio non prouenit formalitèr ex excluſione aliorum minus idoneorum, ſeù dignorum, ſed tantum ex conſequenti ex defectu ſcilicet exiſtentiæ aliorum æquè digniorum.

Eſt aliqualis vexatio Eccleſiæ eligere minus dignũ relicto digniore.

Dices primò, quod quamuis Eccleſia habeat ius, ne eligantur indigni, non habeat tamen ius, vt eligantur digniſſimi, ſeù digniſſimus, adeòque, quod non ſubſiſtat fundamentum huius ſecundæ reſponſionis a præcedenti. Sed contrà, quia quamuis non habeat Eccleſia ius ex iuſtitia commutatiua, vt eligatur dignior, ſeù digniſſimus, habet tamen ius ex iuſtitia diſtributiua, legali, & ex fideli diſpenſatione, quod ſatis eſt, vt poſſit iuſtè redimere vexationem, ne eligantur minus digni relicto digniore; habet, inquam ius ex iuſtitia diſtributiua, quæ reſpicit æqualitatem meri-

Habet ius Eccleſia ex iuſtitia diſtributiua, legali, & politica, vt eligantur digniores.

merit[o]rum ad præmia, & verſatur inter quatuor terminos, vt ſuppono ex quæſtionibus de iuſtitia, & iure, adeò vt, ſicuti ſe habent duo gradus meriti ad duos gradus præmij, ita exigente talis iuſtitiæ ordine ſe habeant quatuor ad quatuor, & ſic proportionalitèr. Habet ius ex iuſtitia legali, quia ex diſpoſitione præ cæteris *Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 18.*, quod idem confirmauit Innocentius XI. in propoſitionibus recenter damnatis ſub die 2. menſis Martij 1679. ſemper ſunt præferendi magis digni, adeò vt non eximantur à ſcrupulo peccati læthalis electores, qui aliter præſtant. Habet ius ex fideli diſpenſatione, quia qui non eſt dominus rei diſpenſandæ, ſed ſimplicitèr diſpenſator debet diſpenſare iuxta realem, vel præſumptam voluntatem Domini, cuius eſt diſpenſator, vel manifeſtatam per eius interpretes, quibus reſignauit reuelationem ſuorum miſteriorum; per Eccleſiam autem eiuſdem Domini interpretem conformitèr ad id, quod operatur Deus, declaratum eſt, digniores præferendos in pluribus conciliorum decretis, & ſummorum Pontificum ſanctionibus.

Concil. Trid. Innocentius XI.

Ex diſpenſatione diuina manifeſtata per Pontifices, & concilia ſunt eligendi digniores.

Dices ſecundò, non militat eadem neceſſitas eligendi digniorem in Pontificem relictis dignis, quæ militat eligendi dignum relictis indignis, quandòquidem ſatis eidem Eccleſiæ prouidetur per digni electionem. Sed contra; quid inde? Non ideò conceſſum fuit ſuperius poſſe erogari pecuniam, ne eligantur indigni, ſed tantum dignus ex neceſſitate ſimpliciter, & extrema Eccleſiæ, ſed quia hoc non inferat ſimoniacam prauitatem, quam, ſi inferret, non poſſet excuſari ex quacunque neceſſitate quantumuis extrema. Si igitur non fit licita talis erogatio ratione extremæ neceſſitatis, quantumuis damna maiora ingruerent Eccleſiæ, quandò eligeretur indignus, ſi eadem non fieret, ſed quia illa erogatio non reſpicit directè ius aliquod ſpirituale, ſed duntaxat redemptionem vexationis, & negationem iniuriæ Eccleſiæ habentis ius, vt eligantur tantùm digni, quæ eſt quid merè temporale, ita non erit, cur non ſit licita talis erogatio, quandò fit, ne eligantur minus digni, ſed tantum dignior, cum non reſpiciat directè ipſam electionem ſpiritualem, ſed negationem talis iniuriæ, quantumuis non interueniat tanta neceſſitas, cum neceſſitas ipſa non ſit ratio formalis cohoneſtans talem actionem.

Illa erogatio non reſpicit directè ius aliquod ſpirituale.

6 Reſpondeo tertiò. Exiſtentibus pluribus indignis, & vno tantum digno ad onus Apoſtolicæ dignitatis, vel pluribus minus idoneis, ſeù dignis, ac vno tantum digniore non eſt licitum erogare pecuniam ne eligantur indigni, ſeù minus digni, ſed tantum dignus, vel dignior non tantum formalitèr ſub ratione digni, vel dignioris, ſed etiam materialitèr ſub ratione Petri, vel Pauli *Caietanus de ſimonia quæſt. 3.* & expreſſius *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 50. num. 41.* aduerſus *Sotum loc. ſuprà cit.* Probatur, quia per talem ſolutionem ad enunciatum finem, & cum illis qualitatibus factam non ſolum remouetur malum, ſed etiam directè inducitur eligens ad electionem, & poſitiuè determinatur voluntas eiuſdem ad talem perſonam, ergo per illam propriè inducitur turpitudo ſimoniæ. Conſequentia tenet, quia quotieſcunque pecunia ſoluitur directè, & formalitèr pro electione determinatâ ad aliquod ius ſpirituale propriè fit ſimonia. Antecedens verò probatur; quia dicere, *ſoluo talem pecuniæ quantitatem, ne eligantur indigni, ſed vt eligatur Paulus qui eſt dignus, & ſolum idoneus, idem eſt, ac dicere, ſoluo talem pecuniam pro electione Pauli*, & tunc inſpicitur non ſolum qualitas perſonæ eligendæ, & id, quod caueri debet ſecundum diſpoſitionem iuris in huiuſmodi electionibus, ſed etiam applicatio determinata talis qualitatis ad talem indiuiduam perſonam, & ſic ratione primi inſpicitur dignus, ratione ſecundi inſpicitur Paulus, quæ longè diuerſa ſunt, vt optimè notauit *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 50. num. 41.* Confirmatur, quia poſita illa conditione, vt eligatur dignus, vel dignior non ſub præciſa formalitate digni, ſeù dignioris, ſed ſub materiali etiam deſignatione Pauli ex ſuppoſitione etiam, quod ipſe ſolum ſit dignus, vel dignior, non ſolum neceſſariò conſequitur electio in perſona Pauli ex defectu aliorum ſubiectorum idoneorum, & ex exigentia rectæ rationis, ſed etiam ex poſitiua determinatione eiuſdem ſoluentis pecuniam, & etiam acceptantis eandem pro tali electione, vnde non ſolum per accidens, & indirectè talis electio fieret, & promanaret ex ipſa redemptione vexationis pro pecunia, vt dictum eſt euenire in caſu præcedentis reſponſionis, ſed etiam per ſe, directè, & poſitiuè, vt per ſe patet, cum procedat à voluntate poſitiuè determinante ad talem electionem, & ex hac ratione patet diſcrimen, quod intercedit inter ea, quæ dicta ſunt in præcedenti reſponſione, & ea, quæ hic dicuntur.

Caietanus. Suarez. Sotus.

Illa ſolutio non ſolum indirectè, ſed etiam directè reſpiceret electionem.

Per pecuniam determinatur voluntas conferentis ad talem determinatam perſonam.

Suarez.

Dices primò, quod quotieſcunque non poteſt eligi alia perſona, quia nulla alia eſt digna talis muneris, niſi Paulus parùm referre poſſit, quod deſignetur explicitè ſub illa materiali deſignatione Pauli, vel tantum implicitè ſub formalitate digni, quandòquidem ex neceſſitate ex vi illius oblationis ipſe tantum poteſt eligi, & non

alius,

Si materialis deſignatio fuit ſpontè ſpontaneè formalitèr concurrere per pecuniā ad electionē.

alius, vnde illa materialis deſignatio eſt dumtaxat quædam expreſſio fruſtranea, quæ nihil aliud poteſt operari ſuprà id, quod operatur ipſa expreſſa formalitas digni, vel dignioris. Sed contrà, quia illa materialis deſignatio Pauli efficit ſuprà illam formalitatem digni, ſeù dignioris, quod ipſa electio directè, per ſe, & poſitiuè proueniat ab illa oblatione, & ſolutione pecuniæ, quæ ſine tali deſignatione proueniret dumtaxat indirectè, & per accidens, ex defectu ſcilicet aliorum ſubiectorum idoneorum ex illa ſolutione, ſeù redemptione vexationis; Secundò, quod non attendatur præcisè qualitas perſonæ eligendæ, ſed etiam applicetur determinatè illa qualitas tali determinatæ perſonæ, & ſic attenditur etiam poſitiua determinatio eiuſdem, vt talis perſona eſt.

Proponitur inſtantia, quæ videtur ad hominem contra reſponſionem.

Dices ſecundò ex ſuperius dictis *ſub hoc eodem tit. de ſimonia in diſq. §. 16. verſ. probatur iam ratione, & alibi ſparſim* conferre pecuniam ad redimendam iniquam vexationem ab eo, qui non ſolum poteſt obeſſe, ſed etiam prodeſſe in iure ſpirituali quærendo, eſt per ſe propriè, & directè conferre pro ipſo iure ſpirituali obtinendo, quod ex ibi dictis iuxta mentem *Innocentij in d. cap. Matthæus de ſimonia, & aliorum ibi cit.* eſt ſimoniacum, ergo a fortiori erit ſimoniacum conferre pecuniam ad redimendam vexationem, ne ſcilicet eligantur indigni, ſeù minus digni exiſtente digno vno dumtaxat, vel digniori, quandòquidem magis per ſe ordinatur, quandò eſt neceſſitas eligendi, onus non eligendi indignum, vel minus dignum exiſtente vno dumtaxat digno, vel digniori ad actualem electionem eiuſdem determinatè, ac ordinetur illa redemptio vexationis iniquæ ab eo, qui poteſt obeſſe ſimul, & prodeſſe in iure ſpirituali quærendo ad ipſum ius ſpirituale, vt per ſe patet. Hæc inſtantia potius aduerſatur reſponſioni præcedenti, & ijs, quæ in ipſa dicta ſunt, quam præſenti, & ijs, quæ hic dicuntur. Sed contra. Hoc argumentum, quod certè directè, & ad hominem videtur nos impetere, maximè etiam impetit, & obſtringit Suarez, qui prius *d. cap. 50. de ſimonia num. 27.* docuerat non licere redimere in beneficijs acquirendis vexationem iniquam ab eo, qui obeſſe ſimul poteſt, & prodeſſe, quia tunc remouere illam vexationem per pecuniam nihil aliud eſt, quam ſpirituale conferre, modo verò *in eod. cap. 50. num. 39. & 40.* docet licere redimere per pecuniam vexationem, ne eligantur indigni, vel minus digni, ſed tantum dignus, vel dignior, & tamen aſſerit, non eſſe conferre ſpirituale pro temporali, cum tamen hoc ſecundum magis connectatur cum illa redemptione per pecuniam, vt per ſe patet. Argumentum ipſe Suarez inſolutum relinquit, vel quià non aduertit ijs, quæ prius dixerat, vel quià vllum robur in illo non agnouit, & proptereà nec ipſum proponere dignatus eſt, cùm tamen prima fronte maximam vim habeat. Reſpondeo igitur, & me eximo à iaculis, quæ in me contorquentur parum curans de impetitione Suareſij, aſſerò, inquam, in caſu propoſito *in d. §. 16.* ibi dicta rectè procedere, quia illa iniqua vexatio in alio non conſiſtebat, quam in voluntate non conferendi, & per conſequens ipſius redemptio, & retractatio in alio conſiſtere non poterat, quam in voluntate poſitiua conferendi, retractatio etenim vexationis contrariè opponitur eidem vexationi, quæ proinde retractatio poni non poteſt, niſi per actum poſitiuè contrarium eidem vexationi, quæ, vt dicebam, ſicuti conſiſtit in voluntate non conferendi, ita eadem retractatio debet conſiſtere in voluntate poſitiua conferendi, ſicque intendēdo poſitiuè retractationem, non poterat, niſi poſitiuè, & directè intendere ipſam voluntatem conferendi, in caſu verò, de quo hic loquimur, illa vexatio ſecundum quam elector intendebat eligere non idoneum, vel minus idoneum non importabat poſitiuam voluntatem non eligendi idoneum, vel magis idoneum, ſed tantum inclinationem, ſeù voluntatem eligendi non idoneum, ſeù minùs idoneum, & per conſequens ipſius retractatio non neceſſariò debet fieri per voluntatem poſitiuam eligendi idoneum, ſeù magis idoneum, vt aſſerebam, ſed ſolummodò per actum poſitiuum non eligendi indignum, ſeù minus dignum, quod deindè ad hanc voluntatem ſequatur poſtea alia voluntas eligendi talem cognitum ſolum, vt dignum, hoc eſt ex conſequenti, & ex neceſſitate eligendi, non formalitèr, & directè ex vi talis retractationis; & iuxta hanc diſparitatem alia ſunt explicanda, ſi quæ proceſſu quæ hoc in dicta fuerint in ſenſu expoſito *in d. §. 16.*

Innocentius.

Suarez.

Vim maximā habet etiam contra Suarez.

Soluitur illa inſtantia ſuprà propoſita.

Aſſignatur diuerſa ratio vtriuſque caſus.

Reſpondeo quartò, non eſſe ſimoniacum etiam in alijs dignitatibus Eccleſiaſticis, Præbendis, Canonicatibus &c. conferre talem pecuniam electori, ne eligantur indigni, vel minus digni exiſtente vno dumtaxat digno, vel digniori, quandò ex tali conditione neceſſariò ſequitur, quod ille dumtaxat, qui eſt dignus, vel dignior, eſt eligendus, dummodo talis collatio pecuniæ non fiat cum illa expreſſa, & materiali deſignatione, ſeù conuentione talis determinatæ perſonæ, vt ſuprà. In hanc reſponſionem propendent *Valentia apud Suarez lib. 4. de ſimonia d. cap. 50. num. 42. Leſſius lib. 2. cap. 35. dubit. 19.* à quibus non diſcre- 7

Valentia. Suarez. Leſſius.

pare ea ultimo eundem Suarez, quamuis in aliquibus agnoſcat maiorem, & ſpecialiorem rationem in Pontificatu, de quibus infrà.

Ratio eſſe poteſt, quià non minus ſunt ſpirituales electiones ad alias dignitates Eccleſiaſticas, Præbendas, Canonicatus, & beneficia Parochialia, ac ſit electio ad Pontificatum, & quamuis hæc ſit ad altiorem, & ſupereminentem dignitatem, non efficit tamen, quin illę etiam ſint ſpirituales, cum ſint actus ſpiritualis, & ſupernaturalis iuriſdictionis, & maior, & minor dignitas, quandò ſunt in eadem linea ſpiritualitatis non confert, vel ad augendam, vel ad diminuendam rationem ſimoniæ, ſi concurrant debitæ conditiones ad illam requiſitæ, vel ad eximendum à labe eiuſdem, ſi illæ non concurrant, ergo, ſi poteſt eximi, & de facto eximitur à labe ſimoniæ conferre pecuniam electori, ne eligantur indigni, quandò vnus dumtaxat eſt dignus ad Pontificatum modo ſupra explicato, etiam poterit eximi, & eximetur conferre pecuniam, ne eligantur indigne, quantumuis vnus dumtaxat fuerit dignus in alijs Eccleſiaſticis dignitatibus, Præbendis &c. Confirmatur, quià non minus eſt ſeparabilis finis ille redemptionis, & negationis iniuriæ irrogandæ Eccleſiæ ab ipſa actuali electione in Pontificatu, ac ſit ſeparabilis in data ſuppoſitione in reliquis dignitatibus, & beneficijs Eccleſiaſticis, quandòquidem in ipſis etiam poteſt intendi illa negatio iniuriæ &c. quod ſi poſtea ſequatur electio in tali perſona digna, hoc non minus erit per accidens ex defectu aliorum ſubiectorum idoneorum, ac ſit in electione talis in Pontificem iuxtà ſuperiorem ſuppoſitionem, ergo, ſi talis ſeparabilitas hoc modo eſt ſufficiens ad eximendum a labe ſimoniæ in electione Pontificis, erit etiam ſufficiens ad èximendum in alijs dignitatibus &c.

Maior, vel minor dignitas in linea ſpiritualitatis nō vallet, qui emptio ſit ſimoniaca.

Eſt ſeparabilis finis redemptionis ab ipſa actuali electione.

8 Reſpondeo quintò, ea, quæ dicta ſunt in præcedenti mox poſita reſponſione, verificari etiam poſſunt, quandò conferens pecuniam ſub illa conditione, ne eligantur indigni, vel minus digni, eſſet ſolum ipſe dignus, vel dignior; in hac tamen ſuppoſitione eſſet magna præſumptio ſimoniacæ prauitatis in eodem conferente. In hanc reſponſionem propendere videntur licet non ità expreſſe *Adrianus quodlib. 9. Nauarrus cap. 23. num. 102. Valentia tom. 3. diſp. 6. quæſt. 16. punct. 3. verſ. prima eſt.*

Adrian. Nauarrus. Valentia.

Ratio huius reſponſionis ea eſſe poteſt, quia ſuppoſita iuſtitia illius conditionis, quæ inducitur per illam pecuniam parum obeſſe poteſt, quod electio inde ſequatur, vel in diſtinctam perſonam, vel in ipſum conferentem pecuniam, dummodò fiat cum illa præciſione, de qua ſuprà, & cum illa puritate intentionis, & voluntatis, vt non intendatur directè illa electio in propriam perſonam, ergo etiam, ſi ipſe erogans pecuniam ſolus fuerit dignus, non propterea &c. Antecedens probatur, quia dignitas ipſa eſt ratio formalis in illa ſuppoſitione, cur illud beneficium conferatur, ergo ſiuè hæc reperiatur in vno, ſiuè reperiatur in altero, dummodò modus electionis non obſiſtat iuribus erit ſufficiens ad licitè beneficium Eccleſiaſticum obtinendum. Confirmatur, quia non eſt vetitum indirectè quærere ſibi beneficium illis modis, quibus non eſt vetitum quærere alijs concurrentibus ijſdem conditionibus, & qualitatibus, ergo, ſi conferens pecuniam Electori ſub ea conditione, ne eligantur indigni, vel minus digni, poteſt eſſe cauſa ſine vlla labe, quod conferatur certæ perſonæ concurrente in eadem dumtaxat dignitate, vel maiori dignitate, poterit etiam eſſe cauſa ſine vlla labe, cur ſibi ipſi conferatur concurrentibus in ſe ipſo ſolummodò illis qualitatibus dignitatis ſimpliciter, vel maioris dignitatis.

Dignitas ipſa eſt ratio formalis cur beneficium conferatur.

Dixi, *in hac tamen ſuppoſitione eſſet magna præſumptio ſimoniacæ prauitatis*, quod etiam rectè notarunt *Adrianus quodlib. 9. Nauarrus d. cap. 23. num. 102. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 50. num. 27. Bonacina quæſt. 7. punct. 5. num. 4.* cuius ratio ea eſſe poteſt, quia eſt vehemens ratio, quod ille conferens pecuniam ſibi potius voluerit conſulere, quam indemnitati Eccleſiæ, adeòque, quod primariè, & directè reſpexerit electionem propriam, non redemptionem vexationis Eccleſię, licet talem primariam intentionem electionis propriæ palliauerit illo titulo negationis iniuriæ irrogandæ Eccleſiæ, ſi non idoneus, vel minus idoneus eligeretur, vel eſſet electus. 9

Adrian. Nauarrus. Suarez. Bonacina.

Reſpondeo ſextò. Quamuis æquè committeretur ſimonia in electione ad Pontificatum, ſi illa pecunia erogaretur directè pro electione talis perſonæ reduplicatiuè ſumptæ, ac committeretur in electione ad alias dignitates, ſi erogaretur ſub eodem reſpectu, & quamuis æquè eximeretur labes ſimoniæ in tali electione ad Pontificatum, ſi erogaretur dumtaxat directè pro redemptione, ſeù negatione iniuriæ &c. ac eximeretur in alijs electionibus, ſi erogaretur dumtaxat directè ſub eodem fine redemptionis; nihilominus ſpecialiores rationes, ſeù motiua ſunt conſiderabilia in redemptione vexationis in electione Pontificis, quæ non ita ſunt conſiderabilia in redemptione &c. in electionibus ad alias dignitates inferiores. Item in illa minora ſunt ſeruanda, maiora in iſtis. Sic in primis magis mouet ad illam redemptio- 10

Plura incumbunt ſolutioni pecuniæ, vt eligatur dignus in Pontificatu, quam in aliis dignitatibus.

ptionem Pontificatus, ne eligantur indigni, vel minus digni, ſed tantum dignus, vel dignior ſupereminentia gradus, quæ exigit magnum charitatis, & prudentiæ præſidium, & neceſſitas vniuerſalis Eccleſiæ, cui præeſſe debet in adminiſtratione, vt omnia debitè, & ſecundum Deum rectè fiant, quandòquidem ad totius corporis miſtici Eccleſiaſtici conſeruationem magis neceſſarium eſt caput ſanum, à quo generatim profluunt ſalutares ſpiritus in reliqua membra, quam cætera membra licet principaliora, cum hæc etiam ab illo dependeant. Deindè etiam magis mouet irreparabilitas damnorum in Eccleſia Dei, ſi eligeretur indignus, vel minus dignus, quia Pontifex ſemel electus non habet ſuperiorem in terris, à quo corrigatur, & emendetur; reliqui verò Prælati habent ſubordinationem ad alios Superiores, & demum ad eundem Romanum Pontificem à quibus, ſeù à quo poſſunt emendari, & corrigi, adeòque &c. Sic etiam in electione Romani Pontificis non omnia ſeruanda ſunt, quæ ſunt de iure communi attendenda in reliquis electionibus, ſed tantum ea, quæ ſunt de iure diuino, & ea, quæ ſunt ſpecialitèr circa ipſam per Pontifices ordinata; in reliquis verò electionibus omnia ſunt ſeruanda, quæ ſunt de iure diuino, & etiam, quæ ſunt de iure poſitiuo communi; ex quibus propterea ſequitur, quod non omnia, quæ requiruntur ad Pontificis electionem, poſſint applicari reliquis electionibus.

Supereminentia gradus.

Damnorũ irreparabilitas.

Minora ſeruanda in electione Pontificis, ac in electione ad alias dignitates.

---

§. XX.

An ſit ſimonia pecunia redimere vexationem, qua quis impeditur concurrere ad beneficium.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries in ſuis terminis 1.

Impeditus per vim ad concurrendum ad beneficium redimens ſe ab illa vi per pecuniam non committit ſimoniam 2.

Proponuntur nonnulla inſtantia aduerſus reſponſionem, & diſſoluuntur 3.

1 Diſquiſitio XX. Paratus erat Franciſcus concurrere ſimul cum alijs ad quoddam beneficium vacans, quod probabile erat, quod obtinuiſſet attenta eiuſdem idoneitate, ſed cum etiam Antonius valdè familiaris Andreæ vellet concurrere, idem Andræas per vim, & fraudem detinebat eundem Franciſcum, ne concurreret, qui præuidens malitiam fraudulentèr detinentis eidem contulit pecuniam, vt à detentione, & fraude deſiſteret, & ità factum fuit. Quæritur modo, an per illam redemptionem media pecunia factam idem Franciſcus commiſerit ſimoniam.

Facti ſeries in ſuis terminis.

2 Reſpondeo breuitèr ad quæſitum, Franciſcum per illam redemptionem nullam committere ſimoniam *Leſſius lib. 2. de ſimonia cap. 35. dub. 18. num. 109. Suarez d. lib 4. cap. 50. num. 25. Bonacina quæſt. 7. punct. 5. num. 7. & alij apud eoſdem.*

Leſſius, Suarez, Bonacina.

Probatur, quia ius illud, quod habet Franciſcus ad concurrendum non eſt quid ſpirituale, ergo, ſi pro illo illæſo ſeruando ſoluatur pecunia non committetur ſimonia. Confirmatur primò, quia ſoluere pecuniam pro tuenda propriæ voluntatis libertate non eſt ſimoniacum, ergo neque erit ſimoniacum pretio eandem libertatem quodamodò ademptã redimere, ſed in data hypotheſi id, quod ſolueretur, eſſet ad redimendam propriam libertatem aliquo modo ademptam, ergo &c. Confirmatur ſecundò, reparare damna pecunia ſibi ex alterius prauitate impendentia, ſeù imminentia non eſt ſimoniacum, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, ille, qui pecuniam ſolueret ad redimẽdam illam vexationem, ratione cuius impeditur ad concurrendum præcisè damna repararet &c. ergo &c. Minor probatur, quia damnum ſecundum ſe eſt priuari ſpe, quam rationabilitèr habere poteſt obtinendi dependentèr a libera collatione electoris, & propria idoneitate beneficium, ergo &c.

Ius, quod quis habet ad concurrẽdum ad beneficium non eſt quid ſpirituale.

Illa ſolutio eſſet pro tuenda propria libertate.

3 Dices primò, ex dictis *ſub hoc eod. tit. de ſimon. in Diſquiſ. 1. §. 15.* ſimoniacum eſt parare viam per pecuniam ad rem ſpiritualem obtinendam, ſed per talem redemptionem impedimenti redimens interuentu pecuniæ ſibi pararet viam ad beneficium Eccleſiaſticum aſſequendum, ergo &c. Sed contra, quia redimere talem vexationem impedimenti non eſt parare, niſi ad ſummum remotè remouendo ſcilicet prohibens, viam ad beneficium, quod prohibens iniuſtè apponitur, quodque propterea vexatus ius habet, vt amoueatur, ſicque illius remotio non poſitiuè, & directè influit in electionem, ſeù collationem eiuſdem beneficij, nec per talem redemptionem ipſe redimens quid magis habet ſuprà id, quod de iure habere debet, ſed ſolummodò non habet id, quod habere non debet.

Nõ eſt parare viã, niſi remotè remouendo ſcilicet prohibẽs iniuſtè appoſitum.

Dices ſecundò, etiam ex ibì dictis, qui per pecuniam impedit alterum, ne concurrat ad beneficium, ad quod ipſe concurrit, committit ſimoniam, quia per illud impedimentum ſibi parat viam ad idem beneficium, ergo etiam ſimoniam committet, qui per ſolutionem pecuniæ diſſoluit im-

pedim- ... m ſe retrahens à concurſu. Conſequentia probatur, quia aptiùs, & proximiùs ſternitur via ſibi ad beneficium per concurſum proprium ad illud, quandò cæteroqui eſt idoneitas, quam per impedimentum concurſus alieni, ergo ſi impediendo concurſum alienum per pecuniam committitur ſimonia, etiam committetur diſſoluendo impedimentum ad proprium.

Alia in Baptiſmum ſi ſolutio.

Sed contra neganda eſt conſequentia, non ſolum, quia qui impedit concurſum alienum iniquè agat, relaxando verò impedimentum ad concurſum proprium rectè, & ſecundum iuris ordinem agat, quod ſolum importat iniuſtitiam, non ſimoniam in primo, & iuſtitiam ſimpliciter in ſecundo, ſed etiam, quia impedimentum concurſus alieni tribuit proximum ius, quod non habebat impediens ad ipſum beneficium, quandòquidem alio non concurrente, vel magis idoneo, vel æquè digno beneficium de iure Eccleſiaſtico eſt ipſi conferendum, quod certè ius ipſi reſultat ex non concurſu illius impediti, relaxatio verò impedimenti ad concurſum proprium non confert maius ius, quod relaxans non haberet de iure, cum contra ius illud impedimentum apponeretur, adeòque &c.

---

§. XXI.

An importet Simoniam redemptio vexationis per pecuniam in alijs rebus, ſeù iuribus ſpiritualibus à beneficijs.

SVMMARIVM.

Varij ſenſus difficultatis in caſibus particularibus expoſiti 1.

Varia conſiderationes circà titulum 2.

Exiſtente vno tantùm, qui poſſit Sacramentum Baptiſmatis conferre puero ante vſum rationis, & nolit ſine pecunia poteſt licitè ei conferri 3.

Verificatur etiam in ordine ad adultum conſtitutum in extremis 4.

Verificatur etiam in ordine ad redimendam vexationem, quoad Sacramentum Pænitentia, Eucharistia, Extrema Vnctionis 5.

Poteſt fieri prædicta redemptio vexationis non ſolum, quandò hæc intentatur à proprio Parocho, ſed etiam quando intentatur ab alijs 6.

Licitum eſt in prædictis caſibus non ſolum redimere vexationem, ſed etiam allicere collatorem per pecuniam ad conferendum 7.

1 Diſ... ſitio XXI. Exiſtit in proximo mortis periculo Caius puer carens vſu rationis, vel fortè etiam adultus, vterque non initiatus Eccleſiæ per Sacramentum Baptiſmatis, vel fortè etiam Petrus adultus non munitus Sacramentis Pænitentiæ, alijſque, quæ pro eo ſtatu dari conſueuerunt, & maximè conferunt ad ſalutem; Exiſtente vno dumtaxat, qui talia Sacramenta conferre poſſit pro eo ſtatu renuit, & Caio Paruulo, & alteri adulto, & Petro conſtituto in vltima vitæ periodo, ſeù in proximo mortis periculo conferre Sacramentum Baptiſmatis, aliaque Sacramenta neceſſaria pro tali ſtatu, niſi ſibi conferatur certa pecuniæ quantitas, vel ſi expreſsè non apponit hanc conditionem ſolutionis, non confert tamen, donec talis pecunia conferatur, qua collata immediatè confert. Hic controuerſia excitatur, an licitum ſit, & ſine labe ſimoniæ poſſit illa pecuniæ quantitas conferri, vt obtineri poſſint illa Sacramenta.

Senſus, in quibus examinandus titulus.

Plura quoad Sacramentum Baptiſmatis in ſimili hypotheſi attigimus *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de Simonia Pranot. 2. aſſert. 1. verſ. ad id, quod ex Leſſio, & ſeqq.* ſed quia ibi difficultas fuit ſolummodò attacta ex occaſione alterius controuerſiæ, non recedendo tamen a dictis ibidem, eam placet cum omnibus ſuis diſtinctionibus, extenſionibus, & reſtrictionibus hic ex profeſſo examinare. Pro quo

Aduerte, triplicem reſpectum haberi poſſe in ordine ad iſtam controuerſiam. Primus eſt in ordine ad ſubiecta, quibus ex conferentis, ſeù ex conferre debentis malitia impediuntur Sacramenta, an ſcilicet ſint paruuli ante vſum rationis, an adulti gaudentes huiuſmodi vſu. Secundus in ordine ad Sacramenta, an ſcilicet ſint neceſſaria ſimpliciter ad ſalutem, cuiuſmodi eſt Baptiſmus, vel in re, vel in voto pro originali, & actualibus commiſſis ante ſuſceptionem eiuſdem Baptiſmatis, & Pænitentiæ Sacramentum item, vel in re, vel in voto poſt ſecundum naufragium hoc eſt poſt læthalia actualia commiſſa poſt eundem Baptiſmum, an verò tantùm neceſſaria ſecundum quid, cuiuſmodi ſunt alia omnia Sacramenta, quæ dicuntur viuorum, quia ſupponunt vitam ſpiritualem in ijs, quibus ſunt conferenda, ſicuti Baptiſmus, & Pænitentia dicuntur Sacramenta mortuorum, quia ſupponunt defectum vitæ ſpiritualis, ſeù carentiam gratiæ in ijs, quibus debent conferri. Tertius eſt in ordine ad ipſum conferentem, qui adhuc duplex eſſe poteſt, primò ad ipſum, vel quatenus ex proprio munere, & officio obligatus eſt quodammodò ex iuſtitia ad illa conferenda, vel quatenus ex proprio munere non tenetur, ſed tantum ſuadente caritate, quæ in caſu illius extremæ neceſſi- 2

Triplex reſpectus, quem poteſt habere titulus.

Sacramenta alia viuorum, alia mortuorum.

Vel obligatur ad conferendum ex iuſtitia, vel tantùm ex caritate.

tatis

tatis maximè videtur vrgere. Secundò, quatenus ipſe expreſsè apponit talem conditionem aſſerens ſe nolle conferre, niſi talis pecuniæ quantitas ſibi contribuatur, vel licet expreſsè non apponat, quatenus de facto renuit conferre, confert tamen poſita illa contributione. His pro clariori notitia ſuppoſitis

3 Reſpondeo primò. Exiſtente vno dumtaxat, qui poſſit Sacramentum Baptiſmatis conferre puero ante vſum rationis in extremis conſtituto, & renuente conferre non eſt ſimoniacum, quinimmò licitum eidem conferre determinatam pecuniæ quantitatem, vt conferat. Conſentiunt in hanc reſponſionem *Gloſa in cap. Baptizandos 1. quæſt. 1. Panormitanus in cap. cum in Eccleſia num. 5. de ſimonia, Redoanus tract. de ſimonia part. 1. cap. 6. num. 8. & part. 3. cap. 5. num. 16 Caietanus in ſecunda ſecundæ D. Thomæ art. 2. quæſt. 100. D. Bonauentura in 4. diſt. 5. art. 2. quæſt. 1. Maior in 4. diſt. 5. quæſt. vnic. ad tertium, Sotus lib. 9. de iuſt. quæſt. 6. art. 1.* quorum tamen aliqui ineſſicacibus, & non valdè ſolidis rationibus hanc aſſertionem probare contendunt.

Gloſ. Panorm. Redoan. Caietanus. D. Bonauentura. Maior. Sotus.

Probat igitur primò *Sotus loc. cit.* quia in caſu extremæ ſpiritualis neceſſitatis non eſt illicita emptio rei ſpiritualis, ſed in caſu de paruulo ante vſum rationis conſtituto in extremis eſt grauiſſima, extrema ſpiritualis neceſſitas Baptiſmatis, ergo in eo caſu non erit illicita emptio eiuſdem Baptiſmatis. Maiorem ſupponit ex quodam principio, in quo ipſe fundatur, quod licet venditio rei ſpiritualis ſit ab intrinſeco mala, non tamen ipſius emptio, ea proportionali ratione, qua communitèr aſſeritur, & quidem non contra iuris ordinem, quod in mutuo eſt ab intrinſeco malum ipſum vendere propter vſuras, non ſic autem emere, ſed quod non eſt ab intrinſeco malum in caſu extremæ neceſſitatis poteſt licitè exerceri, ſiquidem præſumendum non eſt, quod iura poſitiua intendant obligare cum ita vrgenti incomodo in tanta neceſſitate, ergo in caſu extremę neceſſitatis non eſt illicita talis emptio. Quod ſi dicatur, paritatem de mutuo non currere, quia in eodem etiam extra caſum extremæ, grauis, & cuiuſcunque neceſſitatis poteſt mutuatarius ſine aliqua labe ſoluere vſuras, nec propterea dicetur vſurarius, quod tamen ipſe Sotus non audet concedere, ſed potius aperto ore negat in emptione rei ſpiritualis, ad quam ſolum extremam neceſſitatem requirit; Statim reſpondet ipſe Sotus, quod in ſpiritualibus maior cautio eſt adhibenda.

Probatio Soti, eiuſque confutatio.

Diſcrimẽ ab eodem aſſignatũ inter emẽtem, & vendentẽ.

Sed aduerſus hanc Soti probationem ſic inſurgo impugnando directè ipſius fundamentum, quo aſſerit ipſam emptionem rei ſpiritualis non eſſe ab intrinſeco malam, ex quo poſtea de conſequenti ruent omnia, quæ fundantur in ipſo. Emptio ipſa rei ſpiritualis qua talis formalitèr eſt, non minus eſt mala, quam ſit malum ipſius correlatiuum nempe venditio, ſed venditio rei ſpiritualis non reluctante Soto eſt abſolutè, & ab intrinſeco mala, ergo, & emptio. Maior probatur primò auctoritate *Magiſtri ſententiarum in 4. diſt. 25. dub. 3.* vbi tam ementem, quam vendentem ſubdit æquo modo eidem ſententiæ. *Vtrique eadem ſententia percellantur*, quod explicans D. Bonauentura ait. *Quantum ad genus peccati eſt vniformitas, quià vterque gratiæ Spiritus Sancti facit iniuriam.* Secundò D. Chriſoſtomi hom. 13. in Marcum aſſerentis. *Quid non ſolum vendere malum eſt, ſed etiam emere. Denique Simon Magus non quid vendidit, ſed quid emere voluit, damnatus eſt. Infelix eſt qui vendit; Infelix eſt, qui emit, gratia enim Chriſti auro, & argento non poteſt comparari.* Tertiò teſtimonio Sacræ Scripturæ actorum 8. vbi damnatur Simon, qui tamen emere tantum tentauit gratiam Spiritus Sancti. Ibi. *Quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*, quod licet Sotus conetur explicare per hoc, quod Simon voluit emere, vt poſtea venderet, hoc ſcriptura ipſa non ſignificat. Quartò ex magis communiter acceptata definitione ſimoniæ, qua dicitur, ſtudioſa voluntas emendi, aut vendendi rem ſpiritualem pro temporali, vbi nota illam particulam diſiunctiuam, *aut, vel*, quæ non importat vtrumque emptionem ſcilicet, & venditionem copulatiuè, ſed vnum, vel alterum; tandem ratione, quia non minus ſit iniuria rei ſacræ per illius venditionem pro pretio temporali, quam per illius emptionem, ſiquidem ratio, propter quam damnatur venditio, ea eſt, quia ſit comparatio rei ſpiritualis ad pretium temporale, ſed hoc idem contingit in emptione illius pro pretio, quandòquidem etiam in emptione res ſpiritualis æquiparatur pecuniæ, ergo &c.

Emptio rei ſpiritualis eſt ab intrinſeco mala.

Magiſter Sententiarum.

D. Bonauentura.

D. Chriſoſtomus

Scriptura, & SS. PP auctoritatibus, & teſtimonijs probatur.

Elucet etiam ex ipſa definitione ſimoniæ.

Dices hæc omnia aduerſari ijs, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimonia Prænot. 2. aſſert. 1. verſ. quod ſi inquiras*, vbi paritate deſumpta ab vſura, qua etiam vtitur Sotus, diximus, quod ſicuti mutuatarius indigens mutuo poteſt ſine vlla labe ad ſubueniendum propriæ indigentiæ aliquid ſupra ſortem conferre, ità conſtitutus in extrema neceſſitate ſpirituali ad ſubueniendum propriæ indigentiæ ſpirituali poſſit conferre aliquod pretium, ergo ex ibi dictis emptio rei ſpiritualis non eſt ab intrinſeco mala, ſicut venditio. Sed contra, quia, quæ ibi dicta ſunt, non procedunt ſub formali ratione emptionis, prout attingit rem ipſam ſpiritualem tanquam

rem

rem venalem, hac etenim ratione clariſſimum eſt, maximam intercedere diſparitatem inter mutuatarium, & mutuantem in mutuo, & inter venditorem, & emptorem in ſimonia, ſeù melius in ijs, quæ verſantur circa materiam ſimoniæ, quandòquidem in caſu mutui mutuatarius nulli facit iniuriam, nec ſibi ipſi, quia ex vulgatis iuribus. *Scienti, & conſentienti non fit iniuria*; in caſu verò ſimoniæ licet emptor non faciat ſibi iniuriam, facit tamen iniuriam, excellentiæ rei ſacræ æquiparando ipſam rei temporali, quod maximè indecorum eſt, & turpe. Procedunt igitur ſolummodò ſub ratione redemptionis iniuriæ factæ per eum, qui renuit conferre, quatenùs ſcilicet illa ſolutio facta non reſpiciat Sacramentum in ſuo eſſe formali, ſed ablationem iniuriæ, quæ iniquè irrogatur, adeò vt ſenſus ſit, quod, ſicuti in mutuo mutuatarius indigens poteſt ſine aliqua labe ad ſubueniendum propriæ indigentiæ aliquid conferre ſupra ſortem, ita indigens Sacramento Baptiſmatis in neceſſitate poſſit ad ipſum habendum à nolente conſerre aliquid eidem perſoluere pretio æſtimabile, non quidem, vt pretium eiuſdem Sacramenti, ſed ad ſummum, vt pretium redemptionis iniuriæ; Quod ſi ibi duxerimus comparationem ab vſura, quæ eſt intrinſecè mala ad ſimoniam], non eſt, quia ibi propriè fuerit ſimonia, ſed aliquid ad modum ſimoniæ, ſeù quædam iniquitas, ſeù iniuſtitia, adeò vt, ſicuti eſt iniuſtitia, & iniquitas in mutuo reſpectu mutuantis, dum aliquid exigit ſupra ſortem, quod nequit exigere, non verò reſpectu mutuatarij, qui cedit iuri ſuo, & ſoluit volens, ità ſit iniquitas in illa miniſtratione Sacramenti etiam ratione redemptionis, iniuriæ reſpectu adminiſtrantis pro pecunia, quia exigit illam, quam nequit exigere, non reſpectu eius, cui adminiſtratur, quia vtitur iure ſuo ſe redimendo ab illa vexatione, & conſentiens ſoluit &c.

Diſparatio inter mutuatariũ ſoluentem vſuras, & emptorẽ rei ſpiritualis.

Illa ſolutio nõ reſpicit Sacramentũ in ſuo eſſe formali, ſed ablationem iniuriæ.

Vtitur iure ſuo ſe redimendo à vexatione.

Dices ſecundò, Præceptum diuinum gratis conferendi res ſpirituales reſpicit conferentes, non recipientes, ſicuti præceptum non recipiendi aliquid ex mutuo ſupra ſortem reſpicit mutuantes, non mutuatarios; ſicuti enim aduerſus mutuantes dicitur in Euangelio *Mutuum date nihil inde ſperantes* ita aduerſus collatores rerum ſpiritualium etiam dicitur *Gratis accepiſtis, gratis date*, vbi in vtroque caſu nullum eſt præceptum aduerſus recipientes mutuum, & res ſacras. Sed contra, quia quamuis in vtroque caſu præceptum reſpiciat dumtaxat explicitè, & directè conferentes, propter motiuum tamen formale, ſub quo in vtroque interdicitur pretium ex directo infertur, quod in caſu mutui ſub illo præcepto non comprehendatur mutuatarius, comprehendatur verò ſub præcepto ſimoniæ etiam emptor. Ratio etenim prohibitionis in mutuo reſpicit dumtaxat indemnitatem mutuatarij, ne ſcilicet grauetur in eo, quod non exigit iuſtitia contractus, cui iuri poteſt cedere ipſe mutuatarius, cum per illam ceſſionem ſe ſolum lædat. Ratio verò prohibitionis in collatione ſpiritualium pro pretio non ſolum reſpicit indemnitatem beneficiarij, ſed etiam excellentiam rei ſacræ, ne ſcilicet paruipendatur per comparationem eiuſdem cum re temporali, quæ vilis comparatio æquè ſequitur in ordine ad vendentem, ac ad ementem, vt per ſe patet.

Præceptũ mutuandi ſine vſura reſpicit præcisè mutuantem, præceptũ verò conferẽdi gratis res ſpirituales reſpicit tàm conferentem, quã recipientẽ, & quare.

Ex ijs rationibus quibus ruit fundamentum Soti, ruit etiam opinio eiuſdem in eo fundata, quod ſic euincitur. Quod eſt ex ſe, & ab intrinſeco malum, tale eſt, vt nequeat vlla ratione eius malitia impediri, & honeſtari, vt videre eſt in periurio, & mendatio, ergo ſi talis emptio eſt ab intrinſeco mala, nec in caſu extremæ neceſſitatis ſpiritualis poterit cohoneſtari, atque huius opinionis, quod ſcilicet emptio ſit ab intrinſeco mala, eſt apertiſſimè *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt.* 100. *art.* 2. *ad primum, & in 4. diſt.* 5. *quæſt.* 2. *art.* 2. *quod ſecundum Alenſis ſecunda part. quæſt.* 169. *memb.* 3. *art. primo dub.* 2., & eſt communis tùm apud Theologos, tùm apud Canonici iuris interpretes.

D. Thomas. Alenſis.

Probatur igitur directè reſponſio, quià non eſt ſimoniacum erogare pecuniam, non quidem, vt pretium rei ſpiritualis, nempe Sacramenti Baptiſmatis, ſed vt pretium redemptionis iniquæ vexationis, ſed in hypotheſi præſentis reſponſionis poteſt illud pretium erogari pro redimenda illa vexatione, & præſumendum eſt ita fieri, ergo &c. Maior patet, quia illa pecunia, quæ ſolueretur, non reſpiceret aliquod ius ſpirituale, ſed ſolummodò iniuriam tollendam, quæ eſt quid merè temporale, & ſicuti ex ſuperius dictis ille finis redemptionis vexationis in beneficijs eſt ſeparabilis per ſuperius dicta ab electione ad idem beneficium, ita non eſt, cur etiam non ſit ſeparabilis ille finis a collatione formali eiuſdem Baptiſmatis, & ſicuti collatio pretij in ordine ad vexationem tollendam in beneficijs non eſt ſimoniaca, ita nec erit ſimoniaca collatio pretij in ordine ad talem vexationem tollendam in collatione Baptiſmatis, potiſſimum cum Sacri Canones facilius permittant dari aliquid ſponte, & recipi in collatione Sacramentorum, quam in collatione Beneficiorum, quod non alia ratione inductum exiſtimo, niſi quia facilius præſumitur mala intentio in beneficijs, quæ non præſumitur in Sacramentis,

Pecunia reſpicit iniuriam tollendã, quæ eſt quid merè temporale.

Facilius præſumitur mala intentio in beneficijs, quam in alijs ſpiritualibus.

cum hæc ordinentur ad præciſam ſalutem animarum, beneficia verò etiam ad fines temporales. Minor verò probatur, quia quotieſcunque aliqua actio poteſt habere duplicem reſpectum, & finem, alterum bonum per ſe, & neceſſarium, alterum malum, & vetitum præſumendum ſemper eſt, quod agens intendat illum, qui ſecundum ſe bonus eſt, & licitus in tali actione, quia interpretatio ſemper facienda eſt in ſaniorem partem.

Dices primò, non poſſe in Sacramento Baptiſmatis redimi illam vexationem, quin ſimul, & ſemel fiat emptio formalitèr eiuſdem Baptiſmatis, ſed emptio Baptiſmatis eſt ab intrinſeco mala, ergo &c. Probatur minor, quia illa vexatio nihil aliud eſt, quam voluntas iniqua non conferendi Baptiſmum, ergo redemptio illius nihil aliud eſt, quam voluntas illum conferendi, ergo redimendo illam vexationem emit voluntatem conferendi Baptiſmum, adeòque, & vltimatò collationem eiuſdem Baptiſmi. Sed contra neganda eſt ſequela maioris. Ad probationem dicendum eſt, illam vexationem importare quidem negationem voluntatis conferendi Baptiſmum, non tamen eandem quomodocunque, ſed vt prouenientem ex prauo affectu miniſtri, vnde redemptio terminatur ad tollendum illum affectum prauum, ex quo proueniebat illa voluntas non conferendi, ſeù denegatio talis Sacramenti; quod ſi vrgeas illam ablationem praui affectus per ſe ordinari ad hoc, vt miniſter conferat Sacramentum, & ita per pecuniam intendi Sacramentum ſaltem mediatè, quod propriè eſt emere, adhuc impugnaberis, quià illa ordinatio mediata ad Sacramentum non efficit, quod illa ſolutio pecuniæ ſit emptio rei ſpiritualis, quià non datur, vt pretium Baptiſmatis, quià adhoc, vt ſit emptio, oportet, vt ſolutio, quæ fit, ordinetur per ſe ad obtentionem rei Sacræ tanquam pretium eius, & ne gratis hoc dici videatur. Attende huic exemplo, Dans ſtipendium Sacerdoti, vt celebret Miſſam, intendit quidem immediatè ſuſtentationem Sacerdotis, intendit tamen etiam, vt mediante illa fiat ſacrum, & ſibi applicetur, nec tamen per hoc ſequitur, quod per illam dationem ſtipendij fiat emptio eiuſdem ſacri, quamuis quodamodò ordinetur ad illud, quia non datur, vt pretium eiuſdem ſacri, ſed vt ſtipendium ſuſtentationis, ità a pari &c.

Redēptio ordinatur, & terminatur ad tollēdum prauū affectū, ex quo proueniebat, voluntas non conferendi.

Exemplatur exemplo, contribuentis ſtipēdium pro Miſſa.

Dices ſecundò. Poteſt ille, qui conferre debet Sacramentum Baptiſmatis paruulo exiſtenti in extremis, nolle dare, ſeù conferre ſine pecunia, & illam exigere non ſolum, vt pretium redemptionis, ſed etiam in pretium eiuſdem Baptiſmatis, ergo faltem in hac hypotheſi erit ſimoniacum eidem conferre talem pecuniam. Quid igitur erit tunc agendum? Sed contra reſpondeo, quod actiones, & propoſita diſtinguunt maleficia, vt ex vulgatis iuribus notant *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 50. nu. 28. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 35. dub. 18. nu. 106. Bonacina quæſt. 6. punct. 5. num. 4.* & proindè, quod redimens vexationem ſecundum propriam intentionem poſſit conferre non ſecundum prauam intentionem petentis, adeòque vel ad titulum ſuſtentationis, vel eleemoſinæ, vel ad tollendum impedimentum. Quod ſi vlterius inſtet, quod dans pecuniam profiteatur, & iuret ſe dare illam pecuniam in pretium Sacramenti; tunc aſſerit *Vgolinus tab. 1. cap. 6. num. 5. & 8.* poſſe dantem pecuniam verbis amphibologicis vti accomodando illa ad ſuam mentem, & non ad mentem petentis. Sed an hæc opinio ſubſiſtat ſtante modo declaratione Sanctiſſimi D. N. Papæ Innocentij XI. nunc regnantis, qui in congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita ſub die ſecunda menſis Martij 1679. damnauit illam propoſitionem, quæ eſt in ordine 26. qua dicitur, *ſi quis, vel ſolus, vel coram alijs, ſiuè interogatus, ſiuè propria ſponte, ſiuè recreationis cauſa, ſiuè quocunque alio fine diceret, ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intrà ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum re vera non mentitur, nec eſt periurus*, & item aliam immediatè ſubſequentem. *Iuſta cauſa vtendi his amphibologijs eſt quoties id neceſſarium, & vtile eſt ad ſalutem corporis, honorem, aliaſque res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ità vt veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa* videant alij, & conſulatur ipſe Pontifex; certè in huiuſmodi propoſitionibus non exprimitur illa maxima, & extrema ſpiritualis neceſſitas ſalutis animæ, quæ vrget in præſenti hypotheſi. Sotus meo videri in hoc parum ſibi conſtans exiſtimat in hac hypotheſi non poſſe erogari pecuniam, ſed relinquendum eſſe puerum mori ſine Baptiſmo, ſed, quamuis hæc opinio eſſet tuta, non cohæret tamen ipſius principijs, quandòquidem, ſi emptio rei ſpiritualis in ipſius ſententia in caſu extremæ ſpiritualis neceſſitatis non eſt ab intrinſeco mala, neque erit ab intrinſeco mala profeſſio expreſſa talis emptionis, quandòquidem profeſſio de re licita maximè vrgente neceſſitate non eſt illicita; Neque enim Sotus, dum aſſerit emptionem rei ſpiritualis in caſu extremæ neceſſitatis eſſe licitam, accipit eandem emptionem, quatenùs ſit ſub titulo ſolius auaritiæ, vel vi-

Suarez, Leſſius, Bonacina.

Attenditur ſecundum voluntatem ſui, redimentis à vexatione.

Vgolin.

Innocentius XI.

Non licet vti verbis amphibologicis.

Arguitur Sotus inconſequentia.

tandi

tandi odij priuati, ſed ſub formali titulo emptionis propriæ, & rigoroſæ. Quamobrem in hac ſuppoſitione tutius eſſet, quod potius relinqueretur paruulus imbaptizatus, quam ex eo motiuo, & profeſſione ſolueretur pecunia propter rationem iam inſinuatam, quod emptio formalitèr, vt emptio rei ſpiritualis ſit ab intrinſeco mala, nec in vllo vnquam caſu eius malitia poſſit cohoneſtari, & in hoc ſenſu verificatur illa dictio, quod *non ſint facienda mala, vt eueniant bona*; nec excuſari poſſet, ſi erogaret, ex eo, quod profiteretur, & iuraret ſe ſub eo titulo erogare ſine animo tamen iurandi &c; non, inquam excuſari poſſet, quia abſolutè damnata eſt per eundem Innocentium XI. illa alia propoſitio, quæ eſt in ordine 25. qua dicitur *Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſiuè res ſit leuis, ſiuè grauis*, & deindè illa profeſſio eſſet nimis iniurioſa, & noxia rebus ſacris.

Potius eſſet relinquendus paruulus.

Damnatio per Innocentium XI. alterius propoſitionis.

Ad fortius corroborandam hanc reſponſionem noſtram recolenda ſunt ea omnia argumenta, quæ adducta fuerunt *ſub hoc eod. tit. de ſimonia Punct. 2. aſſertione 1. ſub verſ. quod ſi inquiras*, quæ maximè faciunt ad rem præſentem.

Reſpondeo ſecundò. Ea omnia, quæ dicta fuerunt in præcedenti reſponſione in ordine ad paruulum carentem vſu rationis, & conſtitutum in extremis intelligi iuſtè etiam poſſunt in ordine ad adultum conſtitutum etiam in extremis *Albertus Magnus in 4. diſt. 5. art. 1. ad finem Supplementum Gabrielis in 4. diſt. 25. quæſt. 2. art. 7. propoſ. 7. Adrianus quodl. 9. art. 3. ad ſecundam confir. tertij arg. quod etiam non diſplicet Vgolino tab. 1. cap. 6. num. 7.* aduerſus *Sotum loc. ſupra citat.*

Albertus Magnus. Gabriel. Adrian. Vgolin. Sotus.

Probatur primò aduerſus Sotum argumento deducto ex ipſius principijs, quæ tamen non ſubſiſtunt, deducente ipſum ad incongrua. Emptio ex ipſo Sacramenti, ſeù rei ſpiritualis non eſt ab intrinſeco mala; rurſus ex ſuis intrinſecis principijs non habet ſecundum ſe honeſtatem, & bonitatem, vt per ſe patet, ergo ex ipſius principijs erit ſecundum ſe indiferens, vel ad bonitatem, vel malitiam, ergo non ſolum poterit eſſe honeſta ſecundum ſtatum extremæ neceſſitatis in puero ante vſum rationis, ſed etiam ſecundum ſtatum grauis neceſſitatis in adulto. Hæc vltima conſequentia probatur, quia ea quæ non ſunt ab intrinſeco mala ex grauiſſimis, ac moralitèr neceſſarijs cauſis regulariter cohoneſtantur; cauſa autem adulti quantumuis non ſit ſimplicitèr, & abſolutè neceſſaria, eſt tamen neceſſaria ſaltem moralitèr; Neque dicas ſpecialem eſſe rationem in ſpiritualibus, in quibus non quæcunque cauſa ſufficere poteſt, ſed requiritur extrema propter præſumptionem conſenſus in alterius aequitiam & prauitatem; contra enim impugnaberis, quia præciſa præſumptio non eſt ſecundum ſe ſufficiens ad conſtituendum illicitum coram Deo id, quod ſecundum ſe non eſt illicitum; agimus enim hic de malitia, vel honeſtate talis actionis ſecundum ſe, & coram Deo, quæ variari non poteſt ex motiuo aliquo ſuſpicionis &c.

Probatio contra Sotum deducta ex ipſius principijs.

Quæ non ſunt ab intrinſeco mala ex grauiſſimis cauſis honeſtantur.

Probatur ſecundò ratione fundamentali, & quidem directè inhærendo noſtris principijs. Ratio, quæ eximit ſoluentem pecuniam a labe ſimoniæ in caſu paruuli ante vſum rationis conſtituti in extremis eximere etiam poteſt ſoluentem a tali labe in caſu adulti etiam exiſtentis in extremis, ergò &c. Antecedens probatur, quia ratio, quæ ſuadet labem ſimoniacam non interuenire in primo caſu ea eſt, quia eſt ſeparabilis finis redemptionis vexationis ab ipſa collatione Sacramenti, & ſoluens non intendit emere Sacramentum, nec dat pecuniam, vt pretium eiuſdem, ſed tantum redimere vexationem iniuriæ, illudque pretium conferre in ordine ad hunc finem, ſed hoc idem poteſt contingere in caſu adulti, qui æque poteſt non conferre, vt pretium Sacramenti, ſed vt motiuum redemptionis iniuriæ, & æquè illæ duæ rationes ſunt ſeparabiles reſpectu iſtius, ac reſpectu paruuli, ergo &c.

Non datur, vt pretium beneficij, ſed ad redimendam vexationem.

Dices primò, non militare eandem rationem de adulto, quæ militat de paruulo ante vſum rationis, quandòquidem ille poteſt ſibi conſulere per Baptiſmum flaminis], quod aquæ Baptiſmi vicem ſuſtinet *de conſecr. d. 4. & cap. 2. de Presbyt. non Bapt. & in cap. 2. de Baptiſ.* Sed contra primo, quia quamuis tanta, & non tam rigoroſa ſit neceſſitas in caſu adulti, ac in caſu paruuli, prout ſuadet argumentum adductum, eſt tamen tanta, & talis, vt ſufficiat ad excuſandum a quacunque labe, ſi ad ſubueniendum eidem aliqua pecuniæ quantitas erogetur, quandòquidem in primis ſuſceptio Baptiſmi in re quoad non Baptizatum etiam quoad adultum eſt de iure diuino, quod obligat ſemper quotieſcunque poteſt ſuſcipi ſine aliqua labe; ex prædictis autem redimendo talem vexationem poteſt ſine aliqua labe ſuſcipi; propter quam rationem docuit *Adrianus quodlib. 9. art. 3. ad ſecundam conf. tertij arg.* & cum eo *Vgolinus tab. 1. cap. 6. num. 7.* nedum licite poſſe, ſed etiam teneri adultum ad illud obtinendum etiam redimendo pecunia illam vexationem, cum teneatur pro illo ſtatu propriæ ſaluti ſpirituali conſulere. Deindè talis neceſſitas adulti tanta eſt, vt ex communiori Doctorum ſententia obliget ex

Quamuis non ſit tanta neceſſitas.

Adrian. Vgolin.

moti-

Neceſſitas tanta eſt, vt obliget ex motiuo charitatis.

motiuo charitatis ſubuenire eidem ſic indigenti etiam cum propriæ vitæ corporalis diſcrimine, quod indicat neceſſitatem quaſi extremam, adeòque ſufficientem, vt poſita illa ſeparabilitate finis redemptionis ab ipſa ratione Sacramenti poſſit pro illo pecunia illa erogari.

Dices ſecundò. Si ſubſiſteret ratio, cui innititur reſponſio noſtra, non ſolum in caſu extremę neceſſitatis reſpectu paruuli, & quaſi extremæ reſpectu adulti, ſed etiam in quocunque caſu grauis, & leuis etiam neceſſitatis poſſet per pecuniam induci miniſter ad conferendum Sacramentum, quod tamen a Doctoribus paſsim non admittitur, ergo propter allatam rationem non eſt dicendum, quod ſaltem in caſu neceſſitatis quaſi extremæ, vt dicitur, reſpectu adulti poſſit fieri illa Sacramenti procuratio. Aſſumptum ſic probatur. Ratio, propter quam euincitur, quod poſſit in illis caſibus extremæ, & quaſi extremæ neceſſitatis fieri illa oblatio, & inductio, ea eſt, quia pecunia oblata, per quam fit inductio, non correſpondet, vt pretium iuri ſpirituali, ſeù Sacramento, ſed ablationi illius iniuriæ, quæ intentatur per Miniſtrum ex praua intentione, ſed etiam in caſu grauis dumtaxat, quinimmò & leuis neceſſitatis illa pecuniæ ſolutio non poneretur, vt pretium iuris ſpiritualis, ſeù beneficij, ſed vt quid correſpondens iniquæ vexationi, vt ſcilicet redimatur, ergo &c.

Eſt præſumptio cooperationis redimentis prauitati vexantis.

Sed contrà, quia quamuis in rigore rationis formalis aſſumptum illud ſubſiſtere videatur, communitèr tamen non admittitur propter præſumptionem cooperationis eiuſdem redimentis prauitati vexantis, dum non graui cauſa mouetur ad illam redemptionem, quinimmò cum nulla, vel non niſi leui neceſſitate prematur, præſumeretur, quod pecuniam eroget non vt motiuum redemptionis, ſed vt pretium Sacramenti. Cæterum in rigore non video, cur etiam in caſu alicuius neceſſitatis quantumuis minus grauis, non liceat talis redemptio, cum eidem nec ius naturæ, nec ius aliquid poſitiuum obſiſtere videatur; non ius naturæ, cum hoc non vetet oppreſſum ſubleuari modo non repugnante eidem naturæ, non repugnat autem naturæ Sacramenti conferendi, quod vexatio, quæ reſiſtit ipſius collationi, tollatur per pecuniam; non ius poſitiuum, quià nullibi de ipſo conſtat, &, ſi quandòque aliquod ius poſitiuum videatur obſiſtere tali redemptioni, erit ad ſummum in ordine ad beneficia, in quibus fortior poteſt eſſe præſumptio, quod non fiat formalitèr pro ipſa vexatione tollenda, ſed poſitiuè pro iuribus etiam ad temporalia, quæ ex eiſdem beneficijs conſequuntur, quæ non militant in alijs rebus ſpiritualibus a beneficijs, a quibus non proueniunt, niſi vtilitates ſpirituales ad vtilitatem, & ſalutem animarum.

Probatur tertiò. Non minus paruulus, poſtquam natus eſt, habet ius, vt ſibi conferatur Sacramentum Baptiſmatis, & eſt in quaſi poſſeſſione talis iuris ex ordinatione diuina, quæ non ſolum ius tribuit ad illud, ſed etiam onus ad illud inquirendum imponit, ac habeat adultus, & ſit in poſſeſſione talis iuris, & cum onere ad illud aſſerente Domino, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt meus eſſe diſcipulus*, ſed in iuribus iam quæſitis licitum eſt redimere iniquam vexationem interuentu pecuniæ etiam in beneficijs, in quibus eſt ſpecialior prohibitio per ea, quę latè probata ſunt in præcedentibus, ergo etiam licitum erit in iure in ipſa origine ex diuina diſpenſatione iam quæſito ad Baptiſmum, & quidem non ſolum reſpectu paruuli, ſed etiam reſpectu adulti; Neque dicas, diſparem eſſe rationem in iure iam quæſito in beneficijs, ac in iure iam quæſito ad Sacramentum Baptiſmatis, quandòquidem illud eſt ius in re iam perfectè acquiſita, iſtud ius ad rem nondum quæſitam, ſed dumtaxat conferendam; contrà enim impugnaberis, quia hoc ius ad Baptiſmum ex ipſa ordinatione diuina in ipſa origine collatum homini, quantumuis ſit tantum ad rem acquirendam, non in re iam quæſita, æquiualet tamen iuri iam quæſito in beneficijs, quantum ad effectum facultatis redimendæ vexationis, quandòquidem, cum illud ius ſit abſolutum ex ordinatione diuina, nedum obligat nondum Baptizatos ad Sacramentum ſuſcipiendum, ſed quemcunque maximè in caſu neceſſitatis ad conferendum, ita vt libertatem non relinquat, & ſic ius eſt in eodem non Baptizato, vt ſibi conferatur ſine libertate conferentis ad non conferendum, remouendo quamcunque vexationem, quod non militat in beneficijs nondum quæſitis, quandòquidem ante actualem collationem eſt plena libertas in conferente, vel huic conferendi, vel non conferendi, vnde in ijs nondum completè quæſitis, ſi redimat vexationem, videtur quodamodò adimere libertatem in conferente, & vtique per pecuniam, quod &c. Deindè ſpecialitèr eſt ratio in beneficijs, quæ non eſt in adminiſtratione Sacramentorum, ſiquidem, vt ſuprà innuebamus, vehemens eſt præſumptio in beneficijs, quod illa ſolutio non fiat ad redimendam vexationem, ſed ad acquirendum ius ad temporales prouentus, quod conſequitur ad idem beneficium, quæ præſumptio eſſe non poteſt in Sacramentorum adminiſtratione, quan-

In iuribus iam quæſitis licitū eſt redimere iniquam vexationem.

Eluditur paritas adducta ex beneficijs nondū collatis.

dòquidem ex eiſdem non proueniunt, niſi ſpiritualia emolumenta ad animarum ſalutem, & vtilitatem.

5 Reſpondeo tertiò. Hæc, quæ hactenus dicta ſunt in precedentibus duabus reſponſionibus in ordine ad redimendam vexationem in adminiſtratione Baptiſmatis, intelligenda proportionalitèr ſunt in ordine ad redimendam vexationem quoad Sacramentum Pænitentiæ, Eucharistiæ, & etiam Extremæ Vnctionis. In hanc aſſertionem propendet *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 12. num. 18. & ſeqq. Altiſiodoren. tertia part. ſumma quaſt. 3. de ſimon. Adrianus quodlib. 9. art. 3. ad ſecundum, Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 7. num. 39.*

Suarez. Altiſiodorenſis. Adrian. Leſſius.

Ratio eſt, quia, ſi quid obeſſe poſſet, ne pecunia redimantur vexationes in huiuſmodi Sacramentis, illud certè eſſet, quod hæc non ita ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſicuti eſt neceſſarius Baptiſmus in caſu extremæ neceſſitatis reſpectu pueri carentis vſu rationis, & quaſi extremæ in caſu adulti non Baptizati in extremis conſtituti; ſed hæc ratio obeſſe non poteſt, ergo &c. Maior patet, quia obeſſe non poteſt ratio emptionis, quia non minus in hoc caſu illud, quod conferretur pecuniæ, non eſſet pretium rei ſpiritualis, ſed motiuum redemptionis iniuriæ, ſicuti non eſt pretium Baptiſmatis, ſed motiuum redemptionis id, quod confertur in caſu Baptiſmatis reſpectu pueri, & adulti, nec aliud eſt aſſignabile, quod obeſſe poſſit illi redemptionis, niſi quod ſit minor neceſſitas. Minor probatur, quia ex ſupradictis ad iuſtè redimendam illam vexationem illa neceſſitas ſufficit, qua poſita ſufficientèr tollitur præſumptio, quod illa ſolutio non fiat ob aliud motiuum, quam tollendæ vexationis; non enim illa redemptio ſecundum ſe, & ex natura ſua, ſeù iure diuino eſt illicita, cum ſecundum ſe non ſit pretium Sacramenti illud, quod datur, ſed redemptio iniuriæ, ſed ad ſummum eſt prohibita iure humano, quod non alia ratione inductum exiſtimo, niſi ad tollendas præſumptiones, quod illa ſolutio fiat ex cauſa rei ſpiritualis, dum graue, & neceſſarium motiuum neceſſitatis non vrget ad ipſam redemptionem, ſed neceſſitas, quæ poteſt conſiderari in his Sacramentis, de quibus loquimur, tanta poteſt eſſe, vt tollat huiuſmodi præſumptionem, ergo &c. Minor probatur, & quidem quoad Sacramentum Pænitentiæ reſpectu eius, qui ſibi conſcius eſt peccati læthalis, vix locus eſt ambigendi, cum tanta ſit illius neceſſitas, quanta eſt in adulto non Baptizato in extremis conſtituto, quandòquidem, ſicuti ille poteſt ſibi conſulere per Baptiſmum in voto, ità ille poteſt ſibi prouidere per Pænitentiam item in voto medio actu contritionis; quinimmò in hoc caſu eſt quid difficilius, cum non ita facilè eliciantur actus contritionis, & tamen non obſtante illo modo ſibi conſulendi per Baptiſmum in voto reſpectu adulti ex ſuprà dictis hic poteſt ſe redimere ab illa vexatione per pecuniam, ergo &c. Quoad alia verò Sacramenta prænarrata ſic euincitur, quia quantumuis huiuſmodi Sacramenta non ſint neceſſaria ſimplicitèr, & per ſe, poſſunt tamen eſſe neceſſaria per accidens in aliquo caſu in ordine ad ſalutem æternam, illamque conferre, quatenus, ſi non eſſet ille, cui conferenda ſunt, in gratia, licèt arbitraretur eſſe, poſſet per illa eandem gratiam conſequi; poſſet enim per illa per accidens ex atrito fieri contritus quoad effectum eiuſdem gratiæ. Cum igitur poſt commiſſum peccatum nemo ſciat, an amore, vel odio dignus ſit, poteſt iuſte velle quibuſcunque modis quocunque modo neceſſarijs ad ſalutem non priuari, & redimi ſe ab oſtaculis, quæ talibus modis quocunque modo acceptis poſſunt aduerſari.

Neceſſitas, quæ poteſt conſiderari in huiuſmodi Sacramentis tanta eſt, vt tollat præſumptionem.

Poſſunt eſſe neceſſaria per accidens.

Confirmatur, quia huiuſmodi Sacramenta ex neceſſitate præcepti diuini ſunt in articulo, ſeù periculo mortis procuranda, & adhibenda in re, nec ſufficiunt in voto, quandò commodè poſſunt procurari ſine propria culpa, ſed vrgente præcepto diuino non poteſt eſſe culpa, quod etiam media pecunia fiat redemptio illius iniuriæ, quandòquidem ex natura ſua, & ex iure diuino non eſt prohibita, ſed duntaxat humano ad vitandas præſumptiones, ergo ſunt tali modo procuranda, & adhibenda in re, nec ſufficiunt in voto. Minor probatur, quia præceptum diuinum in concurſu cum humano debet præualere. Confirmatur ſecundò argumento, quo vtitur Suarez in ordine ad Sacramentum Euchariſtiæ, quia Hoſtia Conſecrata ex dono Dei eſt mea quoad vſum in articulo mortis æquè, ac panis communis quoad eundem vſum eſt meum in caſu extremæ neceſſitatis, ſed in caſu extremæ neceſſitatis poſſum accipere panem alterius etiam repellendo vim ipſius prohibentis, ergo etiam in articulo mortis potero accipere Panem Conſecratum ad meum vſum repellendo alterius vexationem, & ſi poſſum etiam per metum, vt communitèr ſuſtinent, cur non potero etiam alliciendo per pecuniam, ſeù pecunia redimendo illam vexationem?

Non ſufficiunt in voto, quandò haberi poſſunt in re ſine peccato.

Præceptũ diuinũ in concurſu cum humano debet præualere.

6 Reſpondeo quartò, poſſe fieri prædictam redemptionem vexationis, non ſolum quandò intentatur à proprio Parocho, qui tenetur ex vi proprij muneris ad conferenda talia Sacramenta, ſed etiam quandò intentatur ab alio, qui ſolus poteſt illa con-

conferre, quantumuis ex vi proprij muneris non teneatur illa conferre, ſed dumtaxat ſuadente charitate maximè in caſu extremæ neceſſitatis.

Euincitur ſpecialiter quoad Parochum generatim.

De primo, ſcilicet de Parocho vix poteſt eſſe ratio dubitandi, quandòquidem fortius habet ius vexatus ad ſe redimendum à vexatione aduerſus eum, qui tenetur in hoc genere non vexare, ſed adimplere id, in quo vexat, quam aduerſus eum, qui non habet aliquod onus, niſi ex charitate adimplendi, ſeù conferendi, ergo ſe redimendo aduerſus ipſum in prædictis caſibus non ſe habet ſimoniacè.

Euincitur etiam in ordine ad alium ab ipſo Parocho.

De alio, qui non teneatur ex vi proprij munerit, ſed dumtaxat ex motiuo charitatis ſic probatur, quia iſte denegaret id, quod charitas ſuadet non denegandum, quinimmò impellit ad conferendum, & indigens eodem ius habet, vt ſibi conferatur, ergo aduerſus denegantem contrà dictamen charitatis poterit iuſtè in hoc vexatus ſe redimere ab iniuria, quæ contrà dictamen eiuſdem charitatis ſibi irrogaretur; vndè congruentèr ad hæc principia docuit *Suarez. lib. 4. de ſimonia cap.* 12. *num.* 18. in ordine ad Sacramentum Euchariſtiæ conferendum conſtituto in extremo vitæ periculo, quod non extante Sacerdote, qui poſſet deferre, & denegante Diacono, qui ſolum exiſteret, conferre, poſſet aduerſus hunc fieri redemptio talis vexationis, & tamen hic ex vi proprij muneris non tenetur, & *Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 35. dub. 7. num. 42. verſ. dices ſecundo* dixit, quod Sacerdos non dando Sacramentum, quod ſaltem ex charitate tenetur conferre, cenſetur vexare.

Suarez. *Leſſius.*

Alia ratio euincitur quoad alium ab ipſo Parocho.

Probatur item quoad hunc alium, qui non tenetur ex vi proprij muneris. Non eſt aliqua turpitudo, quod miniſtro Sacramentorum conferatur aliquod, non vt pretium eorundem Sacramentorum, ſed in ſtipendium congruæ ſuſtentationis, quandò ex vi proprij muneris non tenetur illa conferre, & non habet aliundè in ordine ad ipſa ſtipendium eiuſdem congruæ ſuſtentationis, ergo in caſu potiſſimum extremæ neceſſitatis poterit ſub tali conſideratione ſine vlla turpitudine pretium illud erogare, ſicque ſe conſtituere indemnem à tali negatione; Neque dicas, quod poſſit ille, qui debet Sacramentum conferre, illud recipere non ſub tali motiuo congruæ ſuſtentationis, ſed vt pretium voluntatis conferendi; contrà enim impugnaberis ex ijs, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. §. reſpon. 1. poſt probationem eiuſdem verſ. dices ſecundo*, quæ ibi recolæ.

7 Reſpondeo quintò, non ſolum licitum eſt in prædictis caſibus ſe redimere à tali vexatione aduerſus denegantem collationem Sacramenti, niſi ſibi conferatur pecunia, ſed etiam aduerſus eundem denegantem, & non petentem pro collatione pecuniam alliciendo ipſum per pecuniam ad conferendum, ſeù exhibendo eidem pecuniam, vt conferat *Altiſiodorenſis 3. part. ſumma quæſt. 3. de ſimonia Adrianus quodlib. 9. art. 3. ad ſecundum Suarez d. cap. 12. num. 13. Leſſius lib. 2. cap. 35. dub. 7. num. 39. Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 84. ſect. 12. num. 238.*

Altiſſiodorenſis. Adrian. Suarez. Leſſius. Ognate.

Probatur, quià per talem oblationem ipſe offerens nullam in ſe contrahit malitiam, nec propriè, nec directè cooperatur malitiæ alterius, ergo iuſte poteſt ſe redimere à tali vexatione offerendo &c. Antecedens quoad primam partem probatur, quià ipſe non offert pecuniam animo emendi Sacramentum, ſed tantum auferendi impedimentum, & auertendi à ſe ipſo illam iniuriam, ad quod ius habet per ſupra probata; quoad ſecundam item ſic euincitur, quia offerens vtitur iure ſuo per media vtique ſibi licita, quibus, ſi adhæreat promiſſarius, debet ſibi imputare; neque dicas, quod ad ſic adhærendum alliciatur, ſeù præmoueatur à promitente, cum ex ſe non ſit diſpoſitus ad conferenda Sacramenta propter pecuniam, adeòque quod ipſe promittens ſit verè cooperator malitiæ promiſſarij acceptantis; contrà enim impugnaberis, qui, quamuis non eſſet diſpoſitus ad conferendum pro pecunia, erat tamen ex ſe diſpoſitus ad non conferendum, adeòque ad grauius peccatum; cum igitur ipſe indigens ſit in iure illa Sacramenta obtinendi, poſſitque quocunque modo iuri non repugnante illa inquirere, non debet eius malitiæ imputari, quod media pecunia inquirat, ſed debet ipſe promiſſarius ſibi imputare, quod tali medio inquirat, cum denegando id, quod debet, det alteri occaſionem, ſeù cauſam modo ſibi licito inquirendi. Addit *Adrianus quodlib. 9. art. 3. ad ſecundum* indigentem per illam pecuniæ oblationem non inducere ad malum, ſed potius inclinare ad minus malum remouendo à grauiori; grauius enim eſt relinquere extremè indigentem ſine remedio quoquo modo neceſſario ad ſalutem, quam accepta pecunia Baptizare extremè indigentem.

Vtitur iure ſuo per media licita.

Promiſſarius debet ſibi imputare quod tali medio inquirat.

Adrian.

Varijs alijs rationibus poteſt comprobari hæc reſponſio, quas latè refert *Leſſius d. lib. 2. cap. 35. dub. 7. num. 39.* Vnam, vel alteram breuitèr attingo, & quidem primò poteſt iniquè denegans induci minis ad conferendum, vt latè infra probabimus, cur non etiam muneribus, & pecunia allici? Secundò cuique impedienti Sacerdotem, ne conferat Sacramenta extremè indigenti, poteſt dari pecunia, vt

Leſſius.

Duæ rationes manifeſtè euincentes intentum.

deſiſtat ab impediendo, cur etiam dari non poterit eidem Sacerdoti, vt tollat impedimentum ſibi ipſi inductum per prauum affectum, vel odij, vel auaritiæ?

---

§. XXII.

An aliquo caſu liceat redimere Sacramenta interuentu pecuniæ.

SVMMARIVM.

Refertur facti ſeries in ſuis terminis 1.
Rationes dubitandi circà factum 2.
Licita eſt redemptio Chriſti Domini quodammodo captiui, quantumuis fiat interuentu pecuniæ iuxtà modum expoſitum 3.
Non tamen, ſi fieret emptio formalitèr Chriſti Domini, & pecunia erogaretur formalitèr, vt pretium eiuſdem ſub tali proteſtatione 4.
Satisfit rationibus dubitandi 5.

1 Diſquiſitio XXII. Iniquè detinebatur apud perfidos Hæbreos auguſtiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentum, ſeù particula quædam ritè conſecrata cum periculo non irrationabili, ſed proximo futuræ conculcationis eiuſdem, aut forte etiam combuſtionis. Perterritus impietate ſacrilega Iudæorum præuiſa timoratus Catholicus exhibuit eiſdem Iudæis, vel fortè etiam obtulit magnam pecuniæ quantitatem, vt Hoſtiam illam Conſecratam redimeret. Orta hic fuit controuerſia, an licita fuerit, & non ſimoniaca illa Corporis Chriſti Domini redemptio.

Facti ſeries.

2 Ratio dubitandi in eo ſita eſt, quod per illam pecuniæ oblationem videtur propriè fieri emptio Sacroſancti Corporis & Sanguinis Domini, nec poteſt dici, tunc fieri ſolummodò redemptio vexationis, quandòquidem illa oblatio non tendit præcisè ad ceſſationem iniuriæ, ſed immediatè ad reſtitutionem eiuſdem Hoſtiæ Conſecratæ quodamodò captiuæ apud ſuos hoſtes; acquiſitio autem rei ſpiritualis ſecundum ſe pro re temporali eſt manifeſtè ſimonia. Nihilominus

Rationes dubitandi.

3 Reſpondeo abſolutè licitam fuiſſe, & eſſe talem redemptionem Chriſti Domini quodàmodò captiui, quantumuis fiat interuentu pecuniæ iuxta modum expoſitum. *Vgolinus tab. 3. cap. 38. num. 5. D. Antoninus 2. part. tit. primo cap. 5. §. 13. Suarez lib. 4. cap. 12. num. 20.*, & eſt communis apud omnes.

Vgolin. D. Antoninus. Suarez.

Ratio ex ſuperius dictis facile deducitur, quià per illam oblationem, ſeù ſolutionem nec in re, nec in voto propriè, & directè emitur ipſum Sacramentum, ſed redimitur vexatio, quæ fit eidem, ſeù Chriſto Domino in illo exiſtenti, Eccleſiæ, quinimmò eximitur ipſe Iudæus detinens ab enormiori malitia, ergo per illam propriè non committitur aliqua ſimonia, nec per offerentem, ſeù ſoluentem contrahitur aliqua malitia, cum vnicuique fidelium licitum ſit non minus redimere vexationem factam alijs fidelibus, quam capiti, ſeù primogenito eorũdem fidelium, nempe Chriſto Domino. Antecedens probatur, quià ſemper præſumendus eſt, quod fidelis intendat quidem redemptionem ſub ea ratione, ſub qua legitimè poteſt redimere, adeòque non ſub ratione emptionis rei ſacræ, quæ ſemper ab intrinſeco mala eſt. Vexatio autem reſpectu Chriſti ex ſe patet, quandòquidem impiè detinetur apud infenſiſſimos ſui nominis Hoſtes, reſpectu Eccleſiæ, quia per talem detentionem ipſius ius læditur, quod habet detinendi, & conſeruandi apud ſe Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini ipſius ſponſi, & ne apud infidos contemnatur, ſeù lædatur, & quidem quoad redemptionem eiuſdem Iudæi detinentis ab enormiori malitia facile ex eo euincitur, quia grauius delictum eſt contemnere, & conculcare Corpus Chriſti Domini, quam ipſum pecunia redemptum relaxare.

Redimitur ſolummodò vexatio, quæ fit Sacramento, Chriſto Domino in eodem exiſtenti, & Eccleſiæ.

Eccleſia ius habet conſeruãdo apud ſe Corpus, & Sanguinẽ Chriſti Domini.

Hic oritur difficultas, an ſi Iudæus detinens nollet pecunia relaxare, niſi expreſsè pecunia erogaretur tanquam pretium Chriſti Domini, & cum proteſtatione expreſſa & iuramento, quod ſub tali ratione formali, & titulo detur, atque hoc certè in contemptum Religionis, an, inquam, poſſet in ea hypotheſi Catholicus redimere erogando pecuniam cum illa proteſtatione, pacto, & iuramento. Ex ſuperius dictis patet, quid ad hanc difficultatem ſit reſpondendum, ſcilicet illicitam fore talem redemptionem, quàdòquidem, cum ſit ab intrinſeco mala, nulla vnquam ratione, nec neceſſitate poteſt cohoneſtari, nec ſunt facienda mala, vt eueniant bona, ſeù euitentur alia mala. Recole, quæ ſuperius dicta ſunt. Si tamen Iudæus detinens præcisè proteſtaretur, quod velit, quod ſibi detur illa pecunia, vt pretium Chriſti Domini, non tamen cogeret Catholicum redimere volentem ad illam profeſſionem expreſſam, & iuramentum, non renuerem poſſe fieri illam redemptionem, quandòquidem poſſet Catholicus ſuam intentionem depurare à quacunque prauitate, & ſolum velle conferre ad redimendam vexationem; Nec arbitrandum eſt indignum, quod in hypotheſi, qua exigeretur illa profeſſio expreſſa & iuramentum, quod pecunia detur, vt pretium 4

Sa-

Chriſtus paſſibiliter ſe dedit Iudæis pe[illegible]

Sacramenti, relinquatur ipſe Chriſtus peſundandus canibus, ſeù contemnendus à Iudæis; non eſt, inquam, hoc arbitrandum, quandòquidem Chriſtus ipſe paſſibilitèr ſe dedit ab eiſdem contemnendus, & modò, ſi peſundaretur, eſſet impaſſibilitèr, & atribuendum perfidiæ Iudæorum, non
4 incuriæ fidelium, quandòquidem ſupponuntur non poſſe ſubtrahere, niſi cum peccato ab intrinſeco malo.

Ioſeph ab Arimathæa petijt Corpus Ieſu media pecunia, & commendatur.

Ad magis corroborandam noſtram reſponſionem nonnulli aſſerunt, & etiam ex Sanctis Patribus Ioſeph ab Arimathea media pecunia petijſſe, & obtinuiſſe Corpus Ieſu, qui tamen maximè commendatur ab omnibus, nec alicuius ſimoniæ damnatur, eo quod ſubtraxerit illud ab iniurijs Iudæorum; Corpus autem Chriſti Ieſu erat maximè ſupernaturale propter vnionem hypoſtaticam Verbi Diuini, quod etiam corpus exanime in illo triduo mortis Chriſti terminabat, quandòquidem *id, quod aſſumpſit, nunquam dimiſit*.

Non redimitur directè, niſi vexatio, & Corpus Chriſti, niſi conſecutiuè.

5 Ex ijs, quæ dicta ſunt, nunc reſpondendum eſt rationi dubitandi in principio propoſitæ, dicendum quippè eſt, per illam pecuniæ erogationem non redimi, niſi illam vexationem directè, & Corpus Chriſti non niſi conſecutiuè, quatenus iniuria eiuſdem Chriſti, & Eccleſiæ non poteſt tolli, niſi per reſtitutionem eiuſdem, quandòcunque etenim remanet in poteſtate Iudæorum, quantumuis non contemneretur, nec peſundaretur, ſemper remanet cum iniuria, & in contumeliam creatoris, & eiuſdem Eccleſiæ, quatenus ipſe Chriſtus remanet quodamodò captiuus, & Eccleſia priuatur iure conſeruandi ſuum ſponſum; quod deinde conſecutiuè ſequatur reſtitutio eiuſdem hoſtiæ conſecratæ, non facit talem redemptionem eſſe ſimoniacam, ſicuti non conſtituitur ſimoniaca redemptio iniuriæ, quam quis ſibi facit cum pecunia aduerſus eum, qui ſibi iniquè denegat Sacramenta, quantumuis poſteà ex illa redemptione iniuriæ conſequatur collatio eorundem Sacramentorum.

---

§. XXIII.

An negatio Sacramentorum propter pecuniam, & redemptio etiam negationis illius media etiam pecunia ſit Simoniaca.

SVMMARIVM.

Proponitur, in quo ſenſu examinanda ſit difficultas 1.

Parochus non committit ſimoniam, ſi recepta pecunia nolit audire confeſſionem Titij in extremis conſtituti 2.

Grauiſſimè tamen, & enormitèr peccaret 3.

Non eſt poſteà ſimonia, ſi poſteà Parochus accepta maiori pecunia quantitate audiat Sacramentalem Confeſſionem, ſaltem quantum eſt ex parte conferentis pecuniam 4.

DIſquiſitio XXIII. Conſtitutus erat Titius in imminenti mortis periculo. Vocatus Parochus, qui ſolus aderat in tali loco aptus ad audiendas confeſſiones, impeditus fuit ab inimico eiuſdem Titij media certæ pecuniæ quantitate, ne ipſius audiret confeſſionem. Perſpiciens hoc cognatus proximus eiuſdem Titij oblata maiori pecuniæ quantitate obtinuit, vt Parochus confeſſionem Titij audiret, eidemque beneficium abſolutionis impenderet. Quæritur hic, an labes aliqua ſimoniæ in illa hypotheſi commiſſa fuerit, & reſpectu cuius. Suppoſitis ijs, quæ dicta ſunt in præcedentibus vix aliquid remanet controuertendum. Vt tamen generalitèr dicta applicem caſui particulari.

Reſpondeo primò. Parochum non committere ſimoniam, ſi recepta pecunia nolit audire confeſſionem Titij etiam in extremis conſtituti. Ità colligo ex ijs, quæ dicta ſunt ſuperius *ſub hoc eod. tit. de ſimonia Pranot. 21. aſſert. 2. verſ. ex ijs, quæ hactenus* iuxta mentem *Innocentij in cap. nemo 8. de ſimonia Leſſii lib. 2. cap. 35. dub. 11.* Ratio eſt, quia illa negatio abſolutionis non eſt propriè vſus ſpiritualis iuriſdictionis, ſed præcisè vſus propriæ voluntatis, & libertatis, etiam ſi negans teneatur non negare ad differentiam Parochi, qui audita pænitentis confeſſione oblato ſibi pretio pro eodem denegaret abſolutionem, quia tunc eſſet actus, ſeù vſus ſpiritualis iuriſdictionis, quandòquidem audita confeſſione implicitè ſaltem exercet iudicium Sacramentale, ergo in hypotheſi reſponſionis, ſecundum quam ſupponitur Parochus non adhuc audiuiſſe confeſſionem Titij non committitur ſimonia.

Innocentius. Leſſius.

Negatio illa abſolutionis non eſt vſus ſpiritualis iuriſdictionis.

Dices ex eo, quod ſit Parochus, non eſſe liberum ad miniſtrandum, vel non miniſtrandum, ſed teneri ex vi proprij muneris miniſtrare, ergo non exercet propriè vſum libertatis, ſed vſum ſpiritualis iuriſdictionis. Sed contrà dico, non eſſe quidem liberum libertate morali ad miniſtrandum, vel non miniſtrandum, quatenus poſſit non miniſtrare ſine peccato, eſſe tamen liberum libertate Phyſica, ea proportionali ratione, qua homo non eſt liber libertate morali ad exercendum aliquod opus præceptum, vel non exercendum, quatenus non peccet ſiuè exerceat, ſiuè non exerceat,

Non eſt liber libertate morali, eſt tamen liber libertate Phyſica.

eſt

eſt tamen liber libertate Phyſica, quatenus poteſt exercere, vel non exercere; vndè in hypotheſi, de qua loquimur; non miniſtrando non audita adhuc confeſſione exercet vſum propriæ libertatis Phyſicæ, quod ſufficit, ne dicatur exercere vſum ſpiritualis iuriſdictionis. Hine

3 Reſpondeo ſecundò, in data hypotheſi Parochum iniuſtè, & grauiſſimè peccare, ſi accepta pecunia non audiat, ſeù nolit audire confeſſionem, licet non ſimoniacè, vt ſuprà. Ratio eſt, tùm quià negatio actus, quem quis exercere tenetur ex vi proprij muneris in fauorem alterius, ad quem conductus eſt, eſt actus aduerſus iuſtitiam in re graui, & in præiudicium enorme habentis ius, vt ille actus in ſui fauorem exerceatur, ergo eſt grauantèr peccaminoſa; tùm quia non ſubueniens alteri potens in extrema neceſſitate ſpirituali conſtituto enormitèr peccat, adeò vt teneatur ſub graui eidem conſulere etiam cum graui incommodo temporali proprio, ergo a fortiori, ſi non conſulat, quandò ex alio titulo tenetur, grauitèr, & enormitèr peccabit.

Laedere iuſtitiam in re graui.

4 Reſpondeo tertiò, non committi ſimoniam ex eo poſteà, quod per Parochum recepta maiori pecuniæ quantitate per Parentem eiuſdem Titij in extremis conſtituti audiatur ipſius Sacramentalis confeſſio, & impendatur beneficium abſolutionis. Eſt conformis ijs, quæ diximus in præcedentibus §. Ratio ea eſt, quia per talem ſolutionem maioris quantitatis pecuniæ propriè non emitur Sacramentum ipſum, ſed dumtaxat redimitur vexatio cauſata per eum, qui priùs ſoluerat minorem ſummam, ne Titius per Parochum audiretur, ſed ſoluere pecuniam ad redimendam iniuſtam vexationem intentatam contra conſtitutum in graui vitæ diſcrimine non eſt ſimonia cum per ſuperius notata, nec refert, quod illa vexatio ſit immediatè tentata per eum, qui conferre debet tale Sacramentum ex prauo propriæ voluntatis affectu ad extorquendum pecuniam ab ipſo vexato, ſiuè intentata per alium, concurrente tamen ipſo, qui conferre debet mediante pecunia, quam recepit pro tali vexatione, vt per ſe patet, ergo &c.

Solueretur aliā maior pecunia quā ſeras ad redimendam vexationem contra eū, qui prius ſoluerat, ne confeſſio audiretur.

---

§. XXIV.

An ſimonia commiſſa dumtaxat cum vno ex electoribus inualidet electionem.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis 1.
Prouiſio dupliciter poteſt pertinere ad plures electores, & quomodo 2.
Simonia cōmiſſa cum vno ſolummodò ex electoribus inualidat electionem quoad omnes, ſi electio ad omnes ſpectet indiuiſibiliter 3.
Quinimmò etiam, ſi electores concurrant diuiſibiliter, adeò vt teneat electio, ſi maior pars concurrat 4.

Diſquiſitio XXIV. Vacante quodam beneficio, cuius prouiſio ad quatuor, vel ſex ſpectabat electores, Caius ad idem concurrit, cumque maiorem electorum partem erga ſe procliuem comperiſſet, vnum quem dumtaxat à ſui electione remotum, ſeù alienum nouit, erogata eidem quadam pecuniæ quantitate ad ſui traxit voluntatem, & electus eſt, vel fortè etiam alius ab ipſo, quinimmò ipſo etiam ignorante illum alienum media pecunia ad eiuſdem Caij traxit electionem. Hic immediatè ſuboritur difficultas, an illa electio facta media pecunia, ſiuè per eundem electum immediatè per ſe ipſum, vel mediate per alium cum ipſius tamen electi ſcientia, vel per alium ipſo electo penitùs ignorante de tali ſolutione facta ſit abſolutè inualida. Pro ſolutione 1

Facti ſpecies in ſuis terminis.

Aduerte, illam prouiſionem duplicitèr ad illos plures electores ſpectare poſſe. Primò quaſi indiuiſibilitèr ex prima ſui inſtitutione, quatenùs ad ipſos omnes ſpectet inſolidum, ità vt omnes concurrere debeant, nec vnus valeat ſine alio. Secundò, quaſi diuiſibilitèr, quatenus licet omnes habeant ius, vel ex inſtitutione, vel ex iure patronatus quoad præſentationem, non requiratur tamen ſingulorum electio, ſed dumtaxat maioris partis eorundem, nec vitietur ſecundum ſe ex eo, quod aliquis illorum non concurrat cum electione maioris partis eorundem electorum. Iuxtà vtrumque hunc ſenſum propoſita difficultas examinabitur. Hine 2

Quomodo prouiſio poſſit pertinere ad plures electores.

Reſpondeò primò. Si ſinguli electores requirantur indiuiſibilitèr iuxtà ſenſum expoſitum in notabili electio ſic facta eſt abſolutè inualida, & irrita. Deducitur clarè ex textu *in cap. Matthæus de ſimonia, & in cap. ſicut tuis eod. tit.* vbi iure Eccleſiaſtico declaratur irrita electio ſimoniacè facta, ſed electio, de qua loquimur, eſt ſimoniaca, ergo abſolutè irrita. Probatur minor, quia quandò plures cauſæ indiuiſibilitèr requiruntur ad eandem actionem, ſicuti vna non concurrente tota actio ceſſat, nihilque effectus ponitur, ità vna ex illis concurrente cum prauitate tota actio ea labe inficitur, & prauitate, qua illa cauſa infecta eſt, totuſque effectus infectus remanet. Confirmatur, quià abſolutè ſimoniacum eſt ex conuentione recipere beneficium pro pretio, ſeù alia re quacunque pretio æſtimabili, vt patet ex defini-

Si electio ſpectet ad omnes indiuiſibilitèr per ſimoniam vnius inualidatur quoad omnes.

tione ſimoniæ ſuprà allata, ſed in ſuppoſitione, in qua verſamur, beneficium illud eſſet receptum pro pretio, & ſine pretio non fuiſſet receptum, nam, ſi ille, qui precium recepit, non concurriſſet, non fuiſſet facta electio, ergo eſſet receptum ſimoniacè, adeòque nullitèr; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod cæteri electores, qui ſecundum ſe faciunt communem, non eſſent ſimoniaci; non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quantumuis ipſi non ſint ſimoniaci actione ipſis imputabili ad culpam, ipſa tamen actio ſecundum ſe eſſet ſimoniaca, vt potè facta per pretium, ſine quo facta non fuiſſet, ea proportionali ratione, qua, quantumuis electus ad aliquod beneficium mediante pecunia per alterum ab ipſo ſoluta ipſo prorſus ignorante, non eſſet ſimoniacus actione ſibi ad culpam imputabili, actio tamèn, qua electus fuit, vtpotè facta pro pretio eſſet abſolute ſimoniaca, ex qua ipſe electus tenetur ad beneficium, ad quod aſſumptus eſt, dimittendum per textum *in cap. ſicut tuis de ſimonia, alijſque iuribus præallegatis.*

Actio, qua quis electus eſſet in illa hypotheſi ſecundum ſe ſimoniaca

4 Reſpondeo, ſi electores non requirantur, nec concurrant indiuiſibilitèr, ſed diuiſibilitèr iuxtà modum, ſeù ſenſum ſecundò expoſitum in notabili, probabilius eſt, quod talis electio reddatur inualida ex eo, quod per vnum ex electoribus pro ſuo ſuffragio aliqua pecuniæ quantitas fuerit recepta. Ita aduerſus *Garziam de beneficijs part. 8. cap. 1. num. 12. Molfeſium in Summa tract. 6. cap. 15. num. 8. Nauarrus cap. 23. num. 103. & alij plures apud Farinacium deciſ. 22.* ſiuè ipſe electus fuerit inſcius talis ſolutionis per alium factæ, ſiue ſciens; inuenio tamen à *Rot. Rom. in vna Comenſi Iuriſpatronatus 6. Martij 1595. coram Illuſtriſſimo Card. Mellino apud Farinacium deciſ. 103.* diuerſimodè definitum.

Garzias. Molfeſ. Nauarrus. Farinac. Rot. Rō.

Probatur primò reſponſio, quia reuera poteſt dici, quod talis electio ſic facta fuerit intercedente pecunia, nam ſuffragium collatoris ſimoniaci verè contulit ad talem electionem, vt talem, prout talitèr poſita eſt, ergo vt talis, & taliter poſita eſt ſimoniaca, quæcunque autem electio ſimoniacè facta eſt ex diſpoſitione iuris poſitiui ipſo iure irrita. Antecedens probatur, quià talis electio non minus poteſt dici, quod ſit poſita ab vno ex collatoribus, ſeù melius electoribus, qui pecuniam non recepit, ac ab altero, qui pecuniam illam recepit, cum vterque ius habeat ferendi ſuffragium, & vterque contulerit, ergo non minus ab vno, quam ab altero facta cenſenda eſt illa electio, ergo, cum ab vno ſit facta mediante pecunia dicenda eſt illa electio facta abſolutè mediante eadem.

Suffragium collatoris, ſeù electoris ſimoniaci verè contulit ad talē electionem.

Dices, quod etiam fuiſſet poſita illa electio, quantumuis non concurriſſet ille, per ſuum ſuffragium, qui illam pecuniam recepit, ergo non debet vitiari per concurſum illius ſimoniacum, quandòquidem ex vulgatis iuribus vtile per inutile non vitiatur *l. qui teſtamento ff. de excuſ. tut. cap. turbat 37. diſt.* nec æquum eſt, vt ex culpa vnius ex electoribus inficietur aliorum actio ſecundum regulas iuris legitimè facta. Sed contrà, quia, ſi ille non concurriſſet, fuiſſet quidem poſita illa electio, ſed non vt talis, ſed cum illis conditionibus, quibus poſita eſt hæc, hoc eſt nòn cum illa qualitate infecta, quæ attingit totam electionem; vt talis autem ſemper eſt cum illa tabe, adeòque totalitèr maculoſa, quia licet bonum debeat eſſe ex integra cauſa, malum tamen debet eſſe ex ſingulis. Ad illud, quod ſubditur ex illo vulgato iure, quod *vtile per inutile non vitiatur* dicendum eſt in multis fallere; & primò quandò in iure expreſſum eſt, quod vtile per inutile vitietur, vt in *cap. puta 3. quæſt 9. cum ſuis concordantibus*; nam ſicuti, ſi teſtis admiſceat vero aliquid falſitatis, eius teſtimonium non valet, ſed tota teſtimonij fides partis mendatio deſtruitur, ita ſi actioni alicui ſecundum ſe gratuitæ admiſceatur aliquid onéroſi in ijs, quæ omnimodè libera eſſe debeant, tota actio dicitur oneroſa quantum ad effectum, qui per iura intenditur. Secundò fallit in ijs, quæ ſunt iuribus valdè exoſa, in quibus non ſolum malum ipſum, ſed etiam quæcunque ſpecies mali prohibetur ſub pœnis talis mali, & ſic in illis etiam vtilia vitiantur per inutilia, quod certè euenit in caſu ſimoniacæ prauitatis, in quo, quantumuis aliqua eſſent valida ſecundum ſe, inualidantur tamen nedum per aliqua inualida, ſed etiam per ſpeciem mali. Tertiò fallit in ijs, quæ ſunt adinuicem ſeparabilia *Bartolus in l. ſi ſponſus §. generalitèr de donat. inter vi. & vxor. & item in l. fin. de iuriſ. om. iud. & Card. in clem. 1. §. eadem de ſupplem. negl. prælat.*; in tali autem caſu electionis talitèr poſitæ vtile eſt ab inutili inſeparabile, cum vniantur in eodem actu electionis. Ad id tandem, quo dicitur ex culpa vnius non infici aliorum actionem dicendum eſt non infici quidem quoad culpam imputabilem eiſdem, ſed tantum quoad nullitatem iuxtà diſpoſitionem iuris, vt videre eſt in iuribus annullantibus collationem beneficiorum factam per pecuniam etiam ignorante ipſo beneficiario ſolutionem talis pecuniæ per ſuperius dicta.

Poſita non fuiſſet electio, ſed non vt talis.

Quod vtile per inutile non vitietur fallit in multis, & in quibus.

Bartolus Cardinalis.

Probatur ſecundò. Electio facta collegialitèr in capitulo admiſſo inhabili ad ferendum ſuffragium non ſubſiſtit ex diſpoſitione iuris, quantumuis illa electio facta fuiſſet, ſi ille non fuiſſet admiſſus *c. Cumana,*

Inhabilitas vnius admiſſi ad ſuffragium in Collegio

ibi

[vitiat ac‑tū quoad omnes.] *& ibi Panormitanus in prima col. verſ. ſexto nota cautelam de elect. & cap. in Geneſi eod. tit.*, ergo etiam electio facta a maiori parte eligentium concurrente tamen altero ex eligentibus ſimoniacè, non ſubſiſtet. Conſequentia probatur, quia quod concurrat inhabilis ad ferendum ſuffragium, vel quod concurrat modo inhabili, & ſecundum diſpoſitionem iuris irritante electionem, parum referre poteſt quantum ad effectum electionis.

[Panorm.]

Probatur tertiò. Electio facta à maiori, & ſaniori parte capituli inualidatur, ſi aliqui eidem contradicentes ceſſent a contradictione ex motiuo pecuniæ acceptæ *cap. Matthæus, & ibi Doctores communitèr de ſimonia*, ergo etiam erit irrita, ſi fiat per omnes electores concurrente tamen aliquo cum illis, qui mouetur ad concurſum mediante, ſeù accepta pecunia. Conſequentia probatur, quia magis lædit ipſam electionem qualitas, quæ in eiuſdem appoſitione apponitur, quam qualitas, quæ ſuperuenit electioni, ſi igitur poſt electionem ceſſatio a contradictione propter pecuniam eandem inualidat, non erit, cur in ipſa electione concurſus propter pecuniam eandem non inualidet; cum in vtroque caſu ad electionem ſupponatur legitimè concurrere maior, & ſanior pars, quæ ſecundum ſe ſupponitur ſufficiens ad validitatem eiuſdem.

[Argumentum efficax deductum ex c. Matth. de ſimonia.]

§. XXV.

An ſit ſimonia inuicem conuenire de mutua obligatione conferendi beneficia ad inſtantiam contrahentium.

SVMMARIVM.

Proponitur factum in terminis particularibus 1.

In tali mutua conuentione interueniret ſimonia Eccleſiaſtica 2.

Diſcrimen inter pactiones circa Eccleſiaſtica beneficia, & Regularia officia 3.

1 DIſquiſitio XXV. Vacat quoddam beneficium, quod ius habent conferendi diuerſæ perſonæ, vel eligendi, ſeù præſentandi. Vnus ex electoribus, ſeù Patronis dicit alteri *Elige, ſeù præſenta Caium familiarem meum, & ego eligam, ſeù præſentabo Antonium amicum tuum.* Quæritur hic, an in hac conuentione interueniat labes aliqua ſimoniæ. Proponunt hanc difficultatem *Silueſter verb. ſimonia quæſt. 13. art. 4. & Azorius Inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 6. quæſt. 3. verſ. ſimonia etiam vitio*, qui ambo concludunt talem conuentionem non carere ſimonia. Non difficilis agendi hæc via, quandòquidem per præcedentia fuit explanata.

[Silueſter.] *[Azorius.]*

2 Reſpondeo igitur cum eiſdem in huiuſmodi conuentionibus propriè interuenire ſimoniam iuris Eccleſiaſtici. Colligitur primo reſponſio *ex cap. quæſitum de rerum permut.* vbi prohibentur beneficiorum permutationes ſine auctoritate Superioris, ſeù Epiſcopi, & aliter factæ declarantur ſimoniacæ, & ex pluribus alijs iuribus prohibentibus ſub tali labe quaſcunque pactiones, & conuentiones circa Eccleſiaſtica beneficia, vi quarum teneantur paciſcentes eadem conferre.

[Prohibentur quæcunque pactiones circà Eccleſiaſtica beneficia.]

3 Quod ſi dixeris ex ſuperius dictis *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimonia in Diſq. 1. §. 12.* Non eſſe ſimoniacam conuentionem, quæ quandòque fit inter Regulares, qua quis dicit alteri. *Elige me in Generalem, & ego eligam te in Prouincialem, vel Præpoſitum*, adeòque non videri etiam ſimonicam pactionem, ſecundum quam quis dicit alteri. *Elige familiarem meum ad hoc beneficium, & ego eligam tuum ad illud*, vbi aliud diſcrimen non eſt, niſi quod in primo caſu conuentio eſt inter contrahentes ad ſui fauorem; in ſecundo verò eſt inter eoſdem ad familiarium ſuorum vtilitatem; Reſponſionem immediatè poteris accipere ex ijs, quæ loco citato dicta ſunt, ſiquidem Prælaturæ Regulares propriè non ſunt beneficia Eccleſiaſtica, adeòque iura, quæ circà hæc ſunt diſpoſitiua, non poſſunt ad illas extendi.

[Prælaturæ Regulares non ſunt propriè Eccleſiaſtica beneficia.]

DISQVISITIONES II.

A ſexta ad duodecimam Prænotionem incluſiuè.

§. I.

An reſignatio cum pacto, vt reſignans percipiat fructus, dum viuit, ſit ſimoniaca.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries, & excitantur varij articuli circà ipſum 1.

Si reſignatio facta fuerit cum illis pactis, & conditionibus, de quibus in facti ſerie, & reſignata ſupplicatio in fauorem reſignatarij ante reuocationem prædictarum conditionum, eſſet vere, & realitèr ſimoniaca, ſecus autem, ſi ante ſignationem ſupplicatio‑

cationis eſſet reuocata pacta 2.
Reſignatio completa, quæ ſubſecuta fuit poſt factam reuocationem talis pacti ſubſiſtit 3.
In illa reſignatione ſic facta poſt reuocationem nulla propriè interuenit confidentia, benè tamèn, ſi præſumeretur inde oriri aliqua obligatio conferendi fructus in ipſum reſignantem, & in hoc caſu eſſet magna præſumptio talis obligationis, ſi poſteà fructus conferrentur reſignanti 4.

1 DIſquiſitio I. Rogatus fuit Antonius beneficiarius per quendam Equitem, vt beneficium, quo gaudebat, reſignaret in manibus Pontificis in fauorem cuiuſdam familiaris eiuſdem Equitis, cui conſenſit idem Antonius. Antequam tamèn fieret huiuſmodi reſignatio eiuſdem beneficij in manibus Pontificis conuenerunt adinuicem inter ſe reſignatarius, & reſignans intercedente etiam eodem Equite, vt fructus talis beneficij, quouſque viueret, perciperentur ab eodem reſignante, & per reſignatarium datum fuit chirographum talis pactionis eidem reſignanti. Re poſteà attentè conſiderata, & cognita prauitate in tali pacto receſſerunt ab eodem, & voluerunt, vt ſimplicitèr fieret reſignatio, & ità facta fuit, & fuit expedita ſupplicatio in fauorem reſignatarij. Circa propoſiti facti ſeriem multa controuertenda occurrunt, & primò, an illa pactio cum illa fructuum reſeruatione ſit ſimoniaca. Secundò, an teneat reſignatio, quæ ſubſecuta fuit poſt factam reuocationem præcedentis pacti. Tertiò, an illa reſignatione intelligatur interuenire conuentio ſimoniaca confidentialis, eo quia, quamuis ſit reuocatum illud pactum, intelligatur tamen quodamodò inducta quædam obligatio reſignatario conferendi fructus reſignanti.

Excitantur varij articuli examinandi.

2 Reſpondeo primò, ſi illa reſignatio facta fuerit cum illis pactis, & conditionibus, de quibus in facti ſerie, & reſignata ſupplicatio in fauorem reſignatarij ante reuocationem prædictorum pactorum, ſeù conditionum eſſet verè, & realitèr ſimoniaca, non eſſet autem, niſi mentalitèr talis, ſi reuocatis talibus conditionibus poſtea reſignaretur ſupplicatio in fauorem eiuſdem reſignatarij. Ita ſentit expreſsè *Nauarrus conſil. lib. 5. conſ. 48.*

Reſponſio prima ad diſtinctione.

Nauarrus.

Ratio quoad ſecundam partem facilè ex eo deduci poteſt, quod ſimonia realis non eſt, niſi vbi completa eſt conuentio ex vtraque parte per ea, quæ ſupra latè tradidimus, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, ex neutra parte illa conuentio eſſet completa, ergo &c. Minor probatur; non ex parte reſignantis, eo quia reſignatio ipſa completa non eſt, niſi cum eadem fuerit per Pontificem approbata, & collatum beneficium per eundem reſignatario; tùm quià ante illam beneficium non vacat reſignanti, tùm quia ipſe reſignans ſecundum ſe non poteſt conferre ius in reſignatarium, ſed ſolummodò ſuperior poſt acceptatam reſignationem in communi omnium ſententia, tùm quia adhuc liberum eſt reſignanti à conuentione, ſeù pacto recedere; non ex parte reſignatarij, cum non intenderit conferre illud ius ad fructus, niſi completa reſignatione, & poſt collationem, & licet tradiderit illud Chirographum promiſſionis, illud non tradidit, vt partem promiſſi, ſed dumtaxat, vt probatio eiuſdem promiſſionis ſuppoſita collatione vndequaque completa, quia tunc incipit ſolummodò ius ad tales fructus ex vi reſignationis.

Non eſſet completa, nec ex parte reſignantis, nec ex parte reſignatarij.

Dices primò, quod beneficiarius ſolùm promiſit reſignare, & de facto reſignauit, ergo quantum fuit ex ſe compleuit, ergo ex parte eiuſdem talis conuentio fuit completa. Sed contra, quia promiſſio illa eſt dumtaxat incohatio reſignationis, non reſignatio completa, cum ſemper dicat ordinem ad ſuperioris collationem, ſine qua perinde eſt, ac ſi non eſſet, vndè ſicuti, ſi Superior non annueret tractatui conuenientium iuxta ea, quæ ſuperius dicta ſunt, beneficium adhuc remaneret apud reſignantem, ita ante eiuſdem approbationem, & collationem perindè eſt, ac ſi non fuerit facta, cum ſolummodò ſit diſpoſitio ad perfectam reſignationem, non perfecta, & completa reſignatio.

Promiſſio eſt dumtaxat incohatio reſignationis.

Dices ſecundò, reſignationem beneficij ſpiritualis eſſe actum ſpiritualem, qui propterea, ſi fiat pro aliquo temporali, eſt ſimoniacus *arg. cap. quam pio 2. quæſt. 2.* ſed iam illa reſignatio, quantum eſt ex parte reſignantis eſt poſita, ergo eſt poſitus pro temporali actus ſpiritualis, ergo ex parte eiuſdem eſt completus. Sed contra reſpondeo, reſignationem completam beneficij ſpiritualis eſſe actum formalitèr ſpiritualem, non ſic reſignationem inchoatam, & incompletam, quæ non eſt talis, niſi terminatiuè, quatenùs eſt de re ſpirituali. Dixi reſignationem completam eſſe actum ſpiritualem formalitèr, quia vt talis procedit à poteſtate ſpirituali, non ſic incompletam, prout importat promiſſionem, quæ poteſt eſſe ſine ſpirituali poteſtate, quæ ſit in contrahentibus, vt ex ſe patet, cum poteſtas ſpiritualis conferendi ſolum reſideat penès Superiorem.

Reſignatio completa beneficij ſpiritualis eſt actus ſpiritualis, non ſic incompleta, & inchoata.

Ratio quoad primam partem facilè ex eo poteſt deduci, quia poſita collatione per Pontificem poſt acceptatam reſignationem eſt translatum ius ad tale beneficium in ipſum reſignatarium, adeò vt dicatur.

catur abſolutè vacans reſpectu reſignantis, qui non eſt ampliùs liber ad recedendum, & ex alia parte ipſe reſignans ex vi conuentionis incipit habere ius ad fructus talis beneficij, ergo eſt contractus ex vtraque parte completus, adeoque, cum ſit factus pro pecunia, erit adęquatè ſimoniacus, adeoque realitèr talis; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, ex parte reſignatarij non fuiſſe illam ſimoniam completam, quandòquidem ipſe nullos fructus dedit, ſolùmque Chirographum, quod non eſt pars promiſſionis, ſed eiuſdem dumtaxat probatio; non, inquam, obeſſe poteſt, quia quantumuis chirographum illud non eſſet pars promiſſi, ſed dumtaxat probatio promiſſionis, vt dicitur in inſtantia, ius tamen, quod ex vi illius confertur, ſeù cuius eſt probatio, quod quantum eſt ex vi conuentionis immediatè poſt perfectam reſignationem eſt conceſſum, eſt reale, & immediatè in ipſo reſignante, & quamuis de facto fructus non percipiat, non eſt ex defectu eiuſdem iuris, quatenùs hoc non ſit translatum in ipſum, ſed ex qualitate eorundem fructuum, qui non niſi determinato tempore colliguntur. Quod ſi dicas, quod illud ius non valeat, vtpotè ſimoniace conceſſum, adeòque perinde eſſe, ac ſi non fuerit in ipſum reſignantem translatum; ſtatim impugnaberis, quia, vt benè aduertit *Nauarrus conſil. lib. 5. conſ. 48. num. 2.* adhoc, vt ſimonia realis committatur, non eſt neceſſe, quod tam actus ſpiritualis, qui conceditur, tam ius correſpondens valeat, ſed ſufficit, quod valeat, ſi non eſſet ſimonia infectus; cæteroqui nulla eſſet ſimonia realis, cùm in eadem ex diſpoſitione iuris nec actus valeat, nec ius ex ſparsim ſuprà allegatis.

Euincitur complementũ ex vtraq; parte.

Nauarrus.

3 Reſpondeo ſecundò, reſignationem completam, quæ ſubſecuta fuit poſt factam reuocationem talis pacti verè ſubſiſtere. *Nauarrus loco citato.*

Nauarrus.

Probatur, quia illa reſignatio in ſuo eſſe completo eſt omninò libera, nec vitiatur per præcedentem conuentionem, ergo non eſt, cur non debeat ſubſiſtere. Antecedens quoad primam partem ex ſe patet, quia facta eſt plena auctoritate Superioris, & ipſis contrahentibus nullo onere affectis; quoad ſecundam verò ſic euincitur, quia præcedens conuentio perindè eſt, ac ſi non fuerit poſita, ergo per illam vitiari nequit reſignatio aliòqui legitimè facta quoad ſuum eſſe completum. Antècedens probatur, quia conuentio non facta, ac conuentio quidem facta, ſed reuocata, antequam reſignatio ſuum habeat complementum, idem omninò ſunt, nam, licèt conuentio facta arguat fœditatem in animo contrahentium, nihilominus non afficit ipſum actionem completam, quandò

Conuentio reuocata ante implementũ perinde eſt, ac ſi non fuiſſet poſita.

antecedentèr ad ipſam ſublata eſt.

Dices, per diſpoſitionem iuris poſitiui non ſolum prohibentur ſub labe ſimoniæ collationes beneficiorum completæ, & perfectæ, ſed omnes actus, qui ad eaſdem conducere poſſunt, vt notant Doctores communitèr *ex extrauag. Pauli II. inter communes de ſimonia*, & ratione ipſorum etiam eædem collationes, ſi indè ſequantur, ſed illa reſignatio facta præcisè inter contrahentes eſt ſimoniaca ſaltem mentalitèr, ergo ratione eiuſdem erit talis etiam ipſa collatio completa facta per Pontificem poſt acceptatam reſignationem. Sed contra, fateor, prohiberi nedum ipſas collationes beneficiorum completas, & perfectas faciendas pro pretio, ſeù alia re, ſeù iure pretio æſtimabili, ſed etiam omnes actus ordinatos ad eaſdem, quinimmò illos actus præcedentes ſimoniace factos inficere ſimoniaca prauitate ipſas collationes; hæc tamen verificantur dumtaxat, quandò huiuſmodi actus, ſeù incohationes collationis, vel Phyſicè, vel moralitèr perſeuerant, & coniunguntur cum eiſdem collationibus, ſecùs autèm, quandò antecedentèr tum Phyſicè, tùm moralitèr defecerunt, vt euenit in caſu noſtro, ſecundum quem illa conuentio ſimoniaca præcedens per poſitiuam retractationem intelligitur abſolute reuocata.

Prohibentur ſimoniacè huiuſmodi actus, quãdo perſeuerant, & coniunguntur iſdem ipſis collationibus,

2 Probatur ſecundò ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 4. §. 3. num. 2.* Mutuatio facta cum onere aliquo pretio æſtimabile conferendi ex mutuo vltra ſortem deſinit eſſe vſuraria, ſi retribuendo gratuitò mutuatario mutuans mutata voluntate, ac retractata oneroſitate illud non recipiat, vt debitum ex iuſtitia, ſed præcisè ex libero motiuo gratitudinis, & titulo liberalitatis ipſius mutuatarij volentis conferre, ergo a fortiori non erit ſimoniaca reſignatio completa beneficij, ſi facta conuentione de conferendis fructibus beneficij eidem reſignanti per reſignatarium poſtea per voluntatem contrariam vtriuſque fuerit reuocata illa conuentio, antequam completa fuerit ipſa collatio, ſeù reſignatio per collationem factam per Pontificem.

Euincitur exemplo mutuationis factæ retractato a parte ſe..

Reſpondeo tertio. In illa reſignatione ſic facta nulla propriè intelligitur confidentia ſimoniaca, benè tamèn, ſi præſumeretur inde oriri aliquam obligationem conferendi fructus in ipſum reſignantem, & in hoc caſu eſſet magna præſumptio talis obligationis intentæ, ſi poſtea fructus conferrentur eidem reſignanti. Eſt contra *Nauarrum loc. cit.*

Probatur quoad primam partem ex ſuperius dictis, quia ex eo, quod illa conuentio ſit per contrariam voluntatem reuo-

cata

Voluntas non poſita, & voluntas retractata paria ſūt.

cata intelligitur reſignatio ſimplicitèr facta, nec vlla apparet ratio confidentiæ, ergo &c. Antecedens patet, quia ex ſuperius dictis voluntas non poſita, & voluntas antecedentèr ad effectum reuocata paria ſunt quoad eundem effectum.

Probatur iam quoad ſecundam partem, quià, quantumuis interueniret in illa reſignatione pactum implicitum contribuendi fructus beneficij reſignanti, non propterea ibi non eſſet confidentia, prout egregiè nos etiam conſiderauimus *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimonia Pranot. 13. ſect. 1. verſ. committitur non ſolum* aduerſus eundem Nauarrum, quandòquidem, quamuis in terminis Bullæ Pij V. ibi per extenſum appoſitæ dicatur *Alij, vel alijs*, quæ dictiones important alteritatem à reſignante. Nihilominus in terminis Bullæ Pij IV. comprehenditur etiam ſub ſimonia confidentiali reſeruatio fructuum in fauorem eiuſdem reſignantis - Ibi - *Et ſibi propterea penſiones &c.* quod certè incongruum non videbitur, ſi attendantur finis, & cauſa, propter quas prohibita eſt ſimonia confidentialis. Quamobrem ad illas dictiones *Alij, & alijs* appoſitas a Pio V. dicendum eſt, eas appoſitas fuiſsè ampliatiuè, non reſtrictiuè.

Nauarrus. *Pius V.* *Pius IV.*

Probatur tandèm quoad tertiam partem, quià illa contributio fructuum poſt poſſeſſionem captam beneficij à reſignatario in fauorem reſignantis facit non remotè præſumere, quod nedum fiat intuitu reſignationis, ſed etiam obligationis quodamodò exortæ ex illa præcedenti conuentione, quæ, quamuis fuerit reuocata, præſumitur tamen in virtute durare; vndè meritò Pius V. enumerans preſumptiones, ex quibus coniectari poſſit confidentia beneficialis, ſeù in beneficijs *Quicunque ſucceſſor illi*, ideſt reſignanti, *vel eius propinquis fructus, aut partem aliquam remiſerit eorundem*. Rursùs ſubiungit. *Deinde aliquid de fructibus talis beneficij de facto etiam per manus poſſeſſoris, ac etiam ſimplicis donationis titulo perceperit*; quod in fortioribus terminis arguitur ſuppoſita illa conuentione, quæ, quamuis retractata dicatur, preſupponitur tantum id factum ad precauendas pænas, cæterum in re perſeuerare.

Coniecturæ ex quibus argui poteſt confidentia ſimoniaca.

---

§. II.

De tranſactionibus in beneficijs.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus difficultatis 1.
Nonnulla præſcienda ad quæſitum 2.
Tranſactio facta per ipſos collitigantes præcisè, in qua ius ſpirituale pro temporali remittitur, ſeù retinetur, eſt ſimoniaca 3.
Non eſt ſimoniacum, ſi ſuper controuerſia in beneficio dubio ex orta partes componantur ad inuicem auctoritate Iudicis, & Superioris decernentis, vt vnus ex collitigantibus beneficium habeat, & ſoluat alteri penſionem, vel quid aliud 4.
Probabilius etiam non eſt ſimoniaca tranſactio facta per Arbitros electos à collitigantibus 5.
Tranſactio rei ſpiritualis pro alia ſpirituali, quarum neutra ſit beneficialis, non eſt ſimoniaca, quantumuis fiat per ipſos collitigantes ſine Superioris auctoritate 6.
Quamuis beneficium ſit diuiduum, non poteſt tamèn per tranſactionem diuidi, & vna pars vni, altera alteri adiudicari ſine auctoritate Summi Pontificis 7.
Tranſactio quoad beneficium incertum, & dubium pro alia re ſpirituali non poteſt licitè fieri ſola collitigantium voluntate, ſed requiritur Prælati auctoritas 8.

Diſquiſitio II. Orta fuerat controuerſia inter duos circa quoddam beneficium, quæ certè pro vtraque parte ius incertum, & æquè dubium præferebat. Diſcuſſis hinc inde rationibus conſentientibus collitigantibus ad hanc concordiam deuentum eſt, vt alter beneficium retineret ceſſis eidem alterius rationibus ad magis firmandum ipſius ius, ſed ſolueret cedenti ſibi ius ſuum determinatam pecuniæ quantitatem, vel totam ſimul, vel ſucceſſiuè ſingulis annis, prout fuerit conuentum, vel fortè etiam quid aliud impenderet. Compoſita iam inter eoſdem hoc pacto lite, ſeù controuerſia ex tali compoſitione acrior alia conſurgit inter Theologos, & iuris Canonici interpretes, an in tali conuentione intercefferit aliqua labes ſimoniacæ prauitatis. Pro cuius controuerſiæ, ſeù litis ſolutione 1

Exponitur ſtatus.

Aduerte primò, difficultatem hanc non procedere de quacunque compoſitione, quæ quomodolibet intercedere poteſt inter duas perſonas ſuper eodem beneficio, ſed de propria, & formali tranſactione, quæ in hoc diſtinguitur ab illa, quod ipſa eſt pactio non gratuita in dubia, & ſub incerta lite conſtituta iuxtà textum *in l. 1., & 2. de tranſact.* compoſitio verò poteſt eſſe remiſſio gratuita, & in iure certo, & extrà omnem litem, prout rectè obſeruarunt cum communi omnium ſenſu *Suarez lib. 4. cap. 51. num. 1. Ognate tract. 23. de ſimonia diſp. 84. ſect. 13. num. 268. Fillucius cap. 11. quæſt. 8.*, ex quibus habes, ad tranſactionem propriè ſumptam, de qua hic loquimur, tria requiri primò, vt ſit pactio iuſtitiæ; 2

Diſcrimen inter tranſactionem & compoſitionem. *Suarez.* *Fillucius.*

Conditiones requiſita ad tranſactionem.

Secundo, quod non ſit libera, & merè gratuita, ſed cum aliqua obligatione, ſeù onere. Tertiò, vt ſit in re omninò dubia, & in iure incerto ſiuè lis iam intentata fuerit circa illud, ſiuè poſſit intentari *l. eleganter §. ſi quis poſt ff. de condit. indeb. l. 2. C. de tranſact.* & ibi communitèr Iuris interpretes

Dupliciter poteſt fieri tranſactio, & quomodò.

Aduerte ſecundò, hanc tranſactionem, ſeù concordiam in iure iſto incerto, & ſub lite, vel iam poſita, vel ponibili, vel poſſe eſſe ſolummodò per collitigantes inter ſe conuenientes, quatenùs vnus ex illis liti cedens dimittat beneficium aliqua penſione, ſeù pecunia recepta, vel poſſe eſſe per Iudicis auctoritatem, ſiuè ſententiam, qui re ex vtraque parte maturè diſcuſſa partes concordet in eo, quod vnus beneficium pacificè retineat, ſed ſoluat alteri collitiganti penſionem, ſeù certæ pecuniæ quantitatem, ſeù beneficium dimittat recepta ab altero penſione, ſeù certa pecunia, vel tandèm per auctoritatem iuſti, & boni arbitri, in quem ob bonum pacis per collitigantes compromiſſum ſit factum, quatenùs iſte conſiderato vtriuſque iure ſuum laudum proferat, quo vni beneficium decernat, alteri penſionem, ſeù certam pecuniam.

Concordia, vel poteſt eſſe res ſpiritualis pro temporali, vel ſpiritualis pro ſpirituali.

Rurſus hæc tranſactio, vel concordia ſuper iure incerto, vel poteſt eſſe in conuentione rei ſpiritualis pro temporali, puta pro pecunia, vel penſione temporali, vel in conuentione rei ſpiritualis pro alia re ſpirituali, quod multiplicitèr etiam poteſt contingere; primò, quatenùs res ſpiritualis, ſeù beneficium, ſuper quod cadit lis, ſeù controuerſia ſit quodamodò diuidua, ſeù diuiſibilis, & fiat conuentio, quod vni vna pars cedat, alteri altera. Secundò quatenùs, cum res obnoxia liti ſit indiuidua; fiat conueutio, quod pro eadem, quæ vni remanere debet, ſeù vni adiudicari, fiat retributio alterius rei ſpiritualis, ſiuè ſit beneficium, ſiuè aliud ſpirituale in diuerſo genere. Quibus pro notitia ſuppoſitis, & procedendo ſemper intra terminos veræ tranſactionis.

3 Reſpondeo primò, tranſactio facta per ipſos collitigantes præciſè, in qua ius ſpirituale pro aliquo temporali remittitur, ſeù retinetur eſt ſimoniaca *Gloſa, & Innocentius in cap. 2. & in cap. ſuper eo de tranſact. Maior in 4. diſt. 25. quæſt. 5. ad quartum, Silueſter in verb. renuntiatio quæſt 9. verſ. 4. Angelus eod. verb. num. 5. Panormitanus in cap. niſi eſſet num. 6. de præbend. & in cap. cum pridem de pactis, Bonacina tract. de ſimonia quæſt. 6. punct. 5. Ognate d. tract. 33. diſp. 84. ſect. 13. num. 274.*

Gloſ. Innocentius. Maior. Silueſter Angelus Panorm. Bonacina. Ognate.

Probatur primò ex varijs iuris canonici definitionibus, & primò *ex d. cap. cum pridem de pactis*, vbi Pontifex in terminis ſimilem conuentionem in iure litigioſo factam non confirmandam, ſed reprobandam duxit, quia *prauam illicitæ pactionis ſpeciem continebat*: Secundò ex textu *in cap. 2. de Arbitris*, de quo tamen erit ſermo infra, dum de concordia per Laudum arbitrorum. Tertiò ex textu *in cap. præterea de tranſact.* vbi Lucius IV. Epiſcopo Ormenſi ſcribens dicit, quod *ſicuti ſuper iure præſentandi, ita ſuper annexo non poteſt tranſigi, vt recedatur à lite interueniente aliqua temporalitate, cum ipſa pactio ſimoniaca meritò videatur*.

Iura id conſtat reſponſiua.

Probatur ſecundo ratione, quia ex ſuperius dictis *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. Diſquiſ. 1. §. 17. ſub reſp. 3. in fine verſ. ex dictis in hac reſponſione* ſimoniacum abſolutè eſt pecunia redimere vexationem, qua quis impetitur poſt obtentum beneficium, quandò ipſius ius, quod habet in beneficio eſt dubium per ea, quæ latè notauit *Ognate dict. tract. 23. diſp. 84 ſect. 12. part. 2. num. 268. Reginaldus lib. 23. quæſt. 2. num. 131. Suarez d. lib. 4. cap. 50. num. 11.* ergo etiam erit ſimoniacum tranſigere ſuper beneficio, vel illud retinendo, & erogando pecuniam alteri, vel illud dimittendo alteri, & ſibi recipiendo, vel pecuniam, vel penſionem, quandòquidem ipſa tranſactio ex ſuo conceptu per ſuperius notata importat ius dubium, & omninò incertum. Antecedens probatur, quià illa redempeio nil aliud importat, quam quod facit ius certum in beneficio, quod antecedentèr erat incertum, ſed acquirere ius certum in beneficio, quo antecedentèr non erat pro pecunia eſt ſimoniacum, vt per ſe patet, ergo &c.

Ognate. Reginaldus. Suarez.

Acquirere ius certum in beneficio per pecuniã, quod antecedentèr erat incertum, eſt ſimoniacũ.

Probatur tertiò, quià permutatio beneficij Eccleſiaſtici, ſeù iuris ad beneficium pro re temporali pretio æſtimabili eſt abſolutè ſimoniaca, ergo etiam erit ſimoniaca tranſactio, qua pro iure in beneficio recipitur aliquod temporale. Antecedens non vertitur in dubium. Conſequentia probatur, quia ipſa tranſactio eſt quædam ſpecies permutationis, & cum per ipſam acquiratur reſpectu accipientis, vel detinentis ipſum beneficium aliquod ius nouum, quod prius non habebat, & vtique pro pecunia, ſeù aliqua re pretio æſtimabili, vtique ſequitur, quod ſit permutatio iuris alicuius ſpiritualis pro re temporali, adeòque &c.

Tranſactio eſt quædam ſpecies permutationis.

Reſpondeo ſecundò. Non eſt ſimoniacum, ſi ſuper controuerſia in beneficio dubio exorta partes componantur ad inuicem auctoritate Iudicis, & Superioris decernentis, vt vnus ex collitigantibus beneficium habeat, & ſoluat alteri, vel penſionem, vel certam pecuniæ quantitatem. *Archidiaconus in cap. ea, quæ 1. quæſt. 3. Abbas in cap. niſi eſſet de præbend. Silueſter in verb. Renuntiatio quæſt. 6. art. 2. Angelus verb.* 4

Archidiaconus. Abbas. Silueſter.

ſimo-

Angelus. Tabiena. Azorius.

ſimonia 7. Angelus verbo renuntiatio num. 5. Tabiena verbo renuntiatio num. 4. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 8. quaſt. 8. verſ. oppoſitum dicit.

Probatur primò ex *d. cap. niſi eſſet de præbendis*, vbi habetur, quod, *ſi duo electi ad aliquam dignitatem compromittant in Iudices, poterit Iudex alterum confirmare, & alteri pro bono pacis de prouentibus prouiſionem facere*, ibique in titulo legitur, quod iſta eſt pulcherrima diſpoſitio, & in toto corpore iuris non habeatur conſimilis. Quod, ſi ibi Pontifex dixerit, *Toleramus*, quod non videtur importare confirmationem facti, hoc intelligendum eſt, non quatenùs ipſa compoſitio, ſeù concordia facta fuerit per Iudices tales, ſed ſe referendo ad alia facta, ex quibus quandòque ex conditione Iudicum poſſunt ſimilia facta reddi ſuſpecta, & ex qualitate perſonarum, ſicque Pontifex dixit, *toleramus*, ne videatur in totum laudare, & ne in exemplum traheretur etiam quoad alias perſonas, ſeù Iudices, in quibus ex tali conditione poteſt quandòque eſſe ſuſpicio; cæterum, cum approbet in iſtis, videtur approbare ipſam compoſitionem ſecundum ſe, & ſi in alijs eſt reprobanda, erit ratione conditionis perſonarum, non compoſitionis ſecundum ſe.

Bina euidentia reſponſione, earumque explicatio

Probatur ſecundò ratione, quià in Iudice non poteſt eſſe illa præſumptio malitiæ, quæ poteſt conſiderari in ipſis contrahentibus, ergo quantumuis ſit ſimoniaca illa tranſactio facta inter collitigantes inter ſe, non erit tamen talis compoſitio facta ſuper tali beneficio dubio auctoritate Iudicis. Antecedens probatur, quia conuentio illa facta inter partes ſpeciem habet malitiæ, quia cum ipſæ regularitèr non reſpiciant, niſi vtilitatem propriam, & maximè temporalem, non leue eſt fundamentum, quod ſpirituale conferant pro temporali; illa autem compoſitio facta per arbitrium, ſeù auctoritatem Iudicis talem malitiæ apparentiam non præfert, quia vt benè notat *Suarez cap. 51. num. 20. in fin.* ratione officij præſumitur rectè operari, & ſecundum iuris ordinem, & ratione eiuſdem officij eidem conceſſum ſuppouitur, vt poſſit vtrique parti prouidere de fructibus beneficij ipſius, ergo &c.

Ceſſat in Iudice quæcunq; præſūptio malitiæ.

Suarez.

Dices, arbitrio Iudicis non poteſt eſſe conceſſum, vt pro ſpirituali, quod quis plenè acquirat, fiat compenſatio in temporalibus, quorum ſoluendorum onus in ſe ipſo ſuſcipit, cum hoc nihil aliud ſit, quam commutatio rei ſpiritualis pro temporali iuxta ſuperius dicta, ſed in data hypotheſi ille, cui beneficium eſſet adiudicatum, acquireret ius ſpirituale, quandòquidem illud ius, quod erat incertum, modo ſit certum, quinimmò eſſet nouum ius, & pro illo erogaret temporale, ergo arbitrio Iudicis hoc nequit fieri. Sed contrà, nam Iudex adiudicando illam pecuniæ erogationem, ſeù penſionis ſolutionem reſpectu detinentis, ſeù acquirentis plenè beneficium, illam non adiudicat, vt pretium illius iuris, ſed in bonum pacis ex prouidentia Iudicis, vt innuiſſe videtur Pontifex *in d. cap. niſi eſſet de præbendis*, quod bonum pacis affert vtilitatem temporalem ipſam habenti, ſicuti enim lites magna inferunt incommoda temporalia, ita pax maxima commoda, & certè temporalia pretio compenſabilia; quod ſi deindè illud bonum pacis, & vtilitatis ex illa conſequentis præſupponat acquiſitionem illius iuris certi, quod prius erat incertum, ſeù noui illius iuris, hoc omninò per accidens eſt, & per ſe principalitèr non conſideratur. Quod ſi vlteriùs vrgeas, quod etiam hac ratione poſſet fieri illa compoſitio per ipſos contrahentes ſine auctoritate Iudicis, quandòquidem ipſi quoque poſſunt reſpicere illud bonum pacis, & vtilitatis, vt per ſe patet, ſtatim impugnaberis; tùm quia in ipſis non præſumitur hæc intentio, tùm quia ex diſpoſitione iuris ipſis eſt vetitum propter dictas præſumptiones, & ſolum conceſſum ex prouidentia ipſis Iudicibus, & ex proprio officio hoc adiudicare, cum per hoc tollatur quæcunque præſumptio.

Iudex non adiudicat illa pecuniæ quantitatem vt pretiū iuris, ſed in bonum pacis.

In collitigantibus no præſumitur hac intentio boni pacis.

Dices ſecundò ex ſuperius dictis, nonniſi auctoritate Summi Pontificis poſſe fieri ſeparationem iuris ad temporales prouentus a iure ſpirituali beneficij, quandòquidem de iure communi beneficia ſunt integrè conferenda, & cum ſolus Pontifex poſſit in iure communi diſpònere ipſe ſolum poteſt inducere ſuper beneficio penſiones ſeparando &c. ergo auctoritate Iudicis non poterit fieri illa compoſitio, ſecundum quam alteri reſeruetur penſio, vel onus in altero retinente beneficium ſoluendi eidem certam pecuniæ quantitatem. Conſequentia probatur, quia per illam compoſitionem fit quodammodò ſeparatio quædam iuris ad prouentus ab ipſo beneficio propter obligationem, quæ inducitur in eodem, cui adiudicatur beneficium, ſoluendi, vel talem penſionem, vel pecuniam; quod idem confirmaſſe videtur *Gloſa in eod. cap. niſi eſſet de Præbendis* addens rationem *ne circà prouentus prioratus aliqua ſectio fieri videatur*. Sed contra, quia, vt bene aſſerit *Suarez d. cap. 51. num. 19. in fin.* quamuis renuntiatio, ſeù permutatio beneficij cum reſeruatione penſionis regularitèr nequeat fieri ſine auctoritate Pontificis, in caſu tamen tranſactionis ex prouidentia Iudicis, & ob bonum pacis fieri etiam per Epiſcopum a iure non reprobatur, & hæc eſt vna, & quaſi

Gloſa. Suarez.

Eſt ex prouidentia Iudicis, & in bonū pacis.

præ-

præcipua ex illis exceptionibus, quibus limitatur illa Generalis regula, qua dicitur, quod *beneficia ſine diminutione conferantur*, & ſic iam vſus obtinuit.

5 Reſpondeo tertiò. Probabilius eſſe non committi etiam ſimoniam per compoſitionem illam per modum tranſactionis factam per Arbitros, qui ſecundum ſe non ſint Iudices, niſi ex electione eorundem collitigantium *Abbas in cap. niſi eſſet de Prabendis, Silueſter verb. Renuntiatio quaſt. 6. Angelus verb. ſimonia 7. Tabiena verb. renuntiatio nu. 7. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 8. quaſt. 7. verſ. quod ſi litigantes Suarez lib. 4. de ſimon. cap. 51. nu. 43. Anton. in d. cap. niſi eſſent de praben. num. 7.* Ratio ex eo facile poteſt deduci, quia in iure hoc laudum non inuenitur reprobatum, quinimmò potiùs commendatum *in cap. 2. de arbitris*, vbi compromiſſum factum fuerat in duos clericos, qui non erant Iudices, & tamèn ibi Pontifex concludit. *Si arbitrium ipſum videris aquitate ſubnixum ad obſeruantiam illius vtramque partem compellas.* Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, Arbitros non poſſe habere maiorem auctoritatem illa, quæ illis confertur à collitigantibus; ſicuti igitur ipſi collitigantes per ſuperiùs dicta non poſſunt talitèr tranſigere, nec talitèr tranſigere poſſe videntur arbitri, ſeù quod idem eſt componere inter illos per viam tranſactionis. Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, quamuis electio arbitrorum dependeat a voluntate compromittentium, auctoritas tamen iudicandi in ipſis eſt a iure ſuppoſita tali electione, quandòquidem in iure Iudices, & arbitri æquiparantur *In ſpecul. de libel. concep. §. reſtat in verſ. ſed nunquid coram arbitrio l. 1. ff. de arbit.* & ipſe arbiter ſuſtinet vices Iudicis *In ſpecul. de alle. & diſp. §. ſatis clare in verſ. ſed numquid arbiter.* Deindè ceſſat omnis ratio, vbi per Pontificem non reprobatur huiuſmodi laudum; vnde diſpar omnimodò eſt ratio de tali tranſactione facta per collitigantes inter ſe, & de tranſactione facta per laudum Arbitri; in illa etenim poſſunt eſſe illæ præſumptiones, de quibus ſuprà, quæ ceſſant in iſta.

Abbas. Silueſter. Angelus. Tabiena. Azorius. Suarez.

Facta electione arbitri, & Iudices æquiparantur.

Speculat.

6 Reſpondeo quartò, tranſactio iuris ſpiritualis, quod non ſit beneficiale pro aliqua re ſpirituali non beneficiali non eſt ſimoniaca, quantumuis fiat per ipſos collitigantes ſine auctoritate Superioris. Eſt conformiter ijs, quæ ſuprà dicebamus, & conſentiunt *Abbas in cap. 2. & ibi etiam Innocentius de tranſactione, & Doctores communiter in cap. ad quaſtiones de rerum permutatione.* Ratio ex dictis ſuperius facilè deducitur, quià talis tranſactio nec eſt ſimonia iuris naturæ, nec diuini, nec Eccleſiaſtici; non naturalis, & diuini, quià non eſt contractatio rei ſpiritualis pro temporali, ſed ſpiritualis pro ſpirituali; non Eccleſiaſtici, cum ſolum hoc prohibeat huiuſmodi permutationes fieri propria auctoritate ſine approbatione Superioris in materia beneficiorum per ea, quæ ex allegatis iuribus, & Doctorum placitis ſupra commendauimus.

Abbas. Innocentius.

Non eſt ſimonia nec iuris diuini, nec Eccleſiaſtici.

Reſpondeo quintò, quantumuis materia tranſactionis ſit beneficium materialitèr diuiduum, nec per propriam collitigantium auctoritatem, nec per Prælati compoſitionem poteſt via tranſactionis illud diuidi, & vna pars vni, & altera pars alteri conferri, ſeù adiudicari, niſi hoc intelligatur de diuiſione fructuum per penſionem alteri adiudicatam modo ſuperius explicato. Sic ſentire exiſtimo quotquot ſuſtinent ad talem diuiſionem, ſeù diſmembrationem requiri auctoritatem Apoſtolicam. Probatur autem, quia talis diſmembratio tali modo concepta nullibi reperitur in iure permiſſa ſine Pontificis auctoritate, & quamuis permittatur per viam tranſactionis poſſe per Iudices fieri talis diſmembratio quoad prouentus à beneficio, nunquam tamen quoad ipſum beneficium quoad eiuſdem partes, quia licet materialitèr diuiſibile, eſt tamen formalitèr vnum, & idem beneficium, ergo ſignum eſt, quod talis diſmembratio etiam per viam tranſactionis per ſolam Iudicis auctoritatem nequeat fieri. Conſequentia probatur, quia, cum de iure communi beneficia debeant integrè conferri, non poſſunt cum diminutione fieri per auctoritatem inferiorem illa Pontificis, niſi in caſibus a iure approbatis, ſed nullibi in iure reperitur approbatio, quod fiat talis diſmembratio etiam per viam tranſactionis per ſolam Iudicum auctoritatem, nam, ſi aliqua iura afferantur, procedunt ſolummodò de diſmembratione quoad temporales prouentus, ergo &c. Neque dicas, ex iuribus præallegatis quaſi per viam paritatis poſſe deduci, quod, ſicuti auctoritate Iudicum per viam tranſactionis poteſt fieri diuiſio iuris ad fructus ab ipſo beneficio, ità poſſit fieri eadem ratione diſmembratio vnius partis beneficij ab altera parte; contrà enim impugnaberis primò, quià, cum in iure cautum ſit, quod à iure communi non fiat diſcordia, niſi quantum ex eodem iure permittitur, & permiſſio ipſa in caſibus permiſſis regularitèr ſit ſtricti iuris, non eſt extendenda vltrà expreſſa, adeòque non valet illatio ad æquipollentia. Deindè non eſt par ratio de diuiſione iuris ad temporales prouentus, ac de diuiſione partis beneficij ab alia parte eiuſdem ſecundum iura adæquata, quæ idem beneficium importat, ſiquidem plura orirentur

Excipitur quoad diuiſionem quoad fructus, & prouentus.

Nullibi in iure reperitur conceſſio talis diſmembrationis inconſulto Pontifice.

Diſparitas diuiſionis iuris ad temporales prouen-

illa

rus, & diuiſionis partis beneficij ab alia parte.

incommoda ex ſecunda diuiſione, quam ex prima, vt per ſe patet, quia prima ſolùm importat incommoditatem beneficiarij; ſecunda autem confuſionem in populo propter diuerſas iuriſdictiones, & finem, & inſtitutionem eiuſdem beneficij.

8 Reſpondeo ſextò, Tranſactio quoad beneficium incertum, & dubium pro alia re ſpirituali non poteſt licitè fieri ſola collitigantium voluntate, ſed requiritur Prælati auctoritas. Hæc reſponſio poteſt intelligi, vel de alia re ſpirituali, quæ etiam ſit beneficium, licet minus pingue, vel de alia re ſpirituali, quæ non ſit beneficium, ſed vel iuriſdictio, vel quid aliud. Quoad primum ſenſum eſt *Panormitani, & aliorum in cap. conſtitutus, & in cap. ex qua 1. quaſt. 3. Gloſ. in cap. ſi quando de offic. deleg. Prapoſ. in cap. quam pio 1. quaſt. 2. num. 2. Decius conſ. 436. num. 18. Lambert. de iur. patron. lib. 3. quaſt. 9. art. 6.* Quoad ſecundum eſt *Suarez. d. lib. 4. cap. 51. num. 15.*

Panorm. Gloſa. Præpoſ. Decius. Lambert. Suarez.

Ratio primæ partis deduci poteſt primò ex varijs teſtibus iuris canonici, quibus permutatio beneficiorum ſine Epiſcopi auctoritate fieri prohibetur, & primò *ex cap. cum olim 6. de rer. permut.* Secundò *ex cap. vnico de rer. permut.* in 6. Tertiò *ex cap. quaſitum de ſimonia*; Neque dicas, hæc iura nihil in puncto, de quo loquimur, concludere, quandòquidem procedunt de ſimplici permutatione, non de compoſitione per viam tranſactionis, nam etiam renuntiatio beneficij cum penſione, ſeù reſeruata penſione non poteſt fieri ſine Pontificis auctoritate per ea, quæ latè tradidimus *tom. 2. ſub tit. Contractus VI. de permut. in Diſquiſ. §. 15. num 2.* allegatis ibid. iuribus, & Doctorum auctoritatibus, & tamen per viam trãſactionis poteſt fieri per ſolam Iudicum auctoritatem per ea, quæ ex allegatis iuribus ſupra probauimus, ergo etiam, quamuis permutatio beneficiorum ad inuicem nequeat fieri ſine Epiſcopi auctoritate, poterit tamen fieri per viam tranſactionis per ſolam eorundem collitigantiũ voluntatẽ, & placitum, contra enim impugnaberis, nam non currit paritas, quandòquidẽ in primo caſu ex eo, quod talis tranſactio fiat per Iudicum auctoritatem ceſſare videtur quæcunque præſumptio, quod illa tranſactio fiat per ceſſionem, ſeù dationem ſpiritualis pro temporali, in ſecundo autem, cum tranſactio fiat per ipſos colitigantes, illa præſumptio ceſſare non videtur, adeòque &c. Deinde prima in iure permittitur ex allegatis iuribus. Secunda expreſſè in eodem iure prohibetur, vt videre eſt primo *in cap. conſtitutus de Relig. Dom.* Secundò *in cap. ſuper eo de tranſact.* Tertiò *ex cap. 2. de tranſact.*, vbi requiritur Epiſcopi, vel Archiepiſcopi auctoritas,

Iura, & rationes comprobantia primã partem reſponſionis.

Ratio ſecundæ partis ex eo deduci poteſt, quod circa beneficia prohibetur quæcunque pactio, omniſque conuentio propria auctoritate facta declaratur ſimoniaca, vt ex allegatis ſuperiùs iuribus crebrò liquet, & licet huiuſmodi iuribus non explicetur, an illa pactio intelligenda ſolummodò ſit de beneficio pro beneficio; vel de beneficio pro re temporali, an etiam de beneficio pro alia re ſpirituali, quæ non ſit beneficium, nihilominus, cum talia iura loquantur de beneficijs, & prohibeant indefinitè quamcunque pactionem non diſtinguendo &c. ſunt indefinitè accipienda, & quod ipſa non diſtinguunt, nec nos diſtinguere debemus. Confirmatur *ex d. cap. ſuper eo de tranſact.* vbi damnata tranſactione rei ſacræ aliquo dato, vel retento, ſeù promiſſo tanquam præferente ſpeciem ſimoniæ approbatur duntaxat compoſitio inter litigantes, quæ gratis, & amicabilitèr fit. Ibi *alios ſi gratis, & amicabilitèr inter ſe litigantes componant Sacris Canonibus nequaquam dicimus obuiare*, ſed, dum fit compoſitio, quod pro beneficio, quod vni remanet, ſeù datur, retribuatur alia res ſpiritualis non fit omninò gratis, vt per ſe patet, ergo &c.

Circà beneficia eſt per eſſe prohibita quæcunque pactio propria; auctoritate.

---

§. III.

An ſit ſimoniacus beneficiarius, qui pecuniam confert alteri ne litem moueat ſuper beneficio.

SVMMARIVM.

Exponitur, in quo factum conſiſtat, & dubiũ 1.
Si ius, de quo alter contendit aduerſus beneficiarium ſit rationabile, & rationibus innixum, eſt ſimoniacus beneficiarius ſoluens illi pecuniam, vt deſiſtat à lite 2.
Si vero illud ius fuerit friuolum, & imaginarium, non erit ſimoniacus beneficiarius ſoluens illam pecuniam, vt deſiſtat. Ibid.

Diſquiſitio III. Acquiſierat Antonius, vel per viam reſignationis, vel per viam præſentationis, vel etiam per viam concurſus quoddam beneficium, & iam diù pacificè poſſederat, ſed, cum ſciret Caium contendere de quodam iure, quod ſibi præſumebat habere ad tale beneficium, certam pecuniæ quantitatem eidem ſoluit, ne litem ſibi ſuper tale ius intentaret. Hic inquirendum eſt, an per talem pecuniæ ſolutionem aliqua ſimoniæ labe fuerit infectus Antonius. 1

Facti ſeries.

Res hæc ex præactis eſt diſcutienda; vel enim ius, de quo contendit Caius aduerſus

ſus Antonium beneficiarium, eſt rationabile, vel aliquibus ſaltem probabilibus rationibus ſuudatum, vel omninò friuolum eſt, & imaginarium, prout ſupra etiam diſtinximus.

Reſponſio cum diſtinctione.

2 Reſpondeo igitur, quod, ſi ius, de quo contendit Caius aduerſus Antonium, ſit rationabile, vtique Antonius committat ſimoniam tribuendo Caio pecuniam, ne hic per eodem litem excitet, ſi verò non fuerit tale, vtique per talem ſolutionem ſimoniam non contrahat. Eſt conformis ijs, quæ dicta fuerunt in præcedenti diſquiſitione, & in alijs ſupra poſitis, & conſentiunt *Silueſter in verb. Renuntiatio num. 5. Angelus eod. verb. num. 9 Butrius, & Abbas in cap. cum pridem de prabendis, Azorius inſt. mor. part. 3. lib. 12. cap. 8. quaſt. 7. in fin. verſ. ſi reges.*

Silueſter. Angelus. Butrius. Abbas. Azorius.

Ratio primæ partis deſumi poteſt primò ex dictis in præcedenti paragrapho, nam præſens conuentio facta inter eundem Antonium, & Caium habet ſpeciem propriæ tranſactionis, quandòquidem eſt pactio non gratuita de re dubia, & litibus obnoxia, cum beneficiarius ipſe non poſſit habere ius omninò certum, & indubitatum in beneficio, quandò alter ab ipſo habet rationabile ius ſuper eodem beneficio, iura etenim iſtius limitant iura illius, & reddunt quodamodò dubia, ſed tranſactio onerosa, & non omninò gratuita non poteſt in materia beneficiorum per ſuprà probata fieri per ipſos collitigantes, ſeù habentes ius ad litem, &, ſi per eoſdem fiat, eſt iure Eccleſiaſtico ſimoniaca, ergo &c.

Eſſet pactio non gratuita circa rem ſpiritualem.

Neque dicas, hæc valere, quandò lis iam intentata eſt, quia tunc componitur ſuper lite, non verò quandò eſt intentanda, ſeù poteſt intentari, quia tunc illa ſolutio cadere non poteſt ſuper vexationem, ſed dumtaxat ſuper iure quodam remoto; contrà enim impugnaberis, quia tranſactio non ſolum poteſt eſſe, quandò iam lis intentata eſt, ſed etiam quandò proximè poteſt intentari, quod euenit quotieſcunque ius poſſidentis non eſt abſolutè certum, ſed impugnabile iuxta *l. eleganter §. ſi quis poſt ff. de condit. indeb. l. 2. C. de tranſact.* & notat etiam *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 51. num. 1. in fin.* & gratis omninò dicitur, quod ante litem ius illud ſit dumtaxat remotum, cum ſit rationabile, & probabilibus rationibus innixum.

Tranſactio poteſt eſſe nō ſolum ſuper lite intētata, ſed etiā proximè intentabili.

Suarez.

Ratio eiuſdem primæ partis deſumi poteſt ſecundò ex ijs, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. in Diſq. 1. §. 17. reſp. 3.* quia ſcilicet illa ſolutio eſſet pro iure pleno, & perfecto in beneficio acquirendo, quod antecedentèr non erat plenum, & perfectum, ſed acquiſitio iuris ſpiritualis pleni, & perfecti pro pecunia eſt ſimoniaca per ea, quæ ibi dicta ſunt, ergo &c. Recole ibi probata.

Illa ſolutio eſſet pro iure pleno ſpirituali acquirendo.

Ratio ſecundæ partis deſumi poteſt primò ex varijs diſpoſitionibus iuris canonici, & primò *ex cap. dilectus primo de ſimonia,* ſecundo *ex cap. quaſitum 1. quaſt. 3.*, vbi redimentes ſic vexationem non damnantur, vt ſimoniaci, ſed potius ibi ordinatum, vt cogeretur vexans non vexare, ſed ſtare promiſſis. Secundò ratione adducta *d. §. 17. reſp. 3. in probat. 1. partis*, quia ſcilicet illa ſolutio non eſt pro acquirendo aliquo iure ſpirituali, ſiuè incohato, ſiuè pleno, & completo, cum ipſe beneficiarius ſupponatur habere ius plenum, & perfectum in tali beneficio, ſed pro redimenda iniuria, quæ ſibi iniuſtè infertur, ſeù de proximo eſt inferenda per alterum non habentem, niſi ius chimæricum, & imaginarium, ergo non eſt ſimoniaca, cum non ſit pro iure aliquo ſpirituali, ſed pro merè temporali moleſtia redimenda. Recole, quæ ibi dicta ſunt

Illa ſolutio nō eſſet pro iure acquirendo, ſed pro redimēda vexatione.

---

§. IV.

An ſit ſimonia in renuntiatione beneficij exigere a renuntiatario expenſas in eodem beneficio factas.

SVMMARIVM.

Exponitur, in quo ſenſu ſit accipiendus titulus 1.

Proponuntur rationes dubitandi circà ipſum 2.

Non poteſt ſine labe ſimoniæ fieri renuntiatio beneficij cum reſeruatione iuris ad compenſationem expenſarum in eo factarum 3.

Satisfit rationibus dubitandi in principio propoſitis 4.

1 DIſquiſitio IV. Caius poſt obtentum beneficium Præpoſiturale in quadam Diœceſi ad ſeruanda illæſa iura eiuſdem beneficij, aliaque ad temporales ipſius prouentus recuperanda, quæ erant ſub diſſidio, quinimmò quoad poſſeſſionem ex iniuria prædeceſſorum ſuorum ab ipſo beneficio diuiſa, plures fecerat expenſas. Renuntiaturus iam idem beneficium contendit a renuntiatario compenſationem earundem expenſarum exigere. Quæritur iam, quid iuris ſit circa talium expenſarum exactionem, an ſcilicet licita ſit, an verò ſimoniaca.

Titulus expoſitus in caſu particulari.

2 Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod illæ expenſæ factæ fuerunt ex bonis patrimonialibus eiuſdem beneficiarij, vel ex bonis, ſeù fructibus eiuſdem beneficij pleno iure iam ſibi quæſitis, & quidem nedum

in ordine ad vtilitatem eiuſdem beneficij, ſed etiam in ordine ad commodum proprium, ſed, qui ſe priuat commodo temporali proprio in vtilitatem alterius, poteſt iuſtè exigere compenſationem illius commodi, quo ſe priuat, ſiquidem illud eſt pretio ſecundum ſe æſtimabile, ergo &c. Quæ omnia latè confirmari poſſunt ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de Emphyt. & Cenſib. Pranot. 11. aſſert. 2. nu. 5.* paritate ſcilicet deſumpta à melioramentis factis in re emphytheutica per emphytheutam, quæ, ſi ſint in vtilitatem rei Emphytheuticæ, & etiam eiuſdem Emphytheutæ facta, ſunt finita quomodocunque Emphytheuſi compenſanda *Iulius Clarus §. Emphytheuſis quaſt. 45. Caldas de nomin. Emphyt. quaſt. 18. num. 29. Aries Pinellus in l. 2. C. de reſcind. vendit. Molina diſp. 463.* iuxta textum *in l. Senatus §. Marcellus ff. de legat. 1.* nec incongrua ſanè ratione, quandoquidem, qui gerit negotium alterius, & ſimul proprium, ſed proprijs laboribus, expenſis, & induſtria compenſandus eſt in illis laboribus, expenſis & induſtria; quantum exigit vtilitas parta rei, cuius vtilitatem reſpexit, nec eximitur à iure talis compenſationis ex eo, quod teneatur talia melioramenta curare in re Emphytheutica; quia, quamuis teneatur, non tenetur tamen proprijs expenſis, potiſſimùm quandò res cedit in vtilitatem rei; quia non tenetur quis meliorem facere conditionem alterius cum ſui diſpendio *Aries Pinellus, & Molina loc. cit.*, ergo etiam iura acquiſita, quæ ſunt quædam melioramenta eiuſdem beneficij expenſis proprijs eiuſdem beneficiarij in renuntiatione beneficij per ipſum faciendæ erunt iuſtè compenſabilia, quandòquidem ſunt in correſpondentiam earundem expenſarum &c. Nihilominus

Iulius Clarus. Caldus. Aries Pinellus. Molina.

Aries Pinellus. Molina.

3 Reſpondeo abſolutè, quod ſine labe ſimoniæ in data hypotheſi non poſſit fieri illa renuntiatio reſeruato ſibi iure ad compenſationem expenſarum factarum *Abbas in cap. niſi eſſent de Prabendis nu. 8. Silueſter verbo renuntiatio quaſt. 6. verſ. quartum, Angelus eod. verb. num. 5. Azorius inſtit. moral. part. 3. lib. 12. cap. 8. quaſt. 8. verſ. quid ſi exigat* qui quamuis omnes videantur loqui de expenſis factis in beneficio litigioſo obtinendo, ex paritate tamen rationis idem ſentire debere videntur de beneficio obtento, ſed litibus obnoxio quoad iura eiuſdem.

Abbas. Silueſter. Angelus. Azorius.

Probatur primò, quià ſimoniacum abſolutè eſt beneficium renuntiare non omninò gratuitò, ſed cum conuentione alicuius commodi temporalis in fauorem renuntiantis per omnia iura præallegata prohibentia quamcunque pactionem oneroſam in collatione, alijſque diſpoſitionibus quoad beneficia *cap. quæſtum de rer. permut. cap. vlt. de pactis*, vndè meritò *D. Thomas ſecunda ſecunda quaſt. 100. art. 1. ad ſecundum* dixit, quamcunque pactionem, & conuentionem non gratuitam venire nomine emptionis in beneficijs, & importare ſimoniam, ſed in data hypotheſi illa renuntiatio non eſſet omnino gratuita, cum exigat ex conuentione illud commodum temporale conferendum in compenſationem expenſarum &c. ergo &c.

D. Thomas.

Dices primò, illud commodum non exigi pro beneficio, nec pro aliquo eidem beneficio annexo, ſed pro expenſis, & labore omninò accidentario, & extrinſeco, quatenùs omninò extrinſecum eſt, & accidentatium ipſi beneficio, quod fuerit litibus obnoxium, & quod pro eiſdem ſuperandis erogatum fuerit pretium, ergo non poteſt eſſe ſimoniaca illius exactio, quandòquidem ſimonia dumtaxat eſt, dum exigitur temporale pro ſpirituali, vel annexo eidem per ſe, non pro aliquo accidentalitèr obueniente, vt dictum eſt ſupra *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. de ſimonia Pranot. 18. aſſert. 2.* de labore, qui per accidens coniungitur cum Sacro Miniſterio ex aliqua extrinſeca circunſtantia, quam abſolutè aſſeruimus vendibilem abſque vlla prorſus labe ſimoniæ *Sotus lib. 9. de iuſtitia quaſt. 6. art. 1. Paludanus in 4. diſt. 25. quaſt. 5. Abulenſis 3. Reg. 14. quaſt. 9. Adrianus quodl. 9. art. 1. in reſol. lit. D. Gloſſa in cap. ſignificatum de præb. & in cap. ſuum de ſimonia.* Sed contra primò, quia quamuis illud commodum reſultet quodamodò ex cauſa extrinſeca, non eſt tamen compenſabile, quia tranſit in ius proprium eiuſdem beneficij, ea proportionali ratione, quâ commodum, quod reſultat alicui ex expenſis factis pro conſeruandis iuribus domus agitatæ litigijs, quia tranſit in ius eiuſdem domus, non eſt compenſabile diuerſo pretio ab illo, quod exigit eadem domus litigijs purgata, vt benè notat *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 35. num. 26.* quod idem ſenſiſſe videntur *Pariſius lib. 14. quaſt. 7. num. 1. Fillintius tract. 45. cap. 8. quaſit. 10. num. 35. Reginaldus lib. 23. cap. 18.* vnde, ſi exigeretur compenſatio illius commodi, exigeretur intuitu beneficij, adeòque ſimoniacè. Secundò non poteſt exigi illud commodum pro renuntiatione, quià expenſæ non fuerunt factæ pro renuntiatione ipſa, & in vtilitatem renuntiatarij, ſed in vtilitatem beneficij, & eiuſdem reſignantis, vnde, ſi exigerentur ab ipſo renuntiatario, exigerentur pro ipſo beneficio iam litibus purgatò, & contra iuſtitiam. Ad illud, quod ſubditur de labore illo extrinſeco, & accidentario in Miniſterio Sacramentorum, facile erit reſpondere, ſi aſſeratur, illum eſſe pretio compenſabilem

Sotus. Paludan. Abulenſis. Adrian. Gloſſa.

Suarez. Pariſius. Fillintius. Reginaldus.

diſtincte ab eo, quod exigitur titulo congruæ ſuſtentationis, quia impenditur in vtilitatem eius pro quo fit illa Sacramentorum adminiſtratio, & ſic ceſſat quæcunque præſumptio, quod illa compenſatio fiat pro ipſis Sacramentis; illæ autem expenſæ labor, & induſtria in beneficio litigioſo, cum factæ fuerint in vtilitatem propriam eiuſdem renuntiantis, non ſunt compenſabiles per ipſum renuntiatarium, cum ipſe nihil aliud recipiat, quam ipſum beneficium purum, vnde, ſi quid erogaret, eſſet pro eodem beneficio, quod ſimoniacam redolet prauitatem. In hanc reſponſionem conſentiunt *Suarez d. lib. 4. cap. 35. num. 26. Bonacina tract. de ſimonia quæſt. 4. §. 14. num. 3. in reſp. ad obiectionem.*

Differentia de eo, quod exigitur in adminiſtratione Sacramentorum, & de eo, quod exigeretur pro expēſis factis.

Suarez. Bonacina.

Dices ſecundò, ſi quis vexetur in beneficio iam acquiſito varijs litibus poteſt iuſtè ſe redimere pretio, ſi vexatio fuerit iniqua *cap. dilectus 1. de ſimonia, & cap. quæſitum 1. quæſt. 3.* per ea, quæ nos docuimus etiam *ſub hoc eod. tit. in Diſq. 1. §. 17. reſp. 3. in probat. 1. partis*, & poteſt illud pretium, quod ſoluit, recuperare *Gloſa in d. cap. dilectus 1. de ſimonia*, ergo etiam, ſi pecunias inſumpſerit in beneficio, poterit illas redimere in renuntiatione. Sed contra, neganda eſt conſequentia primò, quia in primo caſu poteſt redimere, quia ab exigente fuit accepta contra iuſtitiam nullo iure eidem accipienti ſuffragante; in ſecundo autem ipſe renuntians non poteſt a reſignatario, ſeù renuntiatario exigere, quia nullum ius iuſtitiæ eidem aſſiſtit ad exigendum ab eodem, quia nullam iniuriam ab eodem paſſus eſt, adeòque, ſi exigit, exigit pro eodem beneficio, quod iniquum eſt, & ſimoniacum. Secundo in primo caſu ceſſat quæcunque præſumptio ſimoniacæ prauitatis, cum illa recuperatio non ſit pro beneficio, cum ipſe recuperans illud plenè, & perfectè poſſideat; in ſecundo autem maximè illa viget, cum illa ſolutio ſit pro obtinendo eodem beneficio &c.

Inſtantia à paritate deducta aduerſus reſponſionem, [illegible] ſolutio.

Probatur ſecundò, quia non minus eſt pretio compenſabilis labor, & induſtria, quem, ſeù quam quis impendit in beneficio obtinendo, & in illo redimendo a litibus, ac ſint compenſabiles, ſeù pretio æſtimabiles expenſæ in eodem liberando, ſed pro labore in obtinendo, & in redimendo a litibus beneficium non poteſt compenſationem exigere in renuntiatione a renuntiatario ſine labe ſimoniæ iuxta textum *in cap. ſuper hoc de renuntiatione*, ergo nec poterit exigere compenſationem expenſarum in eadem renuntiatione.

Non eſt in renuntiatione pretio compenſabilis labor impenſus in beneficio obtinendo.

Probatur tertiò, ſi quis domum litibus obnoxiam vendicet à vexatione non poteſt iuſtè in venditione eiuſdem domus à litibus vendicata exigere expenſas litis vltra iuſtum valorem domus, vt per ſe patet, non niſi, quia illæ expenſæ non refunduntur, niſi in ius domus, & factæ fuerunt in vtilitatem redimentis, ſeù vendicantis, ergo etiam, ſi quis beneficium litibus expurgauerit, non poterit exigere expenſas in renuntiatione eiuſdem factas in tali expurgatione a renuntiatario, quandoquidem, ſi non ſunt pretio diſtincto compenſabiles in priori caſu a valore domus, neque erunt compenſabiles pretio diſtincto in ſecundo; & ſic, ſi in ſecundo non poteſt eſſe pretium pro beneficio, neque poterit eſſe pro illis expenſis, cum refundantur in ius eiuſdem beneficij, & in vtilitatem factæ fuerint eiuſdem reſignantis.

Argumentum contra probans aſſertū à paritate deductū.

4 Ad rationes dubitandi dico, quod, quamuis illæ expenſæ factæ fuerint ex bonis patrimonialibus eiuſdem beneficiarij, ſeù etiam reditibus pleno iure quæſitis ex eodem beneficio, & quidem tam in ordine ad vtilitatem beneficij, quam in commodum proprium, non propterea in renuntiatione ſint compenſabiles per ipſum renuntiatarium, quandoquidem eidem debet libere beneficium reſignari, ſeu renuntiari, cum eædem expenſæ iam fuerint refuſæ in ius eiuſdem beneficij, & factæ fuerint in vtilitatem propriam. Dicere deinde, quod ſe priuet commodo proprio in vtilitatem renuntiatarij, & quod propterea ratione illius priuationis poſſit exigere compenſationem ad illud pretium, non facit ad rem, nam, in tantum ſe priuat illo commodo, inquantum renuntiat beneficio, & ſicuti pro renuntiatione ipſa beneficij ſine labe ſimoniæ non poteſt aliquod exigere, quantumuis ſe priuat multis commodis temporalibus ab illo prouenientibus, ita nequit aliquid exigere in renuntiatione pro talibus expenſis, ſeù commodo, quo ſe priuat ratione illarum, quia hoc commodum refunditur in ipſum beneficium, nec eſt quid pretio æſtimabile diſtincto ab eodem beneficio, ſicuti commodum, quod reſultat ex expenſis factis in vendicatione domus a litibus non eſt pretio æſtimabile ab ipſo valore domus diſtincto, ſeù ſupra valorem domus.

Satisfit primæ rationi dubitandi.

Ad ſecundam rationem dubitandi dico, diſparem eſſe rationem de melioramentis factis per Emphytheutam in re emphytheutica, ac de iuribus ſeruatis, ſeù redemptis per beneficiarium in beneficio. Ratio diuerſitatis in eo conſiſtit primò, quia vtilitas ipſa, quæ eſt in re emphytheutica perſeuerat in eadem etiam poſt finitam emphytheuſim, eandemque rem emphytheuticam conſtituit maiori pretio dignam; quæ proindè, cum cedat in commodum Domini directi, debet legitimè ab eodem ipſi Emphytheutæ compenſari; illa

Solutio paritatis deductæ ex melioramentis factis in re emphytheutica.

verò

vero vindicatio, quæ facta fuit à litibus in beneficio per beneficiarium non conſtituit ipſum beneficium maiori pretio dignum, cum refundatur in idem beneficium, quod, cum non ſit pretio compenſabile, nec conſtituitur magis tale per illam vendicationẽ. Secundò, quia melioramenta magis principalitèr intelliguntur cedere in fauorem Domini directi, quam eiuſdem Emphytheutæ, ſiquidem, ſi eſſent tantum in commodum iſtius, non eſſent per ipſum Dominum compenſanda, vt fusè dictum eſt *d. tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de Emphyth. & Cenſib. Prænot. 11. aſſert. 2. num. 5.* iura autem illa vindicata intelliguntur principalitèr facta in vtilitatem eiuſdem recipientis, quæ propterea non ſunt compenſanda, quod, ſi inde cedant etiam in beneficium ſucceſſoris, hoc eſt ex conditione eiuſdem beneficij, quod per ſe conſtitutum eſt tale, non ex aliquo iure diſtincto eiuſdem beneficiarij renuntiantis.

---

§. V.

An poſſit beneficium renuntiari exigendo aliquid loco penſionis auctoritate Pontificis ad petitionem renuntiantis conſtituendæ, vel loco expenſarum, quæ faciendę eſſent in expeditione Bullarum pro eadem penſione.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries, & explicatur in terminis particularibus 1.

Rationes dubitandi examinantur 2.

Eſt abſolutè ſimoniaca illa conuentio 3.

1 DIſquiſitio V. Acquiſierat Titius, vel per viam reſignationis, vel per viam concurſus beneficium quoddam ſatis pingue, in cuius pacifica poſſeſſione, & fructuum fruitione iam diù permanſerat. Iam ſenio confectus renuntiare illud ſtatuerat in fauorem Sempronij reſeruando ſibi ius ad certam penſionem auctoritate Pontificis conſtituendam. Habito adinuicem tractatu inter renuntiaturum, & renuntiatarium, conſideratoque onere, quod inde promanare debebat eidem renuntiatario, tam in ſolutione earundem penſionum, quam in expeditione Bullarum adinuicem hoc pacto conuenerunt, vt fieret renuntiatio liberè in manibus Superioris hac tamen addita conditione clam inter ipſos acceptata, vt reſignatarius, ſeù renuntiatarius pretium illud, vel partem eiuſdem, quod perſoluere deberet, tàm in expeditione Bullarum, ſi penſio fuiſſet impoſita, tam in alijs oneribus, ſolueret eidem renuntianti. Oritur hic difficultas, an talis conuentio fuerit, ſeù ſit ſimoniaca

In quo conſiſtat ſpecies difficultatis.

2 Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod per talem conuentionem non videtur grauari ipſe renuntiatarius, quin potiùs erga ipſum renuntiantem beneficè agere, ſiquidem longè maiora onera ſubiuiſſet, ſi impoſita eſſet illa penſio, ac modo ſubeat erogando conuentum, & ſicuti, ſi penſio fuiſſet ſtatuta, quia illa non eſſet pro ipſo beneficio, ſed in congruam ſuſtentationem eiuſdem reſignantis, non eſſet ſimoniaca, ita illa ſolutio, ſeù onus ſolutionis inter ipſos ſtatutum non eſſet ſimoniacum, quia etiam eſſe poſſet in congruam ſuſtentationem eiuſdem. Nihilominus

Rationes dubitandi examinantur.

3 Reſpondeo abſolutè, eſſe ſimoniacam talem conuentionem. Eſt conformis ijs omnibus, quæ dicta ſunt in præcedentibus. Ratio eſſe poteſt, quia renuntiatio beneficij, vt non ſit ſimoniaca, debet eſſe omninò pura, libera, gratuita, & abſoluta iuxtà allegata iura *in cap. quæſitum de rerum permutatione, & cap. fin. de pactis*, ſed talis non eſſet illa, de qua loquimur, quandòquidem fieret pro illo pretio, quod per renuntiantem reſeruaretur, ergo &c. Neque dicas, illud pretium ſubſtitui loco penſionis, quę, ſicuti non conſtituit ſimoniam, neque illud conſtituit, quod ſubrogatur loco eiuſdem; contrà enim impugnaberis, quia ideò penſio non conſtituit ſimoniam, quia ius ad illam auctoritate Summi Pontificis ſeparatur à iure ad ſpiritualia, & ſolum per Romanum Pontificem poteſt approbari penſio, & conſtitui, quia per illum ſolum poteſt fieri illa ſeparatio, prout conſtat ex dictis, & infrà conſtabit, non poteſt autem pretium conſtitui pro ipſo beneficio, quandò ius illud ad temporales prouentus adhuc eſt inſeparatum à iure ad ſpiritualia, quod ſemper eſt donec per Romanum Pontificem ſeparetur, ac proindè per ſolas renuntiantis, & renuntiatarij conuentiones non poteſt in ipſa renuntiatione illud pretium reſeruari, ſiquidem ſemper eſſet pro iure ſpirituali, vel ſpiritualibus annexo

Illa renuntiatio non eſſet pura, & libera.

Illud ius ad temporales prouentus non eſt ſeparabile à beneficio, niſi per Romanum Pontificem.

Ratio eſſe poteſt ſecundò, quia in tantum poſſet illud pretium reſeruari in renuntiatione, in quantum correſpondet penſioni, quæ ex auctoritate Pontificis iuſtè poteſt conſtitui, & expenſis, quæ eſſent ſoluendæ in expeditione Bullarum, ſed hæc ratio nihil euincit, ergo &c. Minor probatur, quia non poteſt per priuatas conuentiones id præſtari, ad quod requiritur Summa Pontificis auctoritas, ſecus in quacunque renuntiatione non eſſet, qui penſiones conſtitueret, ſed priuata auctoritate vnuſquiſque ſibi

Non poteſt per priuatas conuentiones id præſtari, ad quod requiritur Pontificis auctoritas.

ius ad illud pretium reſeruaret. Confirmatur primò, quia expenſæ, ſeù pretium ſoluendum in expeditione Bullarum pro beneficio quoad penſiones impoſitas intantum permittuntur, ſeù permittitur, in quantum cedit in congruam ſuſtentationem Pontificis, Curiæque Romanæ miniſtrorum, vt eſt in confeſſo apud omnes, ſed hoc motiuum ceſſat quotieſcunque penſio non imponitur, ergo non eſt, cur poſſit exigi illud ſtipendium, ſeù illud pretium, ſi bullæ illæ non ſunt expediendæ, & penſio auctoritate Summi Pontificis non eſt conſtituta. Confirmatur ſecundò, quià, in tantum auctoritate Romani Pontificis poteſt conſtitui penſio ſuper beneficio, in quantum per ipſum poteſt fieri illa ſeparatio iuris ad temporales prouentus a iure ad ſpiritualia, ſed hoc non poteſt fieri per priuatas renuntiantis, & renuntiatarij voluntates, ergo &c.

Dices, quod, quandò per priuatas renuntiantis, & renuntiatarij conuentiones fit reſeruatio illius pretij non fiat ſeparatio illa, quæ certè fieri non poteſt propter eam rationem, quod beneficia de iure communi integre ſint conferenda, vt ex allegatis iuribus ſupra probauimus, in iure autem communi, ſeù circa ea, quæ iuris communis ſunt, non niſi Summus Pontifex poteſt diſponere, ſed ſolummodò decernatur aliquod pretium, quod ſubſtituatur loco eiuſdem penſionis. Sed contrà, quia, ſi non fit illa ſeparatio, iam habemus, quod illud pretium, ſi reſeruatur, ſit conferendum, vel pro iure ſpirituali, vel pro ſpiritualibus annexo, & non ſeparato, adeòque ſimoniacè.

Non facta ſeparatione iuris ad prouentus à beneficio omne, quod cōfertur, eſt pro annexis ſpiritualis.

Ex quibus omnibus iam habes quid reſpondeas ad rationem dubitandi.

---

§. VI.

An penſio per Pontificem ſuper beneficio annuatim impoſita poſſit priuata auctoritate ſimul redimi.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries in ſuis terminis 1.
Reſeruntur varij ſenſus Doctorum circà quæſitum 2.
Penſiones ex beneficio reſeruatæ Clericis ſunt materia ſimoniæ 3.

1 Diſquiſitio V. In renuntiatione Beneficij, quo Caius gaudebat, eidem auctoritate Romani Pontificis fuit reſeruata penſio centum aureorum ſingulis annis ſoluenda per renuntiatarium, qui nolens illi annuali oneri ſubiacere [illegible] tione cum reſignante de ce[illegible] quantitate ſem[illegible] ſoluenda ab [illegible] dimere conatus eſt. Quæritur [illegible] licita ſit illa redemptio per p[illegible] ſorum auctoritatem, an verò req[illegible] Pontificis aſſenſus ad licitam ipſius redemptionem.

2 Maxima erat controuerſia inter Doctores antè motum Pij V. in Bulla, quæ incipit *Ex proximo* edita anno 1571 per quam imponitur onus penſionarijs Officium Beatiſſimæ Virginis recitandi, intuitu cuius, quantumuis antecedenter penſio non eſſet materia ſimoniæ, facta poſtea eſt talis. Caietanus *in opuſ. tom. 1. tract. 31.* docuit penſiones eſſe quid temporale, adeòque propriè non eſſe materiam ſimoniæ, ex quo ſequi videtur, quod, ſi pecunia redimantur, non committatur ſimonia. Sotus *lib. 9. de inſt. quæſt. 7 art. 2.* diſtinxit in ordine ad perſonas, pro quibus reſeruantur, vel enim ſunt perſonæ laicales, vel Clerici; de penſionibus Laico reſeruatis ſenſit eſſe quid merè temporale, adeòque non materiam ſimoniæ, de penſionibus verò Clerico reſeruatis eas docuit eſſe quid ſpirituale, & materiam propriè ſimoniæ. Maior *in 4. diſt. 25 quæſt. 5.* docuit abſolute eſſe quid ſpirituale, non enim credidit eſſe partem præciſè fructuum, ſed ius quoddam exigendi penſiones.

Pius V. Doctorum dicta circa quæſitum. Caietanus. Sotus. Maior.

3 Reſpondeo abſolutè, penſiones ex beneficio reſeruatas Clericis eſſe materiam ſimoniæ, adeòque non poſſe pretio redimi priuata auctoritate *Nauarrus in manual. cap. 23. num. 111. Sotus lib. 9. de iuſtitia quæſt. 7. art. 2. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 26. nu. 8. & ſeqq. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 13. quæſt. 4.* Ratio ex eo poteſt deduci, quia licet de iure naturæ, & antiquo poſitiuo fortè non eſſet materia ſimoniæ, cum non traderetur titulo ſpirituali, ſed temporali ad congruam Clerici ſuſtentationem, attento tamen iure nouo per præcitatam Bullam Pij V., cùm conferatur cum onere, & titulo ſpirituali propriè eſt materia eiuſdem, & in ſe inuendibilis, quod aliqui exiſtimant verificari non ſolum in ordine ad ius poſitiuum, ſed etiam ad diuinum, quatenus ſcilicet ſuppoſita tali inſtitutione Eccleſiæ ſit etiam prohibita ipſius venditio de iure diuino *Valentia tom. 3. diſp. 6. quæſt. 16. punct. 2. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 26. Bonacina quæſt. 4. §. 13. propoſ. 2. num. 4.* ergo &c.

Non poſſunt propria auctoritate pretio redimi. Nauarrus. Sotus. Suarez. Azorius. Valentia. Suarez. Bonacina.

Dices, hæc aduerſari ijs, quæ ſuprà diximus, nempè per auctoritatem Summi Pontificis poſſe ſeparari ius ad temporales prouentus a iure ad ſpiritualia, qua ſuppoſita ſeparatione non eſſe ſimoniam contra ius diuinum conferre beneficium intuitu tempora-

[illegible] quod in eod[illegible] eſt pro pre[illegible] penſ[illegible]onis, prout [illegible] *[illegible] lib. 4. de ſimonia cap. 24. num. [illegible] ſub hoc eod. titulo Contractus V[illegible] ſimonia Pranot. 23. aſſert. 2.* [illegible] quæ [illegible] vi[illegible]cari non poſſint, ſi ipſæ pe[illegible] c[illegible]rentur cum onere, & ti[illegible], quo[illegible] conſtitueret e[illegible]dem in g[illegible] materiæ ſimon[illegible] dom[illegible]ni. Sed [illegible], ea, quæ in[illegible] dicta ſunt, veri[illegible] canto[illegible] ſu[illegible]p[illegible]ita præcisè illa ſeparatione, n[illegible] annexi[illegible]ne illius oneris, ſeu ti[illegible] ſpiritua[illegible]s, q[illegible] ſuppoſita cert[illegible] penſiones, c[illegible]n[illegible] m[illegible] ſ[illegible]par[illegible]tæ nequeunt pro p[illegible] [illegible]enari, nec [illegible]g[illegible]. Quod, ſi poſt[illegible] [illegible]coritate Pontific[illegible] fieri po[illegible] t[illegible]a re[illegible]ptio penſionis, hoc eſt, qu[illegible] i[illegible]e Pontifex ſeparat etiam [illegible]um titulum [illegible]ri[illegible] u[illegible]em, ſeu onus recitandi Officium Di[illegible]inum, [illegible]eu Beati[illegible]mæ Virginis ab illo commodo temporali, ſicque per deſtructionem materiæ efficit, quod illud, quod antea erat ſimoniacum, non ſit amplius tale

Suarez.

---

§. VII.

An licitum ſit in reſignat[illegible]one beneficij in qua ex Pontificis auctoritate reſeruatur penſio, obligare reſignatari[illegible]m ad ſoluendas penſiones decurſas hæredibus reſignantis, ſi quæ tempore eius mortis fuerint non exactæ.

SVMMARIVM.

Proponitur difficultas in ſuis terminis 1.

Conuentio de penſionibus iam tranſactis, & inexactis ſoluendis hæredibus non eſt illicita 2.

Penſionarius æquiparatur vſufructuario, ſicque fructus percepti tempore eius mortis debentur ipſius hæredibus, non percepti reſignatario 3.

Quamuis penſionariis imponatur aliquod onus, [illegible]ecitandi Officium Deiparæ, non propterea imponitur propter onus tanquam propter cauſam finalem 4.

1 D[illegible] [illegible]io VII. Andræas Sace[illegible]os cor[illegible]m Or[illegible]nario habente[illegible] a Summo Pon[illegible]ifice auctoritatem conſtituendi penſio[illegible], ſeu ea[illegible] m admittendi in reſignation[illegible] be[illegible]efi[illegible]io um reſignauit q[illegible]odda[illegible] [illegible]ncatum benefi[illegible]um in fauorem Petri reſerua[illegible]ta ſibi [illegible]en[illegible]ione q[illegible]inq[illegible]agi[illegible]ta aureorum eo adi[illegible]on[illegible], ſe[illegible] onditione, vt, ſi contingat eundem Andræam Sacerdotem mori non ſolutis aliquot penſionibus per reſignatarium, iam decurſæ tranſeant ad hæredes eiuſdem Andreæ reſignantis. Hic duplex oritur ratio dubitandi. Prima eſt, an in iure ſubſiſtat talis conuentio de penſionibus ſoluendis decurſis eiſdem hæredibus. Secunda, an, ſi ipſe Andræas reſignans præmoriatur in medietate anni, ad cuius finem ſoluendæ erant penſiones illius anni, ipſius hæredibus ex vi talis conuentionis ſaltèm pro medietate illius anni, pro quo fuit ſuperſtes, ſint perſoluendæ.

Gigas.

Reſpondeo primò, illam conuentionem de penſionibus iam tranſactis, & inexactis hæred[illegible]s eiuſdem Andreæ ſoluendis non fore, ſi fieret, illicitam, immò de iure ſubſiſtere. *Gigas in tract. de penſionibus quæſt. 52. Ri[illegible]ius in praxi v. tr. reſol. reſol. 117. Biſel. de ſimonia cap. 9. Molfeſius tract. 6. cap. 3. num. 44. Naldus in verb. penſia num. 9. Homobonus de Bonis tract. 9. de art. circa contract. ſimonia cap. 5. quæſt. 10. in reſol. verſ. quarto dico, Alexander conſ. 47. perſpectis bis in [illegible]n. in 3. vol. & conſ. 157. Reuerendiſſime Domine in 2. vol. Socinus conſ. 100. in cauſa Baptiſta col. 1. verſ. item, ſi eſſemus in 1. vol.* 2

Riccius. Biſel. Molfeſ. Naldus. Homob. Alexander. Socinus.

Probatur primò, quia ipſæ penſiones decurſæ, & inexactæ pleno iure pertinent ad penſionarium, de quibus poteſt perfectè diſponere, ſicuti de alijs fructibus iam perceptis etiam in vim vltimæ voluntatis, & per teſtamentum per ea, quæ docet *Felinus in cap. ad audientiam de reſc[illegible]iptis el 2. & in Clem. 1. vbi Cardin. Immola, & alij de ſuplen. negl. præl. & Doctores communiter in cap. relatum de teſtam.* ergo in reſignatione beneficij poteſt iuſte conuenire, vt ſi quæ penſiones fuerint decurſæ, & inexactæ tempore ipſius mortis, tranſeant ad ipſius hæredes, & ex vi talis conuentionis reſignatarius teneatur eaſdem ſoluere.

Felinus. Cardinalis. Immola.

Dices primò, penſiones imponuntur ſuper fructibus beneficij, ſed fructus beneficij etiam collecti, & nondum conſumpti mortuo clerico beneficiato tranſeunt in ſucceſſorem in beneficio, non autem in hæredes defuncti, quia ſucceſſor in beneficio eſt quaſi hæres mortui *cap. conuenior 23. quæſt. 8. Gloſa in cap. 1. de ſoius.* & ſucceſſor in beneficio ſuccedit etiam in acquiſiti[illegible] intuitu Eccleſiæ *cap. relatum, & ibi D[illegible]ctores de teſtamentis*, vnde ex conſequenti dicitur, quo[illegible] Clericus de his teſtari non poſſit *d. cap. relatum de teſtamentis, & ibi Abbas poſt alios col. 2. in verſ. nota*, ergo &c. Sed contra, quia quidquid per Pontificum conſtitutiones quoad beneficiorum fructus non exactos ſancitum ſit, ex communi tamen tùm Theologorum, tùm Canoniſtarum placito penſiones in vita penſionarij decurſæ non ad ſucceſſorem in beneficio, ſed ad hæredes eiuſdem penſionarij pertinent,

Gloſa. Abbas.

atque

atque de iis liberè poteſt diſponere penſionarius, vel eas remittendo in fauorem beneficiarij, a quo eſſent ſoluendæ *Hieronymus Paulus in ſuo libel. qui inſcribitur Prouinci. de omnium prouinciarum alias practica Cancellariæ fol. 48. verſ. quid penſiones, Cardin. Alexand. in cap. Agato 64. diſt. in fin.* vel de eis diſponendo *Felinus in d. cap. ad audientiam de reſcriptis*. Ratio autem, cur Clericus beneficiatus fructus benefic[illegible] etiam quæſitos non tranſmittat ad hæredes, ſi tamen hoc verum eſt, nam plures contrarium aſſerunt, vt videre eſt apud *Nicolaum de Vbaldis in tract. de ſucceſ. ab inteſt. Cler. in verb. finita*; penſionarius verò penſiones decurſas, & non ſolutas tranſmittit, ea meo videri eſt, quia fructus percepti ſunt fructus beneficij, penſio autem eſt pars fructuum penitùs a beneficio ſeparata *textus in c. fin. de pignor. cap. poſſeſſiones 17. quæſt. 1. & cap. quicunque 12. quæſt. 2.* ideò de beneficij fructibus ad penſiones non bene infertur *l. papinianus cum vulg. ff. de minor.*

Hieronymus Paulus. Cardin. Alexander. Felinus. Nicolaus de Vbaldis. *Penſio eſt pars fructuum à beneficio ſeparata.*

Dices ſecundo ex ſuperius dictis *in præcedenti §.*, penſiones ex beneficio reſeruatas Clericis, non eſſe quid merè prophanum in ſola temporalitate conſiſtens, quidquidam contrarium dixerint *Felinus in d. cap. ad audientiam de reſcriptis el 2. & Card. in Clem. 1. de ſupl. negl. prel.* ſed inuoluere titulum ſpiritualem, & eſſe materiam ſimoniæ, prout docent *Nauarrus in man. cap. 23. num. 111. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 26. num. 8. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 13. quæſt. 4.* cum ex motu Pij V. in bulla, quæ incipit *ex proximo* imponatur onus penſionarijs recitandi ſaltem Officium Beatiſſimæ Virginis, ergo penſionarius de illis inexactis non poterit diſponere, ſicuti nequit diſponere de fructibus beneficij. Sed contra, aliud eſt loqui de iure ad penſiones, aliud de ratis penſionum decurſis, & non ſolutis, prout rectè notat *Gigas in reſp. famil. in mat. Eccl. penſ. reſp. 36. n. 8. verſ. non obſtant adducta*, quamuis igitur ius ad penſiones propter allegatum motum Pij V. inuoluat titulum quendam ſpiritualem, ratione cuius penſionarius de eo nequeat diſponere ſine Summi Pontificis auctoritate, ipſæ tamen penſiones decurſæ ſunt quid merè profanum in temporalitate conſiſtens, ad eoque &c. Neque vrgeas, quod fructus etiam beneficij accepti, & nondum [illegible] ſint quid merè temporale, & tamen [illegible] ex ſupra allegatis nequit bene[illegible] ad ſuos hæredes tranſmittere; ergo etiam &c. Contra enim impugnabe[illegible] quia quidquid ſit de [illegible] fructibus beneficij, de quibus alibi eri[illegible]mo, diuerſimode procedatur quoad penſiones decurſas, & inexactas, cum ipſæ penſiones, quantumuis procedant ex [illegible] titulo ſpi-

Felinus. Cardinal. Nauarrus. Suarez. Azorius. Gigas. *Penſiones quid merè profanum in temporalitate conſiſtens.*

rituali, non ſint propriè benefi[illegible]um per ſuperius late probata etiam quoad talem titulum, a diuerſis autem congrue non fit illatio; ex quo motiuo docuimus ſupra, quod penſiones ſimoniace inductæ non ſint ipſo iure irritæ, ſicut ſunt irrita beneficia ſimoniace inducta.

Probatur ſecundo, quia penſionarius videtur æquiparari vſufructuario *Rota Romana in vna Phauen. penſionis 19. Iunij 1573. coram Clemente VIII. Garzias tract. de benef. Eccl. tit. de fructibus cap. 1. num. 108. & ſeqq. Gigas de penſ. quæſt. 52. num. 4.*, nam ſicuti vſuſfructus extinguitur morte vſufructuarij, ita penſio morte perimitur penſionarij *§. finitur autem Inſtit. de vſufruc.* ſed vſufructuarius fructus iam quæſitos ad hæredes tranſmitti *l. defuncta ff. de vſuris*, ergo &c.

Rot. Rō. *Penſionarius comparatur vſufructuario.*

Dices, hac ratione etiam beneficiarius fructus inexactos beneficij poſſet tranſmittere ad ſuos hæredes, cum ipſe etiam non ſit dominus beneficij, ſed ad modum vſufructuarij, cui tamen obſtat conſtitutio 9. Iulij III., qua præcipitur, vt beneficiorum fructus tempore obitus beneficiatorum inexacti ad ſucceſſores in beneficijs tranſeant, non ad hæredes, quod etiam reſoluiſſe videtur *Rota in vna Rom. pecuniaria 4. Iunij 1593. coram Penna.* Sed contra primo, quia beneficiarius non eſt ſimpliciter vſufructuarius, ſed ſuo modo dominus, cum habeat in illo iuſtum titulum *c. ep. ſi ſibi abſenti de prabendis in 6.* Ibi *vt ſuum di[illegible] valeat*. Deinde [illegible] a Iuliana conſtitutio vbique non eſt vſu recepta, vt de Regnis Hiſpaniæ teſtatur *Garzias tract. de beneficijs Eccleſ. tit. de fructibus cap. 1. num. 101.* & de hac Prouincia Mediol. habet *Rota in vna Mediolanenſi fructuum 9. Martij 1592. coram Orano*, & vlterius *Concil. Prouinc. Mediol. V. tert. par. e ſit. de Eccleſijs, earum ſupellectile, & fructibus §. vt litibus*, vbi dicitur in vſu in extremque inductam nunquam eſſe.

Rot. Rō. *Beneficiarius eſt ſuo modo dominus beneficij.* Garzias. Rot. Rō. Concil. Prouinc. Mediol.

Reſpondeo ſecundò. Omiſſis varijs aliorum placitis tutiorem eſſe opinionem aſſerentem penſionarium æquiparari vſufructuario, ideoque, ſi fructus, ſuper quibus penſio eſt conſtituta tempore mortis penſionarij fuerint percepti, debentur hæredibus eiuſdem penſionarij, ſi verò non fuerint percepti, eidem non debentur, ſed acquiruntur reſignatario, ſiue ſtatus dies ſolutionis penſionis aduenerit, ſiue non. *Caccialupus de penſionibus q. 25. Gigas item de penſion. quæſt. 53. Tuſchus concl. 2[illegible] lit. P. Rota Romana in illa Pamen. penſionis 19. Iunij 15[illegible]3. coram Clemente VIII. Abbas, & Antonius Butrius in cap. fin. Ne prælati vic. ſuas Alexander conſ. 157. in 2. vol. per textum in l. defuncta ff. de vſufructu, & l. Iulianus §. ſi fructibus, & ibi Baldus ff. de act. empt. Bartolus poſt Dinum in l. fin. ff. de iur. fiſc.*

Fructus percepti tempore mortis debentur hæredibus, non percepti reſignatario. Caccialupus. Gigas. Iulius. Rot. Rō. Abbas. Butrius. Alexander. Baldus. Bartolus.

Pro-

Gabriel. Rot. Rō.

Probatur primò ex communi ſtilo Rotæ Romanæ, quem refert *Gabriel conſ.* 191. *num.* 13. *& ſeq. vol.* 2. ſimulque plurimas deciſiones ad hanc rem ſpectantes allegat, & præcipuè *d. Tharen. penſ.* 19. *Iunij* 1573. *coram Clemente VIII.* aliam *Cæſaraugustanam penſionis* 13. *Aprilis* 1592. *coram Pamphilio*, aliam *in cauſa Salernitana penſionis* 9. *Aprilis* 1601. *coram Penna*, in qua etiam dictum fuit, eſſe communiorem, & receptiorem ſententiam; Aliam in cauſa *Burgan. fructuum* 12. *Decembris* 1579. *coram Robuſterio*; aliam *in cauſa Nagarena penſionis* 15. *Ianuarij* 1607. *coram Coccino*.

Nicolaus Gimen. Nauarrus. Barbosa.

Regulantur penſiones legibus quibus vſusfructus.

Probatur ſecundò, quià penſiones in hac materia regulantur eiſdem legibus, quibus vſusfructus *Rota in d. Pharen. penſionis*, *Gloſa in cap. ſi propter de reſcriptis*, *& cap. præſenti de offic. ord. in* 6. *Nicolaus Gimen in Enchiridion benef. tit.* 4. *de gratijs expectatiuis num.* 24. *Nauarrus de reddit. Eccl. quæſt.* 2. *mon.* 13. *& conſ.* 7. *de ſucceſſion. ab inteſt*, *Barboſa in l. diuortio ff. ſoluto matrimonio*, ſed vſufructuario cedunt fructus iam collecti, non collecti non cedunt, ergo etiam penſionario, ſed decedente vſufructuario poſt collectionem fructuum tranſeunt in hæredem ipſius, ergo etiam decedente penſionario. Subſumpta minor clarè liquet ex *d. l. defuncta ff. de vſufructu*, *& l. ſi fur*, *& l. arboribus §. Iulianus eod. tit.*, ergo &c.

Coaruu.

Dices primò, penſionarius non poteſt dici vſufructuarius, cum penſio in pecunia perſoluatur, & ſic in primis penſionarius non debet regulari ad normam vſusfructus; Deindè, cum penſio in pecunia perſoluatur, parùm referre debet, quod fructus fuerint percepti, nec ne. Ità *Coarruuias var. reſol. lib.* 1. *cap.* 15. *nu.* 13. Sed contrà, quia, quantumuis pecunia perſoluatur pro penſione, non fructus formales, ipſa tamen pecunia ſubſtituitur loco fructuum, ad quorum propterea normam eſt perſoluenda; vnde in inſtitutione penſionis pecuniariæ duplex quodammodò contractus, vt ita dicam, interuenit; alter, quo per auctoritatem Pontificis in fauorem alicuius imponitur beneficio penſio in fructibus eiuſdem, alter, quo fit permutatio iuris ad quotam fructuum cum iure ad quotam determinatam pecuniæ, ſicque hic ſecundus contractus regulari debet ad normam præcedentis, cum ſubſtituatur pro illo. Deindè penſio inſtituitur in fructibus, & pro fructibus beneficij, ergo quotieſcunque fructus fuerint percepti erit onus perſoluendi penſionem; vndè meritò per *Rotam in illa Salernitana penſionis* 9. *Aprilis* 1601. *coram Penna* fuit dictum, quod *communior, & receptior opinio eſt, penſionem, ſiuè debeatur in fructibus, ſiuè in pecunia hæredibus penſionarij, non deberi pro rata temporis, ſed pro rata fructuum*.

Pecunia in penſionibus ſubſtituitur loco fructuũ.

Rot. Rō.

Penſio inſtituitur in fructibus, & pro fructibus.

Dices ſecundò. Penſio conſtituta in fauorem alicuius ſaltèm poſt motum Pij V. de quo ſuprà importat aliquod onus, nempè recitandi officium ſaltèm Beatiſſimæ Virginis, ſicque dici poteſt dari propter officium, ergo congruentiùs regulari debet ad normam *l. diuortio ff. ſolut. matrim.*, quam ad normam *l. defuncta ff. de vſufructu*, adeoque potius ad ratam temporis, quàm ad ratam fructuum. Conſequentia probatur, quià ideò *in d. l. diuortio ff. ſoluto matrimonio* dicitur diuiſionem faciendam eſſe ad ratam temporis vniformem, quià fructus dotis ſunt in ordine ad onera matrimonij, quæ maritus ſuſtinet, ſed etiam fructus penſionis ſunt propter officium, ergo &c. Sed contrà nam licet de facto penſioni adijciatur illud onus, de quo in inſtantia, non propterea penſio imponitur propter illud onus tanquam propter cauſam finalem ea proportionali ratione, qua beneficio imponitur onus penſionis, nec propterea dici poteſt, quod conferatur propter penſionem, tanquam propter cauſam finalem; ex quo ſequitur, non rectè fieri comparationem inter fructus dotis comparatiuè ad tempus, quo durat matrimonium, & inter fructus penſionis comparatiuè ad tempus, pro quo viuit penſionarius; dos etenim eſt propter onera matrimonij; penſio autem non eſt propter officium tanquam propter finem, adeòque &c.

Penſio non imponitur propter onus, ſaltèm quà propter cauſã finalem.

Probatur tertiò, quia penſio conſtituitur ſuper fructus, vt ex eiſdem ſatisfiat penſionario, ergo perceptis fructibus penſiones ſunt perſoluendæ, & ante eoſdem perceptos non ſunt perſoluendæ

Ex qua probatione etiam liquet, quod, ſi fructus fuerint percepti, penſiones ad ratam ſint perſoluendæ, ſiuè dies ſolutionis aduenerit, ſiuè non, quandòquidem penſiones conſtituuntur in fructibus, & debentur de fructibus, qui propterea, ſi fuerint percepti, tribuunt immediatè ius penſionario illos exigendi; Quod deindè dies ſolutionis fuerit præſignatus, & nondum aduenerit, non tollit, quin, ſi fructus fuerint percepti, debeantur penſiones, quandòquidem terminus ad ſolutionem præfixus non eſt, quia tunc tantum incipiat ius penſionarij, ſed vt inſeruiat ad faciliorem commoditatem perſoluentis huiuſmodi penſiones, hocque exemplo vſusfructuarij, cuius hæredibus debetur integra penſio, quantumuis tempore vitæ eiuſdem vſufructuarij non ceſſerit dies ſolutionis, ſi fructus omnes, quorum occaſione penſio ſoluebatur, erant iam percepti per penſionis debitorem docent *Alexander conſ.* 157. *incip. Reuerendiſſime Domine in* 2. *vol. per textum in d. l. defuncta ff. de vſufructu*, *& in l. Iulianus*

Si fructus fuerint percepti penſiones ad ratam ſunt perſoluendæ, ſiuè dies ſolutionis aduenerit, ſiuè non.

Alexander.

§. 8

Digitized by Google

Baldus. Caccialupus. Bartolus. Dinus.

§. ſi fructibus, & ibi Baldus ff. de act. empt. Ad idem allegat *Caccialupus loc. cit. Bartolum poſt Dinum in l. fin. ff. de iur. fiſci.*

§. VIII.

An penſio ſoluta ante perceptionem fructuum penſionario, ſi hic præmoriatur ante eoſdem fructus perceptos ſit reſtituenda grauato.

SVMMARIVM.

Exponitur dilucidè ſtatus difficultatis 1.
Rationes dubitandi circà factum 2.
Probabilius penſio antecedentèr exacta ad perceptionem fructuum mortuo penſionario per eius hæredes reſtituenda eſt grauato 3.
Penſio ſubrogatur locò fructuum 4.

1 Diſquiſitio VIII. Conſtituta fuerat penſio ſuper quodam beneficio, quo gaudebat Caius Sacerdos, vel per reſignationem, vel per electionem in fauorem Theodorici. Nondum perceptis fructibus pendentibus ex eodem beneficio Theodoricus, vel ex indigentia ſic annuente etiam Caio, vt eidem faueret, vel quia terminus ſolutioni appoſitus præcedebat tempus fructuum colligendorum ex inordinata conſtitutione penſionis, eandem penſionem in ſui fauorem conſtitutam exegit, & poſtea, antequam fructus perciperentur, mortuus eſt. Hic inſurgit difficultas, an penſio ſic antecedentèr exacta ſit per hæredes eiuſdem penſionarij reſtituenda.

Difficultas expoſita in ſuis terminis.

2 Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod ex ſuperiùs dictis penſiones non ſunt debitæ penſionario, niſi poſt fructus beneficij acquiſitos, adeò vt, ſi præmoriatur penſionarius ante collectionem eorundem, quantumuis dies ſolutionis aduenerit, non debeatur penſio hæredibus eiuſdem defuncti; ex quo videtur ex conſequenti deduci, quod, ſi fuerit antecedentèr ad perceptionem eorundem fructuum perſoluta, ſit reſtituenda, vtpotè ſoluta indebitè, & in præiudicium grauati. Qua in re *Caccialupus in tract. ſuo penſion. quæſt. 25* allegatis prius varijs opinionibus relatis per Salicetum *in l. fructus C. de act. empt.* docet hanc controuerſiam dirimendam eſſe iuxta regulas æquitatis, ſed non explicat, in quo, ſeu in cuius fauorem ſtet hæc æquitas in hypotheſi, de qua loquimur.

Penſiones non ſunt debitæ penſionario, niſi poſt fructus perceptos.

Caccialupus.

3 Reſpondeo, probabilius eſſe penſionem illam ſic exactam per hæredes penſionarij eſſe reſtituendam grauato. *Salicetus in d. l. fructus C. de act. empt.*, vbi etiam citat *Baldum in l. 1. C. de vſu. & fruct. leg.*

Salicetus. Baldus.

Probatur primò, quia penſio licet antecedentèr ſoluta, ſoluta tamèn fuit habito reſpectu ad fructus, per ea, quæ notat *Gigas de penſion. quæſt. 53. num. 4. in fin.*, ergo proportionari debet quoad ius penſionarij ad eoſdem fructus, ſed per ſuperiùs allegata fructus non ſunt debiti penſionario, niſi poſtquam fuerint percepti, adeò vt, ſi præmoriatur, illi, nec eius hæredibus debeantur, ergo nec penſio eſt illi debita, niſi poſtquam fructus fuerint percepti, ergo, ſi antecedentèr ad illos fuerit perſoluta, vt potè indebitè ſoluta, poterit repeti. Confirmatur, quia penſio ſubrogatur loco fructuum, ergo tunc tantum debetur, quandò ſunt debiti fructus. 4

Penſio ſemper ſoluitur habito reſpectu ad fructus. Gigas.

Dices, quod, quamuis penſio non ſit debita, niſi quandò eſſent debiti fructus, adeò vt, ſi nôn fuerit perſoluta, non debeatur, ſi tamen fuerit antecedentèr ſoluta teneat in fauorem penſionarij, quandòquidem per grauatum animo abſoluto fuit in ipſum translata, ergo, quantumuis fuerit antecedentèr ſoluta, non eſt poſtea reſtituenda. Sed contra, quia non eſt præſumendum, quod animus grauati ſoluendo anticipatè fuerit ad transferendum abſolutè dominium pecuniæ ſolutæ quomodocunque, ſed ad ſanandum anticipatè debitum, quod poſteà tempore fructuum contrahetur; Cum igitur debitum non contrahatur, niſi pro tempore fructuum per ſuperius probata, & pro tempore eorundem fructuum per præproperam mortem penſionarij extinctum omninò ſit ius eiuſdem, hinc fit, quod illa præpropera ſolutio ex præſumpta rationabiliter voluntate ſoluentis, cum ſanare non poſſit debitum, quod reſpiciebat, cum non fuerit contractum, non ſit abſolutè poſita ad transferendum dominium, ſed tantùm ſub conditione, ſi ſcilicet debitum ſuo tempore contrahetur; quo propterea non contracto, non eſt, cur pecunia per ipſum ſoluta non debeat reſtitui.

Animus grauati ſoluendo anticipatè penſionem non fuit abſolutè ad transferendum dominium, ſed tantùm conditionatè.

Dices ſecundò, hæc omnia, quæ hactenus dicta ſunt, ceſſare, quandò terminus ſolutioni appoſitus ex inordinata conſtitutione penſionis præcedit tempus fructuum colligendorum, quandòquidem ex conuentione partium tunc ſolutio habet vim ſolutionis, quandò cedit dies ſolutionis, non quandò cedit dies fructuum collectorum, vel colligendorum, ergo ſaltem in ea hypotheſi penſio ſoluta non erit ab hæredibus penſionarij reſtituenda. Sed contrà, quia, vt bene dicitur, etiam in inſtantia ille terminus ſolutionis antecedentèr ad perceptionem fructuum eſſet inordinatè appoſitus, & contra omnem iuris ordinem, ſecundum quem, cum penſio conſtitua-

Grauatus non præſumendus liberè conſentire aliſolutione anticipatæ.

Google

ſtituatur in fructibus, non debet ante illorum perceptionem ſolui, cæteroqui quandòque contingeret, vt penſio, quæ imponitur propter fructus, & intuitu eorundem, eſſet ſoluenda ſine illis; nec præſumendum eſt, quod grauatus omninò liberè, & voluntariè conſenſerit illi termino inordinatè appoſito ad ſolutionem, ſed omninò inuoluntariè mixtè, qui propterea ad illum terminum non obligatur. Deindè, vt ſupra innuebam, quantumuis ille terminus ſit ad penſionem perſoluendam, onus tamen ſolutionis ſemper eſſet relatiuè ad fructus, qui propterea, ſi non fuerint percepti, durante iure penſionarij, non conferunt ius ipſi penſionario, vel ipſius hæredibus detinendi eandem penſionem.

Probatur ſecundò. Ad illum ſpectat penſio ante tempus ſoluta, ad quem ſpectare debet penſio tempore mortis penſionarij nondum ſoluta, nec exegibilis *Baldus in l. 1. C. de vſu. & fruct. leg. vbi allegat Hieronymum fumoſi de Mattarellis, Salicetus in d. l. fructus C. de act. empt. Gigas quæſt. 53. de penſionibus in fin.*, ſed tempore mortis penſionarij penſio nondum ſoluta, nec exegibilis ſpectare debet ad grauatum, non ad ipſum penſionarium per ea, quæ fusè dicta ſunt in præcedenti diſquiſitione, ergo, & ſi fuerit antecedentèr ſoluta, ſpectare debebit ad eundem grauatum. Sed de his fusè agetur in tractatu particulari de penſionibus, vndè non eſt in præſenti immorandum.

Baldus. Hieronymus furioſi de Matarellis. Salicetus Gigas.

---

§. IX.

An ſit ſimoniaca conuentio inter Canonicos, vt, qui ex illis eligatur Sede vacante in Vicarium Capitularem, teneatur ſalarium diuidere cum alijs Canonicis.

SVMMARIVM.

Refertur, in quo ſenſu accipiendus ſit titulus 1.

Electio Vicarij cum illis conditionibus verè fuit praua, & ſimoniaca 2.

Nonnulla obiecta contrà reſponſionem, eorumque ſolutio 3.

Quamuis illa electio fuerit ſimoniaca, non tamen ipſo iure eſt nulla 4.

Vicariatus Capitularis non eſt propriè beneficium 5.

1 Diſquiſitio IX. In quadam Ciuitate occubuerat Epiſcopus, ſed cùm inter ſe diſſiderent Canonici in electione Vicarij Capitularis, cuius ius de iure communi ad ipſos pertinet, facta fuit inter ipſos conuentio, vt, quicunque ex illis eligeretur in Vicarium, teneretur ſalarium reliquis omnibus diuidere, qua facta conuentione electus fuit Enobarbus. Quæſitum fuit, an huiuſmodi electio licita eſſet, an ſimoniaca, & ex ſuppoſitione, quod ſit ſimoniaca, an ipſo iure ſit nulla

Exponitur facti ſeries.

Agunt fusè de hac controuerſia *Nauarrus conſ. 2. Ne Prælati vices ſuas, Zerola in praxi 2. part. verb. Capitulum §. 5. Summa Bullarum Quaranta d. verb. Capitulum Sede vacante num. 7. Sbroc. de off. Vicarij in addit. ad quæſt. 60. lib. 1., & quæſt. 54. lib. 3. Lazar. de monitorijs ſect. 1. quæſt. 7. num. 6.* vbi concludunt, ſimoniacam eſſe electionem. Cum his

Nauarrus. Zerola. Quarãta. Sbroc. Lazarus

Reſpondeo, revera talem electionem eſſe, & fuiſſe prauam, & ſimoniacam. 2
Probatur primo, quia Vicariatus Generalis Epiſcopi, & cuiuſcunque alterius Prælati eſt quædam res ſpiritualis *cap. 1. Ne prælati vices ſuas, & c. 2. eodem*, ergo a fortiori erit talis etiam Vicariatus Capitularis, qui eſt cum maiori, & magis independenti iuriſdictione, ergo ipſius electio pro pretio temporali erit ſecundum ſe ſimoniaca, ſed talis fuit electio per illam conuentionem diſtribuendi ſalarium proueniens ex tali officio inter Canonicos, ergo &c. Subſumpta minor probatur, quia illud ſalarium contribuendum, & diſtribuendum inter cæteros Canonicos eſt re vera pretium temporale, & intuitu eiuſdem idem Vicariatus Capitularis confertur, ergo &c.

Vicariatus Generalis Epiſcopi eſt quædam res ſpiritualis.

Dices, hoc non eſſe conferre Vicariatum Capitularem pro pretio temporali, 3
ſed tantum ius, quod Capitulo competebat, conferre cum limitato iure ad fructus, reliquum ſibi reſeruando, quod non videtur diſſonum rationi, quandòquidem illud ius competit Capitulo, quod confirmari poteſt ex eo, quod Vicariatus Capitularis ità comparatur ad Capitulum Sede vacante, ſicuti Vicariatus Epiſcopalis ad Epiſcopum eodem viuente, nam, ſicuti hic gerit vices Epiſcopi, ità & ille gerit vices Capituli; ſed Epiſcopus ſine vlla labe ſimoniæ poteſt Vicariatum conferre cum certis, & determinatis redditibus, ergo, & Capitulum Sede vacante poterit ſine labe ſimoniæ &c. Sed contra, quia non minus eſt ſimoniacum conferre rem ſpiritualem pro pretio, ac illam conferre cum diminutione prouentuum, qui ex illa ex genere ſuo conſequuntur, potiſſimum, ſi illa diminutio ſit in fauorem conferentis, ſeù eligentis, & ſicuti in beneficijs ſine Pontificis diſpenſatione, & auctoritate non licet electoribus ad beneficium eligere diminutis fructibus eiuſdem, & reſeruatione reliquorum ſibi ipſis, vel alteri per ea, quæ fuse dicta ſunt, ità nec licere poſſe

Vicarius Capitulares comparatur ad Capitulũ Sede vacante, ſicut Epiſcopalis ad Epiſcopũ eo viuente.

Eſt ſimonia conferre rem ſpiritualẽ cum diminutione pretij.

In quibus conueniãt, & differant Vicarius Epiſcopalis, & Capitularis.

videtur conuentionem inire de conferenda re ſpirituali cum diminutione redditũum, & onere, vt illud, quod diminuitur electo, conferatur electoribus, præſertim cum ita conferatur propter illam, vt ſine illa non conferretur. Ad id, quod ſubditur, dicendum eſt, quod quantumuis in multis proportione ſeruata comparentur adinuicem officium Vicariatus Epiſcopalis, & Capitularis, in ordine ad ſuos electores, in multis tamen non ſeruent adinuicem proportionem, nec comparationem, & ne diutius in ijs, in quibus non ſeruant comparationem, immoremur, aſſigno in particulari ad rem præſentem diſcrimen ſitum in eo, quod id, quod aſſignatur per Epiſcopum Vicario Generali ad congruam eiuſdem ſuſtentationem, eſt ex bonis eiuſdem Epiſcopi iam ſeparatis, qui propterea poteſt, vel plus, vel minus congruentèr ad onera aſſignare; id verò, quod debetur Vicario Capitulari prouenit à iure, quod conſequitur ex eodem officio, nec limitari debet ab eligentibus ad tale officium in ſui fauorem, & vtilitatem.

Dices ſecundò, hoc non eſſe conferre pretium pro re ſpirituali, cum motiuum electionis talis determinatæ perſonæ non fuerit illa conuentio de pretio, cum illud fuiſſet erogandum, ſiuè talis perſona fuiſſet electa, ſiuè alia ab ipſa, ſed meritum eiuſdem, quo cæteris prælatus eſt in tali electione, ergo talis conuentio nequit dici ſimoniaca. Sed contrà, quià, ſi in concurſu plurium ad idem beneficium omnes concurrentes conuenerint de certo, & ęquali pretio conferendo electoribus, ſi ipſi eligerentur, & ſtante illa promiſſione eligeretur dignior, adhuc illa electio eſſet ſimoniaca, eo quia ad ipſam concurreret re vera conuentio de pretio, nec eximeretur à tali prauitate ex eo, quod alij etiam concurrentes conueniſſent de pretio, non enim concurſus aliorum prauus cohoneſtare poteſt prauitatem electi conſiſtentem in eo, quod fuerit promotus mediante pretio, ergo etiam, ſi in concurſu plurium ad idem munus Vicarij Capitularis omnes concurrentes eaſdem conditiones pretio æſtimabiles obtulerint, & dignior fuerit electus, adhuc tamen talis electio erit ſimoniaca, & praua, quandòquidem aliorum prauitas non demit prauitatem electi.

Electio poteſt eſſe ſimoniaca non ſolum in complemento, ſed etiam in actibus præcedentibus.

Reſponderi etiam poteſt, quod electio non ſolùm poſſit eſſe ſimoniaca in complemento, & quandò vltimò perficitur, ſed etiam in actibus præcedentibus, & præparatorijs ad idem complementum, ſicque, quamuis talis perſona præ cæteris eligatur ratione maioris dignitatis, ſub qua contemplatione præcisè nulla prorſus eſſet prauitas, quia tamen in præcedentibus, ſcilicet in conuentione interfuit pactio de pretio, ſeù de penſionibus pretio æſtimabilibus diuidendis inter electores, ideò ratione eiuſdem eadem electio abſolutè inficiatur.

Probatur ſecundò. Si quis ex corpore Canonicorum Sede vacante cæteris electoribus offerret diſtributionem ſalarij, ſi eligeretur in Vicarium Capitularem, conſequentis ad tale officium, & poſita illa oblatione eligeretur verè eſſet ſimoniacè electus, cum rem ſpiritualem recepiſſet pro pretio, ergo etiam erit ſimoniacè electus, quantumuis alij cum ipſo talem oblationem præſtiterint. Conſequentia probatur, quia prauitas ſimoniaca conſiſtit in eo, quod pro re ſpirituali conferatur temporale, ſed ex eo, quod alij ſimul cum ipſo concurrerint ad talem, ſeù ſimilem oblationem, non tollitur, quin ipſe obtulerit, & receperit tale officium, quod eſt ſpirituale pro illo onere contribuendi ſalarium, quod eſt quid temporale, ergo &c.

Ex eo, quod alij ſimul cũ ipſo; concurrant non demitur ſimoniaca prauitas.

4 Reſpondeo ſecundò, quod quamuis illa electio fuerit ſimoniaca, non tamèn ipſo iure ſit nulla. Ita contra *Nauarrum conſ. lib. 5. tit. ne Prælati vices ſuas conſ. 2. verſ. tertio, quod non ſint communicati. Suarez de Religione tom. 1. tract. 3. de Simonia lib. 4. cap. 57. num. 13. & 50.* Probatur primò aduerſus eundem *Nauarrum loc. cit.* Vicarius ſic electus non contrahit ipſo iure excommunicationem latam *in d. extrauag. 2. inter communes de ſimonia*, ergo nec ipſo iure irritationem Vicariatus, ſibi commiſſi. Conſequentia probatur, quia ipſo, eodemque iure inducitur excommunicatio, ac beneficij irritatio per ea, quæ ſupra probata ſunt, ergo, ſi &c.

Nauarrus. Suarez.

Eodẽ iure inducitur excommunicatio, ac beneficij irritatio.

5 Probatur ſecundò, quià Vicariatus ille, vt potè temporalis non eſt propriè, & in rigore beneficium, ergo quantumuis fuerit ſimoniacè collatus non tamen erit ipſo iure nulliter collatus. Antecedens euincitur ex defectu conditionum requiſitarum ad rationem beneficij. Conſequentia etiam tenet ex dictis in præcedentibus, vbi ſolummodò collatio beneficiorum ſimoniaca fuit ipſo iure irrita declarata. Non diutiùs immorandum in confutandis iuribus, quæ allegat pro ſua opinione *Nauarrus conſ. lib. 5. tit. ne Prælati vices ſuas conſ. 1.* iuxta textum *in cap. quam pio 1. quæſt. 2. & cap. fin. de pactis*, quandòquidem ijs ſatis, ſuperque fuit ſatisfactum.

Nauarrus.

§. X.

An conductio Vicariatus Epiſcopi ad tempus pro pretio ſit ſimoniaca, & nulla.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis 1.
Simoniaca foret talis conductio 2.
Talis conductio non foret nulla 3.

1 Diſquiſitio X. Conuenerat cum Epiſcopo certæ Diæceſis Caius, vt ſibi conferret ad certum tempus, ſeù locaret officium Vicariatus talis Diæceſis, pro qua conuentione obtulit certam pecunię quantitatem, reſque iuxtà mentem eiuſdem Caij perfecta eſt. Orta hinc fuit controuerſia, an talis conductio fuerit ſimoniaca, & nulla ipſo iure. Hac de re plura fuerunt in ſuperioribus actitata, quamobrem currenti calamo me abſoluens.

Exponi tur caſus.

2 Reſpondeo primò, ſimoniacam fore talem conductionem *Nauarrus conſ. lib. 5. ſub tit. Ne Prælati vices ſuas conſ.* 1. Clarè deducitur in primis hæc aſſertio ex continuatione rubricæ de ſimonia cum titulo *Ne Prælati vices ſuas*, per quam videtur inferri Prælatos committentes vices ſuas pro pretio ſimoniam contrahere. Vlterius ſic euincitur, quià officium Vicarij Generalis Epiſcopi ſecum trahit aliquam iuriſdictionem non merè temporalem, ſed etiam ſpiritualem, ergo per illius conductionem factam pro pretio propriè contrahitur ſimonia, cum hæc in alio non conſiſtat, quam in contractatione rei ſpiritualis pro temporali.

Nauarrus.

Simoniaca eſt conductio Vicariatus Epiſcopi pro pretio.

3 Reſpondeo ſecundò, talem conductionem non propterea fore nullam *Suarez loc. quo ſuprà*. Ratio ex eo facilè deducitur, quod Vicaria temporalis, ſeù temporanea, quantumuis habeat annexam iuriſdictionem ſpiritualem, non eſt tamen propriè beneficium, quod ſolummodò ex vi extrauag. inter communes de ſimonia irritatur.

Suarez.

Vicaria non eſt beneficium propriè.

Dices primò, quod, quantumuis non irritetur ex vi eiuſdem extrauag., irritatur tamen ex diſpoſitione iuris *in cap. Ne Prælati vices ſuas*, vbi ſic legitur *Præſenti decreto ſtatuimus, vt qui de cætero hoc præſumpſerit* (loquitur de ijs, qui pro certa pecuniæ quantitate Epiſcopalem iuriſdictionem exercent) *officio ſuo priuetur, & Epiſcopus conferendi hoc officium poteſtatem amittat*. Sed contrà, quia per talem textum, vt benè ibi notat *Gloſa, & cum ea Nauarrus loco citato* ſolum indicitur, quod talis conducens remoueatur à clero, ſeù priuetur officio Clericali, non autem ſtatuitur, quod careat ſpirituali iuriſdictione, quam conduxit, cum nullum adſit verbum in textu, quod hoc indicet. Dici inſuper poteſt, quod ille textus importet ſententiam ferendam, non latam, quod præcipuè importatur per modum, quo dicitur, *priuetur*, qui eſt quid diuerſum, ac ſi diceretur, *ſit priuatus*.

Gloſa. Nauarrus.

Importat ſententiā ferēdam, nō latam.

Dices ſecundò, ſic conducentem nullum habere titulum, quo poſſit illam iuriſdictionem detinere, cum ſit ſimoniacè collata, vnde docet *Nauarrus loco citato*, confeſſarium non debere ipſum abſoluere, niſi dimittat illam, vel proponat efficacitèr dimittere *arg. cap. ſi res aliena* 14. *quæſt.* 6. *& cap. peccatum de reg. iur. in* 6. Sed contrà, quia titulus, quem habet, fundatur in abſoluta voluntate Epiſcopi concedentis vices ſuas, cum liberæ voluntati eius ſupponatur ſubeſſe illa commiſſio vicum ſuarum, nec irritatur à Deo, qui ſolum præſcribit modum conferendi, non irritat ſubſtantiam collationis; vt enim optimè notat Suarez ex verborum forma ſeruata à Chriſto Domino, voluntas Chriſti non fuit, vt ſpiritualia non darentur tali modo; lex autem prohibens dumtaxat modum, qui non ingreditur intrinſecè ſubſtantiam actionis, & concedens actionem non irritat ſubſtantiam eiuſdem actionis. Dato iam, quod ex lege Diuina, & naturæ non ſit ipſo iure irrita talis conceſſio, ſequitur, quod nec irrita ſit de iure Eccleſiaſtico in pænam, cum talis pæna nullibi reperiatur appoſita.

Titulus in quo fūdatur eſt abſoluta voluntas Epiſcopi concedentis.

Dices tertiò, non poſſe detinere ex nullitate contractus. Sed contra, quià ad ſummum ſequitur, quod non poſſit detinere in vim emptionis, ſeù conductionis, non autem, quod non poſſit detinere in vim dationis, ſeù collationis, ſuppoſita voluntate Epiſcopi ad abſolutè conferendum, & quod vtraque pars velit perſeuerare in illa collatione, & conceſſione per ea, quæ ſuprà dicta ſunt.

Poſſet detinere in vim dationis, ſi non in vi emptionis.

---

§. XI.

An Sacerdos exigens maius ſtipendium ex eo, quod celebrare debeat in Altari Priuilegiato, ſit ſimoniacus.

SVMMARIVM.

Proponitur, & elucidatur dubium cum ſuis articulis examinandis 1.
Ex eo, quod Sacerdos celebrare debeat ad inſtantiam in Altari priuilegiato præciſè non poteſt ſine labe ſimoniæ, quid magis exigere

ſuprà taxatum ſtipendium ab Epiſcopo 2.

Si aliud ſit ſtipendium taxatum per Epiſcopum, & ſit maius, aliud per conſuetudinem, & ſit minus, poteſt Sacerdos ſine labe ſimonia nolle celebrare in Altari priuilegiato, niſi per ſtipendium maius taxatum per Epiſcopum 3.

Eſſet tamen quadam ſpecies irreuerentia 4.

Non eſt ſimoniaca conſuetudo, qua adminiſtratores Altaris priuilegiati exigunt maius ſtipendium ob rationes annexas 5.

1 DIſquiſitio XI. Secundum conſuetudinem, vel ex præſcripto Epiſcopi in Sinodo Diæceſana taxatum reperitur ſtipendium pro celebratione cuiuslibet Miſſæ titulo ſuſtentationis Sacerdotis celebrantis ad rationem libræ Imperialis pro qualibet. Titius Sacerdos ex eo, quod celebrare debeat ad inſtantiam eleemoſinam erogantis in ſacello priuilegiato quid magis ſuprà taxatam illam ſtipem exigit, ſeù fortè etiam per miniſtros talis Altaris priuilegiati illud magis ex conſuetudine exigitur. Quæritur iam, an illa exactio maioris ſtipendij intuitu celebrationis in tali loco ſit ſimoniaca.

Dubium expoſitum in claris terminis.

Hoc, quod controuertitur, quandò pretium, ſeù ſtipendium taxatum eſt, vel per præſcriptum Epiſcopi, vel per conſuetudinem, controuerti etiam poteſt, quandò tale ſtipendium per conſuetudinem taxatum eſt ad ſolidos quindecim, & per Epiſcopum ad ſolidos viginti, an ſcilicet ex eo, quod Sacerdos celebrare debeat in Altari Priuilegiato, poſſit exigere ſolidos viginti, & ſine illis nolle celebrare, quantumuis in alio loco non priuilegiato celebraret cum ſolito ſtipendio quindecim ſolidorum iuxtà conſuetudinem.

Articuli examinãdi circà titulum.

2 Reſpondeo primò ex eo, quod Sacerdos celebrare debeat ad inſtantiam eleemoſinam erogantis in Altari Priuilegiato præcisè nnn poteſt ſine labe ſimoniæ quid magis exigere ſupra taxatum ſtipendium per præſcriptum Epiſcopi. Probatur primò, quia non eſt aſſignabilis titulus, ratione cuius poſſit exigi illud augmentum ſuprà taxatam ſtipem ex eo, quod celebratio fieri debeat in ſacello priuilegiato, niſi ratione Indulgentiæ, quæ ibi conſequitur, ſed hoc expreſsè redolet ſimoniam, ergo &c. Maiot probatur, quia non ſupponitur maior difficultas in celebratione in tali ſacello, ac in alio non priuilegiato, & cum illud ſtipendium detur in congruam ſuſtentationem pro onere Miſſæ celebrandæ, maiuſque non ſit onus, ſiuè in vno celebretur, ſiuè in altero Altari, ex conſequenti ſequitur, quod non exigat maius ſtipendium. Quod ſi ſupponas aliam rationem interuenire in celebratione ad tale Altare ſecundum ſe meritoriam maioris ſtipendij, iam extrahitur quæſtio a terminis propoſitis, ſecundum quos procedit ex eo præcisè, quod debeat in Altari priuilegiato celebrare, præterquamquod rectè examinari debet, an talis ratio ſit pretio compenſabilis ſupra id, quod exigit miniſterium in alio loco. Minor etiam ſic euincitur, quia ipſa Indulgentia eſt quid merè ſpirituale, ergo, ſi pro ipſa aliquod pretio æſtimabile conferatur, ſimonia propriè committetur, quandòquidem ſpirituale conſertetur pro temporali.

Non eſt aſſignabilis titulus, vi cuius poſſit exigi illud augmentum.

Dixi, *ex eo præcisè, quod debeat in Altari priuilegiato celebrare*; non enim negauerim, quod, ſi ratione itineris, difficultatis maioris, diuturnioris expectationis, aliarumque ſimilium circumſtantiarum maiora præferantur incommoda temporalia, poſſit illorum compenſationem ſupra conſuetam ſtipem exigere, cum hæc omnia ſint ſecundum ſe pretio compenſabilia etiam independentèr à tali miniſterio.

Ratione alicuius conditionis annexa poteſt quid magis exigere.

Probatur ſecundò, quia hoc, quod eſt celebrare in ſacello priuilegiato nil aliud importat ſuprà celebrare ſimplicitèr in alio loco, quam ſpem conſecutionis Indulgentiæ conceſſæ per Pontifices celebrantibus in tali loco in fauorem illorum, pro quibus celebratur, vt per ſe patet, ergo ratione eiuſdem nequit aliquid pretio æſtimabile ſuprà conſuetam ſtipem exigi. Conſequentia probatur, quia ſecus illud, quod exigeretur, exigeretur ratione alicuius merè ſpiritualis, nempè ad conſequendam illam Indulgentiam, quæ ſecundum ſe eſt quid merè ſpirituale.

Id, quod exigeretur ſuprà taxatum ſtipẽdium eſſet ratione indulgẽtia.

Dices, in celebratione in diebus Feſtis poteſt ſine labe ſimoniæ ſtipendium duplo maius exigi, ac exigatur ex conſueto, vel ex præſcripto in alijs diebus non feſtis, prout definitum eſſe in Sinodo Diæceſana Mediolanenſi tertia teſtatur *Bonacina diſput. 4. quaſt. vlt. punct. 8. prop. 2. num. 13.* & in Congreg. Pænitentiariæ Mediol. ipſo præſente, & ità conſulente ſubdit ipſemet Bonacina, nec tamen celebrare in die Feſto importat ſupra celebrare ſimplicitèr in alio tempore non feſto præter ſolemnitatem diei, quæ non videtur conſerre ad ius maioris ſtipendij, ergo etiam in celebratione in Altaribus priuilegiatis poterit ſine labe ſimoniæ maius ſtipendium exigi, ac exigatur in celebratione in alijs Altaribus non priuilegiatis. Conſequentia probatur, quia pariſormitèr videtur procedere celebrare in Altari Priuilegiato comparatiuè ad Altare non priuilegiatum, ac celebrare in die Sacro comparatiuè ad diem non Sacrum. Sed contra, quidquid ſit de illa definitione Sinodi Diæceſanæ, & conſultationis Bonacinæ, quæ non faciunt infalli-

Bonacina.

Ex Sinodo Mediol. tertia in diebus Feſtis exigitur ſtipẽdium duplo maius.

bile

Celebrare in die Feſto nõ importat aliquã maiorem Sãctitatem, ac celebrare in Altari priuilegiato.

bile oraculum veritatis, & res adhuc maneat ſub magno diſſidio inter Doctores, dico diſparem eſſe rationem, quia ille exceſſus, qui exigeretur ratione celebrationis in die Feſto, non eſſet intuitu alicuius qualitatis ſpiritualis, quæ eſſet ſupra valorem ſacrificij; non enim dies Feſtus confert ad aliquam maiorem ſanctitatem; ille verò exceſſus, qui exigeretur ratione celebrationis in ſacello priuilegiato eſſet præciſè intuitu illius qualitatis ſpiritualis, quæ habetur per Indulgentiam; hæc etenim ſuprà valorem ſacrificij importat donum illud ſpiritualis iuriſdictionis, per quam delentur reatus pænarum &c. Quod ſi autem inquiras fundamentum, cui innitatur illa definitio Sinodi Mediolanenſis, ratione cuius poteſt exigi ille exceſſus, ſtatim reſpondebo fundamentum in eo conſiſtere, quod pro diebus Feſtis maior extat concurſus populorum, & reſpectiuè minor copia Sacerdotum, cuius rei intuitu potuit Sinodus, in cuius poteſtate eſt ſtipendia Miſſarum taxare, ſtatuere tale maius pretium tùm ad alliciendos Sacerdotes ad ſacrificandum, tùm ad promouendos populos ratione maioris commoditatis ad maiorem ſacrorum frequentiam; nec tunc poſſet dici, quod Sacerdos exigeret maius ſtipendium ſuprà taxatum, quandòquidem pro talibus diebus taxatum ſtipendium eſſet illud maius.

Pro talibus diebus eſt taxatũ tale ſtipẽdium per habẽtem legitimã poteſtatem.

Ille exceſſus non eſſet ratione celebrationis in Altari priuilegiato.

Quod ſi ſupponas, quod etiam ad tale Altare priuilegiatum ſit magnus concurſus pro diebus etiam ferialibus, & reſpectiuè etiam minor copia Sacerdotum, tunc non renuerem etiam concedere, quod poſſet per Sacerdotes illud maius ſtipendium exigi, ſi ita eſſet per habentem legitimam poteſtatem taxandi præſcriptum, vel legitima conſuetudine inductum, ſed tunc ille exceſſus non eſſet ratione celebrationis in Altari priuilegiato præciſè, ſed ex conſequenti ratione illius taxationis ſuppoſito illo concurſu populi, & minori Sacerdotum copia, quæ tribuunt rationabile fundamentum taxandi maius ſtipendium, ſine quibus propterea non poſſet &c.

3 Reſpondeo ſecundò. Si per Epiſcopum, ſeù habentem legitimam poteſtatem taxandi ſtipendium Miſſæ fuerit taxatum ad rationem ſolidorum viginti pro ſingulis, & ex conſuetudine celebrentur Miſſæ pro ſtipendio quindecim ſolidorum, non ſimoniacè peccat Sacerdos, ſi nolit celebrare in Altari priuilegiato, niſi ad rationem viginti ſolidorum taxatam per Epiſcopum, licet præſerat aliquam auaritiæ ſpeciem damnabilem. Probatur primò quoad primam partem. Non peccat ſimoniacè, qui exigit ſtipendium legitimè taxatum pro celebratione Miſſæ, quantumuis celebret in loco non priuilegiato etiamſi ex conſuetudine minus taxato exigeretur ſtipendium, ſeù pro Miſſa ex conſuetudine minus ſtipendium perſolueretur; ergo nec ſimoniacè peccat, ſi ſtipendium taxatum exigat, vt celebret in loco priuilegiato. Antecedens probatur, quià conſuetudo inducta eſt ex conniuentia Sacerdotum celebrantium pro minori ſtipendio in fauorem illud erogantium, quæ conniuentia minuit quidem ius eorundem Sacerdotum conniuentium, ſi aſſentiantur, non obligat autem alios ad ſic conniuendum, ſi nolint aſſentiri, nec ſecundum ſe minuit ius legitima auctoritate præſcriptum, cum ex eo, quod quis cedat iuri ſuo, non deſtruat idem ius in communi, quod reſpicit omnes, non ſingulos in particulari. Conſequentia probatur, quià ex eo, quod debeat celebrare in loco priuilegiato non minuit ius, quod habet Sacerdos, exigendi pretium, quod poteſt exigere celebrando in loco non priuilegiato.

Poteſt velle ſtipendium taxatũ per Epiſcopũ, & non inductũ per conſuetudinem.

Conſuetudo inducta eſt ex conniuentia Sacerdotũ.

Dices, hæc quidem ſubſiſtere, quandò nollet celebrare, niſi pro taxato ſtipendio, ſiuè in loco priuilegiato, ſiuè in non priuilegiato, ſecùs autem, quandò celebraret in loco non priuilegiato pro ſtipendio minori iuxtà conſuetudinem, in loco autem priuilegiato nollet celebrare, niſi pro maiori iuxtà præſcriptum habentis auctoritatem taxandi, quia tunc ipſum priuilegium præciſè loci eſſet motiuum exigendi illud maius. Sed contrà, quia ex eo, quod ſit liber ad nolle celebrare, ſiuè in Altari priuilegiato, ſiuè non priuilegiato, niſi pro ſtipendio taxato, poteſt quidem cedere illi maiori ſtipendio celebrando in vno loco, & nolle cedere celebrando in alio; ſemper enim vtitur iure ſuo, nec dici poteſt, quod priuilegium Altaris, ſeù ſpes conſecutionis talis priuilegij per Indulgentiam ſit ratio formalis, ob quam exigatur illud maius ſtipendium, ſed quod talis ratio formalis conſiſtat in taxatione legitimè facta, cui celebrans nolit cedere ſuppoſita illa conditione, cui ex libertate cederet illa non exiſtente, ea proportionali ratione, qua venditor alicuius rei liber ad vendendum eandem rem pretio, vel ſupremo, vel medio, vel infimo poteſt illud vendere pretio infimo, vel medio exiſtente numerata pecunia, & nolle vendere, niſi ſupremo illa qualitate non exiſtente, ſeù expectata pecunia ſine vlla læſione iuſtitiæ, quantumuis, ſiuè numerata, ſiuè expectata pecunia poſſit ſemper ex libertate velle pretium ſupremum; hoc enim ſemper eſt vſus præciſè libertatis ſuppoſita æqualitate requiſita ad rationem iuſtitiæ commutatiuæ, quæ firma manet, ſiuè pretium fuerit ſupremum, ſiuè medium, ſiuè infimum. Ex his

Ex eo, quod ſit liber ad vtrumq; ſtipẽdium poteſt in vno loco nolle pro tali celebrare, & nõ in alio.

Eſt ſolũmodo vſus præciſus propriæ libertatis.

Pro-

Probatur ſecundò quoad eandem primam partem. Exiſtente taxatione per Epiſcopum legitimè inducta ad maius ſtipendium, & conſuetudine non reprobata ad minus æqualitas ſtipendij ad eandem Miſſam non conſiſtit in indiuiſibili, ſed patitur latitudinem inter vtrumque, quod exemplificari poteſt etiam in alijs rebus quoad earundem valorem, ergo Sacerdos poteſt licitè velle ſtipendium taxatum legitimè per Epiſcopum, & nolle acquieſcere ſtipendio per conſuetudinem inducto. Conſequentia probatur, quia venditor, quandò valor mercis non conſiſtit in indiuiſibili, non peccat contra iuſtitiam exigendo iuxta valorem ſupremum, quia illud pretium eſt intrà limites æqualitatis, ergo neque peccat contra Religionem Sacerdos, quandò ſtipendium Miſſæ non conſiſtit in indiuiſibili exigendo iuxta valorem legitimè taxatum per Epiſcopum. Hæc conſequentia tenet, quia ſemel dato, quod non aduerſetur virtuti Religionis exactio ſtipendij pro celebratione Miſſarum non eſt, cur eidem aduerſetur ſtipendium, quod ſecundum quantitatem taxatum eſt per habentem legitimam poteſtatem taxandi, & quod celebrans velit eidem ſtare, & non alteri inferiori; ius etenim iuſtitiæ ſecundum ſe non aduerſatur virtuti Religionis; ſi enim Religio non reſpicit ſtipendium ſecundum illam rationem, & iuſtitia taxet, non eſt, cur tali taxationi aſſentiri non poſſit etiam per conuentionem.

Exigendo illud maius ſtipendium non exigeret ſuprà æqualitatē debitam.

Exactio ſtipēdij nō aduerſatur virtuti Religionis.

4 Probatur tertiò quoad ſecundam partem, quia maximè ſcandalis obnoxium videtur more aliarum rerum venalium negotium Miſſarum pertractare cum fidelibus contendendo, vt rigoroſum exigant, nam licet Sacerdotes iuſtitiæ leges hic non lædant, eſt tamen quædam irreuerentia, ex qua communitèr ſcandalum ſequi ſolent, vndè meritò damnantur ſordidæ auaritiæ Sacerdotes, qui propriam Eccleſiam deſerunt, & plus danti ſe offerunt *Suarez tom. 3. diſp. 86. ſect. 2. Bonacina diſp. 4. quæſt. vlt. punct. 8. num. 12.* & Concil. Trid. *ſeſſ. 22. in decret. de obſ., & euit. in celebrat. Miſ.* iubet, vt Epiſcopi ad tollendam auaritiæ, & turpidinis ſuſpicionem cuiuſcunque generis mercedem, conditiones, pacta, & quidquid pro Miſſis dicendis datur, nec non illiberales eleemoſinarum exactiones, & alia, quæ à ſimoniaca labe, vel à turpi quæſtu non longè abſunt, prohibeant. Confirmatur, quia ex eo, quod exigant illud maius ſtipendium, vt celebrent in ſacello priuilegiato, ſine quo celebrarent in alio non priuilegiato, videntur illud exigere præſumptiuè ratione priuilegij reſpectu talis loci conceſſi, ſicque ex motiuo auaritiæ, & ſimoniacæ prauitatis; in rebus autem, ſeù actionibus ſacris non ſolum factum, quod importat turpitudinem, ſed etiam ſpecies facti damnatur iuxta Apoſtolum ad Teſſol. 5.

Licet non excedantur iuſtitia leges, eſſet tamē irreuerētia.

Suarez. Bonacina. Concil. Trid.

Reſpondeo tertiò; Non eſſe ſimoniacum, ſi per miniſtros alicuius Altaris priuilegiati exigatur ſuprà taxatum ſtipendium pro Miſſarum oneribus in ſacello priuilegiato celebrandis, ſi hoc legitima conſuetudo obtinuerit, vel aliquæ aliæ rationes interueniant ſecundum ſe meritoriæ talis exceſſus, ſecus, ſi exigatur præcisè ratione ſacelli priuilegiati. Eſt conformis ijs, quæ ſupradicta ſunt. 5

Probatur quoad primam partem, quià non eſt ſimoniacum, nec illicitum exigere pro miſſis ſtipendium, quod iuxta legitimam conſuetudinem inductum eſt, ergo nec erit ſimoniacum, nec illicitum exigere pro eiſdem ſuprà taxatum pretium, quandò ille exceſſus per eandem conſuetudinem per Superiores non reprobatam approbatus eſt; licet enim tunc ille exceſſus ſit ſuprà pretium, ſeù ſtipendium taxatum, non eſt tamen ſuprà taxatum à conſuetudine.

Illud ſtipendiū eſſet legitima cōſuetudine inductum.

Probatur quoad ſecundam partem, quià illæ rationes ſupponuntur ſecundum ſe independentèr etiam à Sacrificio Miſſæ dignæ ſua mercede, ſeù compenſatione, ergo non eſt, cur ſimul cum eodem Miſſæ ſacrificio non exigant ſuum diſtinctum ſtipendium, ſeù mercedem. Hinc in particulari, ſi ad manutentionem talis Altaris requirantur maiores expenſæ, illæ equidem erunt compenſandæ, ſi manutenendi miniſtri &c.

Illæ rationes ſunt ſecundum ſe pretio digna.

Quoad tertiam partem patet ex ijs, quæ ſupra dicta ſunt, ſi enim ſimoniacum eſt, ſi per Sacerdotes maius ſtipendium exigatur ex eo præcisè, quod celebrare debeant in ſacello priuilegiato, non erit etiam, cur ſimoniacum non ſit, ſi ex eodem fine, & motiuo præcisè exigatur tale maius ſtipendium per miniſtros talis Altaris; non enim ex varietate perſonarum variatur prauitas, quandò cæteræ omnes conditiones requiſitæ ad talem prauitatem interueniunt.

Ex varietate perſonarū nō variatur prauitas.

§. XII.

An ſimoniacum ſit conuenire antecedentèr de ſtipendio ſuſtentationis pro ſpirituali functione.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus difficultatis, 1.

Expo-

Exponuntur rationes dubitandi 2.

Non eſt ſimoniacum paciſci antecedentèr de ſtipendio ſuſtentationis pro miniſterio ſpirituali 3.

Satisfit rationibus dubitandi, alijſque inſtantijs 4.

Non eſt ſimoniacum illud pactum de ſtipendio, quantumuis Sacerdos paciſcens ſit diues 5.

1 Diſquiſitio XII. Iam ſatis clarum eſt, & ex ſuperius dictis, & alibi dicendis, dum de ſacrificio Miſſæ potiſſimum ſtipendium ſuſtentationis licitè dari miniſtrantibus ſpiritualia, & ab ijs licitè accipi, hocque definitur *Matthæi, & Lucæ 10. 1. ad Corint. 9.*, quod tamen non accipitur, vt pretium operis ſpiritualis, cæteroqui apertè eſſet ſimonia contra ius diuinum, & humanum, ſed, vt aſſerebam, ſtipendium ad ſuſtentandum operantem; dignus eſt enim operarius mercede ſua. His ergo ſic ſtantibus. Titius Sacerdos non ſolum accipit, quod ipſi tribuitur pro tali miniſterio, ſed etiam antecedentèr conuenit de tali ſtipendio, non quidem vt pretio operis, ſed in congruam ſuſtentationem ob miniſterium. Hic iam quæritur, an talis conuentio inducat aliquam ſimoniacam prauitatem.

Exponitur ſēſus, in quo ſtipendium eſt licitum.

2 Ratio potiſſimum dubitandi ex eo conſurgit, quod ſpiritualia ex præſcripto Christi Domini ſunt gratis omninò conferenda iuxtà illud, *Gratis accepiſtis, gratis date*, ſed, ſi ſtipendium pro illis eſſet conferendum ex pacto, & conuentione, illa non conferrentur gratis, ergo non poteſt pro functionibus ſpiritualibus fieri conuentio de illo ſtipendio. Minor probatur, quia ex vi pacti deſtruitur illud gratis, nam, quod fit ex pacto, fit ex debito iuſtitiæ, quod autem fit ex debito iuſtitiæ, non fit gratis. Quamobrem conformitèr ad ea, quæ hic dicuntur, docuimus etiam *tom. 2. ſub tit. Contractus VI. de permutat. Prænot. 9. num.* 1. aduerſus ea, quæ primò dixeramus *tom. 1. ſub titul. Contractus III. de mutuo, & vſuris diſq. 4. §. 1. per totum*, quamcunque pactionem inducere obligationem ciuilem, idque, quod cadit ſub pacto, cadere ſub obligatione iuſtitiæ, ſicque neque poſſe conuenire, quod in mutuo aliquid conferatur vltrà ſortem ex gratitudine, neque in collatione beneficiorum aliquid tribuatur per beneficiarium ex gratitudine pro beneficio. Nihilominùs

Referuntur rationes dubitandi circa terminū.

3 Reſpondeo abſolutè, non eſſe ſimoniacum paciſci antecedentèr de ſtipendio ſuſtentationis pro miniſterio ſpiritualium, hocque non ſolum reſpectu Sacerdotis pauperis, ſed etiam diuitis. Ità quoad primam partem *Gloſa in cap. ſignificatum*, & ibi *Panormitanus num. 8. de præben. Sotus de iuſtit. quæſt. 6. art. 2. Victor. 2. part. num. 20. Redoanus part. 2. cap. 27.* aduerſus *Riccardum diſt. 25. art. 3. quæſt. 2. ad 2. Hoſtienſem in d. cap. ſignificatum de præbend. num. 3. Cardinalem in cap. tua nos de ſimonia.* Quoad ſecundam eſt eorundem aduerſus *Innocentium in cap. quoniam ne Prælati vices ſuas, & in cap. ſignificatum de præben. & Caietanum verb. ſimonia reg. 4.*

Gloſa. Panorm. Sotus. Victoria. Redoan. Riccard. Hoſtienſis. Cardinalis. Innocentius. Caietanus.

Probatur quoad primam partem, quià quamuis Christus Dñs præceperit ſpiritualia gratis eſſe conferenda, *Gratis accepiſtis, gratis date*, non reprobauit tamen ſtipendium ſuſtentationis, ſed expreſsè permiſit *Edite, quæ apponuntur vobis, dignus eſt enim operarius mercede ſua*; neque enim hæc duo adinuicem pugnant, nec illud ſtipendium importat ſimoniam, quandòquidem non datur ratione rei, vt pretium illius, ſed ratione perſonæ ad congruè illam ſuſtentandam, vt ſtipendium, ergo propriè non eſt ſimonia de illo ſtipendio paciſci. Conſequentia tenet, quià, cum illud pactum non ſit de pretio pro re ſpirituali, vtique non verſatur circa materiam ſimoniæ, eamque per conſequens non inducit.

Illud pactum de ſtipendio non verſatur circà materiã ſimoniæ.

Ad clariorem intelligentiam horum, quæ dicuntur in probatione huius vltimæ conſequentiæ, aduerte in hac hypotheſi duplicem quodamodò poſſe fieri comparationem, alteram rei, quæ tribuitur miniſtranti, ad rem, quæ pro erogante rem illam temporalem applicatur, qua ratione illud, quod erogatur haberet rationem pretij, alteram rei ad ipſum miniſtrantem, vt per eandem ſuſtentatur, qua ratione non habet reſpectum pretij, ſed merè ſtipendij. Hæc duo, vt diſtincta indicauit Christus Dominus, dum ex vno capite indixit ſpiritualia eſſe gratis conferenda, adeòque ſine pretio; ex alio, cum non improbarit congruam ſuſtentationem, *Dignus eſt operarius mercede ſua*, manifeſtè indicauit cum illa gratuita collatione non repugnare erogationem ſtipendij pro ſuſtentatione, per quod certò innuitur id, quod erogatur, non erogari, vt pretium rei, cæteroqui hæc gratis non conferretur, ſed vt ſtipendium comparatiuè ad perſonam. His ergo ſic ſtantibus, cum pactum illud non ſit de pretio pro re, quæ confertur in illo miniſterio, ſed de ſtipendio in ordine ad perſonam miniſtratem, vt valeat ſuſtentari, ſequitur, quod illud pactum non ſit de temporali pro ſpirituali, ſed de temporali pro temporali commodo, & ſuſtentatione. Neque eſt aliqua repugnantia, quod per illud pactum illud ſtipendium ſit debitum ex iuſtitia, & nihilominus, cum non conferatur, vt pretium, gratis ſub tali ratione conferatur, nam pactum ipſum

Duplex comparatio rei ad rem, & rei ad perſonam.

Non eſt rei ſpiritualis pro tēporali, & quomodo.

cadit

eadit ſupra ſtipendium formalitèr, vt eſt ad ſuſtentationem perſonæ, non vt pretium, ſicque non obſtante tali pacto retinet ſuam rationem ſtipendij, nec euadit in pretium; actiones etenim ſpecificantur ab obiecto, & a fine, in quem tendunt, cum igitur illud non detur, vt pretium pro re, ſed ad ſuſtentandam perſonam pro miniſterio, ſequitur &c.

Per illud pactū non inducitur noua obligatio, quæ non inſit ex natura rei.

Probatur ſecundò quoad eandem partem, quià per illud pactum non inducitur aliqua obligatio, quæ non inſit ex natura rei ſecundum ſe, ergo per illud non inducitur ſimonia. Antecedens probatur, quia ſtipendium ſuſtentationis debetur ex naturali iuſtitia, cum dignus ſit operarius mercede ſua. Confirmatur, quia vix poteſt percipi illa datio ſpiritualium per modum miniſterij, & collatio temporalium per modum ſtipendij, niſi interueniat naturalis, & virtualis conuentio; ſi enim quis det Sacerdoti decem nummus aureos, vt Miſſas celebret, debet exprimere ſe pro miſſis erogare, ſecus Sacerdos poſſet ipſos recipere titulo liberæ donationis; vice verſa Sacerdos celebrans Miſſas ad inſtantiam petentis ſub promiſſione eleemoſinæ debet virtualitèr ſaltem exprimere ſe celebrare &c. ſicque in illis expreſſionibus inuoluitur implicita, & virtualis conuentio.

Diſcrimen, quod intercedit inter pacta de aliquo conferendo in mutuo, & pactū de tribuendo ſtipendium in Miſſis.

4 Ex dictis patet quid ſit reſpondendum ad rationes dubitandi in principio propoſitas. Solum hic remanent concilianda ea, quæ hic dicuntur cum ijs, quæ dicta ſunt *tom. 2. ſub tit. Contractus VI. de permutatione Prænot. 9. num. 1.* ſi enim conuentio, ſeù pactum de aliquo conferendo in mutuo vltrà ſortem titulo gratitudinis extrahit talem dationem à ratione gratitudinis, & transfert in obligationem iuſtitiæ per ea, quæ ibi dicta ſunt; ex conſequenti pactum de eroganda eleemoſina pro ſpiritualium miniſterio, videtur eandem extrahere à ratione eleemoſinæ, & transferre in onus iuſtitiæ. Pro quo fateor in primis etiam in præſenti hypotheſi, quod illud pactum conſtituat, tanquam debitum ex iuſtitia illud ſtipendium conuentum, ſicuti per illam conuentionem, de qua dictum fuit loco citato id, quod erat ex gratitudine tranſit in onus iuſtitiæ; nego tamen hic interuenire ſimoniam, ſicuti ibi interuenit vſura. Ratio diuerſitatis in eo conſiſtit, quod illud, quod datur, vt ſtipendium ſuſtentationis pro miniſterio ſpiritualium non datur, vt pretium eorundem ſpiritualium, ſed ex diuerſo titulo vtique temporali, vt explicatum eſt, adeòque quamuis ſit debitum iuſtitiæ non conſtituit ſimoniam, cum non ſit temporalis pro ſprituali; id verò, quod daretur in mutuo eſſet formalitèr pro ipſo mutuo, &, cum eſſet ratione pacti appoſiti ex iuſticia debitum, vtique eſſet aliquid vltra ſortem debitum ex eodem mutuo, quod vtique inuoluit vſurariam prauitatem.

5 Probatur iam reſponſio quoad ſecundam partem, quia illud pactum reſpectu Sacerdotis diuitis non eſt illicitum, nec quia tale pactum ſit ſimoniacum, nec quià ipſe Sacerdos ſit diues, ergo &c. Antecedens quoad primam partem patet ex dictis in præcedenti probatione primæ partis, ſi enim tale pactum eſſet ſimoniacum ſecundum ſe, eſſet tale, ſiuè reſpectu Sacerdotis diuitis, ſiuè pauperis; reſpectu autem neutrius eſt tale, quià non petitur, vt pretium rerum ſpiritualium, ſed vt ſtipendium ſuſtentationis pro miniſterio; quoad ſecundam verò ſic probatur, tùm quia *nemo tenetur ſtipendijs ſuis militare*, vt docet Apoſtolus *prima ad Corinth. 9.*, tùm quià, quod poſſit aliunde habere, omninò per accidens eſt reſpectu talis miniſterij; tùm tandem, quia *qui altari ſeruit, de altari viuere poteſt*, quod vtpote abſolutè prolatum locum habet ſine vlla reſtrictione, quod idem habetur *ex cap. vlt. 1. quæſt. 2.* vbi vniuerſalitèr, & ſine reſtrictione dicitur: *Clerici omnes, qui Eccleſiæ vigilantèr deſeruiunt, ſtipendia ſanctis laboribus debita ſecundum ſeruitij ſui meritum, ſecundum ordinationem canonum à Sacerdotibus conſequantur*; ex quibus deducitur, quod illud ſtipendium ſit in ordine ad miniſterium, quod vtique præſtatur, ſiuè a Sacerdote paupere, ſiuè diuite.

Nemo tenetur ſtipēdijs proprijs militare quãtumuis ſit diues.

Angelus.

Dices primò, quod quamuis reſpectu Sacerdotis diuitis illud pactum non ſit ſimoniacum, ſit tamen illicitum, quià eſt turpe lucrum, ſeù auaritia *Angelus verbo ſimonia 2. nu. 6.* Sed contra, quia vndenam arguitur talis turpitudo, ſeù auaritia? Certè pactum non eſt ex obiecto tale, nec ex aliqua circunſtantia deturpante actum; non ex obiecto, quia operarius ex genere ſuo dignus eſt mercede; non ex circunſtantia diuitiarum exiſtentium penès talem Sacerdotem ſic paciſcentem, quia in tali miniſterio non conſiderantur, cæteroqui incongruè conferrentur beneficia diuitibus, & quod habeat patrimonialia, ſeù reditus beneficij, ratione cuius non teneatur miniſtrare, non tollit, quin miniſterium ipſum ſit dignum tali ſtipendio, & ſicuti ex iuſtitia non tenetur tale miniſterium exhibere, ita non cogitur ſine ſtipendio miniſtrare.

Non eſt turpe lucrum, nec auaritia.

Nullum eſt mendacium, nec fictio, & quomodo.

Dices ſecundò, illicitum eſſe tale pactum propter mendacium, quod ibi interuenit; Sacerdos etenim ſe pauperem fingit, cum talis non ſit *Caietanus quæſt. 100. art. 3. dub. 2.* Sed contrà, quia paciſcendo de ſtipendio, ſe pauperem non profitetur,

ſed

ſed, ſicuti altri ſeruit, de altari viuere vellet de alijs ſuis bonis patrimonialibus velle pro ſuo arbitrio diſponere.

Dices tertiò his, quæ dicuntur, expreſsè obſtare *cap. Clericos* 1. *quæſt.* 2. *& cap. paſtor* 12. *quæſt.* 1., vbi dicitur non licere clericis habentibus propria de bonis Eccleſiæ ſuſtentari. Sed contrà, quia allegati textus non inducunt legem, ſed tantum conuenientiam ſtatus Clericalis, ſecundum quam magis conuenit, vt ea, quæ ex beneficijs recipiunt, potius erogent ad ſubueniendum pauperibus, quam ad ſe ſuſtentandos, quandò aliundè habent, quo ſuſtententur. Cæterum, ſi hæc ſubſiſterent in valore legis non poſſent licerè beneficia conferri diuitibus, quod eſt contra communem praxim à Summis Pontificibus non reprobatam.

Leges non inducunt in hoc, niſi conuenientiam.

§. XIII.

An ſimonia committatur in celebratione nouæ Miſſæ per porrectionem manuum ad oſcula, vt lucrum inde capiatur.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis 1.

Si quid erogetur in manuum noui Sacerdotis oſculatione, & poſt ſuſceptionem Euchariſtiæ formalitèr pro huiuſmodi actionibus committitur ſimonia 2.

Si id, quod erogatur ſit titulo gratitudinis, eleemoſinæ, & vt ſtipendium ſuſtentationis non eſt ſimoniacum, præfert tamen ſpeciem auaritiæ 3.

1 Diſquiſitio XIII. Titius Sacerdos nouitèr ordinatus in celebratione nouæ Miſſæ manus extantibus ex populo præbuit oſculandas ad effectum, vt inde lucrum aliquod ſibi acquireret. Orta fuit controuerſia inter Magni nominis Doctores, an labem aliquam ſimoniæ, vel auaritiæ ſpeciem inde contraxerit. Hæc eadem controuerſia excitari poteſt in Parocho, qui ſtatim, ac Euchariſtiam miniſtrarit, puerum ad id deſtinatum habet, qui cum crumena, & lance, vt aliquid ipſi detur, ſtatim ſe offert, quod ex conſuetudine in quibuſdam pagis inductum accepi. Pro ſolutione

Proponitur ſtatus quæſtionis.

Aduerte id, quod pro manuum oſculis in prima celebratione noui Sacerdotis dari continget, & poſt ſuſceptionem Sacræ Euchariſtiæ, duplicitèr poſſe ſumi, primò quatenus datur pro ipſa manuum oſculatione formalitèr quatenus ſacræ ſunt, ſeù pro ipſa Euchariſtiæ miniſtratione; Secundò, quatenus datur gratis titulo eleemoſinæ, & gratæ largitionis occaſione illius ſolemnitatis in nouæ Miſſæ celebratione. Qua ſuppoſita conſideratione

Duplicitèr quid dari poteſt, & quomodò.

Reſpondeo primò. Si id, quod erogatur in manuum noui Sacerdotis oſculatione, & poſt ſuſceptionem Euchariſtiæ, erogetur formalitèr pro huiuſmodi actionibus, committitur propriè ſimonia. Eſt ſecundum ſe notiſſima. Probatur ipſa manuum deoſculatio, vtpotè rei ſacræ, & ſuſceptio Euchariſtiæ eſt formalitèr, & ſecundum ſe actio ſacra, & ſecundum omninm æſtimationem computatur inter ſacramentalia, ergo ſi pro illa, ſeù pro illis formalitèr erogetur pecunia, propriè committetur ſimoniaca prauitas. Antecedens quoad ſecundam partem de ſuſceptione Euchariſtiæ non vertitur in dubium, quoad ſecundam ſic euincitur, quia ipſa deoſculatio non ſumitur in huiuſmodi actionibus ſecundum, quod fit ciuilitèr vrbanitatis gratia, ſed ſecundum ſolemnitates Eccleſiaſticas, & vt ſecundum ſe eſt excitatiua pietatis in deoſculantibus ratione conſecrationis, quę eſt in eiſdem manibus, ergo &c. Confirmatur, quia, ſi pro Sacrarum Reliquiarum deoſculatione aliquod pretio æſtimabile exigeretur vtique nemine reluctante committetur, ergo &c. Conſequentia probatur, quia non minus ſpiritualitas in rebus conſtituitur per ſanctitatem, quæ conſequitur ex proprijs actionibus, ac conſtituatur per ſanctitatem prouenientem ab extrinſeca conſecratione. 2

Ea manuum oſculatio cõputatur inter Sacramẽtalia.

Cum fiat ſecundum ſolemnitates Eccleſiaſticas.

Reſpondeo ſecundò. Si id, quod erogatur pro huiuſmodi actionibus, erogetur gratis, titulo gratuitæ, & liberæ donationis, eleemoſinæ, & fortè etiam, vt ſtipendium ſuſtentationis, vbi aliundè quid pro illis non erogatur, non committitur propriè ſimonia, ſpeciem tamèn auaritiæ præfert, & turpis quæſtus ſuſpicionem in hominum animis generat *Vgolinus de ſimonia tab.* 1. *cap.* 9. §. 2. *& cap.* 43. *num.* 2. *Homobonus de Bonis de exam. Eccleſ. part.* 1. *tract.* 4. *de art. circà exam. ad Sacerd. cap.* 13. *quæſt.* 117. *& part.* 2. *tract.* 9. *cap.* 5. *quæſt.* 9. *in reſol. verſ. Dico tertio.*

Vgolin. Homobonus.

Probatur quoad primam partem, quià duo ſunt potiſſimum modi generales, quibus abſque ſimoniaca labe ſpirituale pro temporali dari contingit, primus, ſi detur non vt pretium talis rei, ſed vt ſtipendium ſuſtentationis pro exercitio talis rei. Secundus, ſi detur ex libera voluntate gratuito conferendi, ergo ſi id, quod in præſenti hypotheſi confertur, conferatur non animo ſatisfaciendi pro debito, ſed titulo gratuitæ largitionis, & voluntariæ remunerationis, eximetur a labe ſimoniaca; non enim beneficium ſpirituale collatum

Allatum beneficiũ non demit naturalẽ propenſionẽ remuneratiuã largitatis.

demit naturalem, inditamque animis propenſionem remuneratiuæ largitatis.

Probatur quoad ſecundam partem, quià illa manuum oſculandarum exhibitio, cum ſit penitus voluntaria intuitu exhibentis, ex ſui ſpecie videtur ſecundum ſe ordinata ex intentione eiuſdem ad illud lucrum, quod conſequitur, ſicque occaſione rei ſacræ Sacerdotem velle acquirere, quod Eccleſiaſticis ſanctionibus ſtatutum non eſt, vt acquiratur, quod ipſo naturæ lumine præſefert ſordidam auaritiæ ſpeciem; vndè meritò quorundam Epiſcoporum decretis ad huiuſmodi ſuſpiciones, & ſcandala vitanda prohibitum refert idem *Homobonus d. part. 1. tract. 4. cap. 13. quæſt. 117.* ne per nouos Sacerdotes huiuſmodi functiones exerceantur, neue Parochi, ſtatim, ac Euchariſtiæ Sacramentum miniſtratint, habeant ad id deſtinatos pueros, qui crumena, & lance, vt aliquid ipſis detur, ſe offerunt. Inſuper Sacram Cardinalium congregationem ſtatuiſſe refert *Zerula in praxi Epiſcopali parte 2. verb. miſſa, & Barboſa in remiſſionibus ad Concil. Tridentin. ſeſſ. 22. in decret. de obſeru. & euit.* ne Sacerdotes nouas Miſſas celebrantes Eccleſiam luſtrent ad oblationes recipiendas, & nouiſſimè Sacra Congregationis ſub Innocentio XI. Pontifice nunc Regnate ſtatuit ne per Parochos, alioſque Sacerdotes pro adminiſtratione Sactamentorum aliquid etiam ſpontè oblatum recipiatur. Confirmatur præcipuè in ordine ad id, quod exigitur in adminiſtratione Euchariſtiæ, quia huiuſmodi conſuetudo ſic exigendi valdè pernicioſa eſt Reipublicæ, rebuſque ſacris, & ſcandalis valdè obnoxia; tùm quod pro adminiſtrata Euchariſtia pretium exigi videtur; tùm quod retrahit pauperes à frequenti ſacræ Sinaxis ſumptione, quandòquidem, cum pecuniam non habeant, ſe abſtinent, ne pudore ſuffundantur; tùm tandem, quod quandòque etiam diuites remouet, cum quandòque promptam pecuniam non habeant, ergo &c.

Homobonus.

Suſpiciones auaritiæ ſunt in ſpiritualibus euitãda.

Zerula. Barboſa.

Conſuetudo huiuſmodi eſt pernicioſa Eccleſiæ, rebus ſacris.

---

§. XIV.

An ſimoniam committat confeſſarius, qui libentius audit confeſſiones diuitum, à quibus ſperat emolumentum, quam aliorum, à quibus nil ſperat.

SVMMARIVM.

Exponitur caſus in terminis particularibus 1.

Sacerdos in data hypotheſi non contrahit ſimoniam, benè tamen præſefert ſpeciem auaritiæ 2.

Euincitur aſſertum varijs exemplis, & paritatibus 3.

Diſquiſitio XIV. Tullius Parochus, qui ex proprio munere ſuorum ſubditorum tenetur confeſſiones excipere promptiorem ſe exhibet erga Franciſcum, alioſque diuites ad id munus, eo quià experientia compertum habet, quod per illos crebrò quid eleemoſinæ erogetur, alijs verò, à quibus ob paupertatem nihil ſe accepturam ſperat difficilem ſe credit, & fortè etiam ad alia tempora reicit, vt pro hoc tempore excipiat præpotentium confeſſiones. Quæritur iam, an per hoc idem Parochus contrahat aliquam ſimoniacam prauitatem. 1

Proponitur ſtatus quæſtionis

Reſpondeo. Tullium in data hypotheſi, quantumuis præſeferat ſpeciem ſordidæ auaritiæ, non tamen propriè contrahere labem ſimoniacæ prauitatis. *Vgolinus de ſimonia tab. 1. cap. 40. §. 4. Azorius part. 3. lib. 12. cap. 4. quæſt. 4. Homobonus de Bonis part. 2. tract. 9. de art. circà contract. ſimonia cap. 5. quæſt. 9. in reſol. verſ. His ſic conſtitutis* 2

Vgolin. Azorius. Homobonus.

Probatur primò, quia in huiuſmodi actionibus nulla interuenit emptio, nec venditio, & id, quod per huiuſmodi pænitentes erogatur, non erogatur, vt pretium, ſed vt effectus meræ liberalitatis ipſorum pænitentium, ergo nulla committitur ſimonia. Atecedens ex ſe patet, quandòquidem ipſi pænitentes vltrò, & ſponte offerunt; nec vllum eſt debitum iuſtitiæ conferendi, nec Parochus ius aliquod habet exigendi; nec obſtare poteſt, ſi aſſeratur ibi implicitum aliquem contractum interuenire, ratione cuius Sacerdos ſe promptiorem exhibet erga illos pænitentes, ipſi verò pænitentes vice verſa conferunt illud emolumentum; Non, inquam, obſtare poteſt, quia in hoc nulla eſt conuentio, ratione cuius alteruter obligetur, vel ille ad ſe faciliorem exhibendum, vel iſte ad retribuendum, ſed vterque quidquid præſtat, liberè præſtat, & vterque ſine alterius læſione poteſt deſiſtere, ſicque nec implicitè contractus.

Pænitentes vltrò, & ſpontè offerunt.

Probatur ſecundò. Non eſt vſura mutuare libentius alicui, quem mutuans nouit eſſe gratum, quam alteri, quem non nouit ita eſſe gratum per ea, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Pranot. 9. num. 4. Caietanus verb. vſura mentalis, Homobonus de bonis part. 2. tract. 9. de art. circà contractum ſimonia cap. 5. quæſt. 9.* ergo neque erit ſimonia miniſtrare libentius ſacramenta alicui, quem nouit ſpontè conferre, quam alteri, quem nouit non conferre. Conſequentia probatur, quia 3

Euincitur paritate libentius mutuantis gratis, quam ingratis.

Caietanus. Homobonus.

ratio,

ratio, quæ eximit in data hypotheſi mutuum ab vſuraria prauitate, eximit quoque in præſenti confeſſarium a labe ſimoniaca, quandòquidem in vtroque caſu illud, quod erogatur, non erogatur, vt pretium, ſed vt effectus liberalitatis; mutuum autem æquè, ac Eccleſiaſticæ functiones non excludunt munera liberalitatis, & gratitudinis.

Probatur tertiò. Non eſt ſimoniacum reſpectu Sacerdotis, ſi libentiùs ad ſacra peragenda ad vnum locum pergat, in quo pinguius erogatur ſtipendium, ac ad alium, in quo ex conſuetudine minus pingue erogatur, ergo nec erit ſimoniacum, ſi libentiùs excipiat confeſſiones illorum, qui conſueuerunt eleemoſinam aliquam elargiri, quam illorum, qui nihil conſueuerunt conferre. Conſequentia tenet ex paritate rationis. Confirmatur, quia nulla labe ſimoniaca ſubijcitur concionator, qui libentiùs conciones habet in loco, in quo pinguius erogatur ſtipendium, ac in alio, in quo non ita pingue confertur, ergo nec confeſſarius, qui libentius confeſſiones excipit ab eo, qui confert aliquod emolumentum, ac ab eo, qui non confert. Conſequentia probatur, quia vtrobique ratio impulſiua eſt ſpes maioris emolumenti, quæ, ſi in vno caſu non inficit, nec videtur poſſe in alio inficere.

Eximitur etiam paritate Sacerdotes libentius proficiſcentes ad loca, vbi pinguius ſtipendium erogatur.

Probatur tandem, quod præſeferat ſpeciem ſordidæ auaritiæ, quia ex vi proprij muneris æquè tenetur erga omnes ſuos ſubditos, æquè eſt paſtor reſpectu omnium, æquè ratione omnium recipit reditus beneficij, quo gaudet, ergo vnum libentius recipiendo, quam alium ex eo, quod ille aliquid conferat, non iſte, contra proprij muneris inſtitutum ex motiuo auaritiæ recipit, ſicque potiùs inſeruit lucro, quam gregi.

Indicatur ratio ſuſpicionis auaritia.

DISQVISITIONES III.

In reliquas omnes Prænotiones de Simonia.

§. I.

An ſimoniacum ſit ſtatutum, vt qui in Canonicum recipitur, aliquid ſoluat diſtribuendum inter cæteros canonicos.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ, & articuli circà ipſum examinandi 1.

Canonicus non eximitur à labe ſimoniæ, nec excuſatur ratione ſtatuti, nec conſuetudinis 2.

Non tamen, ſi quid ex conſuetudine, & ſtatuto eroget in vtilitatem Eccleſiæ 3.

In foro externo præſumitur pro nullitate collationis 4.

Tàm ipſe canonicus, quàm alij præſumptione in foro externo non eximuntur à pœnis iuris, niſi excuſentur ratione ignorantiæ 5.

Diſquiſitio I. Octauius in Sacra Theologia licentiatus, cum in Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ cætum eſſet cooptandus ex ipſius Eccleſiæ ſtatuto, ſeù conſuetudine iam recepta ſoluit quinquaginta aureos inter tales canonicos diſtribuendos. Hic multiplex excitatur articulus examinandus. Primus eſt, an tam ipſe Octauius ſoluens, quam cæteri Canonici recipientes illam ſolutionem contraxerint labem ſimoniacam. Secundus, an collatio talis canonicatus ſubſiſtat, adeò vt ipſe Octauius non teneatur dimittere. Tertius, an tam ipſe Octauius, quam canonici ſubeant pœnas iuris, & quaſnam 1

Articuli circà titulū examinandi.

Reſpondeo primò ad primum, tam Octauium, quam cæteros canonicos non eximi a labe ſimoniacæ prauitatis, nec excuſari intuitu ſtatuti, & conſuetudinis ibi receptæ *Beſcius conſ 76. Surdus conſ. 2. num. 29. Vgolinus de ſimonia tab. 1. cap. 9. §. 11. M. Anton. lib. 1. var. reſol. 1. Azorius part. 3. lib. 12. cap. 11. quæſt. 6. Gutierez lib. 1. canon. quæſt. cap. 29. num. 32. Cened. in collect. ad decret. collect. 16. Suarez tom. 1. de Religione lib. 4. cap. 48.* Colligitur reſponſio *ex cap. Iacobus de ſimonia*, vbi ſic definitur. *Quocirca mandamus, ſi eſt ità, dictos canonicos, vt tali conſuetudine non obſtante ſibi ſicut vni ex alijs in prouentibus, & præbenda prouideant appellatione remota compelles*, vbi *Gloſa verb. tali conſuetudine* aſſerit, *immò potius ſimoniam inducit, quid pro paſtu, ſeù paſtello exigi aliquid non debet pro huiuſmodi ſpiritualibus*. Quod idem confirmari poteſt *ex cap. veniens eod. tit.*, vbi non obſtante conſuetudine mandat Pontifex improbandam eſſe illam exactionem. 2

Beſcius. Surdus. Azorius. Gutierez. Cened. Suarez.

Iura euincentia intentum.

Conformitèr ad hæc iura *Hoſtienſis in d. cap. Iacobus de ſimonia* damnat talem conſuetudinem, ſeù ſtatutum, qua, ſeù quo is, qui in canonicum recipitur daret aliquid alijs canonicis in commodum, & vtilitatem ipſorum, ſecus autem conſuetudinem, qua quis in canonicum admiſſus aliquid in vium, & commodum ipſius Eccleſiæ confert. Quod idem videtur expreſsè aſſeruiſſe *Panormitanus in d. cap. Iacobus eod. tit.*

Hoſtienſis.

Non eſt tamen iniquū ſtatutum, vt quod erogetur in vtilitatē Eccleſiæ.

Panorm.

Concil. Trid. *Seſ. 24. de reform. cap. 12.* mandat Epiſcopis, vt quæcunque, quæ in pios vſus non conuertuntur, atque ingreſ-

Concil. Trid.

ſtis eos, qui ſimoniacæ labis, aut ſordidæ auaritiæ ſuſpicionem habent fieri non permittant, ipſique diligentèr de eorum conſtitutionibus, ſiuè conſuetudinibus ſuper prædictis cognoſcant, & illis tantum, quas laudabiles probauerint exceptis, reliquas vt prauas, & ſcandaloſas reijciant, & aboleant. Cum igitur dicta pecunia in hypotheſi, de qua hic loquimur, ſingulorum Canonicorum crumenam, non piam aliquam vtilitatem reſpiciat, ex conſequentia deducitur ipſam conſuetudinem, ſeù ſtatutum eſſe abolenda vt praua, & cum reſpiciant beneficium, quod ſpirituale eſt, etiam damnanda, vt ſimoniaca.

Approbat pias, & laudabiles cõſuetudines.

Probatur iam ratione, quià illa ſolutio reſpectu Canonici in aliorum cætum adſcribendi non eſt voluntaria ſimplicitèr oblatio, ſed coacta, ergo vt conſuetudo obligans ad talem ſolutionem non ſit praua, & ſimoniaca, ſed pia, & laudabilis debet in aliquo iuſto titulo fundari, ſed non eſt aſſignabilis talis titulus, qui ſit licitus, ergo id, quod ſoluitur, & recipitur non eſt ſine ſimoniaca prauitate. Prima conſequẽtia probatur, quia conſuetudines recipiendi aliquod temporale pro ſpiritualibus, ſeù ratione ſpiritualis muneris conferendi cohoneſtari non poſſunt, niſi ex iuſto, & legitimo titulo, cæteroqui militat diſpoſitio Concil. Trid. loc. cit. Subſumpta minor probatur primò, quia non eſt aſſignabilis titulus gratuitæ donationis, quandòquidem non ſupponitur ſpontanea oblatio, ſed coacta ſolutio. Secundò non titulus ſtipendij ad congruam ſuſtentationem, quandòquidem ſtipendium non eſt debitum ſine præuio labore. Tertiò, non titulus ſuſtentationis, ſeù manutentionis miniſtrorum, quia illud, quod ſoluitur non erogatur inter Miniſtros, ſed inter Canonicos, qui habent proprios reditus, & propriorum beneficiorum prouentus. Vltima conſequentia probatur, quia in rebus ſpiritualibus duæ tantum aſſignantur rationes iuſtificantes lucrum, ſcilicet gratuita donatio ex parte offerentis, & titulus congruæ ſuſtentationis pro miniſterio, ergo, ſi nulla ex ijs interueniat rationibus, illa erogatio erit praua, & vt potè reſpiciens ſpiritualia ſimoniaca.

Nõ eſt voluntaria oblatio, ſed coacta

Nõ eſt aſſignabilis titulus talis exactionis.

Probatur vlteriùs, quià iura poſitiua non ſolum prohibent conſuetudinem, ſiuè fuerit de re per ſe mala, vel ratione ſimoniæ, vel ratione iniuſtitiæ, ſiuè fuerit de re, quæ habuerit mali ſuſpicionem, & ſpeciem ſimoniæ, & turpis auaritiæ in materia Sacra, & ſpirituali *Suarez tom. 1. de Religione lib. 4. cap. 48. num.* 8. conformitèr *ad Concil. Trid. loc. cit.*, & hoc ratione ſcandali, & cuiuſdam irreligioſitatis, ratione cuius poteſt abſolutè prohiberi, & conſtitui in ratione ſacrilegij, & ſimoniæ ità prohibitæ, vt nunquam poſſit cohoneſtari; ſi eandem ſuſpicionem, & ſpeciem mali ſecundum ſe retineat, ſed talis ſolutio inter Canonicos diſtribuenda præſefert talem ſuſpicionem mali, & ſpeciem ſimoniæ, & Concil. Trident. reprobat conſuetudines tales ſpecies, & ſuſpiciones præferentes, tanquam ſimoniacas, ergo &c.

Suarez. Concil. Trid.

4 Reſpondeo ſecundò, in data hypotheſi ſaltem in foro externo præſumendum eſſe pro nullitate collationis, adeò vt in tali foro teneatur dimittere. Conſonat cum ijs, quæ alibi dicta ſunt. Ratio autem ex eo deducitur, quod ſimoniaca prauitas in electionibus, prouiſionibus, collationibus, alijſque quoad beneficia ex diſpoſitione iuris Eccleſiaſtici irritat eadem beneficia, vt latè ſuprà probauimus; hæc autem ſimonia, de qua hic loquimur, eſt circa beneficia perfectè acquirenda, adeòque &c. Dixi *in foro externo*, quandòquidem, cum in eodem nullus appareat titulus, quo illud perſoluatur, præſumptio rationabilis remanet, quod perſoluatur pro perfecta beneficij poſſeſſione, adeòque &c.

Simoniaca prauitas in electionibus ad beneficia eadẽ inualidat.

5 Reſpondeo tertiò, tam Octauium, quàm cæteros Canonicos ſubire pœnas iuris ſaltem præſumptiuè in foro externo, à quibus tamen incurrendis excuſari poſſunt ratione ignorantiæ, ſi re vera interuenerit, *Homobonus de Bonis part. 2. tract. 9. de articulis circa contractum ſimoniæ cap. 6. quæſt. 13. verſ. ſecundo dico.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia in foro externo præſumitur pro vera ſimonia in data hypotheſi, & vtique non præſumitur igoorantia, cum verſemur inter perſonas, quæ non ſupponuntur ignaræ canonum maximè in materia ſimoniæ. Ratio ſecundæ partis ex eo poteſt euinci, quia in aliquo caſu particulari poteſt interuenire ignorantia maximè, ſi interueniat aliquod fuodamentum, cui inniti poſſit bona fides, quale eſt inueterata conſuetudo non reprobata per Superiores, quæ quamuis non excuſet a ſimoniaca prauitate, excuſat tamen a pœnis *Vgolinus tab. 1. cap. 8. §. 1. Reginaldus lib. 23. num. 165. Molfeſius tract. 6. cap. 15. num. 22. Grilenzonus conſ. 90.*

Homobonus.

Vgolin. Reginal. Molfeſ. Grilenzonus.

§. II.

An ſimoniam committat, qui beneficium recipit animo illud in perpetuum non retinendi, ſed tantum, donec pinguius, & dignius obtineat.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ 1.
Rationes dubitandi 2.
Nec Sacrilegè, nec iniuſtè, nec ſimoniacè in illa hypotheſi contraxit 3.
Soluitur argumentum à paritate matrimonij carnalis deductum 4.

1 Diſquiſitio II. Titius cupidus aſcendendi ad aliquod beneficium ſatis pingue, & dignum, cum illud obtinere non potuiſſet, animum applicuit ad minus dignum, minuſque pingue, quod facilius conſecutus eſt, animo tamen non in perpetuum illud detinendi, ſed dimittendi, ſi pinguius beneficium fuerit proceſſu temporis conſequutus. Quæritur iam, an aliquam ſimoniæ labem contraxerit.

Status controuerſiæ.

2 Ratio dubitandi ex eo deducitur, quod qui beneficium aliquod conſequitur, quodam ſpirituale matrimonium contrahit cum illa Eccleſia, in quo eſt illud beneficium; ſicuti igitur contrahens matrimonium carnale cum aliqua animo in eodem non perſeuerandi, niſi quouſque aliud nobilius contrahat, iniquè & impiè contraheret, vt eſt in confeſſo apud omnes, ità qui media conſecutione alicuius beneficij contraxit matrimonium cum aliqua Eccleſia non animo in illo permanendi, niſi donec &c. ſine impietate ſacrilega, & ſimoniaca prauitate non contraxit. Nihilominùs

Rationes dubitandi.

3 Reſpondeo Titium nec ſacrilegè, nec iniuſtè, nè ſimoniacè in illa hypotheſi contraxiſſe *Sanchez de matrimonio lib. 7. diſp. 45. num. 12. Reginaldus lib. 30. tract. 3. nu. 183. Vaſquez de benefic. cap. 3. §. 3. dub. 1. Molfeſius tract. 6. cap. 6. num. 71. Homobonus de Bonis part. 2. tract. 9. de art. circà cont. ſimon. cap. 6. quæſt. 13. verſ. ad ſecundam quæſtionem.*

Sanchez. Reginaldus. Vaſquez. Molfeſ. Homob.

Probatur primò, quod nec ſacrilegè, nec ſimoniacè contraxerit, quià in conſecutione illius beneficij non contulit quid pretio æſtimabile, & ex eo, quod animum non habeat illud detinendi, non tollitur, quin illud liberè, & gratuitò fuerit conſecutus, ergo non eſt, cur illa conſecutio dici debeat infecta, ſacrilega, ſeù ſimoniaca prauitate; neque dicas ex eo, quod animum non habeat detinendi, arguatur, quod animum habuerit diteſcendi ex beneficio, ſicque quod intenderit in tali conſecutione beneficium propter reditus, non reditus propter beneficium, propter quod *Rota coram Achille de Graſſis deciſ. 49., & Cherubin. in compend. Bullar. Bulla 12. Pauli IV. fol. 141.* dixerunt in conſecutione beneficij tali animo contrahi ſimoniam mentalem; contra enim impugnaberis, quià ad ſummum deducitur, quod animum habuerit diteſcendi, non autem, quod acquiſierit ſimoniacè; non enim ordinauit diſtinctum pretium ad acquirendum ipſum beneficium, ſed ad ſummum reditus, qui ex beneficio conſequuntur, videtur principalius intendiſſe, quod eſt quidem quædam inordinatio, non tamen talis, vt inducat ſimoniam, quod, ſi Rota in illa allegata deciſione vocauerit eandem ſimoniacam mentalitèr, hoc præſtitit per quandam analogiam, non quod formalitèr ſit talis, eum in ea non eluceat ratio aliqua, ſecundum quam temporale erogetur pro ſpirituali conſequendo; Cæterum, ſi beneficium recipiatur cum animo eidem inſeruiendi quouſque illud detinuerit, non video, cur etiam aliqua auaritiæ labe inficiatur, prout mox ſubdo.

Non eſt in eo quid pretio æſtimabile.

Rot. Rō.

Non qualibet inordinatio conſtituit ſimoniam.

Probatur ſecundò, quod nec iniuſtè contraxerit, quià non eſt iniuſtum, quod quis intendat beneficium, & ex eodem reditus, nec eodem conſequuto, ſi præſtat munera, quæ eidem ſunt addicta, fructus conſequatur, quandòquidem, qui beneficio inſeruit de beneficio viuere debet, nec animus illud dimittendi reddit conſecutionem illicitam, ſiquidem nullo iure tenetur illud in perpetuum detinere; nec valet argumentum à matrimonio carnali, quandòquidem illud ex genere ſuo eſt indiſſolubile, quod ex genere ſuo nullo iure diſponente verificatur de matrimonio ſpirituali circà beneficium, & per hoc reſpondetur ad rationem dubitandi ſupra propoſitam. 4

Non valet argumentū à paritate matrimonij deductum.

§. III.

An ſit ſimoniacus, qui accipit pretium ab aliquo Sacerdote, vt illi potius, quam alteri ſtipendia Miſſarum tribuat.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in terminis particularibus 1.
Nec committit ſimoniam, ſi aliquid exigat, vt ſtipendium miſſarum potius tribuat vni Sacerdoti, quam alteri, nec ſi minus conferat

ferat de conſueto ſtipendio, vt ipſum pro celebratione potius eligat, quam alterum 2. Etiam ſi per teſtatorem fuerit taxatum determinatum ſtipendium, in quo tamen caſu contraheret iniuſtitiam 3.

1 DIſquiſitio IV. Caius condito ſuo vltimo teſtamento onus impoſuit ſuis hæredibus, vt Miſſas ſex mille celebrare facerent in ſuffragium propriæ animæ, ſuorumque conſanguineorum, munuſque eligendi Sacerdotes celebraturos contulit Franciſco. Hic cum a pluribus Sacerdotibus eſſet requiſitus ad ſtipendia pro eiſdem miſſis ſibi eroganda conuenit cum Fabio Sacerdote, vt certam pecuniæ quantitatem ſibi conferret, ſeque obligauit ad illi potius Miſſarum ſtipendium erogandum, quam alijs. Quæſitum hic fuit, an in tali conuentione aliqua labes ſimoniæ interceſſerit.

Elucidatur ſtatus controuerſiæ.

Proponit hanc difficultatem *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 26. num. 22.* vbi, cum rationes adduxerit pro opinione affirmante labem ſimoniacam ibi interuenire, tandem concludit negatiuè, licet aſſerat poſſe interuenire iniuſtitiam. Rationem vtriuſque partis ex eo adducit, quod ibi propriè non emit, nec vendit quid ſpirituale, ſed tantum conducit Sacerdotem ad illud miniſterium pro minori ſtipendio, quod nullam ſimoniacam redolet prauitatem; committeret tamen iniuſtitiam, quia aliquod ex tali electione exigeret, ad quod nullum ius videtur habere, præcipuè ſi illud, quod exigeret, eſſet tale, vt eo computato, ſtipendium Miſſarum, quod ipſi poſtea erogaretur, eſſet minus congruo, ſeù taxato. Pro ſolutione

Placitū, & mens Suarez exponitur

Aduerte, penſionem ſtipendiariam prò miniſterio ſpirituali poſſe quodamodò dupliciter conſiderari, primò, quatenùs talis eſt, vt nequeat quodamodò transferri, niſi ipſa miniſteria conſequenter transferantur, hac ratione docet *Vgolinus tab. 1. cap. 48. §. 6.*, quod, ſi Epiſcopus aliquid acciperet a Petro pretio æſtimabile, vt ipſum potius in Vicarium acciperet, quam Paulum, committeret ſimoniam quantumuis ipſe Epiſcopus pro ſtipendio Vicarij penſionem determinatam erogaret, quia, cum illa penſio vendi, ſeù transferri non poſſit, niſi ſimul transferatur ſpirituale miniſterium, ſeù poteſtas delegata, videtur quod illud, quod ſoluitur per eundem Petrum, vt eligatur in Vicarium, ſoluatur pro ipſa poteſtate delegata, quod redolet ſimoniam. Hoc idem aſſerit *Suarez d. lib. 4. de ſimonia cap. 26. num. 21.* euenire, quando Epiſcopus, vt eligeret aliquam determinatam perſonam in ſuum Vicarium conueniret, vt aliquid de taxato ſtipendio, vel certis emolumentis ſibi conferret, illud enim, quod exigeret, videretur eſſe pro eadem poteſtate delegata propter eandem rationem, de qua ſupra. Secundò, quatenus talis eſt, vt transferri poſſit abſque eo, quod ſimul cum illa transferatur aliqua ſpiritualis poteſtas, & hac ratione computatur illa penſio ſtipendiaria, ſi talis vocari poteſt, quæ tribuitur Sacerdoti pro celebratione Miſſarum manualium, quæ ſunt ſine aliquo titulo, vel Beneficij, vel Capellaniæ, quia tunc non conferretur aliquid ſpirituale pro pretio, ſed ſolummodò ipſe Sacerdos conduceretur pro minori ſtipendio. His pro maiori claritate explicatis

Stipēdiaria penſio dupliciter conſideratur, & quomodò.

Suarez, Exempla vtriuſque penſionis apponuntur.

Reſpondeo Franciſcum, nec committere ſimoniam, ſi aliquid exigat, vt ſtipendium Miſſarum potius tribuat Fabio Sacerdoti, quam alteri, nec ſi minus conferat de conſueto ſtipendio, vt ipſum pro celebratione potius eligat, quam alium. Ità in vniuerſum ſentit *Suarez loco quo ſuprà.* 2

Probatur quoad primam partem, quià exigendo illud temporale, de quo ſupponitur in reſponſione, non confert aliquod ſpirituale, ergo nec vendit ſpirituale pro temporali, nec emit ſpirituale pro temporali, ſicque non committit ſimoniam. Probatur antecedens, quià exigendo illud temporale non confert, niſi ſtipendium congruæ ſuſtentationis pro onere Miſſarum celebrandarum, quod congruum ſtipendium eſt debitum ſuppoſito onere celebrationis, neque per illud onus celebrationis confertur aliqua poteſtas ſpiritualis, cum poteſtatem celebrandi aliundè habeat, & ex eo, quod ſtipendium Miſſarum conferat, non aliud efficit, niſi quod applicat animum celebrantis ad offerendum pro eo, cuius nomine ſtipendium offertur; ex quo patet diſcrimen inter eligentem Sacerdotem ad celebrandum, & eligentem aliquem in Vicarium Generalem, nam primus non acquirit aliquam poteſtatem ſpiritualem, ſecundus autem ſic

Exigendo illud temporale nō confert quid ſpirituale.

Probatur quoad ſecundam partem. Non eſt ſimoniacum pactum iniri de ſtipendio Miſſarum, & curari conducere Clericum, vt paruo ſtipendio contentus ſit, nam quod ſit taxatum certum ſtipendium eſt in fauorem Clerici, cui poteſt renuntiare, ergo neque erit ſimoniacum conuenire cum Sacerdote, quod contentus ſit ſtipendio minori taxato. Antecedens probatur, quia talis conuentio non eſt de temporali pro ſpirituali, tanquam de pretio pro re, ſed de ſtipendio congruæ ſuſtentationis, quod vtique licitum eſt nemine reluctante.

Conducit dumtaxat Clericum pro minori ſtipendio.

Hic oritur difficultas, an ſi per teſtatorem taxatum fuerit determinatum ſtipendium pro ſingulis Miſſis, & electus ad di- 3

ſtri-

ſtribuendum conuenerit cum Sacerdote de minori, hic propriè contrahat ſimoniam.

Contraheret tamē labem iniuſtitiæ.

Reſpondendum eſt negatiuè, licet contrahat iniuſtitiam. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià ſtipendium, qua ſtipendium eſt in congruam ſuſtentationem pro onere celebrationis Miſſarum non eſt vetitum, nec ſimoniacum, ergo neque erit vetitum ſub onere ſimoniæ, ſi de illo conueniatur cum minori quantitate à præſcripta, ſeù taxata. Conſequentia probatur, quià quotieſcunque aliquod non eſt vetitum ſub aliqua ſpecie peccati in genere ſuo non poteſt conſtitui in tali ſpecie ex eo, quod illud ſit maius, & minus, ſed ad ſummum in alio genere virtutis, cui opponitur, in quo conſtituit inæqualitatem; ſic v. g. quod non eſt vetitum ſub ſpecie ſacrilegij non conſtituitur in tali ſpecie ex eo,

Quod non eſt vetitū in aliqua ſpecie non conſtituatur in tali ſpecie per maius, vel minus,

quod verſetur circa maius, & minus; ex eo enim quod ſit maius, vel minus non opponitur illi virtuti, cui non opponitur res ſecundum ſe. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod ſtante diſpoſitione teſtatoris illud determinatum ſtipendium pro ſingulis Miſſis eſt debitum Sacerdotibus celebrantibus, ergo ſine labe iniuſtitiæ non poteſt ſubtrahi aliquid de ipſo ab electo ad diſtribuendum. Conſequentia probatur, quià ex eo, quod ſit electus ad diſtribuendum non habet ius aliquod diminuendi de diſpoſito per teſtatorem.

Dices primo quoad primam partem, ex ſuperiùs dictis, ſi taxatum ſit determinatum ſtipendium pro congrua ſuſtentatione Vicarij Generalis non poteſt Epiſcopus illud diminuere, & ſibi aliquid reſeruare ſine labe ſimoniæ ſaltem iuris humani, ergo etiam, ſi per teſtatorem taxatum fuerit ſtipendium pro celebratione ſingularum Miſſarum non poterit diſtributor ſine labe ſimoniæ aliquid de taxato ſtipendio ſibi reſeruare.

Diſparitas de diminutione ſtipendij in electione Vicarij.

Sed contrà ex ſuperius etiam dictis patet diſparitas, nam ratione illius diminutionis, & reſeruationis in propium fauorem factæ per Epiſcopum confert non ſolum illam penſionem ſtipendiariam, ſed etiam poteſtatem ſpiritualem delegatam, quod non euenit in caſu, de quo hic loquimur, in quo ipſe diſtributor nullam poteſtatem ſpiritualem confert Sacerdoti celebraturo, & propterea &c.

Dices ſecundò quoad ſecundam partem, munus ipſum eligendi eſt ſecundum ſe pretio æſtimabile, ergo ratione eiuſdem poteſt diſtributor aliquod detrahere de ſtipendio taxato, & debito. Antecedens probatur, munus officialium in Montibus Pietatis de facto pretio compenſatur, quod contribuitur a mutuatarijs, ergo etiam munus diſtribuendi ſtipendium erit pretio compenſabile vtique per eos, quibus ſit diſtributio. Sed contrà ſtando ſecundum communem praxim, & communem hominum æſtimationem illud munus non eſt pretio meritorium, cum nullum onus congerat, ſed potius decorem conferat ad differentiam muneris officialium in Montibus Pietatis, quod ſecundum ſe graue, & oneroſum eſt, & ſecundum communem æſtimationem pretio compenſatur.

Secūdum hominum æſtimationem non importat onus pretio dignū.

---

§. IV.

An penſio ſtipendiaria impoſita ſuper aliquo beneficio in ordine ad aliquod ſpirituale miniſterium obeundum ſit vendibilis ſine labe ſimoniæ.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus controuerſiæ 1.
Epiſcopus, & Parochus in tali venditione contraxerunt labem ſimoniæ 2.
Si penſio ſtipendiaria fuerit tantum perſonalis poteſt Epiſcopus pro minori alterum conducere 3.

DIſquiſitio IV. Alicui Epiſcopatui, ſeù Parochiali beneficio erat impoſitum 1
in eiuſdem inſtitutione onus ſoluendi quotannis certam, & determinatam pecuniæ quantitatem erogandam perſonæ eligendæ per eundem Epiſcopum ad miniſterium Vicarij Generalis pro penſione ſtipendiaria eiuſdem, vel ſoluendi, ſi fuerit beneficium Parochiale certam ſummam erogandam ad ſuſtentandum concionatorem in quadrageſima. Epiſcopus addictus tali Epiſcopatui, vel Parochus præpoſitus tali beneficio parochiali vendidit talem ſtipendiariam penſionem pro certa pecuniæ quantitate. Excitata fuit ſtatim controuerſia, an in tali venditione contraxerint aliquam labem ſimoniacæ prauitatis.

Explicatur, in quo conſiſtat difficultas.

Reſpondeo abſolute in tali venditione 2
contraxiſſe labem ſimoniacam *Sotus lib. 9. de inſt. quæſt. 7. art. 2. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 26. num. 20.* Ratio deduci poteſt ex ſuperius dictis, quia per talem venditionem ſtipendiariæ penſionis venderetur etiam ſpirituale miniſterium Vicariatus, & concionandi, ergo propriè induceretur, ſeù contraheretur ſimonia. Antecedens ex ſe patet, quià acquiſitioni talis penſionis eſt annexum tale miniſterium, ſicque cum illa transfertur etiam quædam ſpiritualis poteſtas.

Sotus. Suarez.

Transfertur cum ſtipendiaria penſione onus muneris ſpiritualis.

Dices, poteſt penſionarius velle apud ſe retinere munus, & obligationem talis miniſterij, & paciſci de tota penſione ad vitam

tam Epiſcopi, & Parochi, & illam vendere, ſed hac in hypotheſi per illam venditionem ſtipendiariæ penſionis non veniret venditio, ſeù translatio ſpiritualis miniſterij, vt ex ſe eſt manifeſtum, ergo &c. Sed contrà dico, quod in ea hypotheſi propriè non venderetur illa penſio ſtipendiaria, ſed locarentur dumtaxat fructus eiuſdem, ſeù fieret anticipata venditio eorundem fructuum *Nauarrus conſt.62. Suarez. d. lib.4. cap. 26. num.* 17. nec inuenitur prohibitum penſionarijs, quominus poſſint fructus locare ad totam vitam per anticipatam ſolutionem. Dici etiam poſſet, quod penſionarius per illam apparentem venditionem penſionis ſtipendiariæ non liberet beneficium ab onere penſionis, ſed ſolummodò efficiat, vt alteri perſoluatur, quià tuncnon eſt venditio penſionis, ſed oneris perſonalis.

Locarentur fructus penſionis, non venderentur ipſa penſio ſtipendiaria.

Nauarrus. Suarez.

3 Hic ſuboritur alia difficultas, an ſi penſio ſtipendiaria non ſit realis, ſed tantum perſonalis, quatenùs non eſt impoſita Epiſcopatui, vel beneficio Parochiali ad præfata miniſteria, ſed ipſi Epiſcopo, ſeù Parocho, vel ex propria electione, vel alio modo, poſſit pro aliquo pretio per Epiſcopum, ſeù Parochum vendi, ſeù ſaltem fieri conuentio cum perſona eligenda, vt pro minori penſione illud miniſteriū aſſumat; Sentiendum exiſtimo vtiq; ſine labe ſimoniæ poſſe fieri illam conuentionem, ſecundum quam electus pro minori illud miniſterium aſſumat *Suarez loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia liberum eſt Epiſcopo, ſeù Parocho, quandò aliundè non obligantur ad certum ſtipendium erogandum, intra latitudine congrui, & iuſti ſtipendij conducere etiam ex conuentione miniſtrum ad obeunda munera etiam ſpiritualis iuriſdictionis, vel pro maiori, vel pro minori ſtipendio in congruam ſuſtentationem eiuſdem, non enim id, de quo conuenit, conferendum eſt tanquam pretium ſpiritualis Miniſterij, ſed tanquam ſtipendium ſuſtentationis, quod ex genere ſuo non conſiſtit in indiuiſibili, ſed admittit latitudinem intrà rationes congrui, ergo paciſcendo, quod pro minori intrà limites tamen congrui miniſterium illud conductus obeat, non contrahit ſimoniam, quinimmò nec iniuſtitiam, Neque obeſſe poſſunt ijs, quæ hic dicuntur, ea, quæ dicta fuerunt in præcedentibus diſquiſitionibus, quod ſcilicet committat ſimoniam Epiſcopus, ſi ex conuentione aliquid detrahat de taxato ſtipendio, vt aliquem eligat in ſuum Vicarium, ſiquidem pro illa diminutione pretij cum penſione ſtipendiaria conferret poteſtatem ſpiritualem iuriſdictionalem ſaltem delegatam, ergo etiam videtur eandem ſimoniam contrahere, ſi facta conuentione de minori ſtipendio iuxta præſentem hypotheſim miniſterium Vicariatus conferat, quandòquidem etiam in hoc caſu pro illa diminutione cum penſione diminuta confert etiam miniſterium ſpirituale iuriſdictionale; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quoniam valdè lata patet diſparitas; in primo etenim caſu, cum totum illud ſtipendium ſit taxatum, & debitum, ſi Epiſcopus aliquid de ipſo detrahit, vt eligat in Vicarium Generalem, cui eroget illam penſionem ſtipendiariam diminutam, aliquid acquirit ſibi non debitum pro miniſterio ſpirituali, quod ſimul confertur cum illa penſione; in ſecundo autem caſu cum nullo iure obligetur ad erogandum tot, quin poſſit etiam minora, erogando conuentam penſionem, quæ ſupponitur intrà limites congrui, & conferendo miniſterium illud, nihil acquirit, quod ipſi non ſit debitum, adeòque gratis confert miniſterium, & ſolum pro ſtipendio congruæ ſuſtentationis confert illud conuentum.

Liberū eſt Epiſcopo pro minori intrà limites congrui conducere operariū.

Non conſiſtit in indiuiſibili, ſed admittit magis, & minus intra latitudinem congrui.

Inſtantia ex paritate deducta, eiuſq; ſolutio.

---

§. V.

An ſit ſimoniacum conſtituere in proprijs bonis alicui titulum ad ordines recipiendo promiſſionem, quod nihil petet.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ 1.

Conſtituens talem titulum, & ordinatus ad illum cum illa promiſſione contrahunt ſimoniam, & ſuſpenſionem 2.

Diſquiſitio V. Fabius Clericus indigebat titulo, quo ad Sacros Ordines promoueretur. Conuenit cum Theodorico diuite, vt ſibi titulum conſtitueret ea adiecta conditione ſub firmata promiſſione, quod ipſe Fabius nihil poſita ordinatione ab eodem Theodorico exigeret. Hic dubitatum fuit, an illa conſtitutio, & conuentio eſſet ſimoniaca. In ea hypotheſi committi peccatum indebitæ ordinationis ob falſum titulum certò certius eſt, quià ille titulus non eſt verus, ſed fictus; reducitur igitur ſolum difficultas in inquirendo, an etiam contrahatur ſimonia. 1

In quo conſiſtat dubium.

Expendunt latè hanc difficultatem *Nauarrus cap. 27. num. 158. Suarez tom. 5. diſp.31. ſect.4., & diſp. 63. ſect. 4. in princip.* vbi non eximunt ſic conuenientes à labe ſimoniacæ prauitatis, hocque videtur colligi *ex cap. penult. de ſimonia, & in cap. per tuas nobis eod. tit.*, vbi iniunguntur contrà ſic delinquentes pænæ omnes præcipue ſuſpenſionis latæ contra ſimoniacos. Cum his

Nauarrus. Suarez.

Reſpon-

2 Reſpondeo vtrumque, conſtituentem, ſcilicet titulum ſub illa promiſſione, & ordinatum ad talem titulum contrahere ſimoniam, & ſuſpenſionem. Ità *Doctores, qui ſuprà, & expreſſius Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 38. num. 5.* Ratio quoad primam partem ex eo deduci poteſt, quià præſentatio ad beneficium facta per habentem ius patronatus ſub promiſſione facta per præſentatum non petendi reditus eſt omninò ſimoniaca, ergo etiam inſtitutio alicuius tituli in bonis proprijs ad effectum, vt quis mediante illo promoueatur ad ordines Sacros, erit omninò ſimoniaca, ſi facta fuerit cum promiſſione &c. Conſequentia probatur, quià illa inſtitutio ad illum effectum eſt quodamodò præſentatio ad ordines, non minus, ac ſit præſentatio ad beneficium illa facta per patronum.

Suarez.

Argumentum deductum à patrono præſentãte cũ promiſſione, quod præſentatus non exiget reditus.

Dices, diſparem omninò eſſe rationem in illa præſentatione facta per Patronum ad beneficium mediante illa promiſſione, ac in præſentatione ad ordines media illa inſtitutione tituli facta per inſtituentem cum illa promiſſione, quandòquidem Patronus in illa præſentatione acquirit reditus, quos non poteſt præſentatus petere, cum aliundè ipſi eſſent debiti, inſtitutor atem tituli propter ordines nihil acquireret, adeòque &c. Confirmatur ſimonia propriè non eſt, vbi ſpirituale pro temporali non confertur, aut è contrà, ſed in data hypotheſi inſtitutor præſentando ad ordines nihil temporale acquireret, ergo &c. Sed contra, hæc diſpar ratio, quæ aſſignatur, nihil confert quoad præſens inſtitutum, nam licet præſentatus ad ordines ſub illo titulo nihil conferat præſentãti, remittit tamen ius, quod ſibi competeret ex tali præſentatione contrà præſentatorem, vel ordinantem, qui tenebatur ſibi ad prouiſionem *cap. ſecundum Apoſtolum de præbend.* remittere autem, ac dare id, quod debetur idem quoad effectum ſunt *cap. veniens 1. de teſti. & l. qum etiam ff. de calum.*, & quamuis de facto in præſenti per præſentatorem nihil debeatur, remittitur tamen, quod de futuro deberetur per præſentantem.

Remitteret ius, quod ſibi competeret ex tali præſentatione.

Vrgebis illud ius, quod de futuro obligare dicitur præſentantem nullo titulo eſt debitum, cum non fuerit contractum cum intentione obligandi, ſed potius cum expreſſa excluſione cuiuſcunque obligationis; remittere autem id, quod nullo iure eſt debitum non eſt aliquid pretio æſtimabile, vt per ſe patet, adeòque &c. Sed contra, quià eo ipſo, quod talis titulus eſt conſtitutus in ordine ad Sacros Ordines in foro ſaltem externo vtique obligat ad reditus, quod poſtea accedat illa promiſſio aliquid non petendi ab ipſo inſtituente, ſeù præſentante aliud non efficit, niſi quod oximit ab illa obligatione ex vi inſtitutionis contracta, quæ vtique exemptio eſt aliquod ſecundum ſe prætio æſtimabile.

Eo ipſo, quod eſt titulus conſtitutus obligat ad reditus.

Ratio ſecundæ partis deducitur ex textu *in cap. ſi quis ordinauerit de ſimonia*, vbi ſic legitur. *Si quis ad ordinem præſentauerit aliquem promiſſionem, vel iuramentum ab ipſo recipiens, quod ſuper prouiſione ſua non inquietat eundem, præſentator ab executione ordinum per triennium, & ordinatus ab ordine ſic ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinere meruerint, nouerint ſe ſuſpenſos*, vbi *Gloſa in verb. ubi executione per triennium* docet hanc pænam eſſe propter ſimoniacam prauitatem, per quod confirmatur prima pars reſponſionis.

Indicantur iura, per quæ imponitur ſuſpenſio.

Dices, ex hoc potius argui, quod hic non interueniat ſimoniaca prauitas, quandòquidem propter hanc non ſolum inducitur ſuſpenſio limitata ad tempus, ſed illimitata, quinimmò etiam, & depoſitio per ea, quæ ſuperius dicta ſunt de pænis contra ſimoniacos. Sed contrà, quià non ideò limitatur pæna, quia non ſit ſimoniaca prauitas, ſed quia ad incurrendas huiuſmodi pænas requiritur, quod delinquens fuerit iudicialitèr conuictus, vt *ex cap. de hoc, & cap. inſinuatum de ſimonia*; vndè merito *Gloſa in d. cap. ſi quis ordinauerit verb. ab executione per triennium* aſſerit, ſi delictum eſſet manifeſtum, quod ſemper eſſent ſuſpenſi, & ſi accuſarentur, & conuincerentur, deponerentur ex tali promiſſione.

Ad incurrendas pænas requiritur, vt delinquens ſit iudicialiter conuictus.

Gloſa.

---

§. VI.

An ſit ſimonia præſentare aliquem in caſu litigioſo, vt ſuis expenſis litiget.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ exponitur 1.

Propriò in tali præſentatione ſub illa conditione interuenit ſimonia 2.

Si Patronus præſentauerit aliquem ad beneficium litigioſum, ea adiecta conditione, vt niſi ipſe præſentatus intrà tempus à iure præſcriptum proſequeretur ſuam præſentationem in ſolidum ipſe poſſit contrauenire præſentationi, & ſi alius prætextu ſimoniæ beneficium illud acquiſiuit, inualidè acquiſiuit 3.

Diſquiſitio VI. Diſſidium erat ſuper quoddam ius patronatus, an pertineret ad Antonium, cumque diſſidium non 1

diſſolueretur, idem Antonius præſentauit ad beneficium talis iuris patronatus Caium Sacerdotem ea adiecta conditione, vt ſuis expenſis litigaret, & probaret ius præſentandi ad eum, qui ſe præſentauit pertinere. Inducta fuit diſputatio, an talis præſentatio ſub his terminis concepta, eſſet ſimoniaca.

Vallis ſ eius in ſuis terminis.

2 Reſpondeo, propriè in tali præſentatione ſub tali recenſita conditione interuenire ſimoniam *Vgolinus de ſimonia tab. 1. cap. 49. §. 2. num. 5. verſ. non denique. Nauarrus conſ. 12. nu. 1. verſ. ſecundo de ſimonia lib. 5. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 28. num. 14.* Ratio reſponſionis multiplex eſſe poteſt. Primò, quia illa præſentatio non eſt merè gratuita, vt requiritur in collatione ſpiritualium munerum, ſed omninò oneroſa, ergo propriè inducit ſimoniacam prauitatem. Antecedens ex eo euincitur, quod ratione eiuſdem præſentatus tenetur litigare, ſuiſque expenſis iura præſentantis in iudicio elucidare, quod certè eſt onus ſecundum ſe pretio æſtimabile, quod onus, licet conferat quodamodò in propriam vtilitatem, confert tamen etiam in vtilitatem præſentantis, & ad illud ex vi ſua non tenetur. Secundò, quia in tali præſentatione, & ex vi eiuſdem præſentans acquirit aliquod ius pretio ſecundum compenſabile, ſeque eximit ab onere, à quo ad ſe redimendum multas deberet expenſas profundere, ergo in illa præſentatione ſub tali conditione propriè contrahit labem ſimoniacam. Conſequentia probatur, quia ex eo, quod ius illud plenum acquirat, quo prius non gaudebat, ex vi illius præſentationis iam contractat illud ius præſentandi, quod ſecundum ſe eſt ſpirituale pro iure temporali &c. Tertiò, quia in illa præſentatione plus exigitur ſub obligatione a præſentato, quam ipſe facere teneatur, ergo &c. Quartò, quià ſi quis conferret beneficium alicui adiecta conditione, vt aliquod pretio æſtimabile præſtaret in vtilitatem collatoris, quod non eſſet adiectum ipſi beneficio ex genere ſuo, vtique contraheret ſimoniam, ergo etiam, ſi quis præſentaret ad beneficium, & per conditionem compelleret &c. contraheret &c.

Vgolin. Nauarrus. Suarez.

Varia, & efficaces rationes eius contra reſponſionem.

Dices, ſi adijciatur conditio, vt niſi præſentatus intra tempus à iure ſtatutum ſuam præſentationem proſequatur, præſentans iure etiam ſuo vti poſſit ad præſentandum alium, nulla per illam conditionem inducitur ſimonia, vt fatentur *Nauarrus d. conſ. 12. num. 1. verſ. ſecundo de ſimonia. Suarez d. cap. 28. num. 14.*, ergo etiam, ſi adijciatur conditio, vt præſentatus teneatur ſuis expenſis ius præſentantis probare, adeòque ſe ipſum in iure, quod habet ex vi præſentationis conſeruare, non contrahetur ſimonia. Conſequentia probatur, quia in vtroque caſu præſentatus ex vi præſentationis tenetur incommoda ſubire, & expenſas facere. Sed contrà neganda eſt abſolutè conſequentia. Ratio diſparitatis ex eo deſumitur, quod in primo caſu nulla imponitur præſentato obligatio præter illam, quæ illi de iure ineſt, nec ex vi conuentionis compellitur litigare, ſed ex ſua libertate litigat, vt ſuam præſentationem magis firmet; in primo autem ex vi præſentationis illi onus imponitur, ſecundum quod abſolutè tenetur litigare, & ius præſentantis proprijs expenſis tueri, ad quod ex genere ſuo oon tenetur.

Nauarrus. Suarez.

In primo caſu ex libertate lite aſſumeret, non ſic in ſecundo.

Vrgebis, imponere onus beneficiario, quod reſultat in vtilitatem beneficij, & commodum eiuſdem beneficiarij non inuoluit aliquam labem ſimoniacam, quandòquidem res potius agitur beneficij, & beneficiarij, quam collatoris, ſeù præſentatoris, & ſi quid vtilitatis cedit eidem collatori, ſeù præſentatori eſt omninò per accidens, & quid conſequens, ergo non inducit ſimoniacam prauitatem illa conditio, vt præſentatus teneatur ſuis expenſis tueri beneficium. Sed cootra primò, quia illud onus non cedit in vtilitatem beneficij ſecundum ſe, ſed prout refertur ad præſentatorem, & ad commodum præſentati; ad beneficium etenim parum confert, quod ſit, vel ab vno, vel ab altero conferendum. Secundò, quia, quantumuis cederet in vtilitatem beneficij, oon propterea eximeret a labe ſimoniaca, quia illud munus non ſpectat ad ipſum præſentatum, niſi in hypotheſi, qua vellet ſuam præſentationem firmam tueri, ſed abſolutè ad præſentatorem, cumque præſentator obliget præſentatum ad tuenda proprijs expenſis illa iura reſpicit potius ſuum commodum, quam illud præſentati, ſeù beneficij.

Cedit in vtilitatē beneficij, prout refertur ad præſentatorem.

Hic excitat controuerſiam *Nauarrus d. conſ. 12. per totum*, an ſi patronus præſentauerit aliquem ad beneficium ſui iuris patronatus litigioſi ea adiecta conditione, vt niſi ipſe præſentatus intrà tempus a iure proſequeretur ſuam præſentationem in ſolidum, ipſe poſſit præſentationi contrauenire, & ſi alius prætextu ſimoniæ in ea præſentatione commiſſæ obtineat illud beneficium validè, & licitè obtinuerit. Re hinc inde examinata propendet in partem, quod validè non obtinuerit, cui libens adhæreo. Ratio aſſertionis ea eſt, quia in tali conuentione nulla apparet ſimoniaca prauitas, quandòquidem vt ſupra aſſerebam, illud onus, quod adijcitur non eſt ſupra id, quod de iure ineſt præſentato,

Nauarrus.

Exponitur caſus propoſitus à Nauarro, & diluitur.

eſt

eſt etenim dumtaxat in ſuppoſitione, quod præſentatus ſuam velit tueri præſentationem; neque illud verbum, *in ſolidum* importat onus abſolutum impoſitum præſentanto tuendi iura præſentantis, cum multas patiatur explicationes, in varietate autem interpretationum fauendum potius eſt pro eſſe licito, quam pro illicito *cap. 1. de reg. iur. l. merito ff. pro ſocio*.

---

§. VII.

An locatio veſtium, ſeù vaſorum ſacrorum pro faciendo ſacro ſit ſimoniaca.

SVMMARIVM.

Caſus propoſitus, & notabilia circà ipſum 1.

Non eſt ſimoniacum locare Calicem conſecratum habito reſpectu ad materiam, qua conſtat 2.

Nec eſt ſimoniacum locare Veſtes Sacras ad vſum Sacrum habito reſpectu ad eandem materiam 3.

Si in tali conceſſione adminiſtrator impendere debeat laborem poteſt exigere aliquod pretio æſtimabile 4.

1 Diſquiſitio VII. Fabius Sacerdos peregrè proficiſcens ad quandam Ciuitatem peruenit ibi per aliquot dies ad ſua negotia obeunda moraturus, ſed cum ad ſacra celebranda requiſitas veſtes, & opportuna vaſa non haberet, cum adminiſtratore cuiuſdam Eccleſiæ conuenit, vt ad certum tempus, ea omnia requiſita ſibi locaret ſub onere certæ, & conuentæ pecuniæ. Hic dubitatum fuit, an in tali conuentione interceſſerit aliqua ſimoniaca prauitas. Pro ſolutione *Caſus proponitur.*

Aduerte, inter requiſita ad ſacrum faciendum alia eſſe, quæ ipſo vſu non conſumuntur, ſeù ſaltem deteriorantur, cuiuſmodi ſunt calices, vaſa argentea, crux, & his ſimilia, alia eſſe, quæ ipſo vſu conſumuntur, ſeù deteriora fiunt, cuiuſmodi ſunt Sacræ Veſtes, linteamina, cera &c. Porro in ordine ad vſu non conſumptibilia, vel ipſe adminiſtrator impendit aliquem laborem non conſuetum reſpectu illius Sacerdotis, quatenus è locis remotionibus debet veſtes pretioſiores extrahere, ibique iterum reponere, expectare Sacerdotem ipſum, ſi ſit in tali Eccleſia celebraturus, quouſque veniat, vt veſtes, vaſaque conſerat, & his ſimilia. Quibus poſitis *Notabilia circà caſum propoſitum.*

2 Reſpondeo primò, non eſſe ſimoniacum locare Calicem Conſecratum accepto pretio locationis habito reſpectu ad materiam, qua conſtat, licet ſit tale in ordine ad Conſecrationem; hoc idem dicendum eſt de alijs Vaſis Sacris, ex quorum vſu nulla ſequitur diminutio. *Vgolinus de ſimonia reali tab. 1. cap. 44. §. 1. num. 3. verſ. quoad primum caſum* aduerſus *Suarez. lib. 4. de ſimonia cap. 14. num. 25.* Probatur primo Calix, aliaque Vaſa Sacra quantumuis Conſecrata, & Benedicta habito reſpectu ad materiam, ex qua conſtant, licitè poſſunt vendi, dummodò non transferantur ad vſus profanos per ea, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. Prænot. 24. num. 4.* iuxta mentem *D. Thomæ ſecunda ſecundæ quæſt. 100. art. 4. ad primum, ſecundum, & tertium D. Antonini ſecunda part. tit. 1. cap. 5. num. 23.*, ergo etiam poterunt locari. Conſequentia tenet, quià, quæ vendi non prohibentur, nec prohibentur locari; neque dicas, vendi poſſe, quia res ipſa ſecundum materiam, qua conſtat pretio meritoria eſt, non ſic locari, quia vſus talis rei non eſt æſtimabilis; contra enim impugnaberis, quià res etiam ſecundum ſe precioſæ, quæ vſu non conſumuntur, ſunt locabiles, vt videre eſt in vaſis aureis, & argenteis non conſecratis, quæ ſecundum communem æſtimationem recipiunt functionem, dum transferuntur ad pompam, vel ad aliquem vſum. Antecedens probatur, quia in rebus pretioſis conſecratis, quantumuis res ipſæ ſecundum materiam ſint annexæ rei ſpirituali nempe conſecrationi, ſunt tamen annexæ antecedentèr, adeòque computantur tanquam principale, quod propterea poteſt ſubſiſtere quodammodò ſine acceſſorio, ergo non eſt, cur habito reſpectu ad eandem materiam ſecundum ſe non poſſint vendi, cum nec per Conſecrationem amittant valorem, nec per iura vendi prohibeantur. Confirmatur, quià Sacramentalia in termino vtique poſſunt vendi per ea, quæ tradunt *Durandus in 4. diſt. 25. quæſt. 3. Richardus quodlib. 2. quæſt. 24. Silueſter verbo ſimonia quæſt. 12. Caietanus verb. ſimonia reg. 1.*, & nos etiam docuimus loco ſupra citato, ergo etiam Calices conſecrati, aliaque vaſa Sacra ſine labe ſimoniæ erunt vendibilia. Vgolin. Suarez. D. Thomas. D. Antoninus. *Quæ vendi nō prohibentur, nō prohibētur locari.* Durand. Richard. Silueſter Caietan.

Dices, cum Suarez loco citato locare Calicem pro pretio ad Sacrum faciendum eſt quaſi virtute vendere vſum ſacrum illius Calicis, ſed hoc apertè redolet ſimoniam. Antecedens probatur, quia locatio venditioni comparatur, quia licet non vendatur res, venditur tamen vſus rei, ergo, ſi locatur res ſacra, cum non locetur, niſi ad vſum Sacrum, vtique locatur vſus Sacer. Sed contrà, quia minus conſequenter videtur loqui Suarez relatiuè ad ea, quæ ipſe docuit *ſub eod. cap. 14. nu. 15.*, Suarez.

vbi aſſeruit, quod, ſi nullum ſit ſacrilegij periculum, & conſtet laicum emere Calicem, vt per Sacerdotem in ſua Capella, ſeù Oratorio illo ad rem ſacram vtatur, vtique illi poſſit vendi, quia id, nec per ſe malum eſt, cum omne periculum abuſus ceſſet, nec inuenitur in iure prohibitum. Si igitur vendi poteſt, quandò venditur non ad vſum profanum, ſed ad ſacrum, quomodò conſequentèr loquitur in præſenti aſſerens non poſſe locari, quia locaretur ad vſum ſacrum? Deindè *in cap. aurum 12. quæſt. 2. & in c. ea enim §. hoc ius 10. quæſt. 2.* habetur, quod veſtes ſacræ vendi nequeant non quidem ſimplicitèr, ſed tantum in ordine ad profanos vſus, vnde nos *ſub hoc eodem tit. Contractus VIII. Prænot. 24. num. 6. verſ. 2. prohibetur*, è conuerſo deduximus ſecundum communiorem ſententiam, quod in ordine ad vſus Sacros ratione materiæ vendi poſſint, cur non etiam locari? Quamobrem directè ad inſtantiam aſſero materiam ipſam, quæ ſecundum ſe vendibilis eſt, locari, qua poſita vſus ipſe conſequitur, nec locatio cedit ſupra rem ſacram, ſed ſupra materiam, cæteroqui contra communem Theologorum, & Canoniſtarum conſenſum nulla res ſacra, nec ratione materiæ, nec ratione ſui vendi poſſet, nec locari, cum communi iure prohibeantur vendi, & locari ad profanos vſus.

Aſſignatur expreſſa inconſequentia, ſecundum quã procedit Suarez.

Locatio non cadit ſuprà rẽ ſacrã, ſed ſuprà materiam.

Dices ſecundò, cum ipſe Calix per vſum non deterioretur, nec comminuatur nullus poteſt eſſe titulus exactionis, quæ dicitur fieri propter locationem, niſi aſſignetur ipſe vſus Sacer, ergo talis locatio erit abſolutè ſimoniaca, cum conferatur pecunia, ſeù res æſtimabilis pro vſu rei ſacræ. Sed contra fateor, quod vix aliquid videatur poſſe percipi in illa Calicis conceſſione ex hoc capite, cum nullum inde ſequatur detrimentum eidem materiæ, ex qua Calix conſtat. Nihilominus, cum ex locatione aliorum vaſorum non ſacrorum locatorum ad pompam aliquid exigi ſoleat, non damnarem, ſi quid modicum etiam in præſenti hypotheſi exigeretur. Sed fortior eſt ſolutio ad præſentem inſtantiam, ſi aſſeratur, quod ex alio capite nequeat aliquid pretio æſtimabile exigi in conceſſione Calicis Conſecrati ad vſum, non ex capite ſimoniacæ prauitatis, quod ſic oſtendo. Conſumptibilitas, vel inconſumptibilitas rei ſecundum ſe conſiderata non conſtituit rem in ratione materiæ ſimoniacæ, nec illam eximit ſecundum ſe à tali ratione, ſi ſecundum ſe ſit in tali ordine, ergo ex eo, quod in vſu res ipſa non comminuatur, nec deterioretur, non ſequitur, quod illa conceſſio conſtituatur ſimoniaca, ſed ad ſummum iniuſta, cum exigatur ex illa, quod iuſte non poteſt exigi. Igitur ex eo capite nihil poteſt exigi, quod res illa nec ſecundum ſe ſit fructifera, nec ex eius conceſſione aliquid damni oritur concedenti; vndè potius videtur res commodata, quam locata.

Conſumptibilitas, vel inconſumptibilitas non conſtituit rem in ratione materiæ ſimoniæ.

Reſpondeo ſecundò conſequenter ad ſuperius dicta, nec eſſe ſimoniacum locare veſtes ſacras ad vſum ſacrum accepto pretio habito reſpectu ad materiam, ex qua conſtant. Sequitur manifeſte ex prædictis in præcedenti reſponſione, quandòquidem eum materia ipſa connectatur antecedentèr cum benedictione, vtique ſe habet, vt principale ad ipſam, & per conſequens ſaltem per intentionalem ſeparationem ab ipſa ſeiungibile; ergo vtique poterit vendi, & locari. Accedit, quod in tali vſu materia ipſa deterioratur, & diminuitur, ergo &c. Recole, quæ dicta ſunt *ſub hoc eodem titulo Contractus VIII. Prænot. 24. nu. 4. & 6.*

Materia cõnectitur antecedẽter cũ benedictione.

Reſpondeo tertiò, ſi in tali conceſſione ipſe adminiſtrator impendere debeat laborem inſuetum, vtique ſine labe ſimoniæ poteſt exigere aliquod pretio æſtimabile. Probatur, quia in tali conceſſione non ſolum fit locatio veſtium ad vſus, ſed etiam perſonæ adminiſtrantis ad laborem, opera, & obſequia, ergo ratione huius ſecundæ locationis ſine labe ſimoniaca poterit pretium conuentum exigere. Conſequentia probatur, quia illud pretium, quod exigitur non eſt pro re ſpirituali, ſed pro labore, operibus, & obſequijs, quæ vtique ſunt quid merè naturale, & pretio ſecundum ſe æſtimabile. Quod ſi ſupponas adminiſtratorem iam eſſe conductum expenſis Eccleſiæ ad miniſtrandum cuicunque Sacerdoti aduenienti, tunc exigendo à ſingularibus perſonis aliquod pretium, committeret quidem iniuſtitiam, cum exigeret, quod non eſt debitum, non tamen ſimoniam, cum illud non exigeret pro re ſpirituali.

Labor ipſe ſecundum ſe optat pretium.

§. VIII.

An pretio corrumpere teſtes in cauſa ſpirituali ſit ſimoniacum.

SVMMARIVM.

Exponitur proprius caſus in ſuis terminis 1.

In tali actione verè, & propriè interuenit ſimonia 2.

Recipiens pecuniam ad teſtificandum pro veritate committit ſimoniam, ſi illam recipiat, vt pretium ad promouendam cauſam ſpiritualem, ſecus ſi recipiat, vt ſtipendium laboris 3.

Diſqui-

1 DIſquiſitio VIII. Vigebat lis inter Fabium, & Theodoricum Fiſcalem cuiuſdam Curiæ Epiſcopalis ſuper collatione beneficij facta eidem Fabio Sacerdoti, quod legitimè non fuerit facta, ſed interuenientibus conditionibus irritantibus, prout latè in proceſſu, ſeù actis ſuper hoc efformatis, Fabius valdè anxius de declaratione futura nullitatis præſtita pecunia teſtes corrupit, vt contrà veritatem in ſui fauorem deponerent. Hic alia lis fuit excitata, an in tali teſtium corruptione intercefferit ſimonia

2 Reſpondeo, in illa actione verè, & propriè interueniſſe ſimoniam *Richardus in 4. diſt. 25. art. 3. quæſt. 2. D. Antoninus 2. part. cap. 5. §. 17. not. 1. Panormitanus in cap. tua nos num. 6. de ſimonia, & ibi Felinus num 4. referens Gloſam in cap. vendentes 1. quæſt. 3.* Probatur primò reſponſio, quia Fabius ſic teſtes media pecunia corrumpendo ſaltèm quantum eſt in foro externo firmat ius, quod habebat in tali foro externo omninò incertum, & obnoxium nullitati, ergo verè, & propriè ſimoniam committit. Conſequentia probatur, quià quæcunque conuentio, quæ medio pretio ordinatur ad collationem, confirmationem beneficij, & rei ſpiritualis eſt ſecundum ſe ſimoniaca, ſed talis eſſet illa, de qua loquimur, ergo &c. Minor probatur, quià per illam conuentionem factam cum teſtibus corruptis ipſe Fabius per ſententiam conſequitur beneficij confirmationem, quam cæteroqui non fuiſſet conſecutus.

Richard. D. Ant. Panorm. Felinus, Gloſa.

Medio pretio ordinatur ad confirmationē beneficij.

Probatur ſecundò. Qui præſtita pecunia corrumpit Iudicem in cauſa ſpirituali procul dubio ſimoniacus eſt *Gloſa in cap. vendentes 1. quæſt. 3. verb. iuſtitiam Panormitanus cap. tua nos num 6. de ſimonia Tabiena verb. ſimonia num. 48. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 53. num.* 10. nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem, cum verſemur in cauſa ſpirituali, Iudex ferendo ſententiam attingit rem ſpiritualem, quam, quantum eſt ex ſe, confert corrumpenti, ergo etiam, qui præſtita pecunia corrumpit teſtes in cauſa ſpirituali erit abſolutè ſimoniacus. Conſequentia probatur, quià corrumpendo teſtes ſaltem quoad effectum corrumpit Iudicem, licet non quoad culpam; nam ex eo, quod Iudex debeat iudicare ſecundum allegata, & probata, debet iudicare ſecundum ea, quæ per teſtes corruptos fuerunt depoſita.

Gloſa. Panorm. Tabiena. Suarez.

Corrumpendo teſtes falsò quoad effectū corrumpit Iudicem.

Dices, diſparem eſſe rationem de corrumpente Iudicem in cauſa ſpirituali, ac de corrumpente teſtes, ſiquidem ille confert rem ſpiritualem, non ſic iſti, qui nullum ius habent conferendi. Sed contrà, quia quamuis ipſi non conferant, cooperantur tamen collationi, quæ vtique ſine ipſis non poneretur, vndè *in extrau. 2. inter communes de ſimon,* non ſolum ſtatuitur ſimoniaca prauitas, quandò conuentio eſt inter collatorem, & beneficiarium, ſed etiam quandò eſt inter electum ſimoniacè, & mediatores. Deindè, qui daret pecuniam interceſſori, vt à Iudice in cauſa beneficij ſententiam obtineret, eſſet ſimoniacus, nec tamen ipſe interceſſor conferret *D. Bonauentura in 4. diſt. 25. circà litt. dub. vlt. Maior in 4. diſt. 25. quæſt. 3. ad 2. Supplementum Gabriellis quæſt. 2. art. 3. dub. 4. circà finem Silueſter verb. ſimonia quæſt. 6. Tabiena eod. num. 8. Nauarrus cap. 23. num. 106. verſ. ad quintum Felinus in cap. tuam de ætat., & qual. & in cap. ſanta de ſimonia Sotus lib. 9. quæſt. 7. art. 3.,* & nos ſuprà commendauimus.

D. Bonauentura. Maior. Supplementum Gabriel, Silueſter Tabiena. Nauarr. Sotus.

Probatur tertiò *ex D. Thoma ſecunda ſecunda quæſt.* 100. *art.* 2. *ad* 5. vbi docet ſimoniacum eſſe ante ius acquiſitum in beneficio per pecuniam ſternere viam ad illud obtinendum remouēdo impedimenta, ergo etiam erit ſimonia, ſi poſt illud illegitimè acquiſitum per corruptionem teſtium media pecunia poſtea acquirat per confirmationem media ſententia a Iudice, quia per hoc remouet impedimenta, per quæ à pleno iure conſequendo cohibebatur. Confirmatur, quia qui per ſententiam obtinet beneficij confirmationem a Iudice non ſolum illud obtinet a Iudice, ſed etiam a teſtibus, quia cauſa inducens eſt vera cauſa moralis, ergo &c.

D. Thomas.

Sternit viam per pecuniam ad beneficium.

Hic oritur difficultas, an non ſolum committatur, ſimonia, quandò teſtes per pecuniam corrumpuntur, ſed etiam quandò ope eiuſdem inducuntur ad veritatem detegendam, cum nolint alia via detegere. Reſpondendum exiſtimo, per recipientem pecuniam committi ſimoniam, ſi illam recipiat, vt pretium, & ad promouendam cauſam ſpiritualem, ſecus ſi recipiat, vt ſtipendium laboris in teſtificando veritatem *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 53. num. 11.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod illam pecuniam recipiendo, vt pretium, ſaltem mediatè illam recipit pro cauſa ſpirituali, quod ſecundum ſe infert ſimoniacam prauitatem, directè etenim connectitur cum ipſa re ſpirituali. Ratio ſecundæ partis ex eo euincitur, quod labor, & incommoda, quæ ſubit, quantumuis ſint in ordine ad cauſam ſpiritualem ſunt ſecundum ſe meritoria proportionatæ mercedis, & illa obligatio, quam ſumit ad teſtificandum, eſt merè naturalis, ea proportionali ratione, qua labores, & incommoda, quæ per ſe non coniunguntur in miniſterio ſpirituali, quantumuis ſint in ordine ad opus ſpirituale, ſunt per ſe pretio compenſabilia per aliàs commendata. 3

Suarez.

Illa obligatio eſt ſecundum ſe merè naturalis.

§. IX.

An ſit ſimonia conferre beneficium debitori, vt debitum ſoluat.

SVMMARIVM.

Controuerſia excitata in ſuis terminis, & notabilia circà ipſam 1.

Si nullum interueniat pactum, ſed conferatur animò captandi beneuolentiam, & ex illa ſolutionem nulla interuenit ſimonia 2.

Si interueniat pactum adhuc non committitur ſimonia, niſi illud pactum inducat nouum onus diſtinctum à priori obligatione 3.

Si interueniat pactum cum maiori onere, vel ſecuritatis, vel alterius rationis pretio æſtimabilis propriè interuenit ſimonia 4.

1 DIſquiſitio IX. Creditor erat Epiſcopus aduerſus Caium Sacerdotem centum aureorum; cum anxius eſſet, ne tale debitum ſibi perſolueretur, contulit eidem Caio beneficium Eccleſiaſticum eo animo, & intentione, vt motus beneficentia debitum ipſum perſolueret, vel forte etiam adiecit pactum in tali collatione de huiuſmodi ſolutione. Excitata fuit hic controuerſia per Angelum, an in tali collatione, & pacto propriè interuenerit ſimonia, qui concludit negatiuè arg. deducto *ex cap. 1. de vſuris*; ſicuti enim propriè vſura non eſt mutuare ſub onere, quod priora debita perſoluantur, quandòquidem non imponitur noua obligatio mutuatario, quæ prius non eſſet per ea, quæ nos etiam docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Pranot. 6. num. 3.*, ità non videtur propriè eſſe ſimonia conferre beneficium ſub conditione, quod beneficiarius teneatur præcedentia perſoluere, quandòquidem per illam nouum onus non imponitur.

Proponitur ſeries facti.

Pro ſolutione aduerte, an per Epiſcopum in tali beneficij collatione obligetur beneficiarius per pactum expreſſum ad perſoluendum debitum præcedens, adeò vt illa ſolutio propriè veniat ſub conuentione, an verò expreſsè per pactum non obligetur, ſed tantum Epiſcopus conferat animo beneuolentiam in beneficiario excitandi, vi cuius moueatur ad perſoluendum. Rurſus, ſi per pactum expreſſum beneficiarius per Epiſcopum conferentem obligetur aduertendum eſt, an per tale pactum inducatur noua quæddam obligatio cum ſecuritate in futurum ſoluendi, vel an ſolummodò renouetur præcedens, adeò vt non ſit alia obligatio a præcedenti, nec per maiora adminicula magis firmetur. Quibus ſuppoſitis

Variæ conſiderationes adhibendæ circà factū.

Reſpondeo primò, ſi magis non obligetur per pactum expreſſum, ſeù ſi nullum interuenit nouum pactum, ſed ſolummodò Epiſcopus conferat animo captandi beneuolentiam, & dependentèr ab illa ſolutionem debiti præcedentis nulla committitur in tali collatione ſimonia *Angelus qui ſuprà Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 37. num. 18.* Probatur reſponſio, quia non eſt ſimoniacum conferre beneficium ea intentione, & animo, vt acquiratur beneuolentia beneficiarij, & vt ipſe gratum ſe exhibeat, ergo neque erit ſimoniacum conferre ea intentione, & animo, vt debitum præcedens perſoluat. Conſequentia probatur, tum ex eo, quod habito beneficio perſoluat, id non præſtat ex nouo titulo iuſtitiæ, cum ad hoc ex vi collationis non obligetur, ſed dumtaxat ex præcedenti titulo addito ſolummodò de nouo onere gratitudinis, tum ex eo, quod poſita collatione beneficij poteſt adhuc non ſoluere, & ſi poteſt cogi, hoc erit ex vi præcedentis tituli debiti iam contracti, non ex vi collationis; tùm quia Epiſcopus in tali collatione non intendit lucrum, ſed quod ſuum eſt, neque ex eo, quod habeat illam intentionem tollitur, quin beneficium gratis conferat. 2

Angelus Suarez.

Soluit nō nouo titulo iuſtitia, ſed tantum gratitudinis.

Reſpondeo ſecundò. Si pactum ſolutionis interueniat in collatione beneficij adhuc non interuenit ſimonia, niſi per illud pactum inducatur noua obligatio diſtincta à præcedenti. Ità ſaltèm implicitè ſentire videtur *Suarez. loc. cit.* Probatur reſponſio, quia per illam beneficij collationem non imponitur nouum onus indebitum ipſi beneficiario, quod ſit pretio æſtimabile ſupra id, quod ex præcedenti titulo erat debitum, ergo conferens beneficium cum tali pacto propriè non contrahit ſimoniam. Conſequentia probatur, quia ex eo, quod non imponatur nouum onus, non tollitur, quin beneficium conferatur gratuitò; neque enim illud pactum aliud efficit, præterquamquod renouat præcedentem obligationem, nec tribuit ius ad quid amplius, ad quod prius non eſſet. Antecedens item probatur, quià illud pactum non cadit, niſi ſupra ius debitum, nec aliud ponit in eſſe 3

Suarez.

Non eſt nouum onus pretio æſtimabile ſupra debitū præcedens.

Dices, illud pactum magis firmat ius creditoris, ſiquidem ex illo fortius poteſt agere ad ſuum creditum, ſed ius magis firmatum eſt ſecundum ſe magis pretio æſtimabile, ergo &c. Minor probatur, quià maioris valoris eſt creditum magis firmatum, quam infirmum. Maior item euincitur, quia ex vi illius pacti poteſt fortius creditor agere ad conſecutionem crediti. Sed contra, quia tota actio fundatur in

eo-

eodem credito, vndè illud pactum vim, quam confert, confert ex eodem, non aliundè, nec eſt ſecundum ſe magis pretio æſtimabile, quam ſit ipſum creditum, quandòquidem ad quid amplius actionem non extendit, ſed ſolum exprimit obligationem priorem prouenientem ex debito. Hoc exemplificari poteſt in eo, qui actum beneficientiæ temporalis excercet in ſuum debitorem cum pacto, vt debitum perſoluat; hic etenim non maius ius acquirit, ac prius habebat, nec ille actus extrahitur à ratione beneficentiæ ex eo, quod illud pactum apponatur, ſiquidem nec ad illud tenebatur, nec quid magis acquirit, quod prius non habebat.

Tota actio fundatur in credito præcedenti.

Probatur ſecundò. Conferre beneficium, vt ex fructibus eiuſdem beneficiarius viuat, & ſoluat ſua debita creditoribus non eſt ſimoniacum, vt expreſſè ex communi docet

Suarex. *Suarez d. cap. 37.*, ergo neque erit ſimoniacum conferre beneficium, vt ex fructibus eiuſdem debitum perſoluatur Epiſcopo collatori. Conſequentia probatur, quia ipſe collator non debet eſſe deterioris conditionis, ac ſint alij creditores; Neque dicas, hæc verificari, quotieſcunque pactum non interuenit de tali ſatisfactione, ſecus quandò tale pactum interuenit; contra enim impugnaberis, quia Epiſcopus collato beneficio poteſt de illius fructibus exigere ſolutionem ſui debiti, ergo poteſt paciſci, vt de illis debitum perſoluatur, quia de illo licet paciſci, quod licitum eſt exigere, & ſicuti exigens non diceretur ſimoniacus, ita neque paciſcens de ſolutione dicendus eſt &c. Neque arbitrandum eſt, collationem fieri pro ſolutione illius debiti, tanquam pro pretio; non, inquam, arbitrandum eſt, quià collator non exigit illos fructus tanquam pretium collationis, ſed tantum tanquam compenſationem debiti præcedentis, quod ſatis eſt ad tollendam labem ſimoniacam.

De illo licet paciſci, quod licitũ eſt exigere.

4 Reſpondeo tertiò, ſi pactum ſolutionis interueniat in collatione beneficij, cum maiori onere, vel ſecuritatis, vel maioris accelerationis, vel alicuius alterius rationis ſecundum ſe pretio æſtimabilis propriè interuenit ſimonia. Eſt *Suarez loc. quo ſuprà.* Probatur, quia illud onus aſſecurationis, celerioris ſatisfactionis eſt ſecundum ſe pretio æſtimabile, ergo, ſi per pactum apponatur in collatione beneficij, ſine quo hoc non conferretur, propriè committitur ſimonia. Antecedens quoad pactum aſſecurationis patet ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 6. §. 9. num. 8.*, vbi diximus onus aſſecurationis eſſe ſecundum ſe pretio æſtimabile; quoad pactum verò celerioris ſatisfactionis ex eo euincitur, quod imponitur onus beneficiario, ad quod ex vi ſua non tenetur, quod certè cedit in commodum Epiſcopi conferentis beneficium.

Suarex.

Aſſecuratio, celerior ſatiſfactio eſt quid pretio æſtimabile.

Dices, non pluris valent centum præſentia, quam centum conferenda poſt annum per ea, quæ diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt., & vend. Prænot. 3. nu. 3.* conformitèr ad quæ etiam docuimus eſſe manifeſtam vſuram pro minori emere creditum ſoluendum, niſi poſt annum ex eo, quod hic, & nunc pecunia perſoluatur, quia hoc eſſet acquirere lucrum ex ſola temporis anticipatione, ergo non contrahitur ſimonia ex eo, quod debitor vi collationis beneficij obligetur per pactum ad perſoluendum anticipatè debitum. Sed contra, quia, quantumuis non pluris valeant centum de præſenti, ac centum de futuro perſoluenda, obligatio tamen ciuilis perſoluendi hic, & nunc, quod non erat, niſi de futuro perſoluendum eſt ſecundum omnium conceptum pretio æſtimabilis, adeòque &c.

Obligatio ciuilis perſoluendi anticipatè eſt pretio æſtimabilis.

---

§. X.

An ſit ſimoniacum conferre beneficium Vicario, ne conferens ſoluat ſalarium debitum ex miniſterio ſpirituali.

SVMMARIVM.

In quo conſiſtat ratio difficultatis 1.
Rationes dubitandi circa eandem 2.
Collatio illa eſſet abſolutè ſimoniaca 3.
Soluuntur rationes dubitandi 4.

Diſquiſitio X. Vicario Generali, niſi aliundè ſtatutum ſit debitum, & congruum ſtipendium, ſeù ſalarium pro miniſterio ſpiritualis iuriſdictionis, debetur per Epiſcopum, qui tamen iuxta ſuperiùs dicta poteſt conducere eundem Vicarium pro maiori, vel minori ſtipendio intra latitudinem congrui. Euenit, quod Epiſcopus per aliquos annos conſuetum, vel conuentum ſtipendium Vicario priùs electo non contulerit, poſtea eidem beneficium ſatis pingue contulit, ne teneatur ſtipendium non ſolutum perſoluere, vel fortè non ſoluere ſoluendum per annos ſubſequentes. Hic dubium excitatur, an fuerit ſimoniaca talis beneficij collatio. 1

Exponitur factũ in particulari.

Ratio dubitandi ex eo videtur conſurgere, quod non videtur in ea hypotheſi collatio ſpiritualis pro temporali, vel è contra, qandòquidem ius ad illud ſtipendium, quod habet, ſeù habuit Vicarius electus 2

Proponitur ratio nes dubitandi.

ctus ortum habet à ſpirituali principio, nempe a munere delegatæ poteſtatis, vndè ad ſummum eſſet ſimonia iuris Eccleſiaſtici, quatenùs fieret commutatio beneficij cum iure ſpirituali, quæ tamen ceſſat interueniente Epiſcopi auctoritate, prout latè diximus *tom.2. ſub tit. Contractus VI. de permutatione in Diſq.§.23.num.3.*, vbi aſſeruimus, accedente Epiſcopi auctoritate poſſe fieri commutationem beneficij cum iure patronatus, quod etiam commendant *Petrus de Ancharano in cap. fin. de rer. permutatione, Ognate tract.23. de ſimonia diſp. 84. ſect. 3. num. 77. in fine, & ſub eod. tit. Pranot. 7. num. 8.*, vbi docuimus, accedente eadem auctoritate poſſe res ſpirituales adinuicem permutari iuxtà *cap. quæſitum 5. de rer. permut., & can. Sanctorum 70. diſt.* ſicque permutari poteſt vna Eccleſia pro altera *cap. ad quæſtiones de rer. permut.* vna præbenda cum altera *cap. quæſitum eod. tit.* vnum beneficium Eccleſiaſticum cum altero *c. cum vniuerſorum eod. tit.* decimæ cum alijs decimis *cap. fin. eod. tit.* Nihilominus

Petrus de Anch. Ognate.

3 Reſpondeo, talem collationem abſolutè ſimoniacam fore. *D. Thomas ſecunda ſecunda quæſt. 100. art. 5. Sotus lib. 9. de iuſt. quæſt. 7. art. 3. Adrianus quodlib. 9. art. 2. Gloſ. in cap. cum eſſet de ſimonia, item Gloſa in cap. ſunt nonnulli 1. quæſt. 1.* Probatur reſponſio, quia nemine reluctante eſt expreſſa ſimonia conferre beneficium pro re temporali, ergo etiam expreſsè eſt ſimonia conferre beneficium pro remiſſione debiti præcedentis temporalis, ſed in data hypotheſi beneficium conferretur pro remiſſione debiti temporalis præcedentis, ergo &c. Prima conſequentia probatur, quia dare aliquid temporale pro beneficio, & remittere debitum temporale præcedens pro eodem beneficio paria ſunt quoad effectum, ſiquidem non minus eſt pretio æſtimabile temporali, quod conferatur pretium, quo poſſit extingui debitum præcedens, ac immediatè recipere remiſſionem debiti præcedentis; tùm quia ſimonia non ſolum committitur, quandò pro beneficio recipitur pecunia tanquam pretium, ſed etiam quandò pro eodem recipitur quæcunque alia res, ſeù ius pretio æſtimabile; illa autem remiſſio debiti eſt res, ſeù ius ſecundum ſe pretio compenſabile, cum pro ſolutione illius pretium eſſet ex neceſſitate conferendum, niſi remitteretur. Subſumpta minor probatur, quia Epiſcopus ſupponitur conferre beneficium, ne Vicarius exigat ſalarium non ſolutum, vel ſoluendum, ſuoque iuri in ordine ad illud cedat, hoc autem ſalarium, ſeù ſtipendium, licet procedat ex cauſa ſpirituali, eſt tamen ſecundum ſe merè temporale, ſicuti tale eſt ſtipendium, quod debetur ex celebratione Miſſarum, & temporales prouentus debiti ex beneficio, quantumuis procedant ex cauſa ſpirituali.

D. Thomas. Sotus. Adrian. Gloſa.

Confertur beneficium pro re pretio æſtimabili.

Salarium licet procedat ex cauſa ſpirituali eſt tamen ſecundum ſe merè temporale.

Probatur ſecundò determinatè, quandò beneficium confertur, ne exigatur ſtipendium antecedentèr debitum, & non ſolutum varijs paritatibus, & primò, ſi Epiſcopus præſtet beneficium famulo ob obſequia præcedentia, ob quæ ex conuentione tenetur ſtipendium conuentum, & determinatum perſoluere, cum adhuc non perſoluerit, vtique ſimoniam certi iuris committit *D. Thomas ſecunda ſecunda q. 100. art. 5. Gloſa in cap. cum eſſet, & ibi Panormitanus de ſimonia*, & eſt in confeſſo apud omnes, ergo etiam &c. Secundò, ſi quis Epiſcopus debitor ſtipendij verſus Sacerdotem ob certum Miſſarum numerum nomine eiuſdem Epiſcopi per eundem celebratarum loco eiuſdem ſtipendij debiti conferat beneficium vtique nemine diſcrepante in tali collatione ſimoniacus eſt, ergo etiam ſimoniacus erit in hypotheſi datæ reſponſionis.

Euincitur exemplis, & paritatibus.

D. Thomas. Gloſa. Panorm.

Dices, ſi Epiſcopus conferat beneficium alicui ſibi obſequenti, & famulanti ſub ſpe beneficij ratione obſequiorum, & famulatus obtinendi, vtique non committit ſimoniam, etiam ſi per illam collationem quodamodò ſuæ ſatisfaciat obligationi ob illa obſequia ſibi præſtita, ergo etiam, ſi conferat beneficium ob obſequia præcedentia, ob quæ debebat ſtipendium, cum per illud ſuæ ſatisfaciat obligationi non committet ſimoniam. Sed contrà conceſſo antecedente neganda eſt conſequentia. Ratio negationis in eo conſiſtit, quod in caſu antecedentis Epiſcopus omninò liberè, & gratuitò confert beneficium, cum ex talibus obſequijs nulla obligatio iuſtitiæ oriatur in Prælato ad retribuendum ſtipendium, nam de hoc non conuenit, in ſecundo autem non confert, niſi onerosè, cum conferat ad delendum, ſeù extinguendum debitum ex iuſtitia, adeòque &c.

Inſtantia aduerſus aſſertum, eiuſque ſolutio.

Probatur ſecundò ſingularitèr, quandò beneficium confertur, ne conferens teneatur ſoluere ſtipendium, quod in futurum deberet ob miniſterium ſpirituale *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 39. num. 8.* Probatur primò. Quotieſcunque imponitur aliquod onus temporale beneficiario in vtilitatem conferentis, quod non eſt ex genere ſuo annexum beneficio propriè committitur ſimonia, quandòquidem non confert gratis, ſed ob illud onnus annexum cedens in propriam vtilitatem, ſed res ſic ſe habet, quandò Epiſcopus confert Vicario beneficium, ne exigat pro tempore futuro ſtipendium, quod poſſet ab ipſo iuſtè exigere; quandòquidem per illam collationem ſe liberat ab onere, quod eſt ſecundum ſe

Eadem eſt ratio promiſſionis in futurũ, ac ſolutionis; præexiſtentis debiti.

pretio

pretio æſtimabile, ergo &c. Probatur ſecundò, quia eſt eadem ratio promiſſionis in futurum, ac ſolutionis præexiſtentis debiti, nam, ſicuti æquè res emi poteſt cedendo creditum præcedens, ac ſe obligando ad ſoluendum de futuro, ità &c.

4 Ad rationem dubitandi propoſitam in principio diſquiſitionis dicẽdum eſt, quod, quamuis illud ſtipendium proueniat ex cauſa ſpirituali, ſit tamen ſecundum ſe merè temporale, cum ſit maturatum, & debitum ad congruam ſuſtentationem Vicarij electi, & ſicuti ſtipendium eleemoſinæ debitum ob celebrationem Miſſarum eſt merè temporale, cum de illo Sacerdos poſſit diſponere in quoſcunque vſus etiam profanos, ità &c. Ex quibus corruunt ea omnia, quæ adducuntur in eadem ratione dubitandi pro confirmatione; ea etenim omnia ſunt merè ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa, vt per ſe patet.

Eſt debitum merè tēporale.

---

§. XI

An ſit ſimonia conferre donum ſpirituale pro antidorali obligatione orta ex temporali obſequio.

SVMMARIVM.

Quæſiti ratio, & ſeries in ſuis terminis 1.

Quid ſit obligatio antidoralis, & quomodò diſtinguatur ab obligatione iuſtitia 2.

Epiſcopus non committit ſimoniam, ſi beneficium ſuo famulo conferat ad implendam obligationem antidoralem ex obſequio temporali 3.

Etiam ſi verbis exprimat ſe conferre ex tali obligatione, & petat, vt remittatur illa obligatio 4.

Conferre beneficium, vt beneficiarius ex obligatione antidorali præſtet obſequia non eſt ſimoniacum 5.

Non eſt ſimoniacum præſtare naturalia obſequia Epiſcopo, vt ex antidorali obligatione conferat beneficium 6.

Non licet tamen antidoralem obligationem deducere in pactum 7.

1 Diſquiſitio XI. Theon Epiſcopus famulo ſuo, ſeù etiam benefactori beneficium contulit ea intentione, & animo, vt obſequia, & alia officia temporalia ex gratitudine rependat, vel forte etiam idem famulus, ſeù benefactor obſequia, & officia temporalia præſtat erga Epiſcopum cum intentione ipſum obligandi ex gratitudine, & ſperandi ex eadem ſpirituale beneficium. Quæritur iam, an in vtraque hac hypotheſi committatur ſimonia taltem mentalis, &, ſi hæc omnia deducuntur in pactum, tranſeat in ſimoniam conuentionalem. Pro ſolutione

Ratio difficultatis propoſita.

Aduerte, obligationem antidoralem quodamodò mediare inter obligationem ex iuſtitia, & obligationem ex mera gratitudine, nam obligatio ex iuſtitia eſt efficax ad agendum, ex gratitudine nec ad agendum, nec ad retinendum, antidoralis verò, licet ſit in efficax ad agendum, eſt tamen efficax æquitate ſubnixa ad retinendum *l. ſed ſi lege §. conſuluit de pet. hared. l. ex hoc iure ff. de inſt. & iur. & l. ſi teſtamento §. 1. in verb. propter, quod creditor ff. de fideiuſ.* vndè ſub hac conſideratione antidora dicitur obligatio informis *Baldus in addit. Specul. tit. de pact. in princip.*, & debetur ab eo, qui ſeruitium recipit *In Specul. de expenſis §. poſtremo verſ. quid ſi victor*, vndè etiam obligatio antidoralis dicitur illa, quæ oritur ex ſeruitio recepto *Silueſter verb. ſimonia quæſt. 16. circà fin.* ſicque *Innocentius in cap. tuam de ætate, & qualitate* maiorem obligationem cognoſcit ex antidoris, quam ex mera gratitudine *arg. l. 2. in principio ff. de calumn.*, *& l. ſi quis §. conſuluit ff. de petit. hæred.*, *& cap. ſi quis neque 1. quæſt. 1.* Quibus pro notitia ſuppoſitis 2

Obligatio antidoralis explicatur.

Baldus. Specul. Silueſter. Innocentius.

Reſpondeo primò, Epiſcopum non committere ſimoniam, ſi beneficium ſuo famulo conferat ad explendam obligationem antidoralem ex obſequio temporali ortam. *Nauarrus cap. 23. num. 106. Maior in 4. diſt. 15. quæſt. 29. Coaruuias lib. 1. var. cap. 20. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 45. num. 13. Bonacina de ſimonia quæſt. 6. punct. 1. prop. vnica num. 2. & 3. Vgolin. tab. 4. cap. 8. §. 4. Summa Corona fol. 79. ad fin. Lazarius de ſimonia num. 7.* Probatur reſponſio, obligatio antidoralis non obligat ad aliquam retributionem ex motiuo iuſtitiæ, ſed tantum ex motiuo naturalis gratitudinis, ergo, ſi Epiſcopus beneficium Eccleſiaſticum conferat ad explendam obligationem antidoralem ortam ex temporalibus obſequijs non erit propriè ſimoniacus. Antecedens patet, quia talis obligatio conſurgit ex obſequijs, ſeù donis temporalibus ſpontè, & liberè oblatis ſine vllo onere retributionis debitæ ex iuſtitia. Conſequentia probatur, quia conferendo beneficium ad explendam illam antidoralem obligationem non confert beneficium pro pretio, ſeù pro remiſſione alicuius debiti ex iuſtitia, quandòquidem ex illa obligatione non obligatur ex debito iuſtitiæ ad retribuendum, ſicque, cum Epiſcopus non habeat onus iuſtitiæ retribuendi, ſi retribuat conferendo beneficium, illud omninò confert gratuitò, & ſic non ſimoniacè, quandòquidem ſimonia eſt oneroſa collatio, non gratuita, ergo &c. Confirmatur, quia ipſa antidoralis 3

Nauarrus. Coaruu. Suarez. Bonacin. Vgolin. Lazarius

Obligatio antidoralis non obligat ex motiuo iuſtitiæ

obligatio non eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, quandoquidem obligans per collationem obſequij, ſeù doni naturalis non intendit aliquod pretium, ſecus non gratuitò conferret, ergo Epiſcopus conferens beneficium Eccleſiaſticum ad explendam illam obligationem antidoralem non contrahit ſimoniam, ſiquidem, nec acquirit aliquod pretio æſtimabile, nec extinguit aliquod onus, quod ſit debitum ex iuſtitia. Confirmatur ſecundò, quia Epiſcopus recipiendo illa naturalia obſequia, & dona temporalia iuſte recipit, nec vllo titulo prohibetur recipere, ex quo non voluntariè, ſed quodamodò ex neceſſitate naturali contrahit illam obligationem antidoralem, quià obligatio gratitudinis intrinſecè ſequitur ex vi beneficij, ſeù obſequij recepti, ſicuti obligatio pietatis ad parentes naturalitèr ſequitur ex vi ipſius originis, vt notat *D. Thomas ſecunda ſecunda quæſt.* 106. *art.* 3., ergo, ſi poſteà retribuat beneficium, retribuit dumtaxat ex motiuo, ſeù obligatione gratitudinis, quod non inducit peruerſam aliquam labem; Neque ex hoc inferas, quod illud beneficium non conferretur gratis, cum conferretur ex illa obligatione antidorali contrà præſcriptum Chriſti Domini volentis gratis omninò conferri ea ratione, qua nos accepimus *Gratis accepiſtis, gratis date*; non, inquam hoc inferas, quia gratitudo non extrahit id, quod ex motiuo illius confertur à ratione liberæ, & gratuitæ dationis, cum non inducat nouum opus diſtinctum ab eo, quod naturalitèr conſequitur ex receptione doni, vndè per ly, *gratis date*, intelligendum eſt, quod non confertur cum onere iuſtitiæ.

Obligatio antidoralis non eſt ſecũdum ſe pretio æſtimabilis.

D. Thomas.

Gratitudo nõ extrahit à ratione gratuita donationis.

4 Hæc, quæ hactenùs dicta ſunt, adeò vera ſunt, vt etiam ſint intelligenda, quandò Epiſcopus conferens beneficium ad implendam obligationem antidoralem verbis exprimeret propriam intentionem, aut fortè etiam peteret ab eo, verſus quem contraxit talem obligationem antidoralem, vt ſibi talem obligationem remitteret *Nauarrus cap.* 23. *num.* 106. *Suarez lib.* 4. *de ſimonia cap.* 45. *num.* 13. *Fillintius tract.* 45. *cap.* 9. *num.* 35. *Bonacina de ſimonia quæſt.* 6. *punct.* 1. *prop. vnica num.* 5. Ratio facile deducitur ex præcedentibus, quià, ſicuti quis gratis conferendo obſequia, ſeù dona temporalia erga Epiſcopum, inducit in eodem obligationem antidoralem, ità Epiſcopus conferendo beneficium ſuo benefactori inducit naturalitèr remiſſionem talis obligationis, non eſt autem quid indebitum exigere aliquid, quod ex vi talis actionis eſt naturalitèr debitum, cum non diſtinguatur à tali actione.

Nauarrus.
Suarez.
Filliut.
Bonacina.

Conferendo beneficium extinguit obligationem antidoralẽ.

5 Reſpondeo ſecundò, conferre beneficium Eccleſiaſticum eo animo, & intentione, vt beneficiarius ex obligatione antidorali conſequente ex collatione talis beneficij præſtet obſequia, & conferat dona temporalia in fauorem conferentis tale beneficium non eſt ſimoniacum. Conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti reſponſione, & facilè probatur ex eo, quod ex collatione beneficij quantumuis gratis præſtita per collatorem beneficiario conſurgit in eodem beneficiario obligatio antidoralis, quæ ex natura ſua coniungitur cum beneficij receptione, ergo Epiſcopus ea ratione conferendo non contrahit ſimoniam, ſiquidem per eam intentionem aliquid non intendit, quod non ſit ex ſe annexum cum ipſa collatione beneficij. Antecedens probatur, quià Epiſcopus poſt recepta obſequia, & dona temporalia, ex quibus conſurgit obligatio antidoralis conferens beneficium, etiam ſi exprimat, ſe conferre ad illam implendam, & petat ab eo, cui confert beneficium, remiſſionem talis obligationis, verè demit illam priorem obligationem, quam contraxit, quià ſicuti recipiens obſequia, contraxit, ità refundens beneficium ſoluit, cum beneficia beneficijs compenſentur, ergo quià ex collatione beneficij verè transfundit obligationem naturalem in eum, in quem confert, ſicuti enim quandò antecedentèr ſunt poſita naturalia obſequia eorum debitum remittit, ità quandò nulla ſunt poſita obligat ad conferendum ea.

Deducitur ratio ex rationibus præcedentibus.

Reſpondeo tertiò. Non eſt ſimoniacum, ſi quis præſtet verſus Epiſcopum naturalia obſequia, ſeù dona temporalia ea intentione, vt ipſe Epiſcopus ex antidorali obligatione conferat poſteà beneficium ipſi obſequenti, & donanti *D. Thomas ſecunda ſecunda quæſt.* 78. *art.* 2. *ad tertium*, *Suarez lib.* 4. *de ſimonia cap.* 45. *num.* 8. *Fillintius tract.* 45. *cap.* 9. *num.* 22. *Bonacina de ſimonia quæſt.* 6. *punct.* 1. *prop. vnica num.* 6. Ratio ex eo deducitur, quià ex illa obſequiorum præſtatione, & donorum naturalium naturalitèr per ſuperius notata, & probata conſurgit in Epiſcopo, in cuius fauorem impenduntur, naturalis antidoralis obligatio, ergo conferens illa obſequia, ſeù dona temporalia, & intendens collationem beneficij ſibi faciendam non confert ſimoniacè, quià non intendit, niſi id, quod eſt debitum. Secundo non eſt ſimoniacum, ſi quis cætui Religioſorum dona conferat naturalia ea intentione, vt illi ſibi præſtent beneficia, & obſequia temporalia. Tertiò per eam intentionem non inferunt in Epiſcopo maiorem obligationem, ac in ſe habeat ratione illorum obſequiorum in fauorem ipſius præſtitorum. Quartò, quia hæc aſſertio fundatur in communi praxi 6

D. Thomas.
Suarez.
Filliut.
Bonacina.

Variæ rationes huiꝰ tertiæ reſponſionis.

vbique

vbique recepta, nec retractata ab aliquo Superiore Eccleſiaſtico, ſecundum quam plurimi obſequuntur, & famulantur Epiſcopis ea intentione, & animo, vt prouideantur de beneficio, ergo ex nullo capite eſt ex illa intentione inferenda ſimoniaca prauitas.

Limitanda eſt ſecundum aliquas cautiones.

Hæc tamen reſponſio cum magnis cautionibus eſt tenenda, ne ſcilicet antecedentèr ad obſequia, & dona temporalia præſtita petatur determinatè beneficium, quandòquidem hoc præferret ſpeciem ſcandali, & ſuſpicionem ſimoniæ, quaſi quod huiuſmodi obſequia præſtarentur, tanquam pretium beneficij conferendi, cum præcipuè videatur valdè ſuſpecta petitio beneficij, cum obligatione antidorali orta ex beneuolentia præſtita in illis obſequijs, ſeù oritura ex obſequijs præſtandis poſſet in alijs rebus, & donis compenſari.

D. Thomas. Gabriel. Hoſtienſis. Felinus.

7 Reſpondeo quartò, in nullo ex præcitatis caſibus ſine labe ſimoniæ licere deducere in pactum antidoralem obligationem, adeò vt nec licitum ſit Epiſcopo conferre beneficium, cum pacto, vt beneficiarius conferat obſequia temporalia, nec beneficiario conferre obſequia talia cum pacto, vt Epiſcopus conferat beneficium *D. Thomas ſecunda ſecunda quaſt. 78. art. 2. ad ſecundum, Gabriel in 4. diſt. 15. quaſt. 11. art. 1. not. 1. Hoſtienſis in ſumma tit. de vſuris §. qua pena, Felinus in cap. ad audientiam 2. de reſcriptis num. 10.* Hæc reſponſio manifeſtè colligitur ex ijs, quæ per nos dicta ſunt *tom. 2. ſub tit. Contractus VI. Pranot. 8. num. 1.* vbi confutauimus ea, quæ prius dixeramus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Diſquiſ. 4. §. 1. per totum*; nam omne pactum de aliquo temporali conferendo pro re ſpirituali in collatione beneficiorum, & de aliquo ſuprà ſortem conferendo in mutuo inducit ſuprà obligationem naturalem obligationem ciuilem, quæ ſecundum ſe eſt pretio æſtimabilis, ergo re vera, & propriè per illud committitur ſimonia in beneficijs, & vſura in mutuo. Confirmatur, quià per illud pactum non ſolum declaratur id, quod de iure ineſt, ſcilicet obligatio naturalis antidoralis, ſed etiam ponitur noua obligatio ciuilis, quæ tribuit actionem ciuilem, eſtque ſecundum ſe pretio æſtimabilis, ergo &c.

Quodcunque pactū de temporali pro ſpirituali conferendo eſt ſimoniacū.

Ad hanc noſtram reſponſionem firmandam maximè faciunt iura *in cap. quæſitum de rerum permut.*, & declarationes *Sanctiſſimi D. N. Innocentij Papa XI. in propoſit. damnatis in generali Inquiſitione fer. 2. Martij 1679. prop. 45., & 46.*, & Alexandri VII. *prop. 22.*

Declarationes Innocentij XI. & Alexandri VII.

§. XII.

De pœnis, quas contrahunt publicantes, vel concedentes ob quæſtum Indulgentiam, vel facultatem abſoluendi.

SVMMARIVM.

Iuxtà Bullam Pij V. proponitur ratio difficultatis 1.

Antiſtites etiam, ſi fuerint Cardinales publicantes, ſeù concedentes Indulgentias, ſeù facultatem eligendi confeſſarium ob quaſtum ſuſpenduntur ab ingreſſu in Eccleſiam, & à perceptione fructuum ſuarum Eccleſiarum 2.

Inferiores Epiſcopis excommunicantur. Ibid.

Eſt pæna lata ſententia 3.

Epiſcopi ipſo facto incurrunt quamuis publicent per alios 4.

Miniſtri nomine Epiſcoporum publicantes non contrahunt excommunicationem 5.

Epiſcopi non contrahunt ſuſpenſionem, ſi mandauerint publicari, & publicatio facta non fuerit 6.

Nomine caſuum venientium ſub tali facultate veniunt quicunque caſus reſeruati, ſiuè habentes annexam cenſuram, ſiuè non 7.

Diſquiſitio XII. Quidam Epiſcopus in quodam regno prætextu reparationum Eccleſiarum, aliarumque piarum cauſarum conuenerat ſoluentibus certam pecuniæ quantitatem concedere Indulgentiam, & facultatem eligendi confeſſarium, qui eum à caſibus reſeruatis abſolueret. Aduerſus hanc conſuetudinem, ſeù potius corruptelam emanauit conſtitutio Pij V., quæ eſt in ordine 99. quæque incipit, *quam plenum*, per quam aliquibus cenſura excommunicationis imponitur, alijs pæna ſuſpenſionis. Circa huiuſmodi pænas nonnulla breuitèr hic ſunt examinanda, & primò, quinam in particulari afficiantur ex vi illius conſtitutionis cenſura excommunicationis, quinam verò cenſura ſuſpenſionis, & ad quid extendatur huiuſmodi ſuſpenſio. Secundò, an pena ſuſpenſionis afficiantur ſolummodò, ſi per ipſos publicent, an verò etiam per ſuos miniſtros. Tertiò, an ijdem miniſtri publicantes nomine Epiſcopi contrahant excommunicationem. Quartò, an cadant ſub tali pæna Epiſcopi, ſi mandauerint publicationem, ſed executioni non fuerit demandata publicatio. Quintò, an nomine caſuum, ob quos publicatur facultas eligendi confeſſarium veniant ſolummodò 1

Exponitur Bulla Pij V.

caſus, qui habent annexam cenſuram, an verò etiam caſus ſimplices.

2 Reſpondeo primò. Antiſtites etiam ſi fuerint Cardinales publicantes, ſeù concedentes Indulgentiam, vel facultatem abſoluendi ob quæſtum contrahunt ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, & à perceptione fructuum, à qua nequeunt abſolui, niſi à Romano Pontifice, alij verò inferiores Epiſcopis excommunicationem. Colligitur expreſsè ex eodem Conſtit. Pij V. edita anno 1570. Incipiente, *quam plenum*- Ibi- *Quicunque ſecus egerint, ſeù attentauerint Antiſtites etiam, ſi Cardinalatus honore præfulgeant, ab ingreſſu, & perceptione fructuum ſuarum Eccleſiarum tandiù ſuſpenſi iaceant, donec ſatisfactione praua illis per Sedem prædictam ſuſpenſio relaxetur. Inferiores verò ab Epiſcopis ſententiam excommunicationis incurrant, à qua, niſi in mortis articulo conſtituti ab alio, quam à Romano Pontifice abſolutionis beneficium nequeant obtinere.* Ratio autem huius diſpoſitionis colligitur ex proemialibus eiuſdem conſtitutionis -Ibi- *Cum igitur inter cæteraſcandala etiam ſimoniæ prauitas redoleat ex alijs Sacri Concil. Trid. decretis, & alijs ſanctionibus canonicis, noſtra præterea conſtitutioni de Indulgentijs ad quæſtum non emittendis aduerſetur, ciauinm auctoritas euileſcat, & pœnitentialis ſatisfactio eneruetur.*

Epiſcopi ſuſpenduntur ab ingreſſu in Eccleſiā, & à perceptione fructuum

Inferiores verò excõmunicantur.

Adducitur ratio talium cenſurarum.

3 Hic inſurgit ratio dubitandi, an huiuſmodi ſuſpenſio reſpectu Antiſtitum, & excommunicatio reſpectu inferiorum ſit latæ ſententiæ, & ipſo facto, an verò ferendæ dumtaxat. Ex verbis, quibus concipiuntur huiuſmodi pœnæ, facilè colliguntur eſſe latæ ſententiæ - ibi - *Suſpenſi iaceant*, quæ verba indicant expreſsè, quid factum ſit, non quid faciendum

Ad quid verò extendatur huiuſmodi ſuſpenſio lata contra Eccleſiæ Antiſtites, clarè liquet ex verbis eiuſdem Conſtitutionis Pianæ, vbi ſuſpenſio eſt ab ingreſſu Eccleſiæ, & à fructibus Eccleſiarum ſuarum.

4 Reſpondeo ſecundò, Epiſcopos, & Antiſtites huiuſmodi pœnam ſuſpenſionis ipſo facto incurrere, quantumuis per ſe ipſos non publicent, ſed per ſuos miniſtros. Colligitur etiam expreſsè ex verbis eiuſdem Bullæ Ibi- *caſuum, & Indulgentiarum Indicem adibus ſacros affigi iuſſerunt*, & regularitèr fruſtranea eſſet huiuſmodi pœna, ſi afficeret dumtaxat Epiſcopos per ſe ipſos immediatè publicantes, quandoquidem communis vſus eſt, quod publicatio fiat per miniſtros.

Etiam ſi publicent per alios.

5 Reſpondeo tertiò. Miniſtros nomine Epiſcoporum publicantes huiuſmodi Indulgentias, & facultates non contrahere excommunicationem. Ratio ex eo deſumi poteſt, quod pœnæ non ſunt extendendæ vltrà perſonas, ad quas extendunt legislatores; cum igitur in præfata Conſtitutione Piana excommunicatio non extendatur, niſi ad Epiſcopos, alioſque, vel publicantes, vel publicari mandantes, hic non eſt extendenda ad miniſtros; Neque dicas, quod huiuſmodi miniſtri propriè dicantur publicantes; contra enim impugnaberis, quià conſtitutio non loquitur de quibuſcunque quomodocunque publicantibus, ſed *de præſulibus officij paterni prætextu.*

In dicta Bulla Pij V. non exprimūtur miniſtri publicantes.

6 Reſpondeo quartò, Epiſcopos non contrahere huiuſmodi ſuſpenſionem, ſi mandauerint publicari, publicatio tamen non fuerit executioni mandata *Bonacina de ſimonia quæſt. 7. §. 5. prop. 2. num. 7.* Ratio deducitur ex generali regula, ſecundum quam pœnæ non incurruntur, niſi per delictum conſummatum, niſi aliud in impoſitione pœnæ exprimatur; neque dicas in tali Conſtitutione exprimi etiam mandantes, quantumuis mandatum non fuerit executioni commiſſum - Ibi - *Quicunque ſecus egerint, ſeù attentauerint*; attentare autem eſt opus intendere, quamuis executio non ſequatur; contra enim impugnaberis, quià ly, *attentauerint*, in dicta conſtitutione non fuit appoſitum ad indicandam pœnam etiam opere non conſumato, ſed ad indicandum, quod, ſi illa publicatio facta fuerit ſit nullius penitus roboris, vndè ſubdit Pontifex. *Decernentes etiam irritum, & inane quidquid ſecus per quoſcunque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contingerit attentari.*

Bonacina.

Pœnæ non incurrũtur, niſi delicto cõſumato.

7 Reſpondeo quintò, per facultatem abſoluendi à caſibus venire facultatem abſoluendi à quibuſcunq; caſibus reſeruatis, ſiuè habentibus annexam aliquam cenſuram, ſiuè nullam habentibus. *Bonacina loc. quo ſuprà num. 3.* Ratio ex eo deducitur, quià in præfata conſtitutione non ſolum exprimuntur caſus reſeruati Epiſcopo, ſed etiam reſeruati Romano Pontifice-Ibi-*aliquo præterea caſu admiſſo, veluti ſimoniæ reatu, qui ad examen huius Sanctæ Sedis eſſet referendus*, regularitèr autem caſus Sanctæ Sedi referendi, habent annexa excommunicationem, vt præcipuè colligitur ex caſu ſimoniæ ibi recenſito, cui ex ſuperius dictis eſt annexa excommunicatio.

Bonacina.

Caſus reſeruati Pontifici regularitèr habēt annexam cenſurā.

§.XIII.

§. XIII.

An ſimoniam committat conferens beneficium filio Iudicis cum pacto, vt hic mitiget pænam reo.

SVMMARIVM.

Facti ſeries cum ſua ratione dubitandi 1.
Propriè in tali collatione interuenit ſimonia 2.
Satisfit rationi dubitandi 3.

1 DIſquiſitio XIII. Detinebatur in carceribus Iudicis ſæcularis ob quædam commiſſa delicta Fabius laicus valdè familiaris Epiſcopo illius loci, qui cupiens prodeſſe eidem Fabio beneficium quoddam vacans contulit filio eiuſdem Iudicis ea adiecta conditione, vt reum abſolueret, vel rigorem iuſtæ ſententiæ mitigaret. Hic controuerſum fuit, an in tali collatione commiſſa fuerit ſimonia.

D. Bonauentura. In quo cõſiſtat difficultas.

Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod Epiſcopus conferens illud beneficium filio Iudicis ſæcularis non videtur conferre pro pretio illius remiſſionis, ſeù diminutionis pænæ, ſed ad conciliandam beneuolentiam Iudicis, mediante qua poſteà ex gratitudine conſequatur illam pænæ remiſſionem, cæteroqui Reo debitæ, præcipuè cum ipſe Epiſcopus nihil vtilitatis ſibi acquirat. Nihilominus

Ratio dubitandi.

2 Reſpondeo in tali collatione propriè fuiſſe ſimoniam commiſſam *Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 37. num. 19. Filliutius tract. 45. cap. 9. quæſt. 6. num. 11. Bonacina de ſimonia quæſt. 1. prop. 2. num. 11.* Ratio ex eo deducitur, quod illa remiſſio, ſeù diminutio pænæ eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, ergo ſi ſit ex pacto ob beneficium propter illam collatum inducet propriè ſimoniam. Antecedens probatur, quia illa remiſſio, ſeù mitigatio pænæ eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, cum ob illam regularitèr plurima pretio æſtimabilia profundantur; quod ſi dixeris, quod iniquè pro illa remiſſione, ſeù diminutione pænæ pecunia exigatur, ſtatim impugnaberis, nam licet iniquè exigatur tanquam lucrum turpe, validè tamen exigitur, cum Iudex vendat quodamodò ſuum iudicium in fauorem rei, ſeque quoad illud locet in eiuſdem vtilitatem. Confirmatur, ſi quis mutuet fæminæ ea adiecta conditione per pactum, vt ſui copiam faciat mutuanti, vtique committitur vſura per ea, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Præmpt. 11. num. 2.* cum copia mulieris ſecundum humanam æſtimationem ſit pretio æſtimabilis iuxta textum *in l. idem ſi ob ſtuprum ff. de condit. ob turpem cauſam*, vbi dicitur, quod *meretrix turpitèr faciat, quod ſit meretrix, non turpitèr accipiat, quod ſit meretrix*, quantumuis illud dicatur turpe lucrum, ergo etiam, ſi quis conferat beneficium Iudicis filio, vt ſui copiam faciat Reo ipſius Pater illi remittendo pænam, vel diminuendo, committet ſimoniam, nam non minus eſt pretio æſtimabile reſpectu meretricis copiam ſui facere, ac reſpectu Iudicis copiam ſui facere, nam vtrobique ex vna parte eſt turpe lucrum, ex altera vtrobique talis copia regularitèr pretio compenſatur.

Diminutio pænæ eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis.

Nec obſtat, quod illud videatur turpe lucrum.

Exinde turpe poteſt ſimoniacè accipi, acquiri per meretricem.

Probatur ſecundò *ex cap. quæſitum de rerum permutatione*, vbi potiſſimum damnantur quæcunque pactiones illicitæ circa ſpiritualia. Ibi *præſertim pactione præmiſſi, quæ circà ſpiritualia, vel annexa ſpiritualibus labem ſemper continet ſimoniæ; vbi mirabilitèr Gloſa. In ſpiritualibus omnes pactio illicita eſt, & reprobatur*; idque etiam habetur *in cap. vlt. de pactis. Ibi. pactiones factæ à vobis pro quibuſdam ſpiritualibus obtinendis, cum in huiuſmodi omnes pactio, omniſque conuentio debeat omninò ceſſare, nullius penitus ſunt roboris*. Quid ni erit quandò pactio erit de re illicita, & pretio æſtimabili?

Iura euidentia intentum.

Ad rationem dubitandi dicendum eſt ea, quæ in ipſa dicuntur ad ſummum vera eſſe, quandò Epicopus conferret beneficium filio Iudicis ſine vlla conuentione, & pacto, quia tunc ſupponi poſſet, quod Iudex ex antidorali tantum obligatione remitteret pænam reo, cum autem in præſenti caſu ſupponatur interuenire pactum expreſſum de tali remiſſione, ſeù ſaltem diminutione pænæ, quæ ſecundum ſe eſt pretio æſtimabilis per ea, quæ ſupra dicta ſunt, vtique non ex libertate illam remitteret, ſed ex debito, cum pacta ſecundum ſe ſemper obligent. Ad id, quod ſubditur, quod ſcilicet Epiſcopus ex illa pænæ remiſſione nihil vtilitatis hauriat, dicendum eſt in primis, quod ad conſtituendam ſimoniam non eſt neceſſitas, quod datum, & acceptum verſetur ſolummodò inter conferentem beneficium, & illud recipientem, vt videre eſt in ſimonia, quæ fit cum mediatore inſcio, & ignorante collatore, ſed ſufficit, quod conferatur beneficium, & aliquid pretio æſtimabile retribuatur ex pacto intuitu eiuſdem collatoris. Quis enim diceret, non eſſe ſimoniam, ſi Epiſcopus conferret beneficium Andreæ cum onere, vt hic ſolueret Franciſco centum nummos aureos? Deindè falſum abſolutè eſt, quod Epiſcopus nihil vtilitatis habeat, quandòquidem ex illa pænæ relaxatione poſſet ſaltem multa commoda reportare, 3

Satisfit rationi dubitandi, & explicatur varijs ſenſus difficultatis.

& præ-

& præcipuè, quod ſuo intuitu reus liber euaſerit, pro quo multi diuitias plures profunderent.

---

§. XIV.

An dare beneficium ex metu temporalis nocumenti ſit ſimoniacum.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis 1.
Varij ſenſus difficultatis 2.
Conferre beneficium ex metu temporalis nocumenti, & intentione, vt beneficiarius non conferat damnum non eſt ſimoniacum 3.
Conferre beneficium ex metu damni temporalis cum pacto expreſſo eſt ſimoniacum 4.
Æquè verificatur, ſiuè illud pactum fuerit de damno, quod timetur ex cauſa iuſta, ſiuè ex cauſa iniuſta 5.

1 DIſquiſitio XIV. Timebat Epiſcopus ſibi varia damna in bonis temporalibus inferenda à Franciſco, vel ab ipſius fautoribus, quibus, vt obuiaret beneficium eidem Franciſco, vel alicui ex eius fautoribus contulit eo motiuo, quod ratione eiuſdem à futuris vexationibus, & damnis inferendis deſiſterent. Orta fuit controuerſia, an talis collatio ſic facta, vel ex illo motiuo metus fuerit ſimoniaca

2 Hæc controuerſia multipliciter poteſt examinari; primò, quatenus beneficium conferatur ex tali metu ob impediend. ſcilicet damna, quæ inde timentur nulla preuia conuentione, vel pacto inter conferentem, & recipientem; Secundò, quatenus fiat collatio intercedente inter collatorem, & beneficiarium pacto, ne beneficiarius inde conferat aliquod damnum ipſi collatori. Tertiò ex ſuppoſitione, quod collatio facta fuerit interueniente pacto conſiderandum eſt, an damnum, quod eſt obiectum talis metus, poſſit iuſtè timeri, quatenus poſſit inferri publica auctoritate interueniente legitima cauſa, an verò ſit tale, vt non poſſit iuſtè inferri, & ſolummodò ex propria poteſtate, ſeù potius peruerſitate inferentis. Quibus poſitis

Varij ſenſus, ſecundum quos poteſt explicari difficultas.

3 Reſpondeo primò conferre beneficium ex metu temporalis nocumenti ea ſcilicet intentione, & animo, vt beneficiarius motus tali beneficentia non conferat damnum non eſt ſimoniacum. *Angelus verb. ſimonia 3. nu. 38. Sotus lib. 9. de iuſt. quæſt. 7. art. 3. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 37. nu. 10. D. Bonauentura in 4. diſt. 25. dub. 6. circa literam.* Huius reſponſionis multiplex eſt ratio. Prima deſumitur ex varijs iuris Canonici diſpoſitionibus, vt primò *ex cap. ad audientiam de ijs quæ vi*, vbi Pontifex beneficium ex graui metu reſignatum in fauorem alterius ſtatuit eſſe à reſignatario extrahendum, & reſtituendum ipſi reſignanti, quod vtique Pontifex non præſtitiſſet, ſi in illa reſignatione propriè interueniſſet ſimoniaca prauitas. Secundò *ex cap. Abbas eod. tit.*, vbi Alexander irritam declarat renuntiationem factam beneficij ob metum amittendi patrimonium, qui per conſequens ſtatuit beneficium eſſe reſtituendum renuntianti, quod idem ſtatuitur *in cap. ad aures eod. tit.*

Angelus. Sotus. Suarez. D. Bonauentura.

Adducitur triplex ratio reſponſionem.

Dices diſparem eſſe rationem de Epiſcopo conferente beneficium ex metu damni, quod timet à beneficiario, ac de reſignante ex graui metu, & vi intentata ad reſignandum, vt euenit in caſu *cap. ad audientiam*, vbi ſupponitur grauiſſimus metus à Rege immiſſus, quandòquidem in primo caſu Epiſcopus per propriam voluntatem confert ſine vlla actuali actione, in ſecundo verò reſignans non reſignat per propriam voluntatem, cum per vim reſignat; voluntas autem coacta non eſt voluntas. Sed contrà, quià non minus dicitur voluntas coacta, quæ mouetur ex damno, quod actu minatur per poteſtatem extrinſecam, ac quæ mouetur ex damno, quod per ipſum timentem cognoſcitur imminere, ſicque non minus dicimur timere damna intentata, ac timere damna, quæ cognoſcuntur intentanda.

Inſtantia ad reſponſionē, & eiuſque ſolutionis.

Vrgebis, data hac reſponſione ſicuti in tali reſignatione reſignatarius tenetur beneficium dimittere, & reſtituere reſignanti, ità beneficiarius teneretur beneficium ex metu ſibi collatum dimittere in manibus conferentis, quod non videtur dicendum, ergo non currit paritas de reſignante ex metu, & conferente ex eodem metu iuxta terminos reſponſionis. Sed contrà, fateor Epiſcopum conferentem in eo ſenſu non conferre coactè, quo non intendat beneficium transferre in beneficiarium, quià re vera animum habet conſtituendi eundem in tali beneficio, ſeù talis beneficij poſſeſſorem, ſicque hic ex hoc capite non tenetur beneficium dimittere. Id igitur, ad quod collimat noſtra probatio ex illis iuribus deſumpta conſiſtit in eo, quod ſicuti ille metus immiſſus in reſignantem non conſtituit reſignationem ſimoniacam, ità nec metus, quo Epiſcopus mouetur ad conferendum beneficium ei, a quo timet damnum ſibi imminere conſtituat illam collationem ſimoniacam, quia re vera in vtroque caſu metus eſt cauſa conferendi, & reſignandi. Quod deindè in caſu reſi-

Hæc diſparitas non facit ad rem in caſu præſenti.

gnationis teneatur dimittere, & reſtituere, non ſic in caſu collationis, non officit noſtro inſtituto, quandòquidem hoc non prouenit ex vi ſimoniæ, cum in neutro caſu interueniat, ſed ex eo, quod in caſu reſignationis non ſpontè dimiſit, nec animum habuit dimittendi, in caſu verò collationis Epiſcopus verè contulit, & animum habuit conferendi, cum teneretur alicui conferre, nec poſſit apud ſe retinere. Quod deindè etiam diximus in præcedentis inſtantiæ reſponſione, videri in vtroque caſu coactam voluntatem, hoc diximus ad indicandum in vtroque metum vim aliquam ingeſſiſſe, & fuiſſe cauſam ſaltem impulſiuam, quæ tamen non induxit ſimoniacam prauitatem.

Secunda ratio ex eo deſumitur, quod conferens beneficium ex metu non confert illud pro aliquo, quod habeat vim pretij, ſicuti conferens ex amicitia, & beneuolentia non dicitur conferre pro pretio, ergo propriè ſimoniam non committit; Antecedens probatur, quià aliud eſt operari propter aliquod motiuum, aliud operari pro illo tanquam pro pretio, ergo qui dat beneficium ex metu, ſeù propter metum, quamuis illo motiuo inducatur ad conferendum, non confert tamen pro aliquo, quod habeat vim pretij.

Aliud eſt operari propter motiuū, aliud operari pro illo tanquam pro pretio.

Dices primò, qui confert beneficium ob metum temporalis nocumenti intendit euitare illud malum, ſeù damnum, quod eſt obiectum talis metus, quodque ſecundum ſe eſt pretio æſtimabile, nam vitare malum eſt ſecundum ſe aliquod bonum, & pro illo vitando regularitèr omnes res pretio æſtimabiles profundunt, ergo, dum intendit illud damnum euitare, intendit commutare beneficium, quod confert cum illo bono, quod conſequitur ad euitationem illius damni, ſicque ſimoniacè procedit. Sed contrà reſpondet *Suarez d. cap. 37. num. 10. in fin.* quod ex vi metus non intendatur euitatio illius mali, ſed ſolum intendatur remotio cauſæ, quæ poteſt inferre tale malum, quod licitum eſſe aſſerit, quantumuis illud malum ſit temporale, & intendatur per medium ſpirituale. Sed non placet hæc reſponſio, quià illa remotio cauſæ vltimò reſoluitur in remotionem damni, & intantum intenditur remotio cauſæ, in quantum remoueri intenditur damnum, & ſic remanet in ſuo robore inſtantia. Quamobrem directè ad eandem reſpondeo, intendere quidem illam euitationem damni, vt ponendam ex vi gratitudinis, ſeù ex obligatione antidorali per eum, cui collatum eſt beneficium, non per obligationem ciuilem poſitam ex iuſtitia, & ſicuti, vt bene notat *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 12. cap. 18. quæſt. 5. verſ. Adrianus verò* non committit ſimoniam, qui actionem aliquam ſpiritualem in fauorem alterius exercet ſub ſpe præmij temporalis, dummodò de illo non conuenerit, ità nec videtur illam committere, qui beneficium ſpirituale confert alicui ob metum vitandum temporalis nocumenti, ſeù ſub ſpe, quod tale damnum ex obligatione antidorali non conferetur.

Inſtantia, & ſolutio Suarez, ſed ineſſicax.

Germana ſolutio.

Azorius.

Dices ſecundò, qui confert beneficium ad preces alicuius alteri ſimoniacè confert, & tamen illæ preces non ſe habent, vt pretium, ſed vt motiuum, vi cuius applicatur animus conferentis ad illud conferendum, ergo etiam ſimoniacè confert, qui beneficium confert ex metu, quamuis ipſe metus, ſeù obiectum eiuſdem non ſe habeat, vt pretium, ſed vt motiuum ad applicandum animum conferentis ad conferendum. Sed contrà, falſum omninò eſt conferentem beneficium propter preces alicui conferre ſimoniacè, quandò tales preces ſe habent dumtaxat, vt motiuum ad alliciendum animum conferentis ad conferendum, prout latè nos docuimus *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. Prænot. 25. num. 14., quæ ibi recole*, ex quibus corruit tota vis inſtantiæ. Solutiones obiectorum, quæ fieri poſſunt aduerſus noſtram opinionem aſſerentem non eſſe ſimoniacum conferre beneficium propter preces, quando nullum pretium interuenit vide loc. cit.

Conferre pro precibus præcisè, ſeù propter preces non eſt ſimoniacum.

Tertia ratio ex eo deſumitur. Conferre beneficium ex motiuo acquirendi amicitiam, & beneuolentiam beneficiarij, & dependentèr ab illa aliquod refundendum ex gratitudine, & obligatione antidorali non eſt ſimoniacum per ea, quæ latè dicta fuerunt ſuperius ſparſim in pluribus locis, ergo neque erit ſimoniacum conferre beneficium ad placandam iram alicuius, eiuſque voluntatem conciliandam, ne damnum inferat. Conſequentia probatur, quia conferre beneficium ad placandam iram æquiualet collationi ad acquirendam amicitiam, ſeù beneuolentiam

Conferre beneficiū, ut nocear eſt conferre propter amicitiā acquirendam.

Reſpondeo ſecundò. Conferre beneficium ex metu damni temporalis non ſola 4
intentione illud vitandi, ſed etiam pacto expreſſo cum beneficiario, vt deſiſtat à quacunque vexatione eſt ſimoniacum. *Victoria concl. 3. num. 25. Sotus lib. 9. quæſt. 7. art. 3. Leſſius de iuſt. lib. 2. cap. 35. dub. 21. num. 120. Suarez lib. 4. de ſimonia cap. 27. num. 16.* Probatur autem reſponſio, quià illa obligatio, quæ per pactum illud imponitur, eſt obligatio ciuilis ſecundum ſe pretio æſtimabilis, vtpotè quæ non ſolum importat vitationem damni de præſenti, ſed etiam ſecuritatem de futuro, quæ certè ſecundum communem praxim pretio compenſantur, ergo conferendo beneficium

Victoria. Sotus. Leſſius.

Eſt noua obligatio ſecundum ſe pretio æſtimabilis.

cium cum illo pacto confertur pro aliquo onere pretio æſtimabili, adeòque ſimoniacè. Confirmatur, quià omnes pactiones importantes onus rerum pretio æſtimabilium circa ſpiritualia important ſimoniacam prauitatem ſaltem de iure Eccleſiaſtico, vt habetur *ex cap. quæſitum de rerum permut.*, *& cap. vlt. de pactis*.

5 Reſpondeo tertiò. Æquè verificantur, quæ dicta ſunt in præcedenti reſponſione, ſiuè illud pactum fuerit de damno, quod timetur ex iuſta cauſa, & per publicam auctoritatem, ſiuè fuerit ſe damno, quod timetur ex cauſa iniuſta, & per priuatam poteſtatem, ſeù potius peruerſitatem, cuiuſmodi eſt damnum, quod timetur à furibus. In hanc reſponſionem quoad omnes partes propendet *Leſſius d. lib. 2. cap. 35. dub. 21. nu. 120.* Ratio quoad primam partem facilè deducitur ex præmiſſis, quià illa ſecuritas, quam acquirit ex vi illius pacti eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis, & cum ipſe electus ad beneficium ius habeat legitimum ad illum, nempè conferentem ſic vexandum, vtique & ille ratione beneficij acquirit aliquod pretio æſtimabile, & iſte ratione illius iuris, quo ſe priuat, amittit aliquod ius &c., ergo &c. Ratio quoad ſecundam partem ex eo deducitur, quià per illud pactum inducitur in beneficiario ſupra obligationem naturalem noua obligatio ciuilis, quæ ſecundum ſe eſt pretio æſtimabilis, pro qua dantur latronibus exactiones menſtruæ, ergo per illud inducitur ſimonia in collatione beneficij, quandòquidem ratione eiuſdem acquiritur noua obligatio ciuilis ſecundum ſe pretio æſtimabilis.

Leſſius.

Illa ſecuritas eſt ſecundum ſe pretio æſtimabilis.

Dices primò ex ſuperius dictis *ſub hoc eod. tit. Contractus VIII. Diſquiſ. 3. §. 10.*, qui beneficium confert debitori cum pacto, vt ſoluat debitum, non contrahit ſimoniam, tùm quià illud pactum non eſt de aliquo indebito, tùm quià illud pactum ad quid aliud non obligat, ad quod non obligaret titulus præcedens debiti, ergo etiam, qui confert beneficium alicui, ne iniuſtè ipſum vexet, & cum pactis expreſſis ceſſationis à tali iniuſta vexatione non contrahet ſimoniam, quandòquidem onus deſiſtendi ab illa vexatione non eſt quid indebitum, & illud pactum ad quid amplius non obligat, ad quod non obliget ipſa naturalis obligatio. Sed contra neganda eſt conſequentia. Ratio negationis in eo conſiſtit, quod in primo caſu præſupponitur obligatio ciuilis fundata in natura eiuſdem debiti, quod ſecundum ſe fundat actionem ciuilem, vndè obligatio ſuperueniens ex pacto non eſt, niſi noua expreſſio, ſeù confirmatio in eodem genere, & ordine; in caſu autem, de quo hic loquimur non præſupponitur alia obligatio, niſi naturalis, vndè additur per illud pactum noua obligatio ciuilis, quæ prius non aderat, quæ ſecundum ſe eſt pretio æſtimabilis, ergo &c.

Inſtantia propoſita ex paritate, eiuſque ſolutio.

Dices ſecundo ex ijs, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Pranot. 10. num. 2.* Mutuare cum pacto, quod mutuatarius teneatur deſiſtere ab iniqua vexatione non eſt mutuare cum vſura, etiam ſi tale pactum inducat obligationem ciuilem diſtinctam à naturali, ergo etiam conferre beneficium cum pacto, vt beneficiarius teneatur deſiſtere ab iniuſta vexatione non erit conferre ſimoniacè, quamuis &c. Sed contra dato antecedenti neganda eſt conſequentia, quià diſtrictiùs pactiones prohibentur in collatione rerum ſpiritualium, ac in mutuo, cum non tanta puritas, & gratia requiratur in mutuo præſtando, quanta in ſpiritualibus diſponendis, quia in mutuo non attenditur aliqua ſpecialis dignitas, ſed ſolum ne exigatur aliquod diſtiuctum à præuijs obligationibus; in rebus autem ſpiritualibus conferendis conſideratur præcipuè dignitas doni ſpiritualis, quod cum nullo commodo temporali commutari poteſt. Atque hæc de ſimonia dicta ſint ſatis. Vtinam depuratis mentibus à quacunque terrenarum rerum labe ad pura ſpiritualia omnia dirigamus.

Diſparitas in hoc quoad mutuum, & ſimoniã.

CONTRACTVS IX.

De Commodato, & Depoſito.

INter cæteras contractuum ſpecies, quibus ſine abdicatione dominij in rebus ſuis ſibi, alijſque conſulunt homines, potiſſimæ ſunt illæ commodati, & depoſiti, queis commodantes, & deponentes alijs benefaciendo quandòque non modicam in ſe atrahunt commoditatem. Eius naturæ, & conditionis ſunt hi contractus, vt quamuis per ipſos in alios à Dominis transferantur res commodatæ, & depoſitæ, non tamen deſinant eſſe ſub eorum dominio, à quibus transferantur, & quandòque ipſa eadem translatio proficua ſit ipſis transferentibus. Sub vno, eodemque titulo huiuſmodi contractus non incongruè hic comprehenduntur; quandòquidem in pleriſque congruitatem ſeruant in natura, & in paſſionibus affinitatem; in vtriſque etenim dominium remanet penès transferentem, quin immò regularitèr, & vſusfructus, licet vſus transferatur; in vtriſque gratis conceditur vſus, non ſub aliquo onere, in vtriſque eadem materia apta eſt, & accommoda. Quamuis autem in ratione generica plurimam ſeruent inter ſe conuenientiam tales contractus, in prædicatis tamen ſpecificis diferentiam inter ſe inuoluunt ſpecificam, & eſſentialem, adeò vt contractus ſint inter ſe non ſolum ſpecie accidentali, ſed etiam eſſentiali diuerſi. Vtriuſque naturam, paſſiones, & conditiones in præſenti inquiremus, vt animus, qui in contractuum genera diuagatur, nil habeat, quod non pertingat, nil omittat, quod non perueſtiget.

Extant in iure ciuili lib. 3. Digeſtorum titulus de commodato, & in lib. 4. Codicis, qui idem habetur in iure canonico lib. 3. Decretalium, ibique de ipſo reſpectiuè agunt Doctores tùm iuris Ciuilis, tùm Canonici interpretes, & præcipuè *Azon*, *Hoſtienſis*, *Panormitanus*, *Gofredus*, *Bartolus*, *Baldus*, *Salicetus*. Ex Theologis de commodato agunt *Azorius inſtitut. mor. part. 3. lib. 7. Molina tract. 2. de iuſt., & iur. à diſp. 294. ad 298. excluſiuè*, *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iure cap. 27. Ognate tract. 12. diſp. 43. de commodato, alijque fore omnes*, Ex ſummiſtis *Silueſter verb. commodatum per totum Angelus*, *Tabiena eod. verb.* In vniuerſum *Lopez lib. 2. de Contractibus*, *Nauarrus in manuali cap. 17. Antonius Gomez lib. 2. var. cap. 7. de commodato* alijque innumeri.

De Depoſito extat titulus in iure ciuili lib. 16. Digeſtorum, &

lib. 3. Cod., & in iure Canonico lib. 3. Decretalium, ibique de eo reſpectiuè agunt omnes ferè iuris Canonici, & ciuilis interpretes. Ex Theologis *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. Molina à diſp. 522. ad 528. Fillintius tract. 34. Leſſius lib. 2. cap. 27. Ognate tract. 19. diſp. 54.* Ex Summiſtis *Silueſter, Tabiena, Armilla, Angelus, & alij in eod. verb. Depoſitum*, & in vniuerſum alij innumeri ſub ſuis tit.

PRÆNOTIO I.

Quid ſit commodatum, & quotuplex.

SVMMARIVM.

Commodatum vndè dictum 1.
Definitio propria commodati 2.
Poſſunt commodari non ſolum res mobiles, ſed etiam immobiles, & etiam incorporea 3.
Non tamen res aliena, nec vſu conſumptibiles ad eum vſum, per quem conſumptio ſequitur, benè tamen ad vſum, ex quo ille non ſequitur 4.
In commodato non transfertur dominium, nec vſusfructus 5.
Commodatum debet eſſe gratuitum, & per hoc diſtinguitur à pluribus alijs contractibus 6.
Diſcrimen eiuſdem à precario, depoſito, & mandato 7.
Item à negotiorum geſtione, à pignore, ab hypotheca, à fideiuſſione. Ibid.
Diuiditur ratione materiæ in commodatum rei mobilis, & immobilis 8.
Ratione finis in commodatum gratia eius, qui accipit, & gratia eius, qui dat. Ibid.
Ratione temporis in tacitum, & expreſſum. Ibidem.

1 SI Ethimologiam nominis ſpectemus, clarè liquet deriuari a commodo, quod per huiuſmodi contractum commodatarius percipit, vt benè conſiderarunt *Gloſa, & Hoſtienſis in cap. 1. de commodato*, ex quo vlterius deducitur, quod commodatum ſit regulariter potius in fauorem commodatarij, quam commodantis, prout ex eadem Ethimologia intulit *Azon in ſumma eod. tit. de commodato*, quamuis quandòque cedat in ipſius commodantis commodum. Si verò ſubſtantiam rei conſideramus varias Doctorum definitiones erit reperire, quæ tamen diuerſitatem in modo, non in re important. Si verò in diuiſione abeamus, varias tùm in ordine ad ſe, tùm in ordine ad res, quibus conſtat, tùm in ordine ad perſonas, a quibus fit, tùm in ordine ad tempus, ad quod contrahitur, inueniemus. Interim ſit

Ethimologia nominis quoad commodatũ. Gloſa, Hoſtienſis. Azon.

2 Aſſertio I. Benè definitur commodatum, quod ſit *rei alicuius quoad ſolum vſum gratuita conceſſio* Silueſter *verb. commodatum num. 1. Molina diſp. 294. in princip. Gloſa in cap. vnico de commodato, Hoſtienſis cap. 1. de commod. n. primo Mantica lib. 9. de tac. & ambig. tit. 3. num. 1. Bartolus in l. in commodato 17. ff. commodati Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 1. verſ. 2. quæritur, vbi citat Azonem, Gofredum, Hoſtienſem, & Gloſ. in cap. 1. de commodato, Ognate tract. 12. diſp. 43. ſect. 1. num. 14.* Colligitur expreſsè ex *§. item is Inſtit. quib. mod. re contr. oblig., & ex l. 1. ff. commodati, & ex c. vnd. extra de eod.*

Silueſter, Molina, Gloſa, Hoſtienſis. Mantica, Bartolus, Azorius, Ognate.

3 Explicatur definitio. Dicitur, *rei alicuius* cuius nomine veniunt tam res mobiles, quàm immobiles *l. 1. §. inter commodatum ff. commodati*, & non ſolum corporeæ, ſed etiam incorporeæ, cuiuſmodi ſunt iura, ſeruitutes, penſiones, & reditus annui *Bartolus, Paulus, Salicetus, Aretinus in l. 1. ff. commodati Gloſa in cap. 1. de commodato*; idem dic de rebus quantumuis ſacris, dummodò non commodentur ad vſus profanos *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 4. verſ. tertio quæritur*; intellige quantum eſt ex natura ſua, nam ſi aliquo iure poſitiuo interdicantur commodari vtique commodari licitè nequeunt. Maior difficultas eſt de rebus alienis, & de rebus ipſo vſu conſumptibilibus, & quidem quoad res alienas in textu *in l. commodare, & l. ita vt fur ff. commodati*, dicitur, quod fur, & prædo poſſit alienam commodare, quod vtique importat poſſeſſorem malæ fidei non priuari tali iure commodandi, maximè, cum per hoc non deterioretur conditio veri Domini.

Explicatur definitio cõmodati. Bartolus, Paulus, Salicetus, Aretinus, Gloſa, Azorius.

Fur, & prædo nequeũt legitimè cõmodare.

4 Nihilominus non libens annuerim ijs, quæ ex tali textu deducuntur in ordine ad poſſeſſorem malæ fidei; ſicuti enim ipſe grauiter peccat detinendo rem furtiuam inuito domino, ita etiam peccat, ſi conſcius actus præſtat, per quos impediatur reſtituere; Deindè, ſicuti ipſe non gaudet iuſtè, & legetimè vſu talis rei, ità nec legitimè talem vſum poteſt in alium transferre, adeòque neque alteri commodare *Azorius inſtit. mor. d. part. 3. lib. 7. cap. 4. verſ. 2. quæritur*; vndè ad id, quod ex allegato textu afferebatur, dicendum eſt, per ipſum aliud non intendi, niſi quod ſi fur, aut prædo commodauerit poſſit actione commodati rem illam repetere. Idem *Azorius loc. cit.*

Azorius.

Tabie-

Tabiena. Ognate.

Tabiena verb. commodatum num. 7., ex quo deducit *Ognate d. tract. 12. de commodato diſp.43. ſect. 2. num.* 48. illam commodationem factam per iniuſtè poſſidentem validam eſſe in foro externo quoad illam actionem, quam parit, non autem licitam in foro interno quoad ſuum eſſe. Quoad res verò vſu conſumptibiles dicendum abſolutè eſt, non poſſe commodari ad eum vſum, ex quo ſequitur conſumptio, poſſe verò ad eum vſum, ad quem conſumptio non ſequitur, vt v. g. ſi commodatio fiat ad oſtentationem, & pompam. Ratio primæ partis ex eo facilè deducitur, quia cum res in illo vſu conſummaretur, non poſſet amplius eadem reddi, adeòque tranſiret in mutuum, quod etiam ex eo poteſt amplius confirmari, quod in ea hypotheſi vſus non diſtingueretur à dominio, & ſic dum res transferretur ad vſum, transferretur etiam quoad dominium *l.* 1. *§. is quoque ff. de obligationibus, & action. l. 3. §. vltim. ff. commodati §. item is. Inſtit. quib. mod. re. contrah. oblig. Armilla verb. commodatum num. 2. Silueſter eod. verb. num. 2. Mantica lib. 9. tit. 5. num 5. Molina diſp.* 294. Ratio ſecundæ partis ex eo etiam deducitur, quia cum ille vſus ſit omninò extrinſecus, & non attingat ſubſtantiam rei, ſed ſolummodò extrinſecam apparentiam, non efficit, quin eadem res numero commodata poſſit reſtitui, ſicque non eſt, cur non remaneat in pura ratione commodati *Mantica lib. 9. tit. 5. num. 5. Molina diſp. 294. Cardinalis Tuſchus concl. 480. verb commodatum nu. 3. Azon in ſumma num. 7. Ognate d. tract. 12. de commodato diſp. 43. ſect. 2. num. 42.*

Poteſt commodari ad oſtentationem, & pompā.

Armilla. Silueſter. Mantica. Molina.

Mantica. Molina. Tuſcus. Azon. Ognate.

5 Dicitur *quoad ſolum vſum*; per quas particulas infertur, quod in commodato non transferatur dominium, nec vſusfructus rei commodatæ in commodatarium *l. rei commodati, l. 1. in fin. ff. precarij l. nemo 9. ff. commodati, Antonius Gomez lib. 2. var. cap. 7. num. 3. Romanus conſ. 500. per totum Filliutius tract. 34. cap. 8. num. 176.* atque hæc particula eſt diſtinctiua commodati a cæteris omnibus contractibus, per quos dominia rerum, vel vſusfructus transferuntur *Ognate d. tract. 12. de commodato diſp. 43. ſect. 1. num. 26. Molina diſp. 294.*

Anton. Gomez. Roman. Filliut.

Ognate. Molina.

6 Dicitur, *gratuita conceſſio*, propter textum *in l. gratuitum §. ſi cum vnum ff. de praſcrip. verb.*, & tunc datur actio commodati, alias verò datur actio præſcriptis verbis *Baldus in l. penul. quaſt. 1. ff. commodati*; atque hæc particula ex neceſſitate debuit adijci ad contradiſtinguendum commodatum a cæteris contractibus, in quibus dominium non transfertur, nec vſusfructus, & per hanc contradiſtinguitur primo à locatione, & conductione, quæ non fiunt gratuitò, adeò vt, ſi eadem res alteri concedatur, ſed gratis, per commodatum dicitur concedi, ſi verò pro certa mercede dicitur concedi per locationem. Secundo ab Emphytheuſi non ſolum, quia in hac transfertur etiam vſusfructus, ſed etiam ſub certa penſione per ea, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de emphyth., & cenſib. Pranot. 1., & ſparſim ibi.* Tertiò, à contractu cenſuali etiam propter eaſdem rationes.

Baldus.

Ex eo, quod ſit gratuitū diſtinguitur à locato, emphyteuſi, & alijs.

Sed quomodò contradiſtinguatur à precario, à depoſito, à mandato, a negotiorum geſtione, à pignore, ab hypotheca, & a fideiuſſione ex vi particularum in definitione appoſitarum, cum in his non concedatur, niſi vſus, & quidem gratuito, hic ſcopus præcipuus difficultatis, & primò in ordine ad precarium dicendum eſt, contradiſtingui per illam particulam, *ad ſolum vſum*, quæ non ſolum ſtat pro vſu comparatiuè ad rem commodatam, ſed etiam comparatiuè ad eandem in ordine ad tempus certum, vel tacitum, vel expreſſum; expreſſum quidem quatenus in celebratione contractus facta fuit conuentio de reſtitutione ad certum tempus, tacitum quatenus facta fuit conuentio ad certum vſum, qui haberi nequit, niſi pro tempore determinato, & certo, & per hunc vſum ad determinatum tempus contradiſtinguitur à precario, quod eſt ad tempus incertum *§. is cui Inſtit. quib. mod. re contrah. oblig. Gloſ. in cap 1. de commodato, & in l. in commodato §. ſicut ff. commodati Cinus, & Baldus in l. 2. num. 2. C. commodati Antonius Gomez 2. var. cap. 7. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 1. verſ. 2. quaritur Molina diſp. 294. verſ. commodatum. Ognate d. tract. 12. de commodato diſp. 43. ſect. 1. num. 30.* 7

Diſcrimē commodati, a precario.

Gloſſ. Cinus. Baldus. Anton. Gomez. Azorius. Molina. Ognate.

Secundo in ordine ad depoſitum etiam contradiſtinguitur per illam particulam *ad ſolum vſum*; nam depoſitum, quia depoſitum præciſè eſt non traditur ad vſum, ſed præciſè ad cuſtodiam *l. ſi ego §. vlt. ff. de iur. dot. Gregorius Lopez l. 1. tit. 3. part. 5. verb. en guarda Antonius Gomez lib. 2. variarum cap. 7. num. 2. Filliutius tract 34. cap. 1. nu. 1. Leſſius lib. 2. cap. 27. dub. 1. num. 2.*, quod ſi quandòque depoſitarius vtatur re depoſita in proprium commodum, hoc non eſt ex facultate ſibi conceſſa ex vi contractus, cæteroqui tranſiret in commodatum, ſed ex proprio arbitrio non repugnante deponente, quinimmò, quandòque contra depoſitarium vtentem re depoſita in proprium vſum agitur actione furtiua, prout notauit *Ognate d. tract. 12. de commodato diſp. 43. ſect. 1. num. 27.*

Diſcrimē eiuſdem à depoſito.

Lopez. Gomez. Filliut. Leſſius.

Ognate.

Tertio in ordine ad mandatum, & ad rerum geſtionem contradiſtinguitur per illam particulam *rei alicuius*, quia in mandato, & rerum geſtione non ceditur vſus

Diſcrimē a negotiorum geſtione.

aliculus rei, ſed tantum vſus perſonæ, ſeù operarum ad vtilitatem mandantis, ſeù eius, cuius negotium geritur, vndè illa poſitio *vſus rei* ponitur, prout contradiſtinguitur ab vſu perſonæ, ſeù operarum eius, quod diligenter conſidera *Ognate d. tract. 12. diſp. 43 ſect. 1. num.* 18. Ognate.

Diſcrimē à pignore, & hypotheca. Quarto in ordine ad pignus, & hypothecam etiam diſtinguitur per ly *ad ſolum vſum*, nam nec pignus, nec res hypothecata tranſit in vſum eius, cui datur in pignus, ſeù hypothecam, vt benè notauit *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 1. verſ. 2. quæritur Ognate d. tract. 12. diſp. 43. ſect. 1. num.* 17., prout etiam latè nos agemus ſuis locis. Azorius. Ognate.

Quinto in ordine ad fideiuſſionem contradiſtinguitur etiam per eandem particulam, quià fideiuſſor non conceditur ad vſum, ſed in ſecuritatem rei debitæ, ſeù contractus; vndè ſicuti, quia depoſitum eſt ſecundum ſe præcisè in cuſtodiam, & non ad vſum eſt contractus diſtinctus à commodato, ità quia fideiuſſio eſt præcisè in ſecuritatem, & non ad vſum eſt etiam contractus diſtinctus ab eodem commodato. *Diſcrimē à fideiuſſione.* Hinc ex hac explicatione

Probatur aſſertio, quià per hanc definitionem habet commodatum id, per quod conuenit cum cæteris contractibus, & id, per quod diſconuenit, ergo per eandem rectè, & eſſentialitèr exprimitur. *Probatio definitionis.* Antecedens patet ex præactis. Conſequentia euincitur, quia quæcunque definitio recta eſt, & eſſentialis, per quam conuenientia, & diſconuenientia rei definitæ exprimitur. Ad clariorem tamen rei definitæ expreſſionem non inuitus adderem illam particulam, *ad determinatum tempus*, ad clarius ſecernendum commodatum à precario

8 Aſſertio II. Commodatum multas patitur diuiſiones, vel comparatiuè ad materiam, circa quam verſatur, vel comparatiuè ad finem, propter quem fit, vel comparatiuè ad tempus, pro quo fit. Singula explico. Diuiditur primo ratione materiæ in commodatum rei mobilis, & commodatum rei immobilis; vtraque enim res commodari poteſt *l. 1. ff. commodati*, & in commodatum rei corporalis, & commodatum rei incorporalis, prout latè ſuprà explicuimus ex Doctoribus, & iuribus ibi allegatis. *Communes diuiſiones cōmodati.* Diuiditur ſecundò ratione finis in commodatum gratia eius, qui accipit, & commodatum gratia eius, qui dat, & commodatum gratia vtriuſque, tam ſcilicet dantis, quam accipientis per ea, quæ commendat *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 2. verſ. diuiditur etiam*, vbi etiam exemplificat hæc omnia membra commodati. Azorius. Diuiditur tertiò ratione temporis in tacitum, & expreſſum, vt ſupra.

PRÆNOTIO II.

Qualis contractus ſit commodatum, & quomodò perficiatur.

SVMMARIVM.

Commodatum non ſolum eſt contractus, ſed etiam nominatus 1.

Mediat inter contractus onerosos, & donationem 2.

Eſt contractus bonæ fidei, non ſtricti iuris 3.

De iure communi non perficitur, niſi re 4.

De iure municipali in Regno Caſtellæ perficitur etiam conſenſu 5.

TOmo primo *ſub tit. Contractus I. de contractibus, & ſic Prænot.* 3. diſtinximus contractus in contractus bonæ fidei, & ſtricti iuris; in contractus nominatos, & innominatos, in contractus, qui ſolo conſenſu perficiuntur, & in contractus, qui non niſi re, & illos, qui non niſi ſcriptura complentur. Modo applicando ibi generalitèr lata ad contractum hunc ſingularem commodati inquirimus cuiuſnam generis propriè ſit, & quænam conditiones eidem conueniant.

Aſſertio I. Commodatum, ſi ſumatur non entitatiuè pro re ſcilicet commodata, ſed quaſi actiuè pro actione ſcilicet, qua res ipſa confertur hoc titulo non ſolùm eſt contractus, ſed etiam eſt nominatus. 1

Prima pars eſt *Silueſtri verb. commodatum num. 4. Mantica de tacit., & ambig. lib. 9. tit. 5. num. 5. Bartoli in l. in commodato 5. §. ſicut ff. commodati Molina diſp. 294. Azoris in ſumma hoc tit. num. 1. Cini, & Balds in l. 2. num. 2. C. commodati, Decij in l. contractus num. 28. ff. de reg. iuris.* Secunda pars eſt *Vueſemb. hoc tit. num. 9. Mantica de tac., & ambig. lib. 9. tit. 1. Ognate tract. 12. de commodato diſp 43. ſect. 1. num. 20., & aliorum magis communitèr.* Silueſter. Mantica. Bartolus Molina. Azorius. Cinus. Baldus. Decius. Vueſemb. Ognate.

Probatur prima pars. Ex commodato oriuntur vltrò citroque obligationes ex mutuo conſenſu inuicem præſtito, ergo propriè, & rigoroſè eſt contractus. *Ex cōmodato oriūtur actiones ex vtraque parte obligatoriæ.* Antecedens probatur, quia ex vna parte commodator non poteſt reuocare commodatum, cum intereſſe commodatarij ante vſum expletum *cap. vnico de commodato l. in commodato §. ſicut ff. commodati*, & ſi reuocet ante tempus tenetur commodatario de damno *l. in rebus ff. commodati Silueſter verb. commodatum num. 4., & alij communitèr*; ex alia commodatarius verſus commodantem ad multa ex vi commodati obligatus remanet per ea, quæ fusè infra aſſeremus, ergo &c. Silueſter. Conſequentia probatur, quia vbi eſt vltrò citroque obligatio ibi pro-

prie

priè eſt contractus per ea, quæ habentur *in l. labeo 2. ff. de verb. ſignif.*

Commodatū dicitur gratuitū in eo ſenſu, quo per commodatarium nihil debet referri in commodantē.

Dices, hac ratione contrà ſuperiùs dicta commodatum non eſſet gratuita conceſſio, ſi ex parte commodatarij obligationes orirentur; Sed contrà, quià, dum dictum eſt, commodatum debere eſſe gratuitum, hoc in eo ſenſu intelligendum eſt, quod per commodatarium nihil debeat referri in commodantem, quod ſit tanquam pretium commodati, ſeù in compenſationem, & adæquationem contractus eo modo, quo ſit in locatione, alijſque contractibus oneroſis, per hoc tamen non tollitur, quin aliquas obligationes in ordine ad rem ſibi commodatam ſubeat, puta ad ipſam cuſtodiendam, non deteriorandam ex ſua culpa &c. Ex quo manifeſtè ſequitur, quod
2 ipſum commodatum mediet inter contractus oneroſos, & ſimplicem donationem, quatenùs ſcilicèt aliquid importat ſuprà id, quod dicit donatio, & quid minus, quam importent cæteri contractus oneroſi; ſiquidem donatarius facta ſibi abſoluta donatione ad nihil tenetur quoad rem donatam, ſed poteſt de illa abſolutè diſponere, commodatarius verò facto ſibi commodato non poteſt de re commodata diſponere, niſi ad eum vſum, ad quem eſt conceſſa, eamque illæſam ſeruare commodanti; rurſus in contractibus oneroſis recipiens tenetur aliquid refundere, vel vt pretium, vel in compenſationem contractus; commodatarius verò quoad hoc nihil tenetur refundere.

Mediāt inter contractus oneroſos, & ſimplicem donationem.

Probatur ſecunda pars *ex §. item is cui inſtit. quib. mod. re contrah. oblig.*, vbi inter quatuor contractus nominatos, qui re contrahuntur, nominatur commodatum, item *ex l. iuris gentium in principio, & ibi Bartolus in 1. col. in fin. ff. de pactis*. Ibi. *quæ pariunt actionem in ſuo nomine non ſtant, ſed tranſeunt in proprium nomen contractus, vt emptio, venditio, locatio, conductio, ſocietas, commodatum &c.* Vlteriùs ratione ſic euincitur, quia commodatum habet proprium, & ſpecificum nomen, & contradiſtinctum a cæteris omnibus, & in ipſo ex proprio nomine conceduntur actiones commodati, non ſimplicitèr præſcriptis verbis, vt ſit in contractibus innominatis, ergo verè, & proprie eſt contractus nominatus.

Bartolus

Habet proprium, & ſpecificum nomen.

3 Aſſertio II. Commodatum eſt contractus bonæ fidei, non ſtricti iuris. *Mantica de tac. & Ambiguis lib 9. tit. 1. num. 5. Molina diſp. 297. num. 3. Ognate d. tract. 12. de commodato diſp. 43. ſect. 1. num. 21.*

Mantica. Molina. Ognate.

Probatur primò aſſertio *ex §. actionum Inſtit. de actionibus*, vbi inter actiones bonæ fidei potiſſimùm numeratur commodatum, vt legenti ſit manifeſtum, *& ex l. ſed mihi §. in hac actione ff. commodati*, vbi ſit comparatio actionis ex commodato cum cæteris actionibus bonæ fidei. Ibi. *In hac actione ſicuti in cæteris bonæ fidei iudicijs &c.*

Probatur ſecundò ratione. In ijs contractibus, in quibus Iudex habet facultatem ex bono, & æquo iudicandi, quod ſibi viſum fuerit, etiam ſi in conuentione id expreſſum non ſit, ſemper præſumitur pro bona fide *§. in bona fidei Inſtit. de actionibus*, ſed in commodato Iudex habet facultatem ex æquo, & bono iudicandi &c. *l. ſed mihi §. hæres eius ff. commodati*. Ibi *Quaſi hoc boni Iudicis arbitrio conueniat*. Rurius *in l. ſi vt certo loco ff. eod.*, vbi ſic legitur *Officio Iudicis ineſt, vt rationem loci, vel temporis habeat*, ergo præſumendum eſt pro contractu bonæ fidei.

Iudex habet facultatem ex bono, & æquo iudicandi.

Probatur tertiò, ſi dolus dederit cauſam huic contractui commodati eſt ipſo iure nullus, vt ſentiunt communitèr Doctores, ergo quia commodatum eſt contractus bonæ fidei, non ſtricti iuris. Conſequentia probatur, quia in iure ciuili, quandò dolus dedit cauſam contractui bonæ fidei contractus eſt ipſo iure nullus *Ioannes Andræas poſt gloſ. in cap. cum dilecti de empt., & vendit., & Gloſ. in l. 2. C. de reſcind. vendit., & Bartolus in l. elegantèr ff. de dolo*, ſecus verò quandò dedit cauſam contractui ſtricti iuris, quia tunc non eſt ipſo iure nullus, ſed venit reſcindendus exceptione *l. ſi dolo C. de reſcind. vendit. l. 3. §. vltimo ff. pro ſocio l. dolo, vel metu C. de inut. ſtipulatio. Panormitanus cap. cum dilecti num. 6. de empt., & vendit. Conradus de Contractibus in ſummario totius operis ad quæſt. 57. dicto 14. Couarruuias reg. poſſeſſor part. 2. §. 6. num. 6. Aluarus Valaſc. di iure emphyth. quæſt. 5. num. 9.*

In iure ciuili quādò dolus dedit cauſam contractui bonæ fidei eſt ipſo iure nullus.

Panorm. Cōradu. Coaruu. Valaſcus

Aſſertio III. Commodatum de iure communi eſt ex illis contractibus, qui non niſi re perficiuntur *Mantica lib. 9. de ambig. tit. 1. num. 5. Ognate tract. 12. de commodato diſp. 43. ſect. 1. num. 22.* 4

Mantica. Ognate.

Probatur primò *ex §. item is cui Inſtit. de actionibus*, vbi, cum ageretur de contractibus, qui re perficiuntur, enumeratur commodatum. Secundò ratione, quia ex ipſa nominis ethimologia commodatum dicitur quaſi vtentis commodatum, & conceſſum, quod importat dationem non præcisè conſenſum de dando, ergo non niſi per actualem dationem ipſe contractus perficitur. Conſequentia probatur ex *Bartolo l. iuris gentium num. 2. ff. de pactis* dicente conſiderandum eſſe nomen contractus, quod, ſi ſignificet rem ipſam, factumue externum, tunc non perficitur, niſi re ipſa, ſeù traditione ipſius, quod exemplificat in mutuo, ergo cum commodatum ex ipſa nominis ethimologia ſignificet rem datam vtentis commodo non debet intelligi perfectum, niſi ipſa traditione.

Ipſum nomen commodati ſignificat factū externum.

Pro-

Probatur tertiò *ex l. in commodato §. ſicut autem ff. commodari*, vbi ſic legitur *Cum autem id fecit, id eſt poſtquam commodauit tunc finem perſcribere, aut retro agere, atque intempeſtiuè vſum commodatæ rei auferre non officium tantum impedit, ſed & ſuſcepta eſt obligatio inter dantem, accipientemque*, ergo quandò nondum fecit, ſeù actu non commodauit, poteſt finem perſeribere, & nondum eſt ſuſcepta obligatio, ergo neque completus contractus, vndè merito docuit *Ognate d. tract. 12. de commodato diſp. 43. ſect. 1. num. 22.*, quod quandò quis per pactum nudum re nondum tradita commodauit poſſit de iure communi reſilire à contractu, quod certè non poſſet, ſi contractus ſolo conſenſu compleretur.

Ognate.

Dixi, *de iure communi*, nam, vt notat idem *Ognate loc. mox cit.* conformitèr ad *l. 2. tit. 16. lib. 5. recopil.* de iure municipali in Regno Caſtellæ commodatum etiam ſolo conſenſu firmatum obligat omni modo contrahentes.

PRÆNOTIO III.

De Cauſis Commodati.

SVMMARIVM.

Finis primarius contractus eſt vtile commodatarij 1.
Cauſa formalis intrinſeca non eſt ſimplicitèr conſenſus, ſed ipſa cum traditione rei 2.
Stipulatio, nec aliqua verba ſub certa forma, non eſt neceſſario forma extrinſeca commodati 3.
Cauſa efficiens actiua commodati ſunt omnes, qui poſſunt contrahere 4.
Religioſus ſimplex commodare non poteſt 5.
Nec pupilli, nec minores 6.
Nec vxor res viri ſui, niſi ex præſumpta ſaltem ipſius voluntate 7.
Cauſa efficiens commodati paſſiua ſunt illi omnes, qui poſſunt ex contractu obligari 8.
Poteſt fieri ijs, qui poſſunt obligari naturalitèr 9.
Qui ex commodato obligantur naturalitèr obligant alios ciuilitèr 10.
Pupilli, & minores obligantur, ſi fuerint in dolo, & ditiores 11.
Commodatarius ex vi commodati tenetur de culpa etiam leuiſſima, ſi commodatum fuerit ſolum in ipſius vtilitatem 5.
De leui, ſi in vtilitatem vtriuſque. Ibid.
De lata tantum, ſi in vtilitatem commodantis. Ibid.
Non tamen tenetur de caſu fortuito 6.
Excipiuntur multi caſus, ſecundum quos obligantur etiam de caſibus fortuitis 7.
Primo, ſi hoc fuerit deductum in pactum. Ibid.
Secundò, ſi caſus fortuitus inciderit poſt moram 8.
Niſi æquè caſus fortuitus obueniſſet, ſiuè res exiſteret penès commodatarium, ſiuè penès commodantem 9.
Item, ſi fuerit iuſta præſumptio, quod dominus non fuerit inuitus de illa mora 10.
Tertiò excipitur, ſi commodatarius rem adhibuerit in alio vſu ab illo, quo res fuit conceſſa 11.
Dantur actiones contrariæ commodatario aduerſus commodantem 12.
Enumerantur huiuſmodi actiones contrariæ, & ad quem finem dantur. Ibid.
Habet commodatarius actionem, ſi res nociua ſibi fuerit tradita 13.
Non tamen, ſi commodans fuerit ignorans ignorantia inuincibili 14.
Commodans in pari graui neceſſitate poteſt reuocare mandatum ante tempus 15.

CONſiderato commodato ſecundum ſuum eſſe, & ſecundum ſuas qualitates, ipſum modo conſideramus in ordine ad cauſas concurrentes ad ipſum conſtituendum. De cauſa materiali ſatis actum eſt *in Prænot. 1. verſ. explicatur definitio, & ſeqq.* vndè non eſt, cur in præſenti circà ipſam immoremur. Alias cauſas hic explicabimus, nempè finalem, efficientem, & formalem, & quidem in ordine ad finalem, quæ prima eſt ordine intentionis, cum duplex ſit finis, alter operantis, alter operis, inueſtigabimus præcipuè cauſam finalem operis, nam de fine operantis, cum dependeat ab intentione eiuſdem, nil certi poteſt innoteſcere. In ordine verò ad formalem, cum hæc etiam duplex eſſe poſſit, altera ſcilicet intrinſeca, & altera extrinſeca, vtramque breuiter diſcutiemus. In ordine verò ad efficientem præcipuus erit ſcopus præſentis prænotionis.

Duplex finis, alter operantis, alter operis.

Aſſertio I. Cauſa finalis primaria operis, ſeù quod idem eſt contractus commodati ſecundum ſe eſt commodum, & vtilitas commodatarij. Dixi *primaria, & ſecundum ſe*, non enim negauerim, poſſe eſſe alios fines ſecundarios, & minus principalitèr intentos, vt commodum etiam quandòque eiuſdem commodantis, vel etiam vtriuſque, vt clarè ex infrà dicendis liquebit, ſed huiuſmodi fines coincidunt cum fine operantis *Ognate d. tract. 12. diſp. 43. ſect. 2. num. 32.* 1

Finis operis eſt vtile cōmodatarij.

Ognate

Probatur primò, quia iuxtà prædicta ex ipſa nominis ethimologia commodatum eſt vtentis commodo datum, ergo ex primaria ſui inſtitutione ordinatur ad eiuſdem vtentis commodum, tanquam ad finem principalem. Conſequentia tenet, quià ille eſt finis principalis contractus, ad quem ſecundum ſe ordinatus eſt ipſe contra- 2

tra-

tractus, ergo, ſi ex primaria &c. ordinatur &c. erit &c.

Imitatur naturam donationis.

Probatur ſecundò, quià commodatum, quantumuis ſecundum omnem ſuam rationem non ſit propriè donum, ſeù donatio, cum tamen debeat eſſe gratuitum, & ſine vllo onere imitatur, & proximè accedit ad naturam eiuſdem donationis, ſeù beneficæ largitionis, ſed finis beneficæ largitionis, ſeù donationis eſt beneficium, ſeù commodum donatarij, ergo etiam finis principalis commodationis eſt commodum commodatarij.

2 Aſſertio II. Cauſa formalis intrinſeca commodati non eſt ſimplicitèr conſenſus quomodocunque expreſſus, ſed ipſe ſimul cum traditione, adeò vt ex vtroque compleatur.

Probatur, forma in fieri eſt actio, per quam obligatio producitur *l. obligationum 3. ff. de obligat.*, vbi ſic legitur *obligationum*, hoc eſt contractuum, *ſubſtantia non in hoc conſiſtit, vt aliquod corpus noſtrum faciat, ſed vt alium nobis obſtringat ad aliquod dandum &c.* ſed in commodato per ſolum conſenſum obligatio ciuilis in contrahentibus non producitur iuxta probata in præcedenti prænotione iuxta textum *in §. item is cui Inſtit. de actionibus, & ex Bartolo in l. iuris gentium num. 2. ff. de pact.*, ergo in commodato forma in fieri non eſt conſenſus quomodocunque præſtitus.

Per ſolum cōſenſum obligatio ciuilis nō ducitur. Bartolus.

Probatur ſecundò, quia contrahere eſt quoddam agere morale, vt colligitur *ex l. contrahere ff. de verb. ſignif.*, ſed agere ſignificat actionem de formali, quæ non conſiſtit in præciſo conſenſu, ergo contrahere in contractibus, qui exigunt actionem non conſiſtit in ſolo conſenſu. Confirmatur, quià illa eſt cauſa formalis intrinſeca, qua poſita ponitur effectus, & qua non poſita effectus non ſequitur iuxta illud Phyloſophicum affatum, quod forma ſit quidquid eſt eſſe rei, ſed poſito ſolo conſenſu non ponuntur actiones, & effectus commodati, & poſito conſenſu ſimul cum traditione oriuntur actiones, obligationes, & effectus eiuſdem commodati iuxta textum *in l. in commodato §. ſicut autem ff. commodati*, ergo cauſa formalis intrinſeca non eſt ſolus conſenſus, ſed conſenſus ſimul cum traditione

Contrahere eſt quoddam morale agere.

3 Aſſertio III. Cauſa formalis extrinſeca neceſſaria non eſt ſtipulatio, nec aliqua verba ſub certa forma concepta, ſed quæcunque expreſſio extrinſeca, ſeù extrinſecùs manifeſtata indicans animum transferentis *Ognate d. tract. 12. de commodato diſp. 43. ſect. 2. num. 44.*

Ognate.

Probatur, quia in contractibus nominatis, & præcipue bonæ fidei ſtipulatio, & concepta verba ſpeciali aliquo modo non requiruntur ex neceſſitate ad validitatem, quinimmò ipſo vſu abolita ſunt, quinimmò poteſt celebrari inter abſentes per nuntios, ſeù per Epiſtolas, ſed ex ſuperius dictis commodatum eſt contractus nominatus, & bonæ fidei, ergo ad ipſum non eſt neceſſaria ſtipulatio, nec aliqua determinata verborum forma.

Stipulatio in contractibus nominatis abolita eſt.

4 Aſſertio IV. Cauſa efficiens actiua commodati ſunt omnes illi, qui poſſunt contrahere *Silueſter verb. commodatum 2. nu. 2. Gregorius Lopez in l. 1. tit. 2. part. 5. Armilla verb. commodatum num. 3. Tabiena eod. verb. num. 7. Filliutius tract. 34. cap. 8. quæſt. 2. nu. 176. Vueſembech. tit. de commodato nu. 3.* aduerſus Ognate *d. tract. 12. de commodato diſp. 43. ſect. 2. num. 34.*, qui aſſerit, quod ſi vera eſſet aſſertio poſſent pupilli, & minores Tutorem, ſeù Curatorem habentes ſine eorum auctoritate commodare, quod falſum ſupponit.

Silueſter. Lopez. Armilla. Tabiena. Filiutius. Ognate.

Probatur primò *arg. l. Iulianus §. antepenul. ff. de act. empt.* Secundo ratione hoc pacto, quia quibus non adempta eſt facultas contrahendi in alijs generibus a fortiori non videtur adempta in genere contrahendi per commodatum, quinimmò plerique, qui negant filios familias, & ſeruos poſſe contrahere, concedunt poſſe commodare *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 3. in princip.*, ergo ijs omnibus, quibus competit facultas contrahendi, competit etiam facultas commodandi. Dixi, *à fortiori*, quia per commodatum non transfertur nec dominium, nec vſusfructus, ſicuti regularitèr fit in alijs; maior autem poteſtas videtur requiri ad transferendum dominium, vel vſufructum, quam ad vſum ſimplicem, prout fit in commodato.

Fortior ratio pro commodare, ac pro alijs contractibus.

Dices, argumentum militare in contractibus oneroſis, in quibus vterque contrahens obligatur, non ſic in contractibus gratuitis, qui imitantur naturam donationis in quibus requiritur plena poteſtas, & libertas, cuiuſmodi eſt commodatum, adeòque in ijs non ſufficit poſſe contrahere, ſed requiritur poſſe donare, cæteroqui, vt inferebat Ognate ſupra, etiam pupilli, & minores habentes curatorem poſſent ſine illorum auctoritate commodare, quia poſſunt contrahere, quod non eſt dicendum. Sed contra, quia etiam in commodato conſurgit vltrò, citroque obligatio per ſuperius dicta, perinde, ac etiam in mutuo, quod debet eſſe gratuitum, & tamen ad mutuum ſufficit poſſe contrahere, quia eſt onus in mutuatario illud reſtituendi; cum igitur etiam in commodatario ſit onus reſtituendi commodatum, non eſt, cur, ſi poſſit contrahere, non poſſit etiam commodare. Deindè Ognate debebat ſibi conſcius eſſe eorum, quæ docuit *tom. 1. tract. 2. diſp. 4. ſect. 3.* nempè pupillum non poſſe vllos

Ratio Ognate, eiuſque impugnatio ex profeſſo.

con-

contractus validè celebrare ſine auctoritate tutoris, quod, ſi celebret, ſunt nulli contractus. Quomodò igitur nunc conſequentèr aſſerit, quod ſi ſufficeret ad validè commodandum poſſe contrahere, poſſent pupilli ſine auctoritare tutoris, ſeù curatoris commodare? Si enim loco mox citato ingenuè fatetur pupillos ſine auctoritate tutoris non poſſe contrahere, quomodò nunc infert, quod, ſi poteſtas commodandi conſiſtit in poteſtate contrahendi, poſſent pupilli ſine auctoritate tutoris commodare? Ex conſequentia, quam hic deducit, cogitur affirmare id, quod antecedenter negauit.

Argumētū ad hominē aduerſus ipſum.

5 Ex ijs, quæ in hac aſſertione dicta ſunt, facilè erit colligere primò Religioſum ſimplicem commodare non poſſe, quia ratione voti ſolemnitèr emiſſi ſe rebus omnibus abdicauit, & voluntatem ſuam in illam ſuperioris tranſtulit *c. Religioſus de teſtam. in 6. & cap. Religioſi de ſepult. in 6. cap. quorundam de elect. in 6., & cap. non dicatis 12. quaſt. 1.*

Religioſus nequit commodare.

6 Secundo commodare non poſſe pupillos, & minores, & quidem propter eam rationem, quià nequeunt contrahere *l. Iulianus ff. de contrahenda empt., & vend.,* & *in l. 1. §. impuberes ff. commodati* expreſsè dicitur, *Impuberes commodati actione non tenentur, quoniam, nec conſiſtit commodatum in pupilli perſona ſine tutoris auturitate*, vndè non lubens poſſum acquieſcere *Azorio Inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 3.* qui *verſ. praterea* ingenuè fatetur pupillos, & minores non poſſe commodare, quia non poſſunt contrahere, cum antecedentèr dixerit *in eod. cap. 3. in princip.* poſſe vnumquemque commodare ſiuè ſui, ſiuè alieni iuris ſit, vt ſeruus, & filius familias; ſi enim pupillus, & minor defectu adminiſtrationis præciſè, quià non poſſunt contrahere, non poſſunt commodare, vt pleno ore fatetur, quomodò poterunt validè commodare ſeruus, & filius familias, qua tales formalitèr ſunt, cum nec adminiſtrationem habeant, nec dominium, nec vſumfructum? Deindè, ſi furioſus, vt ipſe *Azorius* fatetur *verſ. furioſus item* non poteſt commodare, ergo non poterit commodare ſeruus, & filius familias, quandòquidem his æquè interdicta eſt adminiſtratio, quinimmo furioſus videtur habere potius ius, cum ipſe gaudeat dominio, & vſufructu rerum ſuarum.

Nec pupilli, nec minores.

Azorius parū ſibi conſtans in ſuis dictis.

7 Tertiò, vxorem non poſſe commodare res viri ſui, niſi ex præſumpta eiuſdem viri annuentis voluntare; vndè, ſi commodauerit inſcio, & inuito marito; & res commodata per ipſam perierit, tenetur eam compenſare in dote *l. ſi conſtante §. ſi uxor ff. ſolut. matrim.*, & maritus ipſe poteſt immediatè eandem rem, ſi non perierit, etiam ſi tempus non pertranſierit, ad quod per vxorem res illa data eſt reuocare *Menoch. lib. 2. de arbitr. Iud. c. 15.*, quod ſignum eſt, quod commodatum per vxorem factum in bonis viri non ſubſiſtit, cæteroqui deberet ad tempus, pro quo conceſſum eſt, perdurare.

Poteſt Maritus reuocare cōmodatū.

Menoch.

Hic tamen pro clariori notitia eorum, quæ dicta ſunt, & ad multas difficultates, quæ in hoc genere oriri poſſunt, diſſoluendas, notandum eſt, quod quamuis diximus, poſſe quemcunque commodare, qui poteſt contrahere, non tamen ad commodandum requiratur pleniſſimum ius, ſicuti requiritur in pleriſque alijs contractibus, puta in emptione, & venditione, in mutuo, in cenſibus, emphytheuſi, alijſque, in quibus in contrahente, ſeù conſtituente actiuè non ſolum requiritur ius quoad vſumfructum, ſed etiam quoad proprietatem; nam, cum commodatum conſiſtat ſolummodò in conceſſione vſus, poteſt etiam fieri per habentem in tali re ſolum vſumfructum, ſeù ſeruitutem, vt docent *Bartolus, Baldus, Salicetus, & alij in l. 1. ff. commodati, Hoſtienſis in ſumma tit. de commodato Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 3. in principio.* Sed, an in hac hypotheſi, ſi res per vſufructuarium, ſeù habentem ſeruitutem in re commodata conceſſa, perierit intelligatur perijſſe eidem vſufructuario, an verò proprietario; ſermo erit infra in diſquiſitionibus

Poteſt cōmodare, qui ſolum habet vſumfructum.

Bartolus. Baldus. Salicetus. Hoſtienſ. Azorius.

8 Aſſertio V. Cauſa efficiens commodati paſſiua ſunt omnes illi, qui poſſunt ex contractu obligari. *Silueſter verbo commodatum num. 2. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 3. in fine, Molina d. diſp. 294. verſ. ſi pupillo, Ognate d. tract. 12. diſp. 43. ſect. 2. nu. 35.*

Silueſter. Azorius. Molina. Ognate.

Aſſertio adeo clara eſt, vt non indigeat probatione; ſi etenim ex contractu poteſt quis obligari, ergo etiam commodato, quod eſt contractus, qui vtpotè gratuitus inducit minorem obligationem, quam in cæteris omnibus oneroſis.

Solum hic nonnulla dubia remanent diſcutienda, & primò, an ſolum poſſit fieri commodatum illis, qui ex contractu poſſunt obligari ciuilitèr, an etiam ijs, qui ſolùm naturalitèr. Secundò, an illi, qui ſolùm poſſunt obligari naturalitèr obligent verſus ſe ipſos commodantes ciuilitèr. Tertiò, an illi, qui ex commodato obligantur ſolum naturalitèr aliqua actione teneantur verſus commodantem, & quanam, & ad quodnam.

Nonnulla dubia excitata.

9 Ad primum aſſerendum eſt, commodatum fieri poſſe ijs, qui obligantur, ſeù obligari poſſunt naturalitèr *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 3. in fin. Ognate d. tract. 12. de commodato ſect. 2. nu. 35. Molina diſp. 294. verſ. ſi pupillo, Silueſter verb. commodatum num. 2. Tabiena eod. verb. num. 7.* Colligitur expreſsè *ex Bartolo, & alijs in l. 1.*

Fieri poteſt ijs, qui obligantur naturalitèr.

Azorius. Ognate. Molina.

Silueſter. Tabiena, Bartolus.

l.1.& 2. ff. commodati, vbi dicitur commodari poſſe cuicunque etiam ſeruo, impuberi, furioſo &c. Nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem ex alibi dictis etiam minores, & pupilli poſſunt ſine auctoritate tutorum, ſeù curatorum contrahere in ijs, quæ cedunt in propriam vtilitatem, quæcunque ſibi proficua ſunt; ſed etiam ex ſuperiùs dictis commodatum regularitèr eſt in commodam, & vtilitatem vtentis, ſeù commodatarij, ergo &c.

10 Ad ſecundum dicendum eſt, qui ex vi commodati obligantur tantum naturalitèr obligant alios, qui ipſis commodant, ciuilitèr. Hoc aſſerit expreſsè in ordine ad

Molina. Ognate. Mantica.

pupillos, minores, prodigos &c. *Molina d. diſp. 294. Ognate dict. ſect. 2. num. 35. Mantica lib. 9. de tacitis tit. 1. num. 5. verſ. 2. deducitur*. Colligitur hoc dictum *ex l. Iulianus §. antepenul. ff. de act. empt.*, *& item inſtit. de auctoritate tuto.* Ibi *Placuit pupillum meliorem quidem conditionem ſuam facere poſſe, deteriorem non poſſe aliter, quam cum tutoris auctoritate*. Item *ex §. pupillus Inſtit. de inutil. ſtipul.* Idem habetur *in l. contra iura ff. de pactis, & ibi Gloſa, Gregorius Lopez l. 17. tit. 16. part. 6. Antonius Gomez, 2. var. cap. 14. num. 1. Sarmientus de redit. Eccl. part. 1. cap. 2. num. 16. Molina tom. 1. de inſt. diſp. 224. Fillintius tract. 33. cap. 3. num. 41.*, & conſentiunt omnes ſere iuriſtæ *in l. fin. §. pupil. ff. de minoribus, & l. non eo minus C. de Procurat.*, & ratio ea eſt, quià in fauorem minorum, & pupillorum per iura introductum eſt, vt contractus cum ipſis initi claudicent; quod autem in vnius fauorem introductum eſt non poteſt in eius detrimentum cedere, vndè meritò habetur *in d. l. non eo minus C. de procurat.*, quod minoribus ætas indemnis ſubuenit, nec in proſperè geſtis obeſſe in aliquo conſueuit.

Gloſa. Gregor. Lopez. Gomez. Sarmiét. Molina. Filliut.

11 Ad tertium dicendum eſt, quod quantumuis minores, ſeù pupilli regularitèr non obligentur, ſi tamen fuerint commodatarij, obligentur verſus commodantes in duplici caſu, primò ſcilicet, ſi doloſè egerint, ſecundò, ſi facti fuerint locupletiores *l. 1. §. vltimo, & l. 2. & 3. ff. commodati iuncta l. 1. §. an in pupillum ff. depoſiti*, & quoad obligationem ex dolo expreſsè aſſerit *Molina d. diſp. 294. verſ. ſi pupillo Gloſa in d. l. 1. ff. commodati*. Hic tamen ſuboritur difficultas, quam excitat *Bartolus in d. l. 1. ff. commodati*, an hæc limitatio quoad duplicem illum caſum de dolo, & ſi pupillus, vel minor factus fuerit ex commodato locupletior, intelligenda ſit ſimplicitèr quoad pupillum, ſeù minorem quomodocunque acceptum, an verò quoad pupillum proximum puberitati, qui ſcilicet naturalitèr poteſt obligari. Exiſtimo cum eodem Bartolo intelligi de pupillo, qui naturalitèr obligatur iuxtà textum *in l. 1. §. an in pupillum ff. depoſiti*, quandò enim ex defectu naturalis obligationis in pupillo, ſeù minore commodatum ab initio non ſubſiſtit non tenet poſteà iuxta textum *in l. 1. § impuberes ff. commodati.* Quomodò autem intelligendum ſit ly factus locupletior poſitiuè ne, an negatiuè? diſſidium eſt apud Doctores. Exiſtimo tamen ſufficere, quod factus ſit locupletior negatiuè, hoc eſt, quod non ſit factus pauperior; ſi enim adhuc remanet res commodata apud pupillum iure conuenitur, ipſamque reſtituendo non efficitur pauperior *l. ſed mihi §. vlt. ff. commodati Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 3. verſic. prætereà, Silueſter verb. commodatum num. 2.*

Obligentur pupilli, & minores ex dolo, & ſi facti fuerint ditiores. Molina. Gloſa. Bartolus

Sufficit, quod factus fuerit locupletior negatiuè.

Azorius. Silueſter.

PRÆNOTIO IV.

De Actionibus tàm actiuis, quàm paſſiuis, & effectibus commodati.

SVMMARIVM.

Dantur ex vi commodati actiones directa commodanti contrà commodatarium, & hæredi eiuſdem aduerſus hæredes commodatarij 1.

Enumerantur cauſa, ex quibus conceduntur huiuſmodi actiones. Ibid.

Obligatur commodatarius actione directa verſus commodantem, ſi moram præſtiterit in reddendo 2.

Poſt moram ex quocunque caſu tenetur de interitu rei 3.

Poſt moram actio extenditur ad quantum intereſt 4.

Commodatarius ex vi commodati, ſi hoc fuerit in vtilitatem ſolummodò commodatarij, tenetur non ſolum de culpa lata, leui, ſed etiam leuiſſima 5.

Si fuerit in vtilitatem ſolius commodantis ſolum de dolo, & culpa lata. Ibid.

Si in commodum vtriuſque tenetur de culpa leui. Ibid.

Ex natura ſua commodatarius, quantumuis rem acceperit ſolummodò in commodum proprium, non tenetur de caſu fortuito 6.

Excipe tamen, niſi in celebratione contractus fuerit in pactum deductus caſus fortuitus 7.

Item, niſi caſus fortuitus contingeret poſtquam commodatarius eſſet in mora 8.

Si ex caſu fortuito æquè res peritura fuiſſet penès commodantem, tunc commodatarius non teneretur verſus commodantem 9.

Si iuſta, & rationabilis fuerit præſumptio, quod commodator non ſit inuitus de illa detentione, non teneretur commodatarius ad reſtituendam æſtimationem rei deperdita ex caſu fortuito 10.

Excipe item, niſi commodatarius vſus fuerit re commodata ad alium vſum à ſibi conceſſe à commodante 11.

Ex vi contractus commodati dantur ex aduerſo actiones contraria commodatario aduerſus commodantem, & ad quid 12.

Competit commodatario actio contraria, vt ſibi tradatur res vtilis ad eum vſum, ad quem fuit requiſita, & non noxia 13.

Commodans non tenetur hac actione verſus commodatarium, ſi tradiderit rem inutilem, & vitioſam ex ignorantia, niſi fuerit craſſa 14.

Exiſtente in pari neceſſitate rei commodata commodante, & commodatario commodans poteſt reuocare commodatum 15.

Si commodatarius pro tempore, vel expreſſo, vel tacito non vſus fuerit re ſibi commodata poteſt commodans eo elapſo ipſam reuocare 16.

Commodatorio competit actio ad expenſas extraordinarias per ſe ipſum factas in re commodata 17.

Commodatarius habet aduerſus commodantem actionem contrariam vtilem, ſi rem arripuerit ante tempus, non tamen furtiuam 18.

Tradita per commodantem commodatario re æſtimata, & arrepta per eundem commodantem à commodatario huic competit actio eiuſdem rei vendicatiua, quandoque conditio ſine cauſa 19.

Contrà commodatarium repugnantem rem receptam reſtituere vltrà allegatas eiuſdem actiones datur interdicta poſſeſſoria, & vlteriùs contrà magis contumacem, & pulſatum actione directa in iuditio vſque ad definitiuam ſententiam actio punitiua in duplum 20.

SVb hoc vno, eodemque titulo plura comprehendam, quæ Doctores paſsim ſub pluribus capitibus diſperſerunt, & quidem quoad actiones actiuas duplex communitèr per Doctores pro commodato aſſignatur, altera, quæ dicitur directa, altera contraria. Prima eſt, quæ competit commodanti aduerſus commodatarium, contraria verò, quæ datur commodatario aduerſus commodantem. Hic igitur erit primò inquirere, ad quodnam ſint actiones directę commodantis in commodatarium, & ex qua cauſa. Secundò, ex quanam culpa oriatur ius actionis commodantis in eundem commodatarium. Tertiò, quænam ſint actiones contrariæ aduerſus commodantem, & ex quanam cauſa. Quartò ad quid teneatur commodans, ſi ſurripiat rem commodatam à commodatario. Quintò, an in commodato detur actio indebiti, & qromodò. Sextò, de aliquibus alijs obligationibus, exceptionibus &c.

Rationes omnes examinanda ſub hoc titulo.

Aſſertio I. Dantur ex vi commodati actiones directæ commodanti contra commodatarium, & etiam hæredi eiuſdem commodantis contra hæredes commodatarij in quatuor præcipuè caſibus, & propterea ex quatuor cauſis, nempè primò, ſi cautè non cuſtodierit rem commodatam, Secundò, ſi in alios vſus a ſibi per commodantem conceſſo adhibuerit. Tertiò, ſi moram præſtiterit in reddendo tempore conuento. Quartò, ſi non remiſerit per fidelem nuntium. Hæc ex vi contractus præcisè, non negando tamen ex alijs cauſis huiuſmodi actionem dari poſſe ex ſpecialibus contrahentium pactis, & conuentionibus. *Azorius instit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 5. per totum, Ognate dict. tract. 12. de commodato disp. 43. sect. 3., & num. 51. seqq. Hoſtienſis in ſumma num. 5. & 6. Mantica lib. 9. tit. 3. num. 2.* 1

Ex quibus cauſis detur actiones commodanti aduerſus commodatarium.

Azorius. Ognate. Hoſtienſis. Mantica.

Probatur primò, quod detur actio directa commodanti aduerſus commodatarium *ex l. in commodato §. contraria ff. commodati, & ex l. in rebus §. fin. ff. de iure dotium*; nec incongrua ſanè ratione, quia quantumuis commodatum ſit contractus gratuitus, in quantum non obligat commodatarium ad compenſationem pro ipſo commodati contractu, non eſt tamen gratuitus, quatenus non obliget ipſum commodatarium ad ſeruandam, & reſtituendum rem indemnem, & illæſam, ne commodans detrimentum patiatur, in quo beneficè agit verſus commodatarium. Hæc omnia colliguntur *ex l. ſed mihi videtur §. ſi reddita, & l. ſi vt certo §. vſque adeo, & ex l. eum qui rem §. ſi rem inſpectori, & ex l. ſi is, qui commodatum, & ex l. in rebus commodatis ff. commodati.*

Obligatur commodatarius ad ſeruandā indemnē rem commodatā.

Probatur ſecundò, quod detur actio directa hæredibus commodantis aduerſus hæredes commodatarij *ex l. ſed mihi videtur §. hæres eius ff. commodati, & ex l. in commodato §. ſi ex facto ff. eod. tit.*, nec incongrua ſanè ratione, quia hæredes repræſentant perſonam ſuorum principalium quoad omnia realia, & ſuccedunt in iuribus, & oneribus realibus eorundem, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo hæredes commodantis creditoris poſſunt agere aduerſus hæredes commodatarij debitoris.

Hæredes repræſentant perſonam illorum, quorum ſunt hæredes.

Probatur tertiò quoad actionem, ſi commodatarius cautè non cuſtodierit rem ſibi commodatam *ex l. ſi vt certo §. quod verò in ſenectute ff. commodati* -Ibi- *cuſtodiam planè commodata rei etiam diligentem debet præſtare*, & ratio eſt, quia ex quo commodator contulit rem ſuam alteri, & regularitèr in ipſius commodum, ipſius fidei cuſtodiendam commiſit, ergo diligentiam congruam adhibere debet, ne pereat, & deterioretur, cæteroqui ex culpa tenebitur,

Ni cuſtodierit ſibi contractū mutarit.

Ognate.

aliàs, vt bene notat *Ognate d. tract. 12. diſp. 43. ſect. 4. num. 65.*, fides contractuum maximè nutaret, & res alienæ rarò admodum reuerterentur ad ſuos.

Non poteſt adhibere in alios vſus.

Probatur quartò quoad actionem, ſi commodatarius in alios vſus rem commodatam adhibuerit à ſibi conceſſo, ex *l. ſi vt certo 5. §. nunc videndum ff. commodati*, & *ex ead. l. ſi vt certo §. denique ff. eod.*, vnde iure merito dicitur, quod commodatarius in ea hypotheſi vltra reſtitutionem rei commodatæ teneatur duplici actione, altera reſtitutoria illius æſtimationis vſus, altera punitiua furti *l. cum qui §. ſi rem ff. commodati l. in rebus §. ſiuè autem ff. eodem*, *& l. qui iumenta ff. de furtis*, atque ita ſentiunt communitèr Doctores *Mantica lib. 9. de tacitis tit. 3. num. 4. Azotus in ſumma tit. de commodato num. 22. Hoſtienſis ibid. num. 8. Silueſter verb. commodatum num. 8. Coarnuias 3. lib. var. cap. 15. num. 8. Armilla verbo commodatum num. 10. Baldus in l. ſi vt certo §. denique ff. commodati num. 1.*, cuius diſpoſitionis ratio ea eſſe poteſt, quià contractatio rei alienæ inuito ſiuè realitèr, ſiuè rationabilitèr præſumptiuè Domino eſt ſpecies furti, ſicque ſic vtens tenetur actione furtiua non ſolum quoad rem in ſubſtantia, qua taliter vſus eſt, ſed etiam quoad æſtimationem talis vſus, cum & vſus ipſe ſit furtiuus.

Mantica. Azotus. Hoſtienſis. Silueſter. Coaruu. Armilla. Baldus.

Niſi præſumeret de voluntate Domini.

Limita tamèn hanc partem aſſertionis in hypotheſi, qua commodatarius rationabilitèr præſumeret Dominum non futurum inuitum de tali alio vſu, prout rectè notant *Azotus C. de commodato num. 1. Silueſter verb. commodatum nu. 8. Molina diſp. 257.*, & expreſsè colligitur *ex l. qui re ff. de furtis*; non enim propriè furtum eſt, quandò res contractatur domino conſentiente, vel rationabilitèr non inuito.

Azotus. Silueſter. Molina.

Item, niſi res eſſet leuis momenti, & vſus non nociuus.

Limita ſecundò in hypotheſi, qua res commodata eſſet leuis momenti, & vſus eiuſdem non grauitèr noxius commodanti, & per quem res ipſa non deterioraretur, tùm propter præſumptionem, quod Dominus non ſit rationabilitèr inuitus, tum propter paritatem depoſitarij, qui, ſi vtatur re penès ſe depoſita ſine præiuditio deponentis, quantumuis ſine expreſſa voluntate eiuſdem non tenetur actione furtiua, nec cogitur pretium vſus, ſeù valorem illius deponenti referre.

Vtens ad alios vſus tenetur ad valorẽ vſus.

Amplia tamèn eandem partem aſſertionis, ſcilicet commodatarium contractantem rem commodantis in alios vſus à ſibi per eundem conceſſo ſine expreſſa, vel rationabilitèr præſumpta voluntate Domini teneri ad reſtitutionem valoris talis vſus non ſolum in foro exteriori, ſed etiam in foro interno animæ, vt benè notant *Hoſtienſis in ſumma nu. 8. Molina diſp. 296. num. 6. Vueſemb. ff. commodati num. 10. Ognate d. tract. 12. diſp. 43. ſect. 6. num. 88.* Ratio eſſe poteſt, quia æquitas naturalis exigit, vt ſicuti pro re commodata datur actio eiuſdem rei vendicatiua, ita pro vſu non conceſſo, ſed vſurpato detur actio, quæ dicitur condictio ex commodato.

Hoſtienſis. Molina. Vueſemb. Ognate.

Vſurpatio vſus eſt ſecũdũ ſe furtiua.

Amplia ſecundò, quod quantum eſt ex ſe commodatarius teneatur reſtituere valorem talis vſus non conceſſi, ſed vſurpati, quantumuis non fuerit requiſitus à commodante, dummodò tamen ex tali non requiſitione non arguatur ceſſio facta per eundem commodantem commodatario. Ratio autem ea eſt, quià vſurpatio illius vſus eſt ſecundum ſe furtiua; ex furto autem debetur compenſatio quantumuis non fuerit exigita, dummodò non fuerit ceſſa *Ognate d. tract. 12. diſp. 43. ſect. 6. num. 88.*

Probatur quintò quoad actionem, ſi moram præſtiterit in reddendo commodatum 2
tempore conuento *ex cap. vltimo de locato*, *l. magnam C. de contrahenda ſtipul.*, *& l. 2. C. de iur. Emphyt.* nam dies ſtatuta pro domino, & creditore interpellat, quod idem habetur *in l. in commodato §. ſicut ff. commodati*, *& l. ſed mihi §. hæres eius ff. eod. l. de reſtituendis C. de commodato*, *& l. ſi vt certo ff. commodati*, & vtique hæc actio competit commodanti quantumuis non interpellauerit, quià dies ipſa interpellat *l. cum res ff. de legat. 1.*, *& cap. vlt. extrà de locat.*, *& l. magnam C. de contrah. ſtipul.*

Obligatur commodatarius ſi moram præſtiterit in reddendo commodatum.

Sed ad quid ſit hæc actio, meta eſt præ- 3
ſentis difficultatis, & primò dicendum eſt, quod ſi poſt moram res commodata interierit, vel deterior facta fuerit, teneatur commodatarius ex quocunque caſu illam reparare *l. cum res ff. de legat. 1.*, *& cap. vnic. extrà de loc. §. item is Inſtit. quib. mod. re contra. oblig.*, *& l. ſi vt certo §. nunc videndum verſ. quod verum ff. commodati*, *& l. 15. verò ff. de act.*, *& oblig.* Ratio eſt, quià commodatarius iniuſtè detinet rem alienam; ex iniuſta autem detentione obligatur ad quidquid ex tali detentione ſequitur, cum in caſu talis culpabilis moræ teneatur etiam de caſu fortuito, de quo non tenebatur ante moram *l. cum res ff. de leg. 1. Gregorius Lopez l. 3. tit. 2. part. 5. Bartolus in l. quod te mihi ff. ſi cert. per.*, *& in l. nemo rem ſuam ff. de verb. oblig.*

Si poſt moram res interierit ex quocunque caſu commodatarius tenetur.

Gregor. Lopez. Bartolus.

Dicendum eſt ſecundò, quod poſt mo- 4
ram actio commodantis extendatur non ſolum ad rem commodatam repetendam, ſed etiam ad id, quod intereſt eidem commodanti, quod tempore conuẽto res commodata non fuerit reſtituta *l. ſi in commodato §. ſicut ff. commodati l. non abs re C. vnde vi l. conductores C. de locat.*, & ratio eſt, quia ex illa iniuſta, & culpabili rei commodatæ detentione fuit commodatarius in cauſa

Mora eſt ſecũdũ ſe culpabilis, & cõſiſtit in iniuſtã detentionem.

eorum omnium, quæ ex tali detentione ſecuta ſunt, puta damni emergentis, ſeù lucri ceſſantis, ergo non ſolum obligabitur ad rei commodatæ reſtitutionem, ſed etiam ad compenſationem eorum omnium, quæ inde in damnum commodantis ſecuta ſunt.

Obligatur, ſi non remiſerit per fidelẽ nuntium. Lopez. Baldus. Bartolus.

Probatur ſextò quoad actionem, ſi non remiſerit per fidelem nuntium *ex l. eum qui* 10. *§. fin. ff. commodati*, *& ex l. ſeq.*, *& l. argentum num.* 1. *ff. eodem titulo* hocque late ſuſtinent *Gregorius Lopez l.* 4. *tit.* 2. *part.* 5. *Baldus in l. argentum num.* 1. *ff. commodati Bartolus in l. eum qui §. fin. ff. eod. tit.* *Azotus in ſumma C. commodati num.* 18. Ratio eſt, quia in eligendo non idoneum delatorem conſtituitur in culpa quoad fidelem cuſtodiam, quam commodatarius ſeruare tenebatur ex vi commodati, ergo ex vi talis culpæ tenebitur &c.

Ex ſpecialibus pactis poteſt etiam commodatarius obligari.

Dixi in aſſertione, *ex vi contractus præcisè, non negando tamen in alijs caſibus huiuſmodi actiones dari poſſe ex ſpecialibus contrahentium pactis*; nam ſi v. g. conuenerint inter ſe contrahentes, vt commodatarius teneatur certo loco, & tempore ad reſtituendam rem commodatam, certum eſt commodanti competere actionem, vt pro tali loco, vel tempore reſtituatur, nam in contractibus per pacta contrahentes ſibi legem conſtituunt, quæ vtique adamuſſim ſeruanda eſt. Hoc expreſsè colligitur ex textu *in l. ſi ut certo in principio ff. commodati*, quod idem dic in alijs pactis, quæ non aduerſentur naturæ contractus ob paritatem rationis.

5 Aſſertio II. Commodatarius ex vi commodati, ſi hoc fuerit in vtilitatem ſolummodò eiuſdem commodatarij tenetur, non ſolum de culpa lata, leui, ſed etiam de leuiſſima, ſi verò fuerit in commodum vtriuſque tenetur ſolummodò de leui, ſi verò in vtilitatem ſolius commodantis ſolum de dolo, & culpa lata. Ita quoad primam partem *Gregorius Lopez in l.* 2. *tit.* 2. *part.* 5. *Abbas in cap. vlt. de commodato col.* 3. *Bartolus in l. quod nerua col.* 5. *ad fin. ff. de poſ. Gloſa in cap.* 1. *extra de commodato num.* 8. *Tuſchus verb. commodatum concl.* 481. *num.* 1., *& ſeqq.* *Silueſter verb. commodatum quæſt.* 8. *Nauarrus cap.* 17. *num.* 183., *& alij communiter*. Quoad ſecundam *Gregorius Lopez in l.* 2. *tit.* 2. *part.* 5. *Azotus in ſumma de commodato nu.* 16. *uerſ. tenetur. Nauarrus cap.* 17. *num.* 183. *Silueſter verb. commodatum quæſt.* 8. *Antonius Gomez* 2. *uar. cap.* 7. *num.* 3. *in fin.* Quoad tertiam *Hoſtienſis in ſumma de commodato num.* 8. *§. tenetur*. *Azotus in ſumma C. de commodato num.* 16. *Mantica lib.* 9. *de tacit. tit.* 4 *num.* 10. *Gregorius Lopez tit.* 2. *l.* 2. *part.* 5. *Gomez* 2. *uariar. cap.* 7. *num.* 3. *in fin.*

Lopez. Abbas. Bartolus. Gloſa. Tuſchus. Silueſter. Nauarrus. Azotus. Gomez. Hoſtienſis. Mantica.

Iura conſentiunt intentum.

Probatur aſſertio primò in vniuerſum *ex l. ſi ut certo §. nunc uidendum eſt ff. commodati, & ex §. is cui Inſtit. quib. mod. re contra. oblig., & ex l. contractus ff. de reg. iuriſ.* quæ omnia expreſsè euincunt intentum aſſertionis quoad omnes ipſius partes.

Probatur ſecundò, quandò commodatum eſt in fauorem ſolius commodatarij, nam æquum omninò eſt, vt qui in propriam vtilitatem ab alio beneficium recipit omnibus ſuis viribus, & conatibus rem ſibi collatam ſuo Domino ſeruet, eamque ſolertiori diligentia cuſtodiat, ac cuſtodiat, ſeù cuſtodire ſoleat res proprias, ergo ea diligentia non cuſtodiendo, ſuis in partibus deficit, adeòque ex eo defectu tenebitur verſus ſuum benefactorem.

Non tenetur, ſi ex vſu deterioretur.

Hic tamèn aduertendum eſt, quod ſi commodatarius in eo vſu, ad quem res conceſſa eſt quodamodò rem ipſam deteriorem reddat, quia ex tali vſu neceſſario ſequatur deterioratio, vt quià res commodatæ ex natura ſua vſu atteruntur, non teneatur ad aliquam compenſationem, niſi ex ſua culpa ſecuta fuerit maior deterioratio, quam illa, quæ regularitèr ſequitur ex tali vſu. Colligitur expreſsè *ex l. eum qui ff. commodati*, vbi ſic legitur *Eum, qui rem commodatam accepit, ſi in eam rem uſus eſt, in quam accepit, nihil præſtare, ſi eam in nulla parte ſua culpa deteriorem fecit, uerum eſt, nam ſi culpa deteriorem fecit, tenebitur*. Ratio primæ partis eſt, quia ex eo, quod ad talem vſum commodator conceſſerit, in quo potuit præuidere neceſſario ſecuturam deteriorationem, præſumitur ſpontè ceſſiſſe iuri ſuo quoad talem deteriorationem. Ratio autem ſecundæ partis deducitur ex eo, quod ex mox dictis commodatarius teneatur ex quauis culpa quantumuis leuiſſima erga ſuum benefactorem, ergo, ſi ſua culpa in aliquo deteriorem, fecit, tenebitur.

Ratio cur teneatur de leui, quãdo eſt in commodũ vtriuſque.

Probatur tertiò quoad commadatum, quandò eſt in fauorem vtriuſque, quia in re cedente ad vtriuſque commodum quis non tenetur adhibere maiorem diligentiam ea, quam regularitèr ſolent alij adhibere in rebus proprijs per ea, quæ diximus ſupra *hoc eodem tom. ſub tit. Contractus VII. de Societate Prænot. IV. num.* 3. *uerſ. probatur iam aſſertio* iuxta textum *in l. ſi ut certo ff. pro ſocio §. nunc uidendum, & l. contractus* 23. *ff. de reg. iuris*, ergo non tenebitur ad exactiſſimam diligentiam, & propterea non obligabitur de leuiſſima culpa, ſed tantum ad eam &c. adeòque ſolummodò de leui.

Probatur quartò quoad commodatum, quandò eſt in fauorem ſolius commodantis, quia cum commodatarius nullam inde hauriat vtilitatem, non habet aliquod ius,

a quo

à quo grauetur ad maiorem diligentiam adhibendam, ac adhibere ſolent ſolertes, & diligentes, non ſolertiores, & diligentiores, ergo non tenebitur, niſi de culpa lata, quæ excludit talem diligentiam. Confirmatur, quià ratione gratitudinis ob beneficium ſibi præſtitum tenetur ad quid magis, quandò beneficium cedit in ſolam ſui vtilitatem, & etiam ad quid magis etiam ratione eiuſdem gratitudinis, quandò eſt in commodum proprium, & commodantis ſimul, ac quandò eſt in fauorem ſolius commodantis, ſed quandò eſt in fauorem ſolummodò proprium tenetur de leuiſſima, quandò eſt in fauorem vtriuſque de leui, ergo quandò eſt in fauorem commodantis tenebitur ſolummodò de lata, vt ſeruetur proportio diligentiæ ad commodum.

In hoc ſeruatur cōgrua proportio.

6 Aſſertio III. Ex natura ſua commodatarius, quantumuis rem acceperit ſolummodò in commodum proprium, non tenetur de caſu fortuito. *Gregorius in l. 2. tit. 2. part. 5. Bartolus in l. 1. C. commodati, & in l. vt certo ff. eod. §. nunc uidendum Azotus C. de locat. num. 16. Baldus conſ. 198. non venit caſus fortuitus lib. 4. Nauarrus in ſumma cap. 17. num. 179. Maſcardus concl. 317. in fin. verb. commodatum, Tuſchus verb. commodatum concl. 481. num. 1.*

Bartolus. Azotus. Baldus. Nauarrus. Maſcard. Tuſchus.

Probatur primò ex varijs textibus tùm iuris canonici, tùm ciuilis, & primò *ex cap. vnico de commodato*, Secundò *ex §. item is verſ. vt is inſtit. quib. mod. re contrah. oblig.* Tertiò *ex l. ſi vt certò §. nunc videndum ff. commodati*. Quartò *ex l. in rebus in princip. ff. eod.* Quintò *ex l. 1. §. is verò ff. de act., & oblig.* Sextò *ex l. 1. C. commodati*.

Probatur ſecundò ratione, quià vitare caſus fortuitos non eſt in poteſtate commodatarij, ergo ex illis nullatenus tenetur verſus commodantem. Conſequentia tenet, quia non eſt aſſignabilis titulus, ratione cuius teneatur, non ratione rei, quæ vel perijſſe ſupponitur ex caſu fortuito, vel deteriorata, in quo ſenſu ſecundum partem, vel ſecundum ſaltem valorem partialem etiam perijt, non ratione iniuſtæ detentionis, vel amiſſionis rei, eo quià non ſupponitur in culpa, cum caſus fortuitus non imputetur culpæ detinentis. Antecedens probatur, quia caſus fortuiti illi ſunt, quibus hominis prouidentia non poteſt reſiſtere *l. 2. §. ſi eo tempore ff. de admi. re. ad ciui. pert., & l. quæ fortuitis C. de pignor. act., & cap. cum Ioannes de homic. Alexander in l. ſed, & ſi quis §. quæſitum, ſi quis cau.*

Caſus fortuitus nō eſt in poteſtate vtentis.

Alexander.

7 Dixi, *ex natura ſua ſcilicet contractus*; in multis etenim caſibus ſecundum diuerſas contingentias, & pactiones a tali communi regula dantur exceptiones, & primò, ſi in celebratione contractus deductus etiam fuerit in pactum caſus fortuitus, vt colligitur *ex cap. vnico de commodato, & l. 1. C. eod. tit.*, nec iuſtitiæ aduerſatur tale pactum, quandòquidem commodator ex ſimplici liberalitate, & beneficentia commodat, & poteſt nolle commodare, niſi ſuppoſita illa conditione; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, etiam mutuum eſſe gratuitum beneficium, nec tamen mutuans poteſt ſine labe vſuræ adijcere mutuatario aliquam obligationem per pactum, quæ ſit ſuprà naturam eiuſdem contractus, nam quamuis mutuatarius videatur aſſentiri illi conditioni non aſſentitur ſimplicitèr voluntariè, ſed inuoluntariè mixtè, ergo etiam quantumuis commodatum ſit ex gratuita concedentis voluntate, ſeù beneficentia, non poterit tamen ſine labe iniuſtitiæ hic obligare commodatarium ad aſumendam illam obligationem, cum hæc importat grauamen ſuprà quod exigit natura contractus; Non, inquiam, obeſſe poteſt, quià in mutuo, quantumuis non apponatur illud grauamen expreſsè mutuatario eſt eidem ex natura contractus adiectum, ſiquidem ex eo, quod in eundem mutuatarium transferatur dominium rei mutuatæ transfertur in ipſum quodcunque periculum ex quocunque caſu, ſiquidem res ſemper perit Domino. Difficultas igitur potior eſt in commodato, in quo dominium remanet penès commodantem, cui propterea commodatum ex natura ſua perire debet, vndè, ſi adijciatur pactū, quod, ſi res ex caſu inopinato pereat, ipſi pereat, adijcitur eidem grauamen, quod vtique eſt ſuprà naturam contractus; nihilominus adhuc abſolutè ſentiendum eſt, poſſe eundem commodatarium per tale pactum obligari, nam commodans poteſt velle eſſe quomodocunque tutus de re commodata, nec commodatarius poteſt dici abſolutè grauari, nam non obligatur, niſi ad reſtituendum id, quod accepit gratuitò, neque ex hoc commodans haurit aliquam vtilitatem ſuprà id, quod erogauit, vndè non eſt damnandus iniuſtitiæ, ſicuti eſset damnandus, ſi reciperet aliquod ſuprà rem datam; quod ſi dicatur, quod illam obligationem non aſſumat, niſi inuoluntariè mixtè, vt dicebatur ſuprà de mutuo, reſpondendum eſt, quod inuoluntarius irrationabilitèr eſset, nam ab eodem non exigitur aliquid, quod iuſtè non poſſit exigere commodans, cum tantum exigat rem ſuam illæſam ex contractu, quem inire non tenetur; ex quo patet diſcrimen, quod intercedit in mutuo, quādò mutuans exigit aliquid à mutuatario ſupra mutuum, & commodato, quandò exigitur tantum res commodata illæſa; in illo etenim mutuatarius eſt rationabilitèr inuoluntarius, quià mutuans exigit aliquid

Excipe, ſi fuerit caſus fortuitus deductus in pactum.

Diſparitas à mutuo, & de cōmodato.

Non recipit inuoluntariè mixtè ſicut in mutuo, & quare.

ſupra

ſupra mutuum, ſeù ſupra ſortem, quam non poteſt exigere, cum per illud faceret meliorem ſuam conditionem; in iſto verò commodatarius non poteſt eſſe rationabilitèr inuitus, quia commodans non exigit, niſi rem ſuam, nec ex illo pacto fieret melior eius conditio.

8 Secundo excipitur à tali communi regula caſus fortuitus, quandò hic contingeret, poſtquam commodatarius eſſet in mora reſtituendi rem commodatam. Colligitur *ex cap. vnico de commodato, & ex §. item is verſ., at is inſtit. quib. mod. re contrah. oblig., & ex l. ſi vt certo §. nunc videndum verſ quod vero, & ex l. in rebus in princip. ff. commodati, & ex l. 1. §. is verò ff. de act., & oblig.* Ratio autem huius exceptionis ea eſt, quia ex quo eſt in mora reſtituendi, eſt in culpa, cum iniuſtè detineat rem alienam pro tempore, pro quo ei non eſt conceſſa ad vſum, ergo ſi pro illo tempore pereat, vel deterioretur, ex culpa imputabitur eidem commodatario, qui proptereà tenebitur &c.

Qui eſt in mora eſt in culpa.

Hic duplex inſurgit difficultas. Prima eſt, an, quantumuis commodatarius fuerit in mora reſtituendi, ſi nihilominus res peritura fuiſſet apud Dominum æquè, ac penès ipſum commodatarium, adhuc ex caſu fortuito intelligatur perire ipſi commodatario, an verò commodanti. Secunda eſt, an, ſi commodatarius iuſtè, & rationabilitèr arbitratus fuerit dominum rei illius contentum eſſe illa detentione poſt tempus conuentum, adhuc poſt illud, ſi inopinatè pereat, intelligantur eidem commodatario periſſe.

9 Ad primam exiſtimo, in ea hypotheſi commodatarium non teneri verſus commodantem, adeòque, ſi tunc res illa pereat, perire ipſi commodanti *Angelus verb. commodatum num. 14. Silueſter eodem quaſt. 9. Coaruuias reg. peccatum part. 2. §. 6. num. 1. Ioannes Medina de reſt. quaſt. 6.* Ratio eſt, quia ad id tantum commodatarius tenetur, ad quod fuit cauſa per illam moram, ſeù detentionem iniuſtam rei commodatæ, ſed per illam moram non fuit cauſa interitus rei, ſiquidem res illa æquè perijſſet, ſi fuiſſet Domino reſtituta, ergo &c. neque arbitreris teneri ex eo, quod fuerit moroſus, & iniuſtus detentor; non, inquam, arbitraris, quia non quæcunque culpa eſt radix reſtitutionis, ſed ea dumtaxat, quæ eſt cauſa læſionis, & violat iuſtitiam commutatiuam, qualis non eſt hæc, de qua loquimur, cum nullum ex eo ſequatur detrimentum ipſi commodanti, qua ratione docent communitèr Theologi, quod, ſi ex furto, ſeù iniuſta detentione rei furtiuæ nullum ſequatur damnum Domino, non teneatur fur pro illa iniuſta detentione aliquid eidem Domino compenſare, ſed dumtaxat ad reſtituendam rem furtiuam. Ad magis hoc confirmandum multum facit id, quod adducit *Silueſter verb. locatio quaſt. 17. in fine* de nauta reponente contra voluntatem Domini merces eiuſdem in alia naui, cum hic vellet eas remanere in naui propria eiuſdem nautæ, in qua hypotheſi certè nauta iniuſtè contrectat merces illius Domini, & peccat, non tamen, ſi illæ merces ex naufragio pereant in illa naui, in qua fuerunt repoſitæ, tenetur ad compenſationem, ſi æquè fuiſſent perituræ in ſua, cum etiam propria nauis perierit iuxta textum *in l. fin. §. 1. ff. ad leg. Rhod. de iact.* cuius ratio ea eſt, quia licet fuerit in culpa merces illas infidelitèr contrectando, non tamen per illam infidelem contrectationem fuit cauſa illius iacturæ, cum æquè hæc eueniſſet, ſi fidelitèr contrectaſſet; neque in hoc audienda eſt *Gloſa in cap. vnico de commodato*, quæ aſſerit poſt moram rem perire commodatario, etiam ſi apud commodantem res fuiſſet eodem modo peritura, ad quod probandum adducit textum *in l. cum res §. vltim. ff. de leg. 1., & in auth. de depoſ., & denun. inquilinorum 1. reſp. ad fin. col. 6.* non, inquam, audienda eſt, quia nulli rationabili innititur fundamento, nec iura allegata ad rem præſentem aliquid euincunt, nam *in d. l. cum res* ſolum innuitur, quod ſi res poſt moram caſu fortuito perierit, perierit detinenti, ibi enim erat ſermo de fundo legato tertiæ perſonæ, & ſic dicitur, quod ſi per hæredem non conferatur tempore debito legatario, & interim pereat, teneatur hæres æſtimationem eidem legatario conferre, rationemque adducit textus, quià *potuit legatarius eum acceptum vendere*, ex quo iure rectè deducitur, quod per illam detentionem hæres fuerit cauſa, quod legatarius non vendiderit, & per conſequens non perceperit æſtimationem eiuſdem rei, quod non militat in caſu noſtro, in quo ſupponitur res æquè peritura ſiuè apud commodantem, ſiuè apud commodatarium. Idem dic quoad alium textum.

Angelus. Silueſter. Coaruu. Medina.

Non poteſt dici, quod tunc commodatarius fuerit cauſa interitus.

Silueſter.

Gloſa oppoſitio, eiuſque reiectio.

Ad ſecundam dicendum eſt, quod ſi fuerit rationabilis, & iuſta præſumptio in commodatario, quod commodator non ſit inuitus de illa detentione, ſeù mora, non teneatur ad reſtituendam æſtimationem rei deperditæ, ſeù deterioratæ, ſi ex caſu fortuito exiſtente mora res illa fuerit deperdita, ſeù deteriorata. *Molina diſp. 295. verſic. obſeruandum etiam eſt.* Ratio autem ea eſt, quia commodatarius per illam detentionem non conſtituitur culpabilis, & non reſtituendo non facit contra domini voluntatem, nec caſus fortuitus eſt ipſi imputabilis per ſuperius dicta. Verum tamen eſt, quod ad eximendum eundem commodatarium ab onere reſtituendi æſtimationem 10

Molina.

Excipe item caſum, quo rationabilitèr nō præſumeretur dominus inuitus.

nem rei deperditæ, ſeù deterioratæ poſt moram in foro externo requiratur in eodem foro, quod implicitè ſaltem, & virtualitèr, ſi non expreſsè, & formalitèr appareat, quod commodator non ſit inuitus. Quod ſi poſteà conſtaret commodantem non fuiſſe contentum, & commodatarium fuiſſe deceptum in illa præſumpta voluntate Domini, tunc quamuis ratione bonæ fidei non peccaſſet detinendo, ſi tamen talis detentio fuiſſet cauſa illius interitus, ſeù deteriorationis, vtique teneretur ad reparationem, cum commodator ex illa detentione contrà propriam voluntatem fuerit læſus.

11 Tertiò excipitur à tali communi regula caſus, quo commodatarius vſus fuiſſet re commodata ad alium vſum, ad quem non fuit per commodantem conceſſa, & in tali vſu ex caſu fortuito fuerit res deperdita, vel deteriorata *Azotus in ſumma de commodato num. 17. Baldus conſ. 289. num. 4. Filliutius tract. 34. cap. 8. num. 186. Molina diſp. 295. verſ. illud prætereà.* Colligitur expreſsè *ex cap. vnico de commodato*, quinimmò tunc datur commodanti furti actio aduerſus ipſum *l. qui iumenta ff. de furtis §. furtum eſt, & §. furtum autem fit inſtit. de obligationibus, quæ ex delict.* Exciperem tamen commodatarium ab actione furti in hypotheſi, qua rationabilitèr crederet commodantem non eſſe inuitum de tali vſu, prout notat *Coaruuias 3. var. reſol. cap. 15. num. 8.*, quià in hac ſuppoſitione non eſſet culpabilis, cum non contrectaret rem alienam inuito Domino, ſed ipſo ſaltem præſumptiuè conſentiente, ſicque talis præſumptio ipſum eximeret a nota, & pæna furti.

Niſi fuerit vſus modo non conceſſo,
Azotus.
Baldus.
Filliutius
Molina.
Coaruu.

12 Aſſertio IV. Ex vi contractus commodati dantur ex aduerſo actiones contrariæ commodatario aduerſus commodantem, non tamen, vt ſibi res commodata per commodantem tradatur ad eum vſum, ad quem fuit promiſſa, ſed primò, vt tradatur res vtilis ad eum vſum, ad quem fuit requiſita, & non nociua. Secundò, vt non repetatur à commodante vſque ad terminum, vel expreſsè, vel implicitè conceſſum. Tertiò ad exigendas expenſas extraordinarias a commodante, quas ipſe commodatarius fecit in re commodata. Eſt communis tùm apud Theologos, tùm apud iuris interpretes.

Enumerātur actiones cōtrariæ, & fines, ob quem dātur.

Ratio primæ partis, quod ſcilicet dentur commodatario ex vi commodati actiones contrariæ aduerſus commodantem ex eo facile colligitur, quod commodatum eſt propriè, & rigoroſè contractus, & vtique nominatus per ea, quæ ſuperius dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus IX. Prænot. 11. aſſert. 1.* iuxtà textum *in cap. vnico de commodato, & l. in commodato §. ſicut ff. commodati*, ergo eſt vltrò, citròque obligatorium *l. labeo 2. ff. de verb. ſignif.* Quod ſi dicatur contractus gratuitus; hoc eſt, quia commodatarius ex vi eiuſdem non obligatur ad aliquid retribuendum pro contractu, tanquam pretium vſus rei commodatæ, non quià non obligetur ad aliquas actiones verſus commodantem, eumque ad alias ſibi non obliget per ea, quæ loc. cit. dicta ſunt.

Arguitur ex eo, quod ſit contractus, & nominatus.

Ratio ſecundæ partis, quod ſcilicet eidem non detur actio, vt res ſibi commodata tradatur, colligitur primo ex ijs, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod. tit. Contractus IX. Prænot. 2. aſſert. 3.*, vbi dictum eſt, commodatum de iure communi eſſe ex illis contractibus, qui ſolo conſenſu non perficiuntur, ſed dumtaxat actuali traditione iuxtà *textum in §. item is cui Inſtit. de action.* ex contractibus autem nondum in ſuo eſſe completis non conceditur aliqua actio ciuilis; vndè non video, quomodò conſequentèr loquatur Ognate, dum hic *tract. 12. diſp 43. ſect. 7. num. 114. verſ. prima, ergo ordine* aſſerit, quod commodatario competat actio, vt commodans rem promiſſam ſibi tradat ad vſum conceſſum, cum antecedenter docuerit *ſect. 1. num. 22.* poſſe commodantem re nondum tradita de iure communi a contractu reſilire. Certè ex contractu nondum completo in ſuo eſſe ſubſtantiali nulla oritur actio, & ſi poteſt reſilire, quomodò per contrariam actionem poteſt obligari? Quod ſi aſſerat *Ognate d. ſect. 7. num. 174. verſ. prima, ergo origine*, quod hæc actio; quæ dici poteſt eſſentialis oriatur ex ipſo pacto primæuo, in quo hic contractus conſiſtit ſuppoſita acceptatione commodatarij, manifeſtè ſibi contradicit, cum hic contractus in ſolo conſenſu non conſiſtat per ipſum, ſed in traditione ſuppoſito iuſto, & legitimo conſenſu per ea, quæ ex eodem loc. cit. ſuprà allegauimus.

Ex contractibus in ſuo eſſe non completis non conceditur actio ciuilis.
Ognate

Ratio tertiæ partis, quod ſcilicet eidem competat actio, vt ſibi tradatur res vtilis ad vſum, ad quem fuit requiſita, & non nociua colligitur *ex l. in rebus §. item qui ff. commodati*, vbi ſic legitur; *item qui ſciens vaſa vitioſa commodauit, ſi infuſum ibi vinum, vel oleum, corruptum, effuſumve eſt, condemnandus eo nomine eſt, & ex l. in commodato §. ſicut autem ff. commodati*, vbi etiam dicitur, aut etiam vitioſa commodaſti, ibique redditur ratio; *adiuuari nos quippe, non decipi beneficio oportet*, quod idem repetitur *in c. 1. de commodato* ibi *cum non decipi beneficio nos oporteat, ſed iuuari.* Hæc iura euincunt quoad rem vitioſam ſcientèr per commodantem irrogatam, in quo caſu actio eſt ad omnia damna inde ſecuta, prout colligitur *ex l. ſi ſeruus 22. ff. commodati, & tot. tit. ff. de damnis datis.* Hocque tenent *Hoſtienſis in ſumma de commoda-* 13

Hoſtienſis.

Azorus. Mantica. Silueſter.

modato num.8. Azorius eod. tit num.25. Mantica lib 6. de tacit. tit. 5. num. 11. Silueſter verb. commodatum num.6. qui omnes exemplificant, vel in vaſis vitioſis, vel in ſeruo fure, & maligno, vel in naui corrupta &c. Quoad rem verò inutilem ex eo euincitur, quod ex culpa commodantis commodatarius non potuit aſſequi finem, ad quem commodatum exegit, & accepit, & ſicuti commodans ante tempus, vel expreſsè, vel tacite conuentum non poteſt reuocare cōmodatum, quia vſus ad quem datum eſt non poſſet aſſequi, & per conſequens actione obligatur commodans, ita commodans, ſi rem commodet ad talem vſum, ad quem exigitur non accommodum vtique tali actione tenetur *l. in commodato §. ſicut, & l. penult. ff. commodati*. Hæc autem actio eſt ad omne intereſſe, & lucrum ceſſans, prout rectè notarunt *Molina diſp.294. verſ. hic antequam dubium, Ognate tract.12. diſp.43. ſect.7. num.121.*

Molina. Ognate.

14 Hic oritur ratio dubitandi, an ſi commodans tradat ignorantèr rem inutilem, & vitioſam obligetur ad huiuſmodi actiones. Reſpondendum eſt, quod ſi ignorantia non fuerit craſſa, & inuincibilis nullatenus teneatur *Molina dicta diſp.294. loc. cit.* Ratio deducitur primo ex præallegatis iuribus, quæ cum loquantur de ſcientia non firmant regulam quoad ignorantem. Secundò, quia ignorans non eſt in cauſa talis lucri ceſſantis, nec tenebatur præuidere, vndè ex beneficio collato non debet ſine culpa damnum reportare.

Ignorans non eſt in cauſa lucro ceſſantis.

Molina.

Ratio quartæ partis, quod ſcilicet eidem competat actio ne commodatum ante tempus, vel tacitum repetatur, colligitur *ex ead. l. in commodato §. ſicut ff. commodati, & ex cap. vnico de commodato*, & ratio ex *ead. l. in commodato* deducitur, quia licet voluntatis, & officij ſit magis, quam neceſſitatis commodare, poſtquam autem commodatum factum eſt, intempeſtiuè vſum non auferre non eſt officij, ſed ſuſceptæ obligationis inter dantem, & accipientem, & ſicuti donatio antequam fiat eſt effectus liberalitatis, obligat tamen donantem poſtquam facta eſt, ita proportione ſeruata &c. Confirmari poteſt ex ijs, quæ ſupra dicta ſunt, nempè ex commodato commodatarium debere iuuari, non decipi; læderetur autem, ſi ante tempus beneficium commodati reuocaretur.

Commodatum licet ante factum ſit voluntatis, ex poſt facto eſt neceſſitatis.

Hic multiplex oritur difficultas, & primò, an exiſtente in pari neceſſitate rei commodatæ commodante, ac commodatario, poſſit per commodantem res reuocari, ſeù repeti ante tempus conuentum, ſeù vſum expletum. Procedit difficultas in ſuppoſitione, quod æqualis, vel maior neceſſitas superueniat commodanti ex caſu inopinato poſt præſtitum commodatum; ſi enim antecedentèr, ſeù præſciè præuiderit illum caſum, & nihilominus ſine reſeruatione commodauerit præſumitur volens ſe obligaſſe non ſolum ad commodandum, ſed etiam ad ſubeundum illud incommodum in gratiam commodatarij. Quo ſuppoſito duplicem inuenio circa propoſitum ſententiam extremè oppoſitam. Altera eſt *Angeli verb. commodatum num.4. Silueſtri eod. verb. quæſt.4. diſp.294. Mantica lib.9. de tacit. tit.2. nu.12.* aſſerens per commodantem poſſe reuocari, quæ ijs innititur fundamentis; primò, quia commodans ſaltem implicitè commodaſſe præſumitur ad illud tempus, illumque vſum ſub ea conditione, ni ſibi ſuperueniat ex inopinato caſu, vel maior, vel ſaltem æqualis neceſſitas; non enim probabile eſt, quod voluerit commodare cum tanto ſui incommodo, & ex rationabili præſumptione, ſi talem futuram neceſſitatem cognouiſſet, non commodaſſet. Secundò, quia ſi quis domum alteri locauerit, & poſtea eidem neceſſitas ſuperuenerit in eadem habitandi poteſt locationem iuſtè reuocare non obſtante detrimento, quod inde obuenire poteſt conductori iuxta textum *in l. ædem ff. locati*, ergo etiam &c. Tertiò, quia in multis caſibus donationes reuocantur puta per ſuperuenientiam filiorum per caſum magnæ neceſſitatis inopinatæ reſpectu donantis, vt teſtantur *Molina d. diſp.294. verſ. tertio quoniam, Ognate d. tract.12. diſp.43. ſect.7. num.128.*, ergo a fortiori in ſimilibus caſibus poſſunt reuocari per commodantem commodata. Dixi, *à fortiori* nam in commodato non trasfertur rei commodatæ dominium, nec vſusfructus, ſicuti fit in donatione. Altera eſt *Nauarri in manuali cap.17. num.282., & aliorum* abſolutè negans poſſe in ea etiam hypotheſi reuocari, quæ multis etiam innititur rationibus, & primò, quia in contractibus nominatis ijs completis non datur amplius locus pænitentiæ per ea, quæ docuimus *tom.1. ſub tit. Contractus I. de contractibus, vt ſic Prænotio 4.*, vnde bene concluditur in terminis præciſè commodati *in d. l. in commodato §. ſicut autem ff. commodati*, quod *poſtquam commodauit tunc finem præſcribere, & retroagere, atque intempeſtiuè vſum commodatæ rei auferre non officium tantum impedit, ſed ſuſcepta eſt obligatio inter dantem, & accipientem, & ideo inuicem propoſitæ ſunt actiones, vt appareat, quod in principio beneficij, & nudæ voluntatis fuerat conuerti in mutuas præſtationes, actioneſque ciuiles*, ergo &c. Secundò, quia mutare non poteſt quis conſilium in alterius detrimentum *reg. mutare de reg. iuris in ſexto*, ergo poſtquam commodauit non poterit ex quocunque caſu

Si commodanti præuidens neceſſitatem propriam non poteſt ante tempus repetere.

Angelus. Silueſter. Mantica.

Prima opinio aſſeres poſſe reuocari.

Rationes ipſã conuincentes.

Molina. Ognate.

Secunda ſententia negãs poſſe reuocari.

Rationes ipſã conuincentes.

caſu reuocare. Tertiò, quia in iure ſtatutum eſt, vt, quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poſſit, &, quod in alicuius gratiam inſtitutum eſt, non poſſit in illius detrimentum retorqueri iuxta *reg. 61. de reg. iur. in 6.* Quid igitur concludendum?
15 Priori opinioni adhæreo, vtpotè habenti potiora iura, & æquitati naturali magis conformia. Rationes pro eadem adductæ optimè euincunt intentum; vndè ad oppoſita ex aduerſa ſententia hac vnica reſponſione occurro aſſerens, præſumi ſemper commodantem beneficium præſtitiſſe ſub tacita conditione, ni maior, vel æqualis neceſſitas ſibi ſuperuenerit; ex quo ſequitur, quod ſuperueniente tali neceſſitate non mutet conſilium, eidemque non diſpliceat, quod ſemel placuit, neque refundat in alterius pernitiem, quod in eius fauorem præſtitit, nam præſumitur in alterius gratiam præſtitiſſe ſub ea conditione, ni ſibi præiuditium inferat, & non alitèr.

Præfertur prima ſententia affirmans.

16 Secunda difficultas eſt, an, ſi commodatarius pro tempore, vel expreſſo, vel tacito non vſus fuerit re ſibi commodata, poſſit commodans eo elapſo rem illam reuocare non obſtante non vſu. Sentiendum eſt validè commodantem poſſe repetere *Bartolus in l. in commodato §. ſicut num. 6., & ibi Doctores communitèr Ognate d. tract. 12. diſp. 43. ſect. 6. num. 93.* Ratio eſt, quia commodatarius non habet ius vtendi re commodata, niſi ad præſcriptum, & normam commodantis, cui, ſicuti liberum eſt commodare, vel non commodare quoad ſubſtantiam, ità etiam liberum eſt commodare quoad modum, ita vt commodatum non ſubſiſtat, niſi quoad modum præſcriptum; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum res illa commodata fuerit ad finem vſus, non videatur repeti poſſe non poſito vſu, maximè, ſi ex legitimo impedimento per commodatarium vſus non fuerit poſitus; non, inquam, obeſſe poteſt, quià non commodata fuit ad vſum quomodocunque, ſed ad vſum pro tali determinato tempore, quo propterea elapſo &c. Dicere deindè, quod fuerit legitimè impeditus a non vſu, non facit ad rem, quia impedimentum commodatarij non poteſt ad quid magis obligare commodantem, ac ad illud, ad quod ſpontè per conſenſum ſe obligauit, & ratio eſt, quia contractus non ſubſiſtit, niſi durante conſenſu iam præſtito eiuſdem commodantis, nec impedimentum poteſt protrahere, ſeù prorogare talem conſenſum.

Bartolus. Ognate.

Non obſtante non vſu poteſt cōmodans rem poſt termini reuocare.

Res commodata fuit ad vſum non quomodocunque, ſed pro determinato tempore.

17 Ratio quintæ partis, quod ſcilicet eidem competat actio ad expenſas extraordinarias per ſe ipſum factas in re commodata colligitur primò *ex l. in rebus §. poſſunt ff. commodati, & ex l. ſi ſeruus, & ibi Doctores communitèr ff. eod.* Aduerte tamen, huiuſmodi impenſas intelligi de extraordinarijs, quæ neceſſariæ ſunt ad cuſtodiam, & conſeruationem rei commodatæ, non de ijs, quæ fiunt ex libertate commodatarij, aut ad maiorem vtilitatem eiuſdem percipiendam ex re commodata, & ratio eſt, quia commodans non tenetur ad eas expenſas, quas cōmodatarius facit ex ſuo arbitrio, & ad ſui vtilitatem; ratio autem, cur commodans teneatur ad compenſationem earum expenſarum extraordinariarum, quas facit commodatarius ex neceſſitate ad conſeruationem rei commodatæ, ea eſt, quia ad eum pertinent expenſæ extraordinariæ neceſſariæ, ad quem ſpectat dominium eiuſdem rei, ſed dominium pertinet ad commodantem, ergo &c. Maior probatur, quia ex eo, quod dominus rem ſuam alteri commodauerit, tranſtulit quidem in commodatarium onus expenſarum ordinariarum, quæ ſunt neceſſariæ ad vſum rei, vt, ſi commodauit equum ad vſum alterius, in eundem tranſtulit onus ipſum alendi pro tempore, quo debet vti, non autem expenſarum extraordinariarum, quę potiùs reſpiciunt ſubſtantiam rei, quam vſum, vt ſi equus ægrotauerit, quod in ſimilibus colligitur *ex d. l. in rebus §. poſſunt ff. commodati*, vbi ſic legitur *Poſſunt iuſtæ cauſæ interuenire, ex quibus cum eo, qui commodaſſet, agi deberet, veluti de impenſis in valetudinem ſerui factis, quæue poſt fugam requirendi, reducendi ve eius cauſa facta eſſent, nam cibariorum impenſa naturali etiam ratione ad eum pertinent, qui vtendum accepiſſet. Sed id, quod de impenſis valetudinis, & fugæ diximus ad maiores impenſas pertinere debet, modica enim impendia verius eſt, vt, ſicuti cibariorum, ad eundem pertineant.* Hæc omnia, quæ in hac parte aſſertionis diximus ſuſtinent *Mantica lib. 9. de tacit. tit. 2. num. 6. Molina diſp. 297. num. 7. Siluester verb. commodatum num. 3.*, & eſt communis Theologorum, & Iuriſtarum conſenſus.

Intellige de extraordinarijs neceſſarijs

Expenſæ extraordinariæ neceſſariæ ad eum pertinet, ad quem pertinet dominiū rei.

Mantica. Molina. Siluester

Aſſertio V. Si commodans ante aduentum temporis præfiniti arripuerit a commodatario rem commodatam, habet quidem aduerſum ſe actionem contrariam vtilem, & ad conferendam iterum eandem rem, & ad intereſſe, & damna, quæ inde commodatarius paſſus eſt, nó tamen actionem furtiuam. *Molina diſp. 294. verſ. in commodato preſſè, Hoſtienſis in ſumma de commodato num. 8. Siluester verb. commodatum num. 8. Ognate tract. 12. diſp. 43. ſect. 7. num. 124.* quamuis hic quodamodò diſſentiat quoad vltimam partem aſſerens commodatario competere actionem furtiuam verſus commodantem, non tamèn infamem, & rigoroſam, ſed tantùm punitiuam. 18

Molina. Hoſtienſis. Silueſter. Ognate.

Ius euincens antedictum propoſitum.

Probatur primò in vniuerſum *ex l. rem mihi in princip. ff. commodati*, vbi ſic legitur. *Rem mihi commodaſti, eandem ſurripuiſti, deindè, cum commodati ageretur, nec à te ſcirem eſſe ſurreptam, Iudex me condemnauit, & ſolui, poſteà comperi à te rem eſſe ſurreptam, quæſitum eſt, quæ mihi tecum actio ſit? Reſpondi, furti quidem non eſſe, ſed commodati contrarium iudicium vtile mihi fore?*

Probatur ſecundò in particulari quoad actionem ad rem reſtituendam, & ad intereſſe, & damna, quia commodans non poteſt intempeſtiuè rem commodatam repetere per ea, quæ ſupra dicta ſunt *ex l. in commodato §. ſicut autem ff. commodati*, ergo, ſi repetat, poterit contra ipſum actio intentari non ſolum ad eandem repetendam, ſed etiam ad quantum intereſt commodatario, quod non fuerit reuocata, ſeù ſurrepta per eundem commodantem. Conſequentia probatur, quià ius, quod obligat commodantem ad reſtituendam commodatario rem ſurreptam, obligat etiam ad compenſandum id, quod ex tali ſurreptione, ſeù intempeſtiua reuocatione ortum eſt damni, ſeù intereſſe, & lucri ceſſantis ipſi commodatario, ſiquidem per talem reuocationem fuit cauſa iniuſta talium damnorum, ſeù intereſſe, ergo &c.

Commodans non poteſt intempeſtiuè rem cōmodatā reuocare.

Probatur tertiò quoad negationem actionis furtiuæ primò *ex d. l. rem mihi commodaſti ff. commodati*. Secundò ratione, quia commodans ſurripiendo à commodatario rem commodatam non contrectat rem alienam inuito Domino, cum ipſe habeat plenum dominium in tali re, ergo propriè in ipſum non poteſt dari actio furtiua.

Non contrectat rē alienam, ſed propriam.

Dices, ipſe vſus eſt propriè materia furti, qui, poſtquam translatus eſt in commodatarium, non eſt amplius pro illo tempore, pro quo res eſt conceſſa, ſub poteſtate commodantis, ergo, ſi illum commodans ſurripiat, propriè furtum committet. Antecedens probatur, quia, ſi commodatarius re commodata vtatur ad alium vſum, ad quem nō eſt conceſſa, propriè dicitur committere furtum, & in eum datur actio furtiua iuxta textum *in l. eum qui §. ſi rem ff. commodati l. in rebus §. ſinè autem ff. eod.*, & *l. qui iumenta ff. de furtis*, ergo, quia talis vſus propriè eſt materia furti, ergo, ſi hic fuerit commodatarij per conceſſionem ipſi factam, & per commodantem auferatur, per ipſum committetur furtum, adeòque contra ipſum dabitur actio furtiua. Sed contra, quia licet re vera vſus poſſit eſſe materia furti, quandò res contrectatur à non Domino, & contrà voluntatem proprij Domini, non videtur tamen eſſe materia furti, quandò contrectatur à proprio Domino, licet ſit materia iniuſtitiæ; ratio etenim ſuperior dominij, & vſusfructus, quæ remanet penès commodantem excuſat à ratione furti, quia fur non eſt, qui contrectat rem propriam, licet ſit iniuſtus, quia contrectat contra conceſſionem per ſe liberè factam. Ad id, quod ſubditur, patet ex ſe reſponſio, nam commodatarius in alium vſum à ſibi conceſſo per commodantem adhibens rem commodatam, eam contrectat, vt alienam inuito Domino, quià non habet eam, vt ſuam, ſed ſolum ad talem vſum determinatum, adeòque non eſt par ratio. Deinde, ſicuti ex ſuperius dictis *in hoc tom. ſub tit. Contractus VII. de Societate* exemimus ab actione furtiua ſocium, qui contrà diſpoſitionem *l. rei communis ff. pro ſocio* contrectauit rem communem non animo cælandi, quia ſupponitur vſus fuiſſe iure ſuo in re ſaltem partialitèr ad ſe pertinente, quantumuis ex vi ſocietatis non poſſet ſic contrectare, ergo à fortiori eximendus eſt ab actione furtiua commodans, qui contrectauit rem propriam, quantumuis ex vi commodati illam conceſſerit ad vſum commodatarij.

Vſus poteſt eſſe materia furti, quādo res eſt tractatur à nō domino, ſecus, quan. è à domino.

Aſſertio VI. Si tradita fuerit per com- 19
modantem res æſtimata, hæcque per eundem commodantem à commodatario ſurrepta, hicque fuerit per Iudicem condemnatus ad ſoluendam æſtimationem, vel ipſe per errorem talem æſtimationem ſoluerit commodanti, quandòque commodatario aduerſus commodantem competit actio eiuſdem rei vendicatiua, quandòque conditio ſine cauſa, vel contraria commodati *Paulus de Caſtro, Iaſon, & Gloſa in l. ſi is qui ff. commodati Azon in ſumma tit. de commodato num. 27. Hoſtienſis ibid. num. 8. verſ. quid ſi alius*.

Paul. de Caſtro. Iaſon. Gloſa, Azon. Hoſtienſis.

Antequam ad probationem aſſertionis deueniamus, ſciendum eſt valde controuerſum eſſe apud Doctores, an æſtimatio rei faciat venditionem, adeò vt, ſi res tradatur æſtimata, æſtimanda ſit vendita, an non; quà in re oppoſitas ſententias ſupra recenſuimus, dum ageremus de ſocietate, ibique diſtinximus, ſecundum quod eadem æſtimatio fieri poteſt ad duplicem finem, vel etenim ſit ad eum finem, vt æſtimatio per recipientem ſit tribuenda danti in quocunque caſu, vel ſit ad eum effectum, vt ſi res perierit, vel deterior facta fuerit ex culpa recipientis, eadem æſtimatio ad proportionem referatur; ſicque iuxta primum ſenſum pro venditione concluſimus, non ſic iuxta ſecundum. Hæc eadem, quæ ibi dicta ſunt poſſunt præſenti inſtituto accomodari. Quibus ſuppoſitis

An, & quomodo æſtimatio res faciat venditionem.

Probatur iam aſſertio quoad primam partem. Quandò per æſtimationem facta ſupponitur venditio rei traditæ eadem res pleno iure tranſijt in poteſtatem recipien-

us

Res per venditionem pleno iure tranſit in emptorem.

tis ſub ſolo onere contributionis pretij in tradentem erogandi, ergo, ſi fuerit per eundem recipientem ſolutum pretium, poterit rem illam a cuiuſcunque manibus vindicare, quandòquidem res illa ſemper elamat pro domino, adeòque pro ſe ipſo, ſicque ſuſtinet *Gregorius in l. 8. tit. 2. part. 5.*

Solutio fuit ex cauſa indebita.

Probatur item quoad ſecundam partem, quia, quandò per æſtimationem res non ſupponitur vēdita, illa ſolutio per commodatarium facta fuit ex cauſa indebita, ergo ex conditione indebiti, ſeù ſine cauſa poterit commodatarius agere ad rem ſurreptā habendam in ordine ad vſum, ad quem eſt præſtita, & ad repetitionem illius æſtimationis per ſe ipſum ex illa cauſa indebita ſoluti. Rurſus actione contraria commodati poſſet agere contra commodantem, quia ius habet ex vi eiuſdem contractus, ne grauetur ſupra quod exigit natura eiuſdem contractus.

20 Aſſertio VII. Contrà commodatarium rebellem, & repugnantem rem receptam in commodatum reſtituere vltrà allegatas ciuiles actiones datur interdicta poſſeſſoria, & vlteriùs contra magis contumacem, & pulſatum actione directa in iudicio perſeuerantem vſque ad definitiuam ſenteotiam datur etiam actio punitiua in duplum *Fillıutius tract. 34. quaſt. 12. cap. 8. num. 193. Molina diſp. 295. num. 2. Ognate d. tract. 12. diſp 43. ſect. 6 num. 108.*

Filliut.
Molina.
Ognate.

Commodatarius non habet poſſeſſionem rei comodatæ ciuilem.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià commodatarius non habet poſſeſſionem rei commodatæ, niſi realem. & quodamodò corporalem; commodans verò ciuilem, & propriam, & intantum ille corporalitèr, & legitimè poſſidet, in quantum commodans præſtito conſenſu permittit poſſidere, ergo non perſeuerante conſeoſu commodantis ad perſeuerandum in commodato, & reluctante commodatario ad reſtituendum, poterit ille agere interdicta poſſeſſoria, atque ſic ſentit *Ognate d. tract. 12. diſp. 43. ſect. 6. num. 107.*

Ratio ſecundæ partis deducitur *ex l. non abs re C. vnde vi* Ibi *Eos namque iubemus pro tanta ſua iniquitatis impudentia, ſi cognitionis iudiciaria euentu fuerint condemnati, rei, cuius poſſeſſionem ſponsè reſtituere, vſque ad definitiuam ſententiam minimè paſſi ſunt, æſtimationem victrici parti vna cum ipſa re præbere compelli*. Hæc diſpoſitio eſt pænalis, in quam conſentiunt *Fillıutius tract. 34. quaſt. 12. cap. 8. num. 193. Molina diſp. 295. num. 2.*

Filliut.
Molina.

PRÆNOTIO V.

Cuinam res commodata pereat, ſi culpa famuli deferentis pereat.

SVMMARIVM.

Quot modis res commodata poſſit deferri 1.

Si commodatum, dum transferretur à commodante ad commodatarium tempore adimplementi eiuſdem per famulum eiuſdem commodantis, culpa eiuſdem famuli perijt, ipſi commodanti, non commodatario perijt 2.

Si famulus tempore diſſolutionis contractus fuerit commodatarij deferens commodatum à commodatario ad commodantem, & ex culpa eiuſdem deferentis res pereat, perijt commodatario, ſi deferens non fuerit idoneus, ſecus ſi fuerit idoneus, & cognitus, vt talis 3.

Nuntius pracisè deſtinatus tempore adimplementi contractus, vel diſſolutionis eiuſdem ad deferendum pracisè non deobligat rem mittentem ab onere reſtitutionis, ſi ipſius culpa res pereat 4.

Famulus deſtinatus à commodatario ad recipiendam rem commodatam, ſi non fuerit idoneus, efficit, vt res pereat commodatario, ſecus, ſi fuerit idoneus 5.

DVplicitèr per famulum res commodata deferri poteſt, ſcilicet, vel a commodante ad commodatarium tempore, 1
quo perficitur contractus ad implementum eiuſdem quoad ſua ſubſtantialia, vel a commodatario ad commodantem tempore diſſolutionis eiuſdem ad reſoluendum vinculum priùs contractum. Ruſùs, vel in celebratione contractus famulus deferens erat famulus commodatarij, vel famulus commodantis. Tandem, ſi famulus commodatarij, vel erat deſignatus ab eodem commodatario tempore, quo commodatum erat ad eundem commodatarium transferendum ad denuntiandum commodanti, vt transferret, vel etiam ad recipiendum. Quibus poſitis ſit

Duobus modis poteſt per famulum res comodata deferri.

Aſſertio I. Si commodatum, dum transferretur à commodante ad commodatarium tempore adimplementi eiuſdem per famulum eiuſdem commodantis, culpa iſtius perijt, ipſi commodanti, non commodatario perijt. Conſentiunt omnes Doctores tam Theologi, quam iuris interpretes. 2

Probatur primò, per commodatum non transfertur dominium in commodatarium, ergo, ſi illud perijt ſine culpa commodatarij, non ipſi, ſed commodanti perit. Conſequentia tenet, quia res ſemper perit domi-

domino, quotieſcumque alterius culpa non perit. Confirmatur, quia etiam ſi daremus, quod in commodato dominium transferretur ad commodatarium, quod tamen alienum eſt, adhuc in data hypotheſi dominium non tranſiiſſet in commodatarium, quia res non adhuc ad eundem eſſet delata, ergo adhuc verificaretur, quod commodanti, non commodatario periret.

Dominiũ rei in ore permanẽte penes cõmodante.

Confirmatur ſecundò, quia hic contractus non ſolo conſenſu perficitur, ſed re, per ea, quę latè ex allegatis iuribus ſupra probata ſunt, ergo ante traditionem rei, per quam contractus perficitur nulla poteſt, oriri actio, per quam commodatarius obligetur ad æſtimationem rei, ſi culpa famuli deferentis nomine commodantis pereat.

3 Aſſertio II. Si famulus tempore diſſolutionis contractus deferens rem commodatam à commodatario ad commodantem fuerit famulus eiuſdem commodatarij, vel alius ab ipſo deſignatus, & ex culpa eiuſdem deferentis res pereat, perit commodatario, ſi deſignatus per ipſum ad deferendum fuerit minus idoneus, ſecus verò, ſi fuerit idoneus, & talis, vt eidem res proprias conſignaret. *Bartolus in l. argentum n. 1. ff. commodati, Gregorius l. 4. tit. 2. par. 5., Baldus in ead. l. argentum n. 1. ff. commodati, Abbas in c. ſignificant. de pignorib. Azotus in ſumma C. commodati n. 18., Molina diſp. 296. n. 8., Filliutius tract. 34. c. 8. q. 12. n. 187.*

Bartolus, Gregor. Lopez. Baldus. Abbas. Azorius. Molina. Filliut.

Probatur quoad primam partem, quià commodatarius obligatur quo ad rem commodatam, quando eſt in ipſius dumtaxat vtilitatem, de culpa etiam leuiſſima, per ea, quæ ſuperius dicta ſunt, & quouſque res fuerit commodanti reſtituta, ſed, deſignando miniſtrum non idoneum ad deferendum non eximitur à culpa ſaltem leuiſſima, ergo &c. Probatur minor, quia deligendo talem miniſtrum id non præſtitiſſet, quod prudentiſſimus, & ſolertiſſimus peregiſſet. Atque iuxta hos terminos loquitur textus *in l. cum qui ff. commodati §. fin., & l. qui non tam idoneum, & l. ſeq. ff. eod.*

Deſignando miniſtrum non idoneum non eximitur à culpa.

Probatur quoad ſecundam partem, quia eligendo miniſtrum idoneum ad deferendum rem commodatam commodanti non eſt in culpa quantumuis leuiſſima, ergo, ſi res pereat ex culpa eiuſdem deferentis, non obligabitur commodatarius ad referendam commodanti æſtimationem eiuſdem rei. Conſequentia tenet, quia commodatarius non tenetur erga commodantem, niſi de culpa lata, leui, & leuiſſima, ergo &c. Antecedens vero probatur, quia id præſtitit, quod ſolertiſſimus quiſque præſtitiſſet. Huic rationi innixa eſt diſpoſitio legalis in *l. argentum n. 1. ff. commodati*; cuius hæc ſunt verba: *Argentum commodatum, ſi tam idoneo ſeruo tradidiſſem ad te perferendum, vt non debuerit quis æſtimare futurum, vt à quibuſdam malis hominibus deciperetur, tuum, non meum detrimentum erit*, in quo loco ſubdit Bartolus. *Si res culpa nuncij pereatur, perit periculo domini, ſi remittens non fuit in culpa electionis malæ.*

Id præſtitit, quod ſolertiſſimus præſtitiſſet.

Solum hic aliquid dubitandum remanet, quomodo dici poſſit, quod commodatarius remittendo per nuntium idoneum ſecundùm ſuam, & communem æſtimationem adhibuerit exactiſſimam diligentiam, adeòque, quod nec leuiſſima culpa afficiatur, cum maiorem poterat exhibere deferendo per ſe ipſum. Sed facilis eſt ſolutio, quia delatio per alium ſecundum communem æſtimationem idoneum æquiparatur quo ad effectum delationi per ſe ipſum, nec ſemper tenetur qui rem alienam poſſidet, deferre Domino per ſe ipſum, nec culpa leuiſſima conſiſtere poteſt in eo, quod per alium mittat, niſi elegerit inidoneum per ea, quæ ex allegatis iuribus deducuntur, & præcipue, *& l. cum qui ff. commodati §. fin.*

Delatio per alium communiter reputatũ idoneũ æquiparatur delationi per ſe ipſum.

Quod ſi vlterius vrgeas, quod, donec res commodata deuenerit ad commodantem, ſemper permaneat ſub cuſtodia commodatarij, adeoque, quod hic etiam teneatur ex culpa famuli deferentis, cum famulus deferens nomine commodatarij repræſentet perſonam eiuſdem, ſicque eidem ſit imputandum quidquid per famulum deferentem geritur; etiam vlterius impugnaberis, quia, ſicuti ſi res exiſteret durante adhuc contractu penes ipſum commodatarium, & per famulum idoneum communiter reputatum, etiam ab eodem commodatario res ipſa ſibi eriperetur, non teneretur ipſe commodatarius verſus commodantem ad eiuſdem rei æſtimationem erogandam, niſi eſſet in culpa non diligentis cuſtodiæ per ea, quæ habentur *in l. ad eos 19 ff. commodati*, vbi ſic legitur. *Qua enim cura, aut diligentia conſequi poſſumus, ne quis nobis damnum iniuria det?* rationemque ſubdunt *Molina diſp. 298. n. 7., & Hoſtienſis in ſumma de commodato n. 8.*, quia hoc damnum, cui commodatarius reſiſtere non potuit, inter fatales caſus numeratur, vt incurſiones hoſtium, prædonum &c. ita, ſi res iam eſt tradita per eundem commodatarium famulo deferenti, qui reputetur communiter pro idoneo, & culpa illius pro illo tempore eriperetur, non tenebitur ipſe commodatarius ad talem æſtimationem refundendam, quandoquidem, nec in culpa eſt electionis, cum ſecundum humanum iudicium prudenter elegerit, nec ratione delationis, cum deferre teneretur, & non obligaretur id præſtare per ſe ipſum; vnde

Etiamſi res exiſteret penès commodatarium, & per famulum idoneũ raperetur, commodatarius non teneretur.

Molina, Hoſtienſis.

vndè corruunt ea omnia, quæ in inſtantia afferebantur, licet enim deferret nomine commodatarij, & quodamodo repræſentaret perſonam eiuſdem, quia tamen ipſe commodatarius non incautè egit ſic eligendo, ipſius culpæ damnum non eſt imputandum, & proinde res ità ſe habet, ac ſi ab eodem commodatario res illa eſſet furto ſublata per famulum.

Aſſertio III. Si celebrato contractu commodati per ſolum conſentium, vi cuius commodans debebat rem commodatam transferre ad commodatarium, hic mittat nuncium præcisè ad denuntiandum commodanti, vt rem ad ſe transferat, quantumuis hic non fuerit idoneus, ſi commodans eidem nuncio tradat rem deferendam commodatario, & culpa ipſius pereat, non perit commodatario, ſed commodanti; idem dic in caſu aduerſo contra commodatarium, quo commodans tempore diſſolutionis contractus mitteret nuntium ad denuntiandum præcise commodatario, vt ad ſe rem commodatam tranſmitteret, & ipſe per eundem nuntium electum præcisè ad denuntiandum, deferendum traderet, tunc certè commodatario, non commodanti periret. *Azorius in ſumma C. de commodato n. 19. Hoſtienſis ibidem n. 8. § ſi caſus acciderit, Antonius Gomez 2. var. c. 7. n. 3., Molina diſp. 296., Filliutius tract. 34. c. 8. q. 12. n. 187., Ognate tract. 12. diſp. 43. ſect. 6. n. 103.*

Azorius.
Hoſtien fis.
Antonius Gomez.
Molina.
Filliut.
Ognate.

Probatur prima pars, quia ex eo, quod ille famulus fuerit miſſus à commodatario ad denuntiandum, vt per commodantem ſibi mitteretur res commodata, non eſt imputandum ipſius commodatarij culpæ, quod per commodantem fuerit ipſi talis res tradita, ergo, ſi ex culpa illius famuli deferentis res illa pereat, commodanti tradenti, non commodatario perire dicenda eſt. Conſequentia tenet, quia nec ratione dominij periret commodatario, cum dominium ex vi commodati ex ſuperius dictis remaneat penès commodantem; non ratione culpæ, quià nulla ſupponitur in commodatario. Antecedens probatur, quia famulus miſſus ad denuntiandum, vt res mittatur, non eſt deputatus ad recipiendum, hocque expreſse colligitur, *ex l. ſi mea cauſa ff. commodati*, vbi licet ſit ſermo de commodatario remittente rem commodantem per famulum commodantis deſtinatum præcisè ad denuntiandum, propter paritatem tamèn rationis vim habent ibi dicta etiam de commodante mittente rem commodatam per famulum deſtinatum ab eodem commodatario præcisè ad denuntiandum; Ibi autem ſic dicitur, *ſi commonendi cauſa miſerat, vt referretur res commodata, ei, cui commodata eſt perijt;*

Famulus miſſus ad denuntiandum non eſt deputatus ad recipiendum.

cuius rationem optimè adduxit, *Ognate d. tract. 12. diſp. 43. ſect. 6. n. 103. in fin.*, quia ſcilicet nullo modo, ſi ille famulus non eſſet, nec cognoſceretur idoneus, commodatarius poſſet excuſari à culpa tradendo rem illi famulo, per quem nihil ſibi remitti iuſſit Dominus, ergo &c.

Ognate.

Probatur ſecunda pars viceuerſa aduerſus commodatarium remittentem tempore diſſolutionis contractus per famulum miſſum a commodante præcise ad denuntiandum ex eod. textu expreſsè *in d. l. ſi mea cauſa ff. commodati*. Secundò, quia commodatarius remittens per eundem famulum non cautè remittit neſciens, cuius conditionis ille ſit, & non inquirens, ergo non poterit excuſari de culpa ſaltem leuiſſima; neque ſufficiens excuſatio eſſe poteſt miſſio eiuſdem facta a commodante, quia, vt ſupra aſſerebam, miſſio eſt ad denuntiandum, non miſſio ad recipiendum, ergo, ſi res illa pereat ex culpa famuli deferentis, peribit commodatario remittenti, non commodanti, ad quem remiſſa eſt, quantumuis hic fuerit Dominus, quia ſcilicet interuenit culpa commodatarij.

Non cautè remitteret commodatarius remittens per famulum præcisè denuntiantem.

Aſſertio IV. Si poſt celebratum contractum per conſenſum famulus deſtinatus a commodatario fuerit non ſolum deſtinatus ad denuntiandum, ſed etiam ad recipiendum rem commodatam, & culpa eiuſdem famuli, antequam deferretur ad commodatarium perierit, perijt eidem commodatario, non commodanti, ſi famulus deſignatus non erat idoneus, ſi verò idoneus, commodanti, non commodatario; poſt diſſolutum verò contractum, ſi famulus miſſus a commodante ad commodatarium fuerit electus non ſolum ad denuntiandum, vt res commodata remitteretur ad commodantem, ſed etiam ad recipiendum, ſiuè ille fuerit idoneos, ſiuè non idoneus, ſemper perit commodanti. Eſt conformis ijs, quæ ſupra dicta ſunt. 5

Probatur quoad primam partem, quia commodatarius deſignans ad recipiendum famulum non idoneum eſt in culpa ſaltem in eligendo, ergo ratione eiuſdem tenebitur verſus commodantem; tum quia ex vi commodati tenetur ex culpa quantumuis leuiſſima; tùm quia hoc expreſse habetur *in l. 11. ff. commodati* - Ibi - *Qui non cum idoneum hominem elegit, vt rectè id perferri poſſet*. Antecedens probatur, quia commodatum eo ipſo incipit, quo per commodantem res traditur commodatario, vel perſonæ per ipſum electæ ad recipiendum, quo tempore incipit etiam obligatio cuſtodiæ in commodatario, ergo, ſi deſtinaret perſonam non idoneam ad recipiendum, iam non eſt in legitima diligentia cuſtodiæ cum cuſtodiendum pro illo tempore

Eſt in culpa ſaltem in eligendo.

Digitized by Google

re tradiderit infideli, ergo iam eſt in culpa.

Commodatarius non tenetur de caſibus fortuitis.

Probatur ſecunda pars, quià, cum deſignauerit nuntium ſecundum propriam, & communem æſtimationem fidelem ad recipiendum, non eſt in culpa, nec malæ electionis, nec interitus rei, ergo ſi perit, perit Domino; Conſequentia patet, quia commodatarius non tenetur commodanti de caſibus fortuitis, & præter communem exiſtimationem euenientibus, ſed ille interitus, ex ſuppoſitione, quod commodatarius non fuerit in culpa malæ electionis, eſt omninò ex caſu fortuito, ergo &c. Confirmatur, quia, ſi dum res eſt in poteſtate reali, & quaſi corporali commodatarij ex fraude famuli eiuſdem, qui tamen reputatur communiter idoneus, & ſemper cognitus, vt talis pereat, perit commodanti, cum ille famulus quoad talem actionem ſe habeat, vt fur, & prædo, ergo neque &c.

Commodatarius exequitur mandatū commodantis.

Probatur tertia pars, primò ex varijs iuribus, *& l. cum qui §. vlt. ff. commodati*, vbi ſic legitur, *ſed, ſi dum refertur, perijt, ſiquidem ego mandaueram, per quem remitteret, periculum meum erit*; hic eſt ſermo de commodante, qui mandauerat commodatario, vt per talem ſibi remitteret rem commodatam; Item *ex l. ſi mea culpa ff. eod.* vbi ſic habetur. *Commodatam rem miſſus, qui repeteret, cum recepiſſet, aufugit; Si Dominus ei dari iuſſerat, domino perit*; etiam hic eſt ſermo de commodante, vt per ſe patet. Secundò ratione, quia commodatarius habito mandato a commodante, vt per talem determinatam perſonam ad ſe remitteret commodatum, in nulla culpa eſt remittendo per eandem, nec ipſe tenetur inquirere de tali idoneitate, ergo ex nullo capite tenetur.

Ratio diſparitatis inter eligentem à ſe deputantem, & commodatarium.

Quod ſi inquiras, cur, ſi commodatarius eligens non idoneum ad recipiendam rem a commodante non eximitur ab onere reſtitutionis, eximitur verò, ſi tradiderit rem non idoneo, vt reſtituatur commodanti, quantumuis ille fuerit deſignatus per eundem commodantem ad recipiendum? Ratio in promptu eſt, quia in primo caſu ipſe eſt in culpa malæ electionis, non ſic in ſecundo; in primo ipſe debebat præuidere, in ſecundo debebat præuidere commodans.

Imputandum eſt comodatario, quod nimis credulus fuerit.

Hic pro complemento oritur ratio dubitandi, an res commodanti periret, an verò commodatario, quandò in diſſolutione contractus famulus, qui fuerat ſimpliciter miſſus per commodantem, aſſereret ſe miſſum ad recipiendum, & commodatarius rem eidem traderet. Reſpondeo regulariter in ea hypotheſi rem perire commodatario, *l. cum quis §. ſi debitorem ff. de ſolut.*, & ratio ex eo deducitur, quia ei eſt imputandum, qui nimis credulus fuit, *arg. l. 1. §. 1. ff. de eo per quem factum erit*. Vide *Chriſtoph. Perc in §. item is cui in col. fin. Inſtit. quib. mod. re contr. oblig.*, *& in l. 1. n. 21. ff. de eo per quem factum erit*, & quidem ratio adducta efficax eſt, quia commodatarius ex vi contractus tenetur exactiſſimam diligentiam adhibere; non eſt autem exactiſſima diligentia adhærere ſimplici famuli dictioni. Dixi, *regulariter*, nam, ſi Dominus fuiſſet conſuetus mittere illum pro rebus ſuis, tunc certè dando ei commodatarius liberaretur, *Baldus in d. l. ſi mea ff. commodati*.

PRÆNOTIO VI.

De quibuſdam pactis circà contractum commodati.

SVMMARIVM.

Varia rationes dubitandi circà titulum 1.

Pactum, vt abſolutè res commodata ſtet periculo commodatarij ex quocunque euentu pereat, non eſt contrà, ſed præter naturam contractus 2.

Ex æſtimatione rei commodatæ præcisè non obligatur commodatarius ex quocunque caſu 3.

Non ſubſiſtit cum ſubſtantia commodati pactum, vt is, qui accipit habeat rem commodatam ad tempus incertum 4.

Ea, quæ comitantur, vel conſequuntur ad rem commodatam ſimul de iure communi intelliguntur commodata cum illo 5.

Etiam ſine pacto poteſt per commodatarium res commodata detineri in compenſationem rei ſibi debitæ 6.

Articuli examinandi in hac prænotione.

1 HActenùs examinauimus, quæ pertinent ad naturam contractus ſecundum ſe. Nunc agendum de ijs, quæ compati, vel non poſſunt compati cum natura eiuſdem ex partium conuentionibus, & pactis, & quidem primò inueſtigabitur, an pugnet cum ſubſtantia commodati pactum, vt res commodata ſtet abſolutè periculo commodatarij, ita vt in omnem euentum reſtituere debeat æſtimationem eiuſdem. Secundò, an, ſi tradatur res æſtimata, eo ipſo ex pacto implicito intelligatur commodatarius obligatus ad tradendam æſtimationem ex quocunque caſu res perierit. Tertiò, an aduerſetur naturæ contractus pactum, vt is, qui recipit, habeat ad tempus incertum. Quartò, an ſine pacto præuio ea, quæ accedunt ad rem commodatam ſimul eſſe commodata cenſeantur. Quintò, an cum pacto, vel ſine pacto res commodata retineri poſſit per commodatarium titulo compenſatio-

nis,

nis, & alia huiuſmodi.

2 Aſſertio I. Pactum, vt abſolutè res commodata ſtet periculo commodatarij in quemcunque euentum perijerit, non eſt contrà, ſed præter ſubſtantiam contractus, adeoque poſitum obligat, *Nauarrus in comment. de vſuris in c. ſi foeneraueris* 14. *q.* 3. *n.* 35., *Azorius inſtit. mor. part.* 3. *lib.* 7. *c.* 7. *verſ. ex his perſpicitur* aduerſus *Sotum* 6. *de iuſt. q.* 6. *ar.* 2. *ad ſecundum*.

Nauarrus. Sotus.

Probatur primò aduerſus Sotum, quià in tantum illud pactum arguitur eſſe contrà ſubſtantiam commodati, in quantum per illud pactum commodatum tranſiret in venditum adhibita ad tempus pretij ſolutione, ſed hæc ratio nihil euincit, ergo &c. Maior eſt fundamentum eiuſdem Soti. Probatur minor, quià ad venditionem, qua venditio formaliter eſt requiritur neceſſariò merx, & pretium, qua pretium formaliter eſt, ſeu menſura rerum venalium, ſed in hypotheſi, qua etiam ex vi pacti commodatum ſtaret periculo commodatarij non neceſſariò interueniret pretium, ergo &c. Minor probatur, quià, ſi res non periret, cõmodatarius non teneretur, niſi rem ſibi commodatam reſtituere, & quando nollet poſſet compelli per commodãtem ad eandem in indiuiduo reſtituendam, ergo non neceſſariò interuenit pretium, quinimmò ex eo, quod poſſit eandem rem reſtituere, & compelli ad eandem reſtituendam clarè arguitur, ibi non interueniſſe venditionem, quià cum venditio ſit contractus nominatus, ex eodem oritur actio ex vendito ad pretium, & non ad eandem rem. Confirmatur primò, quia commodatarius non poteſt rem commodatam adhibere in omnem vſum, ſed tantum ad illum ſibi per commodantem conceſſum, quantumuis pactum interceſſerit, vt commodatum ſtaret periculo commodatarij in quocunque euentu, ergo per illud pactum commodatum non tranſit in venditum. Conſequentia probatur, quià emptor poteſt de re empta diſponere in quemcunque vſum, ergo &c. Quod, ſi dicas commodatarium ex eo, quod in ſe aſſumpſerit periculum quodcunque rei commodatę, acquiſiuiſſe perfectum ius diſponendi de re quomodocunque voluerit; gratis omninò, & ſine fundamento hoc aſſeris, tum quia ex eo, quod commodatarius per aſſecurationem aſſumat in ſe periculum rei commodatæ, non efficitur illius Dominus *c. vnico de commodato l.* 1. *C. commodati*, per ea quæ nos etiam docuimus *tom.* 1. *ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris diſq.* 6. §. 8. *n.* 6. tum quia, ſi per aſſecurationẽ poſſet commodatarius quomodocunque vellet de re illa diſponere, non poſſet compelli, ſi eadem in indiuiduo perſeueraret, ad illam commodanti reſtituendam, quod tamen falſum eſt; tùm quià tandèm, ſi commodatarius in alium vſum a ſibi conceſſo rem illam adhibuerit actione furti tenetur per ea, quæ ex allegatis iuribus ſupra commendauimus.

Præcluditur ratio Soti.

Propriè in hac hypotheſi non interueniret emptio, & venditio, & quare.

Per aſſecurationẽ non efficitur illius dominus.

Probatur ſecundò, quià per illud pactum nil ponitur, quod aduerſetur naturæ contractus, ergo non eſt, cur contractus ille cum illo pacto in ſuo eſſe non ſubſiſtat. Antecedens probatur, quia ſubſtantialia contractus in eo conſiſtunt primò, vt commodans rem alteri tradat vtendam *l. obligamur ff. de act., & oblig. §. item is Inſtit. quib. mod. re contrah. oblig.* Secundò, vt interueniat vtriuſque contrahentis conſenſus *l.* 1. §. *adeò ff. de pactis*. Tertiò, vt rei commodatæ dominium maneat penès commodantem *l. res commodata l. nemo ff. commodati*. Quartò, vt reddatur eadem res in ſpecie §. *item is Inſtit. quib. mod. re contra oblig.* Quintò, vt commodatum fiat gratis nulla pro eo accepta mercede §. *item is verb. commodata Inſtit. quib. mod. re contra oblig.* Sextò, vt res commodata detur ad certum, & determinatum vſum pro determinato tempore vel expreſsè, vel tacitè *l. commodata §. ſicut ff. commodati*; ſed per tale pactum nil ponitur, quod tollat illa ſubſtantialia, vt per eadem diſcurrenti ſit manifeſtum, ergo &c.

Ennumerãtur ſubſtantialia contractus, quibus, nõ aduerſatur tale pactum.

Dices primò, per illam conuentionem, ſeu pactum deſtrui illam conditionem neceſſariò requiſitam ad naturam commodati, vt dominium ſcilicet rei commodatæ ſemper remaneat penès commodantem, ex eo etenim, quod omne periculum pertineat ad commodatarium, infertur dominium penès eundem. Sed contra, quià ex eo, quod periculum per aſſecurationem pertineat ad commodatarium, non benè infertur, quod dominium in ipſum tranſeat, cum non poſſit de illa re in quemcunque vſum voluerit diſponere, & commodans poſſit eandem rem à quorumcunque manibus, in quas deuenerit, vendicare. Deindè res ſocietatis quantumcunque per ſocium recipientem aſſecurentur, non propterea tranſeunt ſub ipſius dominium per ea, quæ latè tradidimus *tom. primo ſub tit. Contractus III. diſq.* 6. §. 8. *per totum*, ergo etiam res commodata quantumuis per commodatarium aſſecuretur, non propterea tranſit in ipſius dominium, & plenam poteſtatem.

Dominium quoad commodatarium non bene arguitur ex periculo pertinente ad eũdem.

Dices ſecundò, per illam conuentionem, ſeu pactum tolli illam conditionem, vt commodatum fiat gratis nulla pro eo accepta mercede, quandòquidem illud onus, quod aſſumit commodatarius ſubiacendi cuicunque periculo, cum ſit præter natu-

Proponitur inſtãtia, & diſſoluitur.

ram

ram contractus, eſt pretio ſecundum ſe æſtimabile, & æquiualet mercedi. Sed contra, quia commodans non aliquid per illam conuentionem exigit a commodatario, vltra rem ſuam, quam eidem commodauit, & licet illud onus aſſecurationis in quocunque caſu ſit præter naturam contractus; non inducit tamen aliquod onus compenſationis reſpectu commodantis, cum non iniuſtè exigat illam conditionem, poteſt enim velle eſſe tutus de beneficio, quod præſtat. Vide quæ dicta ſunt ſupra *in præcedenti Prænot. aſſert. 3. verſ. dixi*.

3 Aſſertio II. Si tradatur per commodantem commodatario res æſtimata, eo ipſo præcisè nec ex natura contractus, nec ex pacto implicito intelligitur commodatarius obligatus ad tradendam æſtimationem ex quocunq; caſu res perierit, cum per illam æſtimationem non intelligatur facta venditio *Ioannes Andreas, & Panormitanus in c. vnico de commodato, Silueſter verbo commodatum q. 7., Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. c. 7. verſic. 1. ſed Ioannes Andreas, Molina diſp. 295. verſ. contrariam ſententiam, Ognate tract. 12. diſp. 43. ſect. 7. num.* 119. aduerſus *Bartolum, Gloſam, Hoſtienſem apud Antonium Gomez 2. var. reſol. c. 7. n. 1.* qui ſtatuunt quandam regulam generalem, qua graduatim procedentes dicunt, quod quandò contractus eſt in gratiam præcisè recipientis, qui propterea tenetur de leuiſſima, tunc accedente æſtimatione rei in traditione eiuſdem obligetur etiam de caſu fortuito, quandò verò contractus eſt in gratiam vtriuſque, puta in locato, & conducto, ex quo propterea recipiens obligatur de leui, tunc accedente æſtimatione, obligetur etiam de leuiſſima, & ſic ſucceſſiuè de alijs. Hanc regulam fundant *in l. cum fundus, & l. qua 2. §. Paulus ff. locati, & in l. 1. §. vlt. de æſtimat. act., & l. plerumque §. ſit autem ff. de iur. dot., & l. ſi vt certo §. nunc videndum ff. commodati*.

Ioannes Andreas. Panorm. Silueſter. Azorius. Molina. Ognate. Bartolus. Antonius Gomez.

Quædam regula excogitata gratis à Bartolo.

Probatur, quià illa æſtimatio non neceſſariò coniungitur cum illa graduatione excogitata à Bartolo, ſed poteſt coniungi, quinimmo cum alijs effectibus connaturalius coniungitur, ergo ex illa non benè deducitur, quod commodatarius teneatur in quocunque euentu. Antecedens probatur in primis, quia illa graduatio eſt gratis excogitata, nec vllum habet ſubſidium iuris, nam iura ad illam comprobandam allegata nil penitùs in re præſenti euincunt, nam primò textus *in l. cum fundus, & l. 2. ff. locati*, ſolum ſupponit recipientem teneri in omni caſu quantumuis fortuito, quia ſupponit ibi interuenire emptionem, & venditionem - Ibi - *Prætor ait id agi, vt inſtrumentum emptum habeat colonus*; ſecundò textus *in l. 1. §. vlt. ff. de æſtimat. act.* ſolum indicat, quod, ſi res vendenda tradatur æſtimata, ea lege, vt vel ea æſtimatio, vel res ipſa reddatur ab eo, cui vendenda traditur, tunc periculum pertineat ad eum, cui traditur, præcipuè cum in hoc caſu recipientem ſupponat textus aſſentiri illi oneri aſſumendi in ſe quodcunque periculum, cum ſe obliget, vel ad rem tradendam, vel eius æſtimationem; tertiò textus *in l. plerumque §. ſi ante ff. de iur. dot.* ſolum ſupponit ibi interuenire venditionem; quartò textus *in l. ſi vt certo §. nunc videndum ff. commodati*, ſupponit ſolum commodatarium, ſeù recipientem ſe obligaſſe ad reddendam æſtimationem in quocunque euentu, ergo illa graduatio ex vi æſtimationis præcisè ex præcitatis iuribus non euincitur. Deindè congruentiùs, & connaturaliùs æſtimatio operatur, quandò non interuenit venditio, & contractus ſtat in puris terminis commodati, vt dumtaxat obliget recipientem, ſeù commodatarium, quotieſcunque ex ſua culpa res perierit, vel deterior facta fuerit, vel ad reſtituendam iuſtam æſtimationem, vel ad compenſationem eius, in quo ex ſua culpa deterior res facta eſt, nec aliud iura allegata euincunt, vbi per æſtimationem non facta eſt venditio. Conſequentia probatur, quia, quandò in diſpoſitione aliqua legali duplex interpretatio fieri poteſt, ea adhibenda eſt, quæ connaturalior eſt rei diſpoſitæ, & habet ſubſidium iuris, non ea, quæ non habet ſubſiſtentiam, niſi in adinuentione cogitantis, minuſque connaturalis eſt, ergo &c.

Æſtimatio non neceſſariò coniungitur cum graduatione facta à Bartolo.

Allegata iura non euincunt illam graduationem.

Facienda eſt connaturalior interpretatio ind. legis.

Aſſertio III. Non ſubſiſtit cum ſubſtantia commodati pactum, vt is, qui accipit, habeat rem commodatam ad tempus incertum *Cinus in l. 2. C. commodati, Bartolus in l. in commodato §. ſicut ff. commodati, Ioannes Andreas in cap. precarium de precarijs, & cap. 1. de commodato, Panormitanus in d. c. 1. eod. tit.* 4

Cinus. Bartolus. Ioannes Andreas. Panorm.

Probatur, quià inter eſſentiales differentias commodati, per quas ſpecialitèr contradiſtinguitur à precario, potiſſima eſt, quod commodatum ſit ad certum vſum; qui non ſolum ſtat pro vſu comparatiue ad rem commodatam, ſed etiam comparatiue ad eandem in ordine ad tempus certum, vel tacitum, vel expreſſum per ea, quæ diximus ſupra *ſub hoc eod. tit. Prænot. 1. verſ. ſed quomodò contradiſtinguatur* iuxta textum *in §. is cui Inſtit. quib. mod. re contra. oblig., & Gloſam in cap. 1. de commodato, & in l. in commodato §. ſicut ff. commodati, & Baldum in l. 2. num. 2. C. commodati*, ergo non poteſt adijci aliquod pactum, per quod talis eſſentialis conditio auferatur; nam neque-

Ex ſua differentia commodatũ debet eſſe ad tẽpus certũ.

nequeunt contractibus adijci pacta, quæ aduerſentur ſubſtantiæ eorundem.

Dices, incertitudinem temporis ex vi contractus præcisè repugnare quidem naturæ eiuſdem contractus, non ſic incertitudinem ex vi alterius pacti adiecti, ea proportionali ratione, qua in contractu ſocietatis, quantum eſt ex vi contractus, periculum rei traditæ eſt penès ſocium tradentem rem illam, ex pacto tamèn adiecto poteſt transferri in ſocium recipientem. Sed contra, quia ipſa certitudo temporis eſt de formali ratione commodati, periculum autem reſpectu ſocietatis non eſt, niſi de connotato eiuſdem, & de conſequentibus, adeòque pactum circà hoc periculum non vitiat contractum, cum non attingat ſubſtantiam ipſius, pactum autem circà certitudinem temporis quoad commodatum ipſum vitiat, cum ſit contrà ſubſtantialia einſdem, & ſicuti, quià eſt de ſubſtantia mutui, vt rei mutuatæ dominium transferatur in mutuatarium, non poteſt adijci pactum, vt manente ſubſtantia eiuſdem mutui ipſum quoad proprietatem maneat penès mutuantem, ità quia eſt de ſubſtantia commodati, vt ſit ad certum tempus, non poteſt manente ſubſtantia eiuſdem commodati adijci pactum, vt ſit ad tempus incertum.

Ipſa certitudo temporis eſt de forma li cõcepta cõmodati.

5 Aſſertio IV. Ea, quæ comitantur, vel conſequuntur ad rem commodatam ſimul de iure communi intelliguntur commodata cum illa *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 7. verſ. octauo quaritur.* Exempla huius aſſertionis poſſunt eſſe hęc. Commodaui tibi equam, quam pullus comitabatur. Commodaui equum cum capiſtro; in his, & ſimilibus caſibus non ſolum commodata cenſentur equa, & equus, ſed etiam pullus, & capiſtrum, adeòque hæc ſortiuntur eaſdem leges, iura, & onera commodati equè, ac illa.

Azorius.

Exempla eorum, quæ comitantur, & conſequuntur ad commodatã.

Colligitur expreſsè hæc aſſertio *ex l. ſi vt certo §. vſque adeò ff. commodati*, vbi ſic legitur, *vſque adeò autem in re commodata diligentia praſtanda eſt, vt etiam in ea, qua ſequitur rem commodatam, praſtari debeat*, & poſtea ſubduntur exempla, quæ nos in aſſertione appoſuimus. Ratio, cui innititur hæc diſpoſitio legalis, ea eſt, quià regularitèr commodatum eſt in gratiam commodatarij, ſicque ea omnia, quæ ſunt neceſſaria ad vſum ipſius eodem titulo eidem ſupponuntur tradita. Rurſus ex beneficio, quod commodator præſtat in gratiam commodatarij æquum non eſt, vt detrimentum paciatur; pateretur autem, ſi commodatarius pullo equam inſectanti cuſtodiam non adhiberet.

Ratio naturalis, cui innititur lex diſpoſiti-

Hæc, quæ dicuntur adeò vera ſunt, vt ad ſui effectum non indigeant aliquo pacto, ſed veniant præcisè ex natura contractus, quod manifeſtè euincunt iura, & rationes mox adductæ

Aſſertio V. Etiam ſine pacto poteſt per commodatarium res commodata detineri in compenſationem rei ſibi debitæ per commodantem, ſi ſeruentur omnes regulæ iuſtæ compenſationis *Gloſa in cap. 1. de commodato, Panormitanus in cap. bona fides de Depoſito Azorius inſtit. mor. part. 3 lib. 7. c. 7. verſ. ſeptimo quaritur, Siluester verb. commodatum quaſt. 3. Nauarrus in manuali cap. 17. num 186.* aduerſus *Armillam in verb. commodatum num. 3. Molinam diſp. 297. nu. 11. Hoſtienſem nu. 8. verſ. pratextu autem, Azotum in ſumma C. de commodato num. 28. Ognate d. tract. 12. diſp. 43. ſect. 6. num. 105., & 106.* 6

Gloſa. Panorm. Azorius. Silueſter. Nauarrus. Armilla. Molina. Azon. Ognate.

Probatur primò ex generali regula, ſecundum quam exiſtente hinc inde inter contrahentes ex duplici contractu debito, & credito fit inter eoſdem compenſatio, ſi vtrumque fuerit ad æqualitatem ipſo iure ſine hominis miniſterio *l. verum l. 31. ambo ff. de compenſationibus, l. ſi conſtat, & l. fin. C. eod. tit., & §. in bona fidei Inſtit. de actionibus*, ergo ex eadem regula hoc idem in commodato ſentiendum eſt. Conſequentia patet, quià nihil excipiendum videtur à generali regula, vbi in iure non fit exceptio, ſed nullibi in iure excipitur compenſatio in commodato, ergo &c.

Inter debitorem, & creditorem fit ipſo iure compenſatio.

Dices primò excipi *in l. ſi quis, vel pecunias C. depoſiti, & l. vltima C. de compenſationibus.* Sed contra, quia huiuſmodi allegata iura loquuntur in terminis præcisè depoſiti, vndè non eſt, cur debeant extendi ad commodatum, præcipuè, cum ibi proprium, & peculiare hoc depoſiti eſſe aſſeratur, quod autem proprium, & peculiare eſt alicuius contractus, non poteſt eſſe commune alijs, qui non excipiuntur.

Non valet regula à depoſito ad cõmodatum.

Dices ſecundò, quod, quamuis allegata iura loquantur præcisè in terminis depoſiti, extendi tamen debeant etiam ad commodatum propter omnimodam paritatem rationis. Sed contra primò, quia exceptio à communi regula eſt ſtricti iuris, adeòque non eſt extendenda vltra ſpecialitèr excepta; de commodato autem nullibi reperitur ſpecialis exceptio, adeòque &c. Deindè neganda eſt illa omnimoda paritas rationis, quia, quantumuis tam commodatum, quam depoſitum ſint contractus bonæ fidei per ea, quæ vidimus, & infra videbimus, nihilominus ex ſuo ſpeciali fine bona fides ſpeciali quodam iure elucet in depoſito, quandòquidem, vt bene notat *Panormitanus in cap. bona fides de depoſito* res depoſita ex principaliori fine deponitur, & committitur fidei depoſitarij, vt conſeruetur, res verò commodata ex principa-

Non valet extenſio ad æquiualentia.

Diſparatio inter commodatũ, & depoſitum.

Panorm.

liori fine traditur ad vſum commodatarij, & ſolum ex conſequenti oritur obligatio cuſtodiæ in commodatario eodem.

Ognate.

Dices tertiò ex *Ognate d. tract.* 12. *diſp.* 43. *ſect.* 6. *num.* 106. potiori iure ab illa communi regula excipiendum eſſe commodatum, quia, cum commodatarius ex cõmodato beneficium potiſſimè accipiat, non videtur poſſe iuſtè commodantem dolore afficere ipſo ſuo beneficio contriſtando, quinimmò, ſi daretur aditus compenſationi, facilè deterrerentur homines a commodando. Sed contrà, quià, ſi hæc ſubſiſterent, neque in mutuo dari poſſet compenſatio, quia hoc etiam eſt beneficium præſtitum mutuatario; vndè non eſt, cur ex hoc capite Ognate ſimul cum alijs à communi regula ſimul cum depoſito ſolum commodatum excipiat. Deiodè eſſet iniuſta contriſtatio commodantis, quod commodatarius vtatur iure ſuo, & per commodatum conſequatur id, quod difficilè poterat conſequi ex ſua, nempè commodantis incuria, ſeù negligentia.

Senſus Ognate, eiuſque confutatio.

Dices quartò expreſsè excipi à communi regula compenſationem in commodato *in l. fin. C. commodati*, vbi expreſsè ſic dicitur *Prætextu debiti reſtitutio commodati non probabiliter recuſatur.* Sed contrà, quià, cum in tali lege dicatur, *Prætextu*, videtur importari debitum commodantis ſolum præſumptum, & illiquidum, non autem reale, & liquidum; liquidi autem ad illiquidum non datur compenſatio, quod idem videtur conſideraſſe *Gloſ. in d. l. fin. verbo debiti C. commodati* dum dicit *Non probabiliter recuſat commodatarius reſtituere rem commodatam, niſi debitum ſit liquidum.*

Eſt quià ſupponitur debitum illiquidum.

Dixi in aſſertione, *detineri poſſe rem commodatam in compenſationem rei ſibi debitæ* ex eo, quod propriè non ſit compenſatio, nam hæc debet eſſe inter res eiuſdem ſpeciei, & rationis, non diuerſarum per ea, quæ notat *Molina d. diſp.* 297. *verſ. quod ad tertium attinet*, ſed quædam detentio ad modum compenſationis, quouſque res debita per commodantem reſtituatur.

Compenſatio debet eſſe verū eiuſdem rationis. Molina.

Probatur ſecundò, quià *in d. l. fin. C. de compenſationibus, & in d. l. ſi quis, vel pecunias C. depoſiti* ſolum à cæteris contractibus quoad compenſationem ſit exceptio de depoſito, ergo quoad cæteros omnes remanet exteoſio; exceptio enim firmat regulam quoad non excepta; & hinc deducitur fortior ratio ad noo excludendam à communi regula compenſationem in cõmodato *ex vi d. l. fin. C. commodati*, nam, cum in præallegatis iuribus fiat exceptio quoad depoſitum excluſiuè ad alios omnes contractus, ſequeretur manifeſtè iurium contrarietas, ſi *in d. l. fin.* iuxta naturam contractus fieret etiam exceptio quoad commodatum; nam in hoc excluderetur à communi regula cęterorum contractuum, in qua iocluderetur ex vi præcitatorum iurium; ad quam contrarietatem vitandam non incongruè dicimus, quod in commodato excluditur tantum compenſatio, quandò fieret prætextu debiti, hoc eſt quandò debitum non eſſet reale, & liquidum, ſed tantum præſumptum, & illiquidum, quod eſt conforme communibus legibus compenſationis in vnoquoque contractu.

Eſt exceptio quoad depoſitum excluſiuè.

PRÆNOTIO VII.

An in æquali periculo præferendæ ſint res commodatæ rebus proprijs commodatarij.

SVMMARIVM.

Conſiderandum eſt, an res commodatæ ſint pretioſiores rebus proprijs, vel æquè pretioſæ 1.

Si res commodata fuerit in gratiam vtriuſque contrahentis poteſt commodatarius in concurſu æqualis periculi res commodatæ, & propriæ, ſi hæ fuerint æquales in valore, præferre rem propriam commodatæ 2.

Secus ſi res fuerit cammodata in gratiam ſolius commodatarij. Ibid.

1 PLura de hac materia attigimus in terminis ſocietatis ſupra ſub ſuo titulo; vbi etiam facta fuit comparatio rerum ſocietatis, & propriarum ſocij recipientis iuxta diuerſam æſtimationem earuudem rerum ad iouicem comparatarum. Ex ibi dictis ſecundum poſitas diſtinctiones videtur in præſenti io terminis commodati res definienda, & non vlterius ſine neceſſitate protraheodæ quæſtiooes. Nihilominùs, quia ex ſpecialiori iure fortius videtur, & ad maiorem diligentiam obligari commodatarius quoad res commodatas, ac ſocius quoad res communes ſocietatis, ideò æquum eſt, vt ſpecialiter examinetur, vtrum in concurſu rerum propiarum commodatarij æquè pretioſarum cum rebus commodatis poſſit commudatarius proprias præferre commodatis, ao verò teneatur iſta proprijs præferre. De reliquis quandò, vel res propriæ ſunt pretioſiores rebus commodatis, vel iſtæ pretioſiores illis idem dicendum eſt, quod dictum fuit ſupra, dum de rebus ſocietatis comparatiuè ad res proprias ſocij recipientis.

Res commodatæ, vel ſunt pretioſiores rebus proprijs, vel minus pretioſæ.

2 Aſſertio vnica, ſi res commodata fuerit in gratiam, & vtilitatem vtriuſque contrahentis poteſt commodatarius in concurſu æqualis periculi rei commodatæ, & propriæ, ſi hæ fuerint æquales in valore,

præ-

præferre rem propriam commodatæ, ſecus verò, ſi res fuerit commodata in gratiam ſolius commodatarij *Molina diſp. 296. verſ. poſtremò reſpondeo, Silueſter verb. commodatum nu. 9. Armilla eod. verb. nu. 11. Filliutius tract. 34. cap. 8. num. 190.* aduerſus *Ognate tract. 12. diſp. 43. ſect. 8. num. 140.* quoad vltimam partem, quandò commodatum eſt in vtilitatem ſolius commodatarij.

Molina. Silueſter Armilla. Filliut. Ognate.

Probatur primò, quià commodatarius in rebus commodatis, quandò ſunt in vtilitatem vtriuſque contrahentis, non tenetur exiſtente pari periculo adhibere maiorem diligentiam, ac adhibeat in alijs contractibus, qui ſunt in vtilitatem vtriuſque, ſed in alijs contractibus, qui ſunt in vtilitatem vtriuſque contrahentis exiſtente pari periculo, ſi res ſint æqualis valoris, poteſt iuſtè præferre res proprias alienis. ergo etiam in rebus commodatis. Maior probatur, quià quandò commodatum eſt in vtriuſque vtilitatem non habet aliqua potiora priuilegia, ac habeant alij contractus; in tantum enim commodatarius tenetur ad exactiſſimam diligentiam quandòque, in quantum commodatum eſt in ſolam ipſius vtilitatem per ea, quæ dicta ſunt ſuperiùs *Prænot. 4. aſſert. 2. verſ. probatur 2.*, ergo, ſi fuerit in vtriuſque commoditatem, non tenebitur &c. Minor probatur ex ijs, quæ dicta ſunt *hoc eod. tom. ſub tit. Contractus VII. de Societate Diſquiſ. I. §. 10. num. 6.* in terminis ſocietatis.

Quandò comodatū eſt in cõmodatū vtriuſque contrahentis non habet ſpecialia iura.

Probatur ſecundò quoad ſecundam partem, quia commodatarius, quandò commodatum eſt in ipſius ſolius vtilitatem, tenetur exactiſſimam diligentiam adhibere in eodem, & talem, qualem quiſque ſolertiſſimus pater familias ſuis rebus adhibet, ità tamen, vt eos caſus non præſtet, quibus nullatenus reſiſti poteſt *l. in rebus ff. commodati*, ſed exiſtente pari periculo, & æquali valore rerum ſuarum cum rebus commodatis commodatarius non exhiberet exactiſſimam diligentiam, niſi preferret res commodatas proprijs, ergo &c. Minor probatur, quià ipſa ratio quidditatiua prælationis, quæ exhibetur in rebus proprijs, dicit negationum ſummæ prælationis in rebus commodatis.

Non eſſet exhibita ſumma diligentia

Probatur tertiò quoad eandem argumento ad hominem contra Ognate. In contractibus, in quibus res alienæ alteri traduntur in ipſius ſolius vtilitatem, vt incolumes ſeruentur, tanta diſtrictione, & rigore opus eſt, vt iuberentur cuſtodiri non ſolum, vt propriæ, ſed etiam pluſquam propriæ, nec ſolum diligentèr, ſed etiam diligentius, & diligentiſſimè. Hæc eſt ratio, propter quam idem *Ognate d. tract. 12. diſp. 43. ſect. 4. num. 65.* ſtatuit regulam generalem, qua dicitur, quod, quandò commodatum eſt in ſolius commodatarij vtilitatem teneatur hic de leuiſſima, ſed, ſi in æquali periculo, & æquali valore rerum ſuarum cum rebus commodatis poſſet præferre res proprias, vt ipſe inconſequentèr aſſerit *d. tit. 12. diſp. 43. ſect. 8. num. 140.*, res commodatæ non cuſtodirentur pluſquam propriæ, ſed propriæ pluſquam commodatæ, ergo &c. Videat modò, qua conſequentia in præſenti aſſerat, non eſſe culpam, nec leuem, nec leuiſſimam ſeruare rem propriam in concurſu rei commodatæ, quandò propria eſt æqualis valoris? dum ante dixerat conſtituere culpam leuiſſimam non cuſtodire res alienas in ſolius recipientis vtilitatem datas pluſquam proprias?

Argumētū efficax aduerſus Ognate ex eius principijs.

Procedamus vlteriùs contrà eundem Ognate. Aſſerit *hic d. ſect. 8. num. 140.* hanc quæſtionem in voluntate expreſſa, vel tacita contrahentium inniti, quę, quandò expreſſa nō eſt, venit interpretanda iuxta rationis exigentiam, & ipſi ſtandum, ſed ratio exigit, vt commodatarius ſaltem tacitè ſe obliget ad præferendas res alienas acceptas in ſui ſolius commoditatem, dum ſe obligat ad diligentiſſimam cuſtodiam, nec alitèr præſumitur commodans traditurus, vt benè notat *Leſſius lib. 2. cap. 27. dub. 6. num. 24.*, ergo ex tacita voluntate contrahentium præſumendum eſt, quod fuerit inducta obligatio, vt commodatarius præferret &c.

Talis eſt voluntas præſūpta commodantis.

Leſſius.

Probatur quartò contrà eandem *ex d. l. in rebus ff. commodati*, vbi ſolum commodatarius deobligatur à præſtandis ijs caſibus, quibus reſiſti non poteſt, ſed in hypotheſi, de qua loquimur, commodatarius reſiſtere poſſet iacturæ rerum commodatarum illas præferendo rebus proprijs, ergo in hac non deobligatur, ſi non præferat &c. Neque dicas, quod hac ratione neque poſſet præferre res proprias pretioſiores rebus commodatis minus pretioſis, quandòquidem hoc pacto poſſet proprias amittendo reſiſtere iacturæ rerum commodatarum; contrà enim impugnaberis, quià, quandò diximus ſolum commodatarium deobligari à præſtandis ijs caſibus, quibus reſiſti non poteſt, hoc non intelligendum eſt metaphyſicè, ſed tantum moralitèr, quatenùs ſcilicet reddat hunc ſenſum, vt non poſſit reſiſti efficiendo ea, quæ per iura in ſimilibus præcipiuntur fieri, ſecùs autem, ſi poſſit reſiſti efficiendo ea, ad quæ iura, nec voluntates præſumptæ contrahentium obligant. Iura autem, & præſumptæ contrahentium voluntates non intelliguntur obligare in ordine ad ſeruandas res commodatas minus pretioſas, vt amittantur propriæ pretioſiores.

Commodatarius reſiſtere poſſet periculo rei commodatæ.

Probatur vltimò quoad idem. Ordo rationis poſtulat, vt magis obligetur erga res alienas, qui illas accipit in gratiam ſui ipſius præciſè, ac qui accipit in vtilitatem tam ſui, quam dantis, vt *ex d. l. in rebus ff. commodati*, ſed in caſu, quo quis accepit in vtriuſque commodum, poteſt dumtaxat præferre res ſuas, quandò ſunt æquè pretioſæ cum alienis, non autem, quandò alienæ ſunt pretioſiores, ergo in caſu, quo quis accepit in commodum dumtaxat proprium, non poterit res ſuas præferre quantumuis æquales, cæteroqui æquè obligaretur in vtroque caſu.

PRÆNOTIO VIII.

Quid ſit Depoſitum, & Quotuplex.

SVMMARIVM.

Ethimologia nominis quoad depoſitum 1.
Depoſitum eſt contractus, quo aliquid alicui, vel explicitè, vel implicitè acceptanti gratis cuſtodiendum traditur, vt illud reſtituat 2.
Depoſitum aliud regulare, aliud irregulare 3.
Quandonam præſumendum ſit, quod depoſitum ſit regulare, vel irregulare 4.
Aliud eſt neceſſarium, aliud voluntarium 5.
Aliud ſequeſtrum, aliud ſimplex 6.
Explicantur omnia, quæ pertinent ad rationem depoſiti ſequeſtri 7.

1 NOn immoramur in nominis ethimologia inquirenda, quandòquidem ex ſe patet deriuari a verbo, *pono*, quod ſignificat miſſionem rei, & præpoſitione, *De*, quæ ex Vulpiano importat quoddam augmentum; quaſi, quod depoſitum idem ſonet, ac commiſſio rei alteri non ſolùm per poſſeſſionem corporalem eiuſdem rei, ſed ad ipſius fidiſſimam cuſtodiam, quod eſt id, quod teſte *Paulo de Caſtro in l. 1. ff. depoſiti* importatur per illud augmentum, quod ſignificet particula, *De*, Accedimus igitur immediatè ad ſubſtantiam rei inueſtigandam per ipſius definitionem, pro qua prius aduerte, Depoſitum poſſe duplicitèr ſumi, vel pro re ipſa depoſita, in quo ſenſu definitur *à Vulpiano in d. l. 1. ff. Depoſiti*, quod ſit id, *quod cuſtodiendum alteri traditum eſt*, vel pro ipſo contractu, vi cuius ipſa res alterius fidei committitur, atque hoc eſt ſtatus præſentis indaginis. Sit igitur

Explicatur ethimologia depoſiti.

Paul. de Caſtro.

Vulpian.

2 Aſſertio I. Depoſitum eſt contractus, quo aliquid alicui, vel explicitè, vel implicitè acceptanti gratis cuſtodiendum traditur, vt illud integrum reſtituat. Conſentiunt omnes Doctores tam Theologi, quam iuris interpretes, & expreſsè deducitur ex definitione Vulpiani *in d. l. 1. ff. Depoſiti*, quamuis per hanc attingatur ſolum res ipſa depoſita, non formalitèr contractus, per quam fit depoſitum

Vulpian.

Explicatur primò definitio per diſcuſſionem particularum. Dicitur, *Contractus*, quæ particula ſtat loco generis, & per ipſam Depoſitum conuenit cum alijs omnibus contractibus, & differt ab ijs, quæ propriè contractus non ſunt. Depoſitum etenim, ſi propriè ſumatur, eſt verè, & formalitèr contractus, &, licet nulla videatur in deponente conſurgere obligatio, nihilominùs ex vi depoſiti formalitèr obligatur ad expenſas omnes vtiles, & neceſſarias factas per Depoſitarium, ſeù faciendas in re depoſita, & ad omnia damna, quæ indè pati poſſit, & patiatur ipſe depoſitarius, qua ratione huic conceditur actio contraria depoſiti contrà deponentem, prout tradit *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 9. verſ. duæ actiones in fin.*, & nos etiam infra docebimus

Depoſitum eſt formalitèr contractus.

Azorius.

Dicitur, *quo aliquid*, per quam particulam importatur materia huius contractus, & licet ly, *aliquid*, vtpotè nomen tranſcendens videatur extendi ad quodcunque, ſicque omnia poſſe eſſe materiam depoſiti nihilominus limitatur per ſubſequentem particulam, *cuſtodiendum*, non enim omne tradi poteſt ad cuſtodiam, qua ratione aſſerunt aliqui, ſolum res mobiles deponi poſſe, & eſſe materiam huius contractus, quod, quamuis ſit verum ſecundum ea, quæ regularitèr fiunt, quandò depoſitum fit ex mera, & libera voluntate deponentis in propriam præciſè commoditatem, quia tamen non egreditur è limitibus depoſiti, depoſitio apud ſequeſtrum, quæ fit, quandò controuerſia eſt inter partes, cuius debeat eſſe res illa, ideò a materia depoſiti propriè etiam immobilia non excluduntur iuxtà textum *in l. propriè ff. Depoſiti*. In hoc contractu Depoſiti per ſequeſtrum in præſenti non immoror, quia de eo erit infra ſermo vberior, dum de diuiſionibus Depoſiti; ſolum ex occaſione hoc innuiſſe fas fuit ad oſtendendum etiam immobilia poſſe eſſe materiam quandòque huius contractus. Agunt hic aliqui fusè de ijs omnibus in particulari, quæ poſſunt cadere ſub hoc contractu tanquam materia eiuſdem, ſed de hoc etiam erit ſermo infra, dum de cauſis depoſiti.

Explicatur, quæ ſit materia propria depoſiti.

Depoſitum apud ſequeſtrum

Dicitur, *alieni, vel expreſsè, vel implicitè acceptanti*, quia vt benè notat *Molina tract. 2. diſp. 522. in princip. verſ. authore Vulpiano* ad celebrandum contractum depoſiti non ſatis eſt, vt quis in domo alterius aliquid ponat tanquam in loco tutiori, ſed neceſſe eſt, vt ei dicatur, Trado tibi hac rem in cuſtodiam, hocque colligitur *ex l. ſi ego §. vltimo ff. de iure dot.* Hæc autem acceptatio

Molina. Vulpian.

Acceptatio poteſt fieri dupliciter, & quomodò.

tio poteſt dupliciter fieri, vel per expreſſum depoſitarij conſenſum, ſeù ſaltem per acceptationem rei ſibi traditæ ſine vlla expreſſione repugnantiæ ad illud onus cuſtodiæ, ex quo arguitur præſumptus conſenſus, vel per obligationem, quam quis habet ex proprio munere cuſtodiendi ſuppoſita congrua denuntiatione, quod dixerim, propter ſtabularios, nautas, cauponas, qui ipſo iure obligantur ad cuſtodiam, quo ſciunt, vel ipſis denuntiatum fuerit, quod res aliqua fuerit in naui, ſtabulo, & Caupona repoſitum, prout rectè notauit *Antonius Gomez 2. tom. var. reſol. cap. 7. nu. 2.* ex textu *in l. 1. §. vlt., & l. 2. ff. nautæ*, & ideò conſultò poſui in aſſertione, *vel expreſsè, vel implicitè acceptanti*, ex eo etenim, quod prænarrati teneantur ex vi proprij muneris cuſtodire, intelliguntur implicitè habita notitia acceptare.

Anton. Gomez.

Dicitur, *cuſtodiendam gratis*, per quam particulam innuitur, per depoſitum non transferri in depoſitarium dominium rei depoſitæ, nec vſumfructum, nec vſum, & ſic per illam contradiſtinguitur ab alijs omnibus contractibus, in quibus transfertur dominium, & ſic à mutuo, à vendito, vel vſusfructu, & ſic a locato, & conducto, & etiam contractu cenſuali conſignatiuo, vel vſu, & ſic a commodato, & precario. Dicitur etiam, *gratis*, per quam particulam ſpecialitèr contradiſtinguitur à locato, in quo pro cuſtodia datur pecunia, vel aliquod aliud pretio æſtimabile; ex quibus etiam deduces, in depoſito non ſolum dominium remanere penès deponentem, ſed etiam poſſeſſionem ciuilem, & naturalem, vt colligitur *ex l. licet 17. ff. depoſiti*, & docent *Vuſemb. tit. depoſiti num. 6. Mantica lib. 10. tit. 5. num. 2. Aretinus in textu in l. quod meu in 1. notabili ff. de acquir. poſſeſſione*; quoad poſſeſſionem tamen ciuilem, & naturalem non nihil erit excipiendum infrà de Depoſito quoad ſequeſtrum.

Ratio differentiæ ſpecialis inter depoſitū, & alios contractus.

Vuſemb. Mantica. Aretinus

Dicitur tandem, *traditur*, per quas particulas duo potiſſimum inferuntur; primum hunc contractum potiſſimum perfici traditione, ſeù re, vt infrà latè diſſeremus; Secundum poſſeſſionem quaſi corporalem, quæ fit per illam traditionem, tranſire in depoſitarium, qui rem illam cuſtodiendam aſſumit; non etenim poteſt cuſtodire, niſi apud ſe illam habeat.

Perficitur re, & traditione.

Aſſertio II. Depoſitum multas admittit diuiſiones, quarum aliquæ ſunt ſecundum rem, aliquæ tantum ſecundum modum exprimendi, aliquæ veræ, & reales, cum membra diuidentia contineantur ſub diuiſo, aliæ tantum imaginariæ, & ad ſimilitudinem, cum aliquod ipſarum membrum non ſit propriè depoſitum. Singulas explico

3

Diuiditur primò in depoſitum regulare, & irregulare. Primum eſt, quod ſiſtit in puris terminis depoſiti, per quod res traditur alteri gratis cuſtodienda cum onere, vt eadem numero reſtituatur ſecundum rationem definitionis mox expoſitæ. Secundum eſt, quod non habet, niſi nomen depoſiti, cæterum in rigore, & propriè loquendo eſt mutuum, cum per ipſum rei depoſitæ transferatur dominium in depoſitarium *Filliutius tract. 340. cap. 1. quæſt. 2. num. 3. Molina diſp. 523. num. 1. Tuſcus verb. Depoſitum concl. 148. num. 4., & ſeqq.* & colligitur ex multis textibus iuris ciuilis, & præcipuè *l. 1. §. veſtimenta, & §. ſi quis ſeruum §. ſi pecunia ff. depoſiti, & l. Publia Meuia 26. §. Lucius Titius, & l. quintus Cæcilius ff. eod., & l. 2. ff. ſi cert. pet.* De hoc depoſito irregulari, quod potius mutuum eſt, nunc operæ pretium duxi examinare quid ſit, & in quo conſiſtat, & quomodò cognoſci poſſit, vt diſtinctum a proprio depoſito, ne alias cogar de ipſo diſſerere. Circa quæſitum quid ſit, vix remanet locus ambigendi, cum aliud abſolutè non ſit, niſi mutuum palliatum nomine depoſiti. Circa quæſitum, in quo conſiſtat, ex eodem deduci poteſt; non enim in alio conſiſtit, niſi in eo, quod quid tradatur nomine depoſiti, cum tamen dominium eiuſdem transferatur in depoſitarium, non poteſt, niſi rationem alterius contractus quoad ſubſtantiam induere. Circa quęſitum tandem quomodò poſſit cognoſci, vt diſtinctum a proprio depoſito arguendum eſt ex fine, ad quem conceditur, ex modo, & ex facultate, quam deponens concedit depoſitario.

Quid ſit depoſitū regulare, & irregulare.

Filliut. Molina. Tuſcus.

Depoſitū irregulare eſt potius mutuū, quā depoſitū.

Igitur, ſi primò tradita fuerit res, quæ in numero, pondere, & menſura conſiſtit, & in ſua ſpecie functionem habet cum onere, vt non eadem in numero, ſed in ſpecie, vt loquuntur Phyloſophi, ſeù vt non eadem in ſpecie, ſed in genere reſtituatur, vt loquuntur Iuriſtæ, tunc manifeſtè pręſumendum eſt pro mutuo, quià dominium rei traditæ ſupponitur tranſijſſe in recipientem, quod eſt contrà naturam depoſiti *l. Lucius 1., & l. deſponſaliorum ff. locati*, & ratio depoſiti, qua tale formalitèr eſt, exigit, vt eadem numero res reſtituatur Vulpianus *in l. 1. ff. depoſiti*, & ita docent omnes Doctores.

Quando res reſtituēda eſt in genere præſumēdū eſt pro irregulari.

Si ſecundò tradita fuerit res, quæ conſiſtit in pondere, numero, & menſura ſine expreſſione, an fuerit tradita cum onere reſtituendi eandem in numero, an verò in ſpecie, tunc ex præſumptionibus in ordine, vel ad mutuum, vel ad depoſitum res decidenda eſt; non etenim ex eo præcisè, quod ſit res tradita in pondere numero, & menſura arguendum eſt pro mutuo; potuit

enim

enim tradi numeratum, menſuratum, aut ponderatum, vt depoſitarius intelligeret, quantum in cuſtodiam recipiat, ac debeat reſtituere abſque facultate vſus *Molina dict. diſp. 523. in principio* iuxta textum *in d. l. Lucius* 1., *& l. deſponſaliorum ff. locati*. Quamobrem ex circunſtantijs concurrentibus ex perſona, cui traditur, & modo, quo traditur, eſt adiudicandum; ſi enim tradatur perſonæ, quam ex probabilibus coniecturis nouiſſe poteſt deponens ea vſurum, & nihilominus tradat, præſumendum eſt ex implicita voluntate tradentis datam eſſe in mutuum palliatum titulo depoſiti irregularis, quia tunc ſit traditio rei, vt altera in ſpecie reſtituatur. Vbi verò ex coniecturis nihil poteſt apparere, tunc verè adiudicarem non pro vero, & proprio depoſito, ſed pro mutuo. Hæc colligo *ex l. in naui ff. locati*. Ibi. *Nam ſi quis pecuniam numeratam ità depoſuiſſet, vt neque clauſam, neque obſignatam traderet, ſed adnumeraret, nihil aliud eum debere, apud quem depoſita eſſet, niſi vt tantundem pecunia ſolueret*, ex quo manifeſtè deduco, quod ſi tenetur dumtaxat tantundem pecuniæ ſoluere, non eandem numero, quam recepit depoſitarius, acquiſierit dominium eiuſdem ſibi traditæ, cum poſſit de illa pro ſua libertate diſponere.

[Margin: Molina. — *Ex circunſtantijs perſonæ, & loci præſumendum eſt.*]

Si tertiò res tradita fuerit in pondere, numero, & menſura puta pecunia, & non ſolum numerata, ſed etiam clauſa, & obſignata. tunc pro vero depoſito ſentiendum eſt, & colligitur *ex l. 1. §. ſi pecuniam, & l. ſi ſacculum ff. depoſiti*, & ita ſentiunt omnes ferè Doctores *Baldus conſ. 352. num. 2. in fin., & num. 3. lib. 3. Tuſcus concl. 198. nu. 4. Decius conſ.* 116. *num.* 1., quià ex quo rem illam clauſit, & obſignauit præſumitur vſum prohibuiſſe; vndè meritò docet *Baldus conſ. 236. nu. 5. lib. 5. Caphalus conſ. 306. per totum*, quod eo ipſo, quod pecunia datur obſignata, vel in capſa teneatur furti quiſquis illam violauerit. Intellige tamen, niſi deponens, vel tacitè, vel expreſsè annueret vſui.

[Margin: *Quandò pecunia non ſolum numerata, ſed etiā clauſa traditur, ſupponitur pro depoſito regulari.* — Baldus. Caphal.]

Si quartò res tradita fuerit in pondere, numero &c. ea adiecta conditione, vt dominium apud ipſum deponentem perſeueraret quouſque eadem perſeuerat cum facultate tamen depoſitario conſumendi, aut alienandi ex ipſis, dummodò tamen tantundem reſtituat, tunc pro tempore, quo non eſt conſumpta, nec alienata, nec in toto, nec in parte habet rationem depoſiti, pro tempore verò, quo conſumitur, ſeù alienatur, tunc incipit habere rationem mutui. *Nauarrus in Manuali cap. 17. num.* 180. *Molina d. diſp. 523. nu. 1. in fin. Ognate tract. 12. diſp. 43. ſect. 3. num.* 37. Colligitur expreſsè *ex l. certi conditio §. final., & l. ſeq. ff. ſi cert. pet.* Ratio eſt manifeſta, quià ante alienationē, ſeù conſumptionem ex expreſſa partium diſpoſitione dominium remanet penès deponentem, ergo non tranſit in mutuum. Rurſus ex quo depoſitarius diſponit de re illa alienando, ſeù conſumendo iam acquirit dominium, ergo non amplius remanet depoſitarius, ſed tranſit in mutuatarium.

[Margin: *Tradita re recipiente functionem cum conditione, vt perſeueret quoad dominium apud deponentem, quouſque conſumpta fuerit eſt depoſitum regulare, & irregulare, & quandò ...*]

Si quintò fuerit tradita res non recipiens functionem, nec vſu conſumptibilis, & per deponentem concedatur vſus eiuſdem depoſitario, tunc depoſitum tranſit in commodatum. Colligitur expreſsè *ex l. Lucius Titius* 2., *& l. Quintus Cæcilius* 28., *& in l. 1. §. ſi quis ſeruum ff. depoſiti*; vndè hac ratione in eadem re ſeruandæ ſunt omnes leges, iura, & conditiones, de quibus ſuprà, dum de commodato. Ratio in promptu eſt, quià depoſitum non conceditur ad vſum, benè tamèn commodatum ex natura ſua, ergo &c.

[Margin: *Si res tradatur nō vſu conſumptibilis ſit cōmodatum.*]

Si ſextò tradatur quidem res ad cuſtodiam, ſed non gratis, ſed recepta per depoſitarium mercede, tunc non retinet rationem depoſiti, ſed tranſit in locatum. Quid enim aliud præſtat depoſitarius, niſi locare operam ſuam pro mercede ad cuſtodiendam rem illam? Hoc colligitur expreſsè *ex l. 1. §. ſi veſtimenta, & §. ſi quis ff. depoſiti*, vndè meritò communi definitioni depoſiti addita eſt illa particula, *gratis*, quæ facit eſſentialitèr differre contractum gratuitum ab oneroſo.

[Margin: *Si res tradatur cū mercede ſit locatio.*]

Diuiditur ſecundò in depoſitum neceſſarium, & in voluntarium; primum eſt, quod fit cogente neceſſitate, vel incendij, vel ruinæ, vel naufragij, vel tumultus, quò apud alios res deponuntur, ne repentino infortunio, quod iam inſtat, pereant; ſecundum eſt, quod nulla cogente neceſſitate fit, ſed ex mera voluntate deponentis. Vtrumque hoc depoſitum, ſi aliæ ſeruetur conditiones non egreditur à natura veri depoſiti, vt colligitur *ex l. 1 ff. depoſiti*. Nonnullas tamen ad inuicem patiuntur differentias; nam in depoſito voluntario, ſi depoſitarius non reſtituit tenetur tantum in ſimplum; in depoſito verò neceſſariò, ſi recuſet reſtituere, tenetur in duplum, hæres tamen eius tantum in ſimplum *Gloſa in d. l. 1. ff. depoſiti*. Ratio autem huius diuerſitatis aſſignatur ab eadem *Gloſ. loco cit.* ſub his terminis, quià qui voluntatem ponit, eligere poteſt, & deliberare penès quem deponat, vndè contentus debet eſſe ſimplo, qui verò ex neceſsitate, non poteſt, vndè abundantior fides exigitur in rebus talitèr depoſitis ex neceſsitate, ſeù ignorantia, ſicque etiam maior pæna exigitur. Ex quibus facilè deduces ad maiorem, & exactiorem diligentiam teneri, & fidem depoſita-

[Margin: § — *Explicatur depoſitum neceſſariū, & voluntarium.* — Gloſa. — *Maior diligentia requiritur in depoſitario ex neceſſitate, quā ex voluntate.*]

rius ex neceſsitate deponentis, quam depoſitarius ex voluntate eiuſdem.

6 Diuiditur tertiò depoſitum in ſequeſtrum, & non ſequeſtrum. Primum eſt, quo pluribus de eadem re collitigantibus ex communi conſenſu deponitur apud tertiam perſonam, eiuſque fidei committitur, donec per Iudicem controuerſia dirimatur, & declaretur, ad quem debeat pertinere. Secundum eſt, quod ſine controuerſia propria deponentis auctoritate fit, cum res ſit in libera eius poteſtate. Porrò depoſitum, quod dicitur ſequeſtrum, adhuc quodamodò duplex eſt, alterum iudiciale, alterum non iudiciale. Primum eſt, cum res aliqua litigioſa per Iudicem extrahitur à collitigantibus, & alteri committitur, vt eam retineat, & cuſtodiat, donec per cognitionem cauſæ per eundem cognoſcatur, cui de iure ex litigantibus ſit tribuenda *cap. examinata de iudicijs, & l. licet ff. depoſiti*; ſecundum eſt, cum res aliqua litigioſa non Iudicis auctoritate, ſed communi collitigantium conſenſu alterius fidei committitur, donec cognoſcatur, cuius ſit. Diuiſio depoſiti in ſequeſtrum, & non ſequeſtrum clarè liquet *ex l. ſed ſi duo ff. depoſiti, & l. ei apud quem §. in ſequeſtrem, & §. ſi velit ſequeſter ff. eod., & l. propriè autem 6. l. licet 17. & l. ſeruus tuus 33. ff. eod., & l. ſequeſter ff. de verb. ſignif.*

Quid ſit depoſitũ ſequeſtrũ, & non ſequeſtrum.

7 Hic placet, ne aliàs de hac re admouere calamum teneamur, ea breuiter percurrere, quæ ad depoſiti ſequeſtri naturam, & conditiones pertinent, & examinare. Vt autem clariùs procedamus, ſciendum prius eſt, quid ſit ſequeſter, quid ſequeſtrum, ne in proceſſu quæſtionum terminos confundamus, & ex illorum confuſione materiam quoque obuoluamus. Sequeſter igitur ille eſt, apud quem, vel Iudicis auctoritate, vel conſenſu communi partium collitigantium res litigioſa deponitur deducto nomine à ſequendo, quatenus quodamodò ſequatur eos, qui rem illam ipſi committunt. Sequeſtrum verò poteſt dupliciter ſumi, vel pro re ipſa ſequeſtrata, vel pro actione, qua fit depoſitio, in quo conſiſtit contractus; ſi primo modo ſumatur nihil aliud eſt, quam res ipſa litigioſa depoſita; ſi ſecundo modo, nihil aliud eſt, quam depoſitio eiuſdem rei ex communi conſenſu facta, donec conferatur victori cognita cauſa. Depoſitum, quod dicitur ſequeſtrum, in multis conuenit cum eo, quod non eſt ſequeſtrum, & in multis differt; Conuenit primò in eo, quod vtrumque eſt verum, & proprium depoſitum ſecundum definitionem eiuſdem *l. propriè ff. depoſiti*, cum ſequeſtrum ſit pars ſubiectiua depoſiti in communi *l. ei apud quem §. 1. ff. eod.* Secundò, quod in vtroque res traditur alteri cuſtodienda. Tertiò in eo, quod vtrumque fit gratis ſine mercede, cæteroqui tranſiret in locatum. Differt verò primò in eo, quod ſequeſtrum datur etiam in rebus immobilibus, depoſitum verò vulgare, ſeù commune, non niſi in mobilibus communiter reperiatur. Colligitur *ex Clem. 1. de ſequeſ. poſ., & fruct.* hocque diſcrimen agnouerunt *Romanus conſ. 241. ſpectabiles Domini num. 9. Molina diſp. 522. num. 2. Tuſcus verb. ſequeſtrum concl. 203. num. 1.* Secundò in eo, quod ſequeſtrum eſt ſolummodò quoad res litigioſas, vt colligitur *ex l. propriè 6. ff. depoſiti, & cap. 1., 2., & 3. extrà de ſequeſtrat.* depoſitum verò vulgare de re certè, legitimè, & pacificè poſſeſſa à deponente. Tertiò in eo, quod ſequeſtrum fit, ſeù fieri debet à pluribus collitigantibus de iure in tali re, vel à Iudice nomine eorundem collitigantium; depoſitum verò vulgare fit a ſolo Domino rei *l. 1. ff. ſed ſi duo ff. depoſiti*. Quartò in eo, quod depoſitum vulgare poteſt a deponente pro libito reuocari; non ſic ſequeſtrum, quod non eſt reddendum, niſi poſt latam ſententiam, & non cuicunque ex deponentibus, ſed tantum victori *l. licet 17. & l. propriè 6. ff. depoſiti*. Quintò differt in eo, quod in depoſito communi non ſolum proprietas, ſed etiam poſſeſsio ciuilis, & naturalis remanet apud deponentem, in ſequeſtro verò, licet proprietas remaneat penès deponentes, poſſeſsio tamen ciuilis tranſit in ſequeſtrem, vt apertè colligitur *ex l. licet 17. ff. depoſiti*, vbi etiam redditur ratio talis differentiæ. Ibi *Rei depoſita proprietas apud deponentem manet, ſicut, & poſſeſſio; niſi apud ſequeſtrem depoſita eſt, nam tunc demum ſequeſter poſſidet; id enim agitur ea depoſitione, vt neutrius poſſeſſioni id tempus procedat*, vndè iure merito aduerſus ſequeſtrem datur actio depoſiti, quæ dicitur ſequeſtraria *l. ſi in Aſſia 12., & l. Labeo 2. ff. de dolo mal.*

Quid ſit ſequeſter, & quid ſequeſtrũ.

Conuenientia, & diſcōuenientia inter ſequeſtrũ, & non ſequeſtrũ.

Roman. Molina. Tuſcus.

Poſſeſſio ciuilis tranſit in ſequeſtrũ.

Hic tamen pro iudiciali ſequeſtro multa ſunt aduertenda, ne fiat, quandò fieri nequit, neque perturbetur legitima poſſeſsio detentoris, quandò non eſt perturbanda, aduerſus omnem iuris ordinem, volentis, quod poſſeſſio non modicum proſit poſſidenti aduerſus alios collitigantes; & primò non ex quacunque cauſa concedendum eſſe per Iudicem ſequeſtrum iudiciale, vt bene colligitur *ex l. 1. C. de prohib. ſeq pecun.* nam ſi quis contendat ſibi deberi aliquid, vel ex contractu, vel ex alia ratione, quod ſit in pacifica poſſeſſione alterius, tunc non eſt concedendum ſequeſtrum, ſed ad concedentem ſpectat probare rem illam ſibi deberi, quo probato debet poſtea petere illam rem, vndè non eſt arbitrarium Iudici ſin quocunque caſu facere ſeque-

Non ex quacunq; cauſa cōcedēdum eſt per Iudicem ſequeſtrum iudiciale.

ſtrum,

ſtrum, ſed in caſibus tantùm in iure expreſsis, ſicque, ſi aliter fiat, ſequeſtratio eſt ipſo iure nulla *Alexander conſ. 163. circà id num. 3., & ſeqq. lib. 3., & alij magis communitèr*. Secundò ſequeſtrum fieri debere in caſibus à iure conceſſis per Iudicem cum cauſæ cognitione, & magna, & vrgenti neceſſitate *Doctores in l. locupletari ff. de reg. iur. Iaſon in l. ſi fideiuſſor § ſi ſatis datum ff. qui ſatis d. cog. Bartolus in l. litibus C. de agric., & cenſ. lib. 11.*, vlterius requiritur, vt debitor ſit citatus, vt petens iuret, quod non per calumniam, ſed pro iure ſuo conſeruando litem intendit, vt debitor ſit ſuſpectus *Guido Papa deciſ. 201., & 246. Bartolus in l. intereſſe ff. de acquir. poſſeſ.*

Alexander. Iaſon. Bartolus. Guido Papa. Bartolus

Quandonam poſſit concedi ſequeſtrum iudiciale. Molina.

Vt autem dignoſcatur, quandònam poſſit fieri iudiciale ſequeſtrum in particulari placet nonnullos caſus hic recenſere. Primò in cauſa criminali, quandò confiſcanda ſunt alicui bona ob delictum, interimque, dum ſententia non fertur, qua pronnutiatur illa amiſiſſe, & fiſco adiudicentur, rectè ſequeſtrantur, vt notat *Molina d. diſp. 522. num. 2.* hocque iam obtinuit communis praxis. Secundo concedi poteſt ſequeſtrum, quandò agitur de re mobili, & qui illam obtinet, ſuſpectus eſt de fuga; tunc etenim, ſi haberi nequeant idonei fideiuſſores, tale remedium ſequeſtrationis non eſt denegandum *l. ſi fideiuſſor §. vlt. ff. qui ſatis dar. cog., & l. ſenatus conſulto §. vlt. ff. de offic. præſid.* Idem dic, ſi timor ſit, quod detinens conſumet, & poſtea non ſit ſoluendo *l. litibus C. de agric. & cenſ. lib. 11.*, niſi caueatur per idoneam fideiuſſionem. Reliquos caſus vide apud *Molinam d. diſp. 522. verſ. in ſequentib. tamen euentibus per tot.*

Quomodò ſequeſter poſſit muneri renuntiare.

Vltimo loco pro complemento nota, quod, ſi ſequeſter velit relinquere munus, adire debeat Iudicem facta denuntiatione ijs, qui eum ad id munus elegerunt, & deponere apud Iudicem id, quod in ſequeſtrum receperat, qui mandabit deponi apud publicum Depoſitarium, ſi adſit, vel alium idoneum ſequeſtrem eligere *l. ei apud quem §. vlt. ff. depoſiti*. Agunt fuſe hic aliqui de officio ſequeſtris, de eius muneribus, de oneribus iuxtà munera, & pacta, ſed, quià hæc potius ad Iuriſtas, quam ad Theologos ſpectat hæc examinare, nobis ſufficit præcedentia attigiſſe.

PRÆNOTIO IX.

Qualis contractus ſit Depoſitum, & quomodò perficiatur.

SVMMARIVM.

Depoſitum eſt contractus nominatus 1.
Eſt contractus bona fidei, non ſtricti iuris 2.
Perficitur depoſitum traditione rei depoſitæ 3.
Depoſitum eſt contractus ſecundum quid gratuitus, & beneficium reſpectu depoſitarij 4.

VIdetur hic titulus eſſe de ſubiecto non ſupponente, & appellare ſecundum adiacens, dum primum non adeſt, ſicque incongruè quæri, an ſit contractus nominatus, vel innominatus, bonæ fidei, vel ſtricti iuris, dum deficit fundamentum, quod ſcilicet ſit contractus, & licet in præcedenti prænotione in diſcuſſione particularum definitionis aſſeruerimus eſſe contractum, quià ex eodem datur actio depoſitario contra deponentem ad expenſas ſcilicet vtiles, & neceſſarias factas per eundem depoſitarium in re depoſita; nihilominus, vt notat *Ognate tract. 19. diſp. 54. ſect. 2. num. 22. ex l. ei apud quem 6. ff. depoſiti*, hæc actio non eſt propter obligationem mutuam, quam ex contractu illo contraxerit deponens, ſed de indemnitate eius, qui depoſitum ſuſcepit. Quamobrem, cum in depoſito non mutua oriatur obligatio non videtur in eodem inexiſtere propria ratio contractus, qui ex genere ſuo eſt vltrò, citròque obligatorius, prout diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus l. de contractibus, vt ſic Prænot. 3. ex l. Labeo ff. de verb. ſignif.* Nihilominus, quantumuis in depoſito non tot oriantur actiones, quot in cæteris contractibus; quià depoſitario contrarium iudicium depoſiti conceditur, & ex vi eiuſdem depoſiti, *vt in d. l. ei apud quem, & l. actione depoſiti ff. depoſiti* ideò depoſitum non ſubtraho à ratione contractus, quamuis ex natura ſua ad minora obliget deponentem, ac obligent contrahentes cæteri contractus; vndè ad id, quod ex Ognate afferebatur, dicendum eſt ad rationem contractus ſufficere, quod ex eodem contractu oriatur actio, ſiuè deinde hæc fuerit ad ipſum contractum, ſiuè ad conſequentia ad ipſum, nec meritò excludendum eſt depoſitum à ratione contractus, cum tam per iura, quàm per Doctores communitèr inter contractus connumeretur. Suppoſito igitur, quod ſit contractus propriè, licet cum minori obligatione, conſurgit ſtatim dubium primum, an ſit nominatus, vel innominatus, ſecundum, an ſit bonæ fidei, an verò ſtricti iuris. Tertium, an perficiatur ſolo conſenſu, an verò literis, & verbis, an verò tandem re, ſeù traditione. Sit igitur

Ognate. *Depoſitũ non ſubtrahendũ à cõmuni ratione cõtractus*

Aſſertio I. Depoſitum eſt contractus 1
propriè nominatus *Vuſemb. ſub hoc tit. num. 10. Mantica lib. 10. tit. 1. num. 1. Ognate tract. 19. diſp. 54. ſect. 2. num. 23.*

Vuſemb. Mantica. Ognate.

Probatur primò ex varijs iuris poſitiui textibus præcipuè *ex l. iuris gentium 7. in princip. ff. de pactis, & ex §. actionum Inſtit.*

con-

de actionibus, vbi depoſitum ioter reliquos cootractus nominatos adnumeratur. Secundò ratione, quià depoſitum habet proprium, & ſpecificum oomen, per quod cootradiſtinguitur ſpecificè a cæteris omnibus contractibus pet ea, quæ probata ſunt ſuprà præcedenti prænotione in explicatione definitionis. Rurſus ex eodem oriuntur actiooes ex tali nomioe, non ſolum præſcriptis verbis, ergo depoſitum eſt propriè contractus nominatus, cum habeat omnes cõditiones tequiſitas ad rationem eiuſdem.

Oriuntur actiones ex nomine depoſiti.

2 Aſſertio II. Eſt contractus bonæ fidei, non ſtricti iuris *Vuſemb. hoc tit. nu. 15. Mantica lib. 10. tit. 5. num. 5. Tuſchus verb. Depoſitum conc. 198. num. 2. Baldus conſ. 256. actum in fin. lib. 1.*, & eſt communis apud omnes tùm Theologos, quàm iuris peritos

Vuiemb. Mantica. Tuſchus. Baldus.

Probatur primò *ex l. bona fides 31. ff. depoſiti*, vbi dicitur, quod bona fides eſt in genere, vt res depoſita depooenti reſtituatur. Secundò *ex eod. §. actionem Inſtit. de actionibus*, vbi inter actiones bonæ fidei numerantur actiones ex depoſito, vt legenti ſit manifeſtum. Tertiò ratione, quià ex ex ſuperius dictis in depoſito non datur propriè compenſatio, ſeù detentio rei depoſitæ propter debitum deponentis ex alia cauſa, quantumuis fuerit liquidum, quià cootractus hic conſiſtit in ſumma fide, quam habet depooens erga depoſitarium, intuitu cuius eidem committit res proprias cuſtodiendas, vodè non immeritò *Baldus dict. conſ. 256. actum in fin. lib. 1.* dicit commodatum eſſe contractum booæ fidei ſupremæ. Quartò, quià io huiuſmodi contractu Prætor latiſſimè interpretatur, vt præcipuè colligitur *ex l. 1. §. prætor ait ff. depoſiti*, ergo eſt contractus bonæ fidei, non ſtricti iuris, in quo Prætori non licet interpretari, cum debeat ſtrictiſſimè iudicare per ea, quæ dicta ſunt *tom. 1. ſub tit. Contractus I. Prænot. 3.* dum de diuiſionibus contractus in genere

Plura iura enunciant eſſe bonæ fidei

3 Aſſertio III. Depoſitum eſt ex illis contractibus, qui nec ſolo conſenſu, oec verbis, nec literis perficiuntur, ſed re tantum, hoc eſt traditione rei depoſitæ *Vueſemb. hoc tit. num. 3., & 5. Azotus in ſumma hoc tit. num. 2. Mantica lib. 10. tit. 1. num. 1. Ognate d. tract. 19. diſp. 54. ſect. 2. num. 25.*, qui tamen hoc verificari dumtaxat de iure communi aſſerit; in Regnis etenim Hiſpaniarum ſancitum ait, vt quotieſcunque contrahentes velint obligari, quomodòcunque hoc præſtant, ſiue verbis, ſiuè literis, ſiuè conſenſu explicito immediatè oriantur obligationes, ſeù actiooes ex depoſito.

Azon. Mantica. Ognate.

Probatur primò *ex §. penult. Inſtit. quib. mod. re contrah. oblig.*, vbi ſic legitur *præterea, & is, apud quem res aliqua deponitur re obligatur, & tenetur actione depoſiti.* Secundò ex celebri regula, quam tradit *Bartolus in l. iuris gentiam 7. ff. de pactis §. 1.*, quaque aſſerit contractum illum non niſi re perfici, qui io ſuo oomine, & ex vi eiuſdem ſignificat ipſam executionem per rei traditiooem, ſed ipſum depoſitum ex ipſa vi oominis ſignificat traditionem, deponi etenim, eſt tradi, ſeù poni rem in fidem alterius, vt ex ſe eſt manifeſtum, noo enim propriè dicitur deponere, qui promittit deponere, ergo &c.

Bartolus

In ſuo nomine ſignificant executionem per traditionem.

Aſſertio IV. Depoſitum eſt contractus ſecundum quid gratuitus, & beneficium reſpectu depoſitarij *Ognate d. tract. 19. diſp. 54. ſect. 2. num. 21., & cum eo omnes communitèr.* 4

Ognate

Probatur primò, quià depoſitarius ex vna parte nihil recipit pro cuſtodia, quam adhibet pro re depoſita, ex alia cuſtodiendo beneficium magnum impendit verſus deponentem, ergo quià nihil recipit, gratuitò agit, quia fauet deponenti beneficium io ipſum impendit.

Dixi, *ſecundum quid gratuitus*, ad diferentiam ſimplicis donationis, in qua donator ſimplicitèr gratuitus eſt erga donatarium, cum ipſum ex genere ſuo ad nihil obliget, depoſitarius verò non ſimplicitèr gratuitus eſt verſus deponentem, cum ex vi contractus ipſum obliget actione depoſiti ad expenſas omnes tam vtiles, quam oeceſſarias factas quoad rem depoſitam; ex quo etiam arguitur, quod hoc ſit contractus, non verò donatio, vt per ſe patet.

Diſcrimē inter depoſitum, & ſimplicem donationem.

PRÆNOTIO X.

De Cauſis omnibus Depoſiti.

SVMMARIVM.

Quæ depoſitis rebus accedunt non ſunt propriè materia depoſiti 1.

Empta pecunia depoſita non ſunt materia depoſiti 2.

Secretum, vt in teſtamento, aliiſque ſcripturis contentũ, & item inſtrumenta contractuum ſunt, & eſſe poſſunt materia depoſiti 3.

Depoſita ciſta, arca, & capſa, in quibus continentur pecunia, & continentia, & contentum ſunt materia depoſiti 4.

Regularitèr omnes poſſidentes poſſunt deponere 5.

Item filij res Patris, ſerui dominorũ, ità tamen, vt actio competat Patri, & dominis. Ibid.

Depoſitum, quantum ad effectum vendicandi rem depoſitam poteſt fieri cuicunque etiam ante vſum rationis, non verò ad effectum agendi ex dolo 6.

Depoſitum poteſt fieri duobus ad effectum obligandi vtrumque 7.

Depoſitum factum Religioſo, vel Clerico valet non quantum ad obligandam Eccleſiam, vel Monaſterium, niſi fuerit conuerſum in vtilitatem eiuſdem Eccleſiæ, ſeu Monaſterij, ſed quantum ad effectum obligandi eundem clericum, ſi ſit ſoluendo, vel Religioſum non actione depoſiti, ſi res eius culpa perierit, ſed rei vendicatiua, ſi adhuc apud ipſum exiſtat 8.

Præſumptiones ad dignoſcendum, quandò depoſitum ſit conuerſum in vtilitatem Eccleſiæ 9.

EX ijs, quæ dicta ſunt ſuperius de cauſis commodati, facile erit conijcere, quęnam etiam ſint, ſeu poſſint eſſe cauſæ Depoſiti, ſed quia ex varietate finis, & ex diuerſis obligationibus, & actionibus, quæ ex vtroque oriuntur, oriri etiam poſſunt diuerſæ rationes tùm in ordine ad efficientem, adeò vt vni ſit prohibitum commodare, & non deponere, tum in ordine ad finem, & ad materiam, ideò omiſſis, quæ communia ſunt vtrique contractui, me confero ad ſpecialitèr ea inueſtiganda, quæ propria videntur contractus depoſiti; & quidem in ordine ad cauſam finalem, licet hæc validè diuerſa ſit a cauſa finali commodati, cum huius ſit vſus in fauorem commodatarij, non eſt tamèn locus diù immorandi, quandòquidem ex ipſa definitione ſuperius tradita clarè liquet eſſe ipſam eiuſdem rei cuſtodiam, quod ſi alius finis præfigatur, iam depoſitum tranſiret in alium contractum per ea, quæ dicta ſunt ſuperiùs, in ordine verò ad cauſam formalem, quæ alia intrinſeca eſt, alia extrinſeca nihil eſt addendum ſeruato ordine ijs, quæ dicta ſunt *ſub hoc eod: titulo Contractus IX. Prænot.* 3. de cauſa formali intrinſeca, & extrinſeca commodati; in ordine tandèm ad cauſam materialem, iam ex ſupradictis patet, in ordine ad depoſitum vulgare non eſſe, niſi res mobiles, in ordine ad ſequeſtrum etiam immobilia; nihilominus de aliquibus rebus in particulari erit aliqualis ſermo in hac prænotione. Præcipuus igitur ſcopus præſentis diſputationis erit in ordine ad cauſam efficientem, quæ eſt deponens, & depoſitarius. In ordine iam ad cauſam materialem præter prædicta ſit.

Finis depoſiti eſt ipſa rei cuſtodia.

Cauſa formalis duplex intrinſeca, & extrinſeca.

1 Aſſertio I. Quæ depoſitis rebus accedunt non ſunt propriè materia talis depoſiti *Ognate d. tract. 19. diſp. 54. num. 69. verſ. etiam inſtrumenta*, qui dicit quidèm, non tamèn probat. Expreſſius dicit, & probat *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 8. in princip.*

Ognate, Azorius.

Probatur *ex l. 1. §. quæ depoſitis ff. depoſiti*, vbi expreſsè ſic legitur. *Quæ depoſitis rebus accedunt non ſunt depoſita, vtpotè veſtitus deponatur, veſtis etiam non eſt depoſita, nec ſi equus cum capiſtro, nam ſolus equus depoſitus eſt*, quo quid clarius ad rem noſtram? Non acquieſcit *Gloſ. in d. l. 1. verb. cum capiſtro ff. eod.* huius textus expreſſæ diſpoſitioni, ſed cum *Accurſio ibi* aſſerit in tali depoſito perindè eſſe, ac ſi equum, & capiſtrum, deponens depoſuiſſet, quod colligit *ex l. illi ff. de vſufruc. leg.*, *& ex l. ſi vt certo §. ſi me ff. commodati*, quæ Gloſa etiam vlteriùs procedit dicens, hæc ſubſiſtere non ſolum, ſi dicatur in tali contractu, *depono equum cum capiſtro*, ſed etiam præcisè *depono equum*, ſi hic fuerit capiſtratus, adeò vt teneatur depoſitarius non ſolum de equo, ſed etiam de capiſtro habere cuſtodiam, alias depoſiti agitur, non vt pro depoſito, ſed vt pro acceſſorio depoſiti. Sed immeritò non acquieſcunt Gloſa, & Accurſius, & irrationabilis eſt ipſorum impugnatio, vtpotè, quæ nullo iuris fulcimento ſubſiſtit, & directè reſiſtit textui præallegato. Iura allegata non faciunt ad rem, nam textus *in l. ſi vt certo*, procedit in terminis diuerſis commodati, in quo diſpar omninò eſt ratio, nam vt benè obſeruat *Azorius loc. cit.* commodatum ex genere ſuo eſt in gratiam, & commodum præcisè commodatarij, ſicq; quæ commodatum comitantur, vel ad ipſum conſequuntur pro commodatis habentur, quia illud, quod accedit ſimul cum re commodata eſt vtile commodatario, depoſitum verò eſt in gratiam deponentis, & potius in onus depoſitarij, adeòque non habetur, vt depoſitum; ex quo ſequitur quidem, quod, quotieſcunque res illa, quæ accedit depoſito, perſeuerat, poſſit quidem repeti a deponente rei vindicatione, non actione Depoſiti. Non negauerim tamen, quod ſi expreſsè actum eſſet de depoſito etiam quoad illa acceſſoria inter contrahentes habeant & illa vim depoſiti; ſed cum vſu ſint conſumptibilia, non poſſet deponens agere pro deterioratione, ſi in vſu equi, vel hominis eſſent conſumpta, vel deteriorata.

Senſus Gloſæ, & Accurſij reprobantur.

Azorius.

Diſcrimẽ inter cõmodatũ, & depoſitum.

Aſſertio II. Empta pecunia depoſita non ſunt propriè materia præcedentis depoſiti *Mantica lib. 10. de tacit. tit. 5. num. 1. Ognate d. tract. 19. diſp. 54. ſect. 5. num. 71.* 2

Mantica, Ognate.

Probatur expreſsè *ex l. ſi ea pecunia C. de rei vendicatione*, vbi ſic legitur: *Si ea pecunia, quam depoſueras, is, apud quem collocata fuerat, ſibi poſſeſſiones comparauit, ipſique traditæ ſunt, tibi vel omnes tradi, vel quaſdam ex ijs compenſationis cauſa ab inuito eo in te transferri iniurioſum eſt*; ex quibus ſic argumentor. De ratione depoſiti, qua depoſitum eſt, eſt vt res poſſit reuocari ad nutum deponentis per ea, quæ ſupra dicta ſunt, ergo, ſi deponens non poteſt poſſeſſiones illas ex pecunia per ſe depoſita emptas ad ſe trahere, & trahendo iniuriam irrogat empto-

Depoſitũ debet poſſe reuocari ad nutum deponentis.

emptori, vt *in d. l.* conſpicitur manifeſtè ſequitur ipſas non habere rationem materiæ depoſitæ. Verum tamen eſt, quod aduerſus depoſitarium ex pecunia, depoſita ementem poſſeſſiones illas deponens poterit agere actione furtiua, & ſimul actione depoſiti ad repetendam æſtimationem rei per ſe depoſitæ, vt infra clarius innoteſcet.

Aſſertio III. Secretum, vt in teſtamen-
3 to, alijſque ſcripturis contentum, & item inſtrumenta contractuum ſunt, & poſſunt eſſe propriè materia depoſiti. Quoad inſtrumenta contractuum expreſsè colligitur *ex l. 5. C. depoſiti*, vbi dicitur, quod inſtrumenta apud ſequeſtrum depoſita per conductorem, & locatorem debere de iure reddi conductori facta ſolutione, ergo ante factam ſolutionem ſupponitur iure tenere depoſitum. Rurſus *in l. 6. C. eod.* dicitur *Is penès quem vtramque partem tranſactionis, vel alia inſtrumenta commendaſſe dictam legem, qua hæc ſuſcepit, ſeruare neceſſe habet*; ſi igitur ſeruare habeat legem depoſiti, ex neceſſitate ſequitur, quod depoſitum teneat; nec in hoc inuenio aliquid repugnans, quandòquidem ipſa inſtrumenta, quandòque ſunt magis æſtimabilia, quam res aliæ, quæ deponi conſueuerunt. Quoad ſecretum ex teſtamento, alijſque tabulis expreſsè habetur *ex l. 1. §. ſi quis tabulas ff. depoſiti*, vbi dicitur, quod, qui tabulas teſtamenti depoſitas publicè legerit, depoſiti, & iniuriarum tenetur, & prima actio ad intereſſe, ſi quid intereſt, ſecunda datur, ſi non intereſt, ad æſtimationem iniuriæ.

Quandòque inſtrumẽta ſunt magis æſtimabilia, quam pecunia.

Aſſertio IV. Depoſita ciſta, arca, ſeù
4 capſa, in quibus res pretioſæ includuntur, non ſolum ipſa ciſta, arca, & capſa ſunt materia depoſiti, ſed etiam res incluſæ *Pariſienſis conſ. 74. num. 4. lib. 1. Mantica lib. 10. de tac. tit. 5. num. 3. Bartolus in l. 1. §. ſi ciſta ff. depoſiti Iaſon in l. in actionibus num. 43. ff. de in lit. iur.*

Pariſienſis. Mantica. Bartolus. Iaſon.

Probatur *ex l. 1. §. ſi ciſta ff. depoſiti*, vbi, licet eſſet controuerſia, an res incluſæ venirent in depoſito, quandò res incluſæ oſtenſæ ſunt depoſitario, non verò, quandò non oſtenſæ, *Labeo ait, eum qui ciſtam depoſuit ſingulas quoque res videri deponere, ergo & de rebus eum agere oportere. Quid ergo, ſi ignorauit is, qui depoſitum ſuſcipiebat res ibi eſſe? non multum facere, cum ſuſcepit depoſitum. Ego & rerum depoſiti agi poſſe exiſtimo, quamuis ſignata ciſta depoſita ſit*, nec aliquam vim aduerſus hunc textum facere poſſe videtur, quod res contentas in ciſta non exhibuerit, in quo vim magnam conſtituit *Accurſius in l. 1. §. vltimo ff. nautæ*, quià nimis periculoſum eſſet ei, qui deponit pecuniam, vel alias res pretioſas exhibere.

Textus euincens expreſsè intentum.

Accurſius

Aſſertio V. Regularitèr omnes poſſiden-
5 tes res poſſunt deponere illas nullo penitus excepto, quinimmò bona fide filij res Patris, ſerui dominorum &c. ita tamen, vt actio competat Patri, dominis &c.

Probatur primò quoad primam partem, quia vnuſquiſque poteſt egere, vt res ſuæ deponantur apud fidelem cuſtodem, & depoſitarium, ergo vnuſquiſque poteſt deponere. Conſequentia tenet, quia ex quo eget, non eſt, cur debeat priuari ſuæ neceſſitatis remedio. Antecedens probatur in caſibus incendij, vel ruinæ, vel naufragij, vel tumultus, de quibus ſupra in diuiſione depoſiti in neceſſarium, vel voluntarium.

Nõ debet quis priuari ſua neceſſitatis remedio.

Probatur ſecundò quoad eandem, quia in depoſito deponens ſibi potius alterum obligat, quam ſe illi, & potius vtilitatem nanciſcitur, quam detrimentum, ergo vnuſquiſque poterit validè, & licitè deponere, nam quamuis per ius poſitiuum excludantur aliqui à iure poſitiuo contrahendi, hoc intelligitur obligando ſe alijs, non verò obligando alios ſibi, vt latè dictum fuit de filijs familijs, alijſque, quibus vetitum eſt contrahere.

Deponens potius ſibi alterum obligat, quam ſe alteri.

Hinc filij familias, minores, Prodigi, Furioſi validè res ſuas deponunt, quià per depoſitum potius nanciſcuntur vtilitatem, quam detrimentum, eaſque poſſunt ad libitum reuocare. Quinimmò ius poſitiuum *in l. 2. §. ſi prædo ff. depoſiti* extendit hanc facultatem deponendi ad prædones, & fures. Ibi *Si prædo, vel fur depoſuerit, & hos Marcellus lib. 6. digeſtorum putat depoſiti rectè acturos nam intereſt eorum, eo quod teneantur.*

Filij, prodigi vtilitatem nanciſcũtur deponẽdo.

Probatur tertiò quoad ſecundam partem *ex eod. l. 1. §. non ſolum ff. depoſiti*. Ibi *Non ſolum, ſi ſeruus meus, ſed & ſi is, qui mihi bona fide ſeruit, rem depoſuerit æquiſſimum eſt mihi dari actionem, ſi rem ad me pertinentem depoſuit*, quod idem reperitur *in ead. l. 1. §. ſi duorum*. Ibi *Si duorum ſeruus ſit qui depoſuit vnicuique dominorum in partem competit actio depoſiti*, & rurſus *in ead. l. 1. §. an in pupillum in fin.*, vbi ſic legitur *Si ſeruus meus depoſuerit, nihilominus depoſiti habebo actionem*. Quæ omnia ex paritate rationis extendi poſſunt etiam ad filium familias deponentem res Patris ſui, quod etiam euincunt plura iura infra alleganda.

Aſſertio VI. Depoſitum, quantum ad effectum vindicandi rem depoſitam a depoſitario, ſi extat, vel, ſi non extat, ad exigendum id, in quo factus eſt locupletior fieri poteſt cuicunque etiam ante vſum rationis; quantum verò ad effectum agendi ex dolo, non niſi iudicio rationis pollentibus. Ita in vniuerſum *Molina diſp. 525.*, cui in parte adhæret *Ognate tract. 19. diſp. 54. ſect. 5. num. 63.*

Molina. Ognate.

Probatur prima pars *ex l. 2. ff. commodati*, vbi expreſsè hoc aſſeritur. Deindè

per illud depoſitum dominium talis rei non eſt tranſlatum in recipientem, ſed remanet adhuc penès conferentem, quæ propterea quouſque extat, ſemper clamat pro domino, ergo rei vendicatione poterit conferens illam repetere. Rurſus in eo, in quo factus eſt locupletior depoſitarius ex re recepta, vt potè ex re aliena ſemper tenetur erga dominum talis rei *l. 3. in principio, l. 1. in fin. ff. commodati, l. 1. §. an in pupillum ff. depoſiti*, ergo quoad hunc effectum depoſitum illud poteſt fieri cuicunque. Expreſsè hoc totum colligitur *ex d. l. 1. §. an in pupillum*, vbi ſic legitur. *Nam in quantum locupletior eſt factus datur actio in eum, & ſi dolus non interuenit*. Verum tamen eſt, quod illud depoſitum ſic factum incapaci rationis in ratione contractus non ſubſiſteret, cum non interueniret conſenſus ad validitatem contractus requiſitus, vndè iure merito non dantur ex eodem actiones depoſiti, ſed tantum vendicatio rei, quæ habetur etiam, ſi nullus contractus interueniat ex dominio præcisè in eadem re.

Quouſque rei extat ſemper clamat pro domino.

Non ſubſiſteret tamen in ratione contractus.

Probatur ſecunda pars *ex d. l. 1. §. an in pupillum ff. depoſiti*, vbi ſic legitur. *An in pupillum, apud quem ſine tutoris auctoritate depoſitum eſt, depoſiti actio detur quæritur. Sed probari oportet, ſi apud doli mali iam capacem depoſueris, agi poſſe, ſi dolum commiſit*. Hoc idem habetur *in d. l. 1. §. filium familias ff. depoſiti* de filio familias. Ibi *Filium familias teneri depoſiti conſtat, quià in cæteris actionibus tenetur, ſed eo cum Patre eius agi poteſt, dumtaxat de peculio*.

Dolus eſſe non poteſt in incapaci rationis.

Hoc idem, quod de pupillo, & filio familias dictum eſt habetur etiam de ſeruo *in ead. l. 1. §. filium familias ff. depoſiti. Idem & in ſeruo num eum Domino agatur. Planè, vt Iulianus ſcribit, & nobis videtur, ſi eorum nomine, qui ſunt in poteſtate agatur venit in iudicium, & ſi quid per eum, in cuius iure fuit captum, fraudatum re eſt, vt & dolus eorum veniat, non tantum ipſorum, cum quibus contractum eſt*. Hic autem maxima oritur difficultas ex textuum varietate, ſeù potius contrarietate; nam *in hac l. 1. §. ſi apud ſeruum* expreſſe dicitur non tenere actionem contra ſeruum, apud quem res depoſita eſt poſt manumiſſionem ex contractu ante facto, ſed tantum ex delicto; in hac verò *eadem l. §. filium familias*, vbi poſtquam conceſſa eſt actio depoſiti aduerſus filium familias ſubiungitur. *Idem & in ſeruo*, quod etiam clarius confirmatur ex ſubſequentibus *in eod. §. filium familias in fine* dum dicitur, quod ſi quid captum, ſeù fraudatum ſit per eum, in cuius iure eſt ſeruus, non ſolum veniat dolus domini, ſed & eius, cum quo contractum eſt. Certè in hoc video maximam iurium diſſonantiam. Nihilominus vtrumque textum placet componere, non quidem, vt exponit *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 3. verſ. ſed quid dicendum de eo* quatenus *in d. §. filium familias* datur actio aduerſus ſeruum non quidem depoſiti, ſed vendicatiua rei, ſi apud ipſum extat, *in §.* verò *apud ſeruum*, denegetur eadem dumtaxat actio depoſiti, concedantur tamen aliæ puta vendicatio &c. Non, inquam, hoc pacto, quia *in d. §. filium familias* non ſolum dicitur *Idem, & in ſeruo*, quæ particula, vtpotè relatiua eandem actionem importat, quam importat relatum, ſeù id, ad quod refertur ſcilicet actionem depoſiti, quæ ibi conceditur aduerſus filium familias, ſed etiam ſubditur in fine, quod ſi quid fraudatum eſt, vel captum per eum, in cuius iure eſt ſeruus non ſolum veniat dolus Domini, ſed etiam ſerui cum quo contractum eſt, ergo non ſolum contra dominum agitur, ſeù agi poteſt ex dolo, ſed etiam contra ſeruum, & non ſolum actione vindicatiua, vt aſſerebat *Azorius*, ſed etiam actione depoſiti ex dolo. Alio igitur medio, ſeù via componenda res eſt. Dic igitur, vel cum *Gloſa in d. l. 1. §. ſi apud ſeruum in verbo non tenere* in illo *§. filium familias* dari actionem ratione præſentis depoſiti, in hoc autem *§. ſi apud ſeruum* negari ratione doli in ſeruitute commiſſi, prout etiam colligitur *ex l. atque natura ff. de reg. geſtis*, vel cum alijs negari ratione doli commiſſi extra contractum, non autem in ipſo contractu, vt notat etiam *ead. Gloſa in verb. commiſſi*.

Idem, quod de filio dici debet de ſeruo.

Azorius.

Actio aduerſus ſeruum eſſet rei vendicatiua.

Gloſa.

Actio doli eſſet ex delicto extrà contractum.

Aſſertio VII. Depoſitum poteſt fieri duobus ad effectum obligandi vtrumque actione depoſiti *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 3. verſ. quid ſi apud duos in fine Filliutius tract. 34. quæſt. 4. num. 7. Ognate d. tract. 19. diſp 54. ſect. 5. num. 66.* 7

Azorius, Filliut, Ognate.

Probatur *ex d. l. 1. §. ſi apud duos ff. depoſiti*; cuius verba recito, quandòquidem planè intentum euincunt. Ibi *Si apud duos ſit depoſita res aduerſus vnumquemque eorum agi poterit, nec liberabitur alter, ſi cum vno agatur, non enim electione, ſed ſolutione liberantur. Proindè, ſi ambo dolo fecerint, & alter, quod intereſt, præſtiterit, alter non conuenietur exemplo duorum tutorum. Quod ſi alter, vel nihil, vel minus facere poſſit ad alium peruenietur. Idem, & ſi alter dolo non fecerit, & idcirco ſit abſolutus, nam ad alium peruenietur*.

Quid autem ſit dicendum, ſi non depoſitum per vnum fiat duobus, ſed per duos vni dumtaxat patet *ex d. l. 1. §. ſed ſi duo ff. depoſiti*; ſi enim inter eoſdem depoſitores conuentum fuerit, vt vnus tollat totum, tunc hic poterit agere in ſolidum, ſi verò, vt vnuſquiſque pro parte, pro parte etiam agendum erit.

Aſſertio VIII. Depoſitum factum Religioſe

gioſe

gioſo, vel Clerico valet, non quantum ad obligandam Eccleſiam, vel Monaſterium, niſi conuerſum fuerit in vtilitatem eiuſdem Eccleſiæ, ſeù Monaſterij, ſed quantum ad obligandum eundem Clericum, ſi ſit ſoluendo, & Religioſum non actione depoſiti, ſi res eius culpa, & dolo perierit, ſed rei vendicatione, ſi apud ipſum adhuc exiſtat. Ità in vniuerſum ſentit *Molina d. diſp. 525. verſ. non ſolum Clericus, Gregor. ius Lopez l. 7. tit. 3. part. 5. Silueſter verb. Depoſitum num. 3., & 4. Armilla eod. verb. num. 4.*

Molina. Gregor. Lopez. Silueſter. Armilla.

Probatur primò quoad depoſitum factum Religioſo; nam vel hoc factum eſt eidem conſentiente Prælato, & Monaſterio, vel eiſdem inſcijs, & non conſentientibus, ſi primum conſenſus Prælati, & Monaſterij non obligat, niſi in quantum receptum conuerſum eſt in vtilitatem Monaſterij, vt habetur *cap. 1. de Depoſito*; non enim Monaſterium, aut Prælatus ex delicto ſui ſubditi tenetur per ea, quæ docet *Molina diſp. 140.* quinimmò, ſi factum fuerit Prælato, Monaſterium non tenetur, niſi quatenùs conuerſum fuerit in vtilitatem eiuſdem Monaſterij per ea, quæ habentur *in d. c. 1. de Depoſito*, & docet *Silueſter verb. Depoſitum num. 3.*, ergo multo minus tenebitur, ſi factum fuerit particulari Religioſo de conſenſu eiuſdem Prælati, niſi, quatenus &c. Si verò factum fuerit Prælato, & Monaſterio inſcijs, & non conſentientibus tunc non eſt, cur ipſum Monaſterium teneatur, cum obligari non poſſit Monaſterium ex facto particularis Religioſi, cum hic ſecundum ſe non habeat nec velle, nec poſſe, vndè deponens debet ſibi imputare, quod perſonæ non habili depoſuerit. Non negauerim tamen, quod ſi ille Religioſus conuerterit depoſitum in vtilitatem Monaſterij, ipſum obliget, prout latiùs infrà.

Conſenſus Prælati non obligat, niſi quatenus res eſt conuerſa in vtilitatem Eccleſiæ. Molina. Silueſter.

Probatur quoad depoſitum factum Clerico, quia Eccleſia non tenetur ex facto Clerici, quandò non redundat in vtilitatem ipſius Eccleſiæ, ergo depoſitum factum Clerico non valet, quantum ad effectum obligandi eandem Eccleſiam. Antecedens probatur, quia Clericus ſecundum ſe non raprææſentat eandem Eccleſiam ſecundum omnes obligationes, quas ſumit, & ſicut Prælatus non obligat Monaſterium per ſuperius dicta *ex cap. 1. de Depoſito*, ità nec Clericus. Si tamen Clericus eſſet deputatus ſpecialitèr ab eadem Eccleſia ad cuſtodiam depoſitorum, tunc non renuerem, ſicuti in caſu præcedenti de Religioſo, quod ſi ex dolo eiuſdem depoſitum periret eadem Eccleſia, ſeù Monaſterium teneretur ex bonis mobilibus non alienari prohibitis de tali depoſito, prout docet Panormitanus *in d. cap. 1. de depoſito*, quem etiam valdè commendat *Silueſter verb. Depoſitum num. 3.* Ratio eſt, quia eadem Eccleſia, ſeù Monaſterium ſecundum ſe eſt capax dominij, & in ijs, in quibus per ius poſitiuum non prohibetur, poteſt obligari, quinimmò, ſi fieret immediatè depoſitum eidem Eccleſiæ, obligaretur, vt eſt in confeſſo apud omnes, ſed, dum depoſitum fit Clerico deputato ab eadem Eccleſia ad recipiendum, intelligitur fieri eidem Eccleſiæ, ergo eadem Eccleſia obligatur; nec aliquo iure poteſt impediri actio aduerſus eandem, quià talis actio tenderet ad ea, quæ nullo iure ſunt alienari prohibita, nam, ſicuti Eccleſia debita per ſe ipſam contracta poteſt ex bonis non alienari prohibitis extinguere, ità nec extinguere per eadem actionem, ad quam ritè ſe obligauit.

Clericus ſecundùm ſe nō raprææſentat Eccleſiam. Panorm. Silueſter.

Probatur tertiò, quod obligetur Eccleſia, ſeù Monaſterium, ſi depoſitum receptum per Clericum, ſeù Monachum conuerſum fuerit in vtilitatem, ſeù commodum eiuſdem Eccleſiæ, ſeù Monaſterij; quia, ſi idem depoſitum reperiretur apud eandem Eccleſiam, ſeù Monaſtorium poſſet deponens ab eadem, ſeù eodem illud vendicare, ſi quidem ex eo, quod dominium illius non tranſtulit ſemper ius habet reale in eodem, vt docent communitèr, & præcipuè *Molina d. diſp. 225. verſ. non ſolum Clericus*, ergo, ſi non reperiatur formalitèr, reperiatur ſaltem æquiualentèr, eo quod ipſum Monaſterium, ſeù Eccleſia ex eo facta ſint locupletiora, cum conuerſum fuerit in eorum vtilitatem, poterit adhuc deponens exigere id, in quo facta ſunt ditiora. Hac eadem ratione probauimus ſuprà, quod pupillus, quantumuis non capax doli mali, teneatur rei vendicatione quoad depoſitum per ſe receptum, ſi illud extet, vel ad æquiualens, ſi ex eodem depoſito factus ſit locupletior.

Reperitur penès Eccleſiam, ſi nō formalitèr, ſaltem æquiualentèr. Molina.

Probatur quartò. In ordine ad obligandum eundem Clericum, ſi ſit ſoluendo, quià Clericus, qua Clericus præciſè eſt non eſt incapax dominij, ergo, ſi ex ſuo dolo, & lata culpa depoſitum apud ipſum interimatur, ſeu deterioretur obligabitur actione depoſiti erga deponentem. Antecedens ſecundum ſe non vertitur in dubium. Conſequentia probatur, quià ſuppoſita capacitate dominij, & obligatione aſſumpta ex eo, quod depoſitum aſſumpſerit, non eſt, cur eximi poſſit ab eadem actione depoſiti.

Clericus non eſt incapax dominij.

Probatur quintò. In ordine ad non obligandum Religioſum, ſi eius dolo, & lata culpa depoſitum perijt, & quidem ex generali regula, quia ſimplex Religioſus ex natura ſua eſt incapax cuiuſcunque dominij, vndè quidquid acquirit ipſo iure ſit Monaſterij iuxta vulgata iura, ergo actio-

Ex impotētia Religioſus deobligatur.

ne depoſiti non poterit contra ipſum agi ex dolo, & mala fide circa rem depoſitam ad eius æſtimationem repetendam, ſiue in toto, ſiuè in parte perierit, quandoquidem omnia eius lucra ſunt ipſo iure addicta Monaſterio, nec poſsunt per alia iura elidi, cum iura Monaſterij ſit potiora quibuſcunque alijs iuribus.

Res clamat pro domino vbicũque reperiatur.

Probatur tandèm, quod rei vendicatione poſſit agere deponens aduerſus eundem Religioſum, ſi res depoſita apud illum extet *l. 2. ff. commodati*, & congrua quidem ratione, quia quotieſcunque res extat ſemper clamat pro domino, & iure quodam innato in ipſum fertur per ea, quæ ſupra probata ſunt.

Præſumptiones ad cognoſcendũ, quando depoſitum ſit cõuerſum in vtilitatem Eccleſiæ.

Archidiaconus. Bartolus. Baldus. Silueſter.

9 Solum pro complemento eorum, quæ dicta ſunt in hac aſſertione, remanet dubitandum, quandonam, vbi expreſsè non conſtat, ſit præſumendum, quod depoſitum fuerit conuerſum in vtilitatem Eccleſiæ, ſeù Monaſterij, & cui incumbat onus hoc probandi. Breuiter reſpondeo primò, ſi depoſitum factum fuerit Prælato, qui conſuetus eſt benè adminiſtrare, & gubernare bona Eccleſiæ, iuſtè poſſe præſumi fuiſſe in eiuſdem Eccleſiæ vtilitatem conuerſum *Archi Diaconus in cap. hoc ius 10. quæſt. 2. Bartolus in l. Ciuitas ff. ſi cert. pet. Baldus in auth. hoc ius C. de SacroSanct. Eccl. Silueſter verb. depoſitum num. 4.*, nec incongrua ſanè ratione, quia ex quo vtilitati Eccleſiæ ſemper conſuluit, non eſt præſumendum, quod ab eodem conſilio in hoc declinauerit. Reſpondeo ſecundò, ſi alijs à Prælato ità conſueto in vtilitatem Eccleſiæ impendere, ni alitèr conſtet, onus probandi conuerſum fuiſſe depoſitum in vtilitatem Eccleſiæ, ſeù Monaſterij ſpectat ad eundem deponentem. Colligitur *ex d. auth. hoc ius C. de SacroSanct. Eccl.*, vbi in fine ſic legitur. *Et is creditor is intelligatur, qui quod credidit, probat in vtilitatem diuinæ domus proceſſiſſe.*

PRÆNOTIO XI.

De Actionibus, & obligationibus, quæ ex Depoſito oriuntur.

SVMMARIVM.

Quinque ſunt obligationes in depoſito, quæ Oriuntur reſpectu depoſitarij, & enumerantur 1.

Actiones directæ, quæ competunt deponenti contrà depoſitarium ad quid ſint, & quomodò 2.

Huiuſmodi actiones competunt etiam heredibus deponentis contrà heredes depoſitarij. Ibid.

Attenta præcisè natura contractus depoſitarius non tenetur, niſi ex dolo, & culpa lata, non leui 3.

Stabularij, caupones, & nautæ, obligantur ſaltem de leui, & quare 4.

Tenetur etiam alij de leui, & leuiſſima, ſi ità conuentum fuerit in celebratione contractus 5.

Et etiam, qui ſe obtulerunt ad ſeruandum depoſitum 6.

Item tenentur de leui, ſi mora in reſtituendo depoſitum culpam præceſſit 7.

Non poteſt fieri conuentio, quod depoſitarius non teneatur de dolo 8.

Si depoſitum factum fuerit in gratiam ſolius depoſitarij tenetur hic de leuiſſima, ſi in gratiam vtriuſque tenetur de leui 9.

Regularitèr nequit depoſitarius excuſari à reſtitutione depoſiti 10.

Excuſari nequit titulo compenſationis 11.

Non ex eo, quod ſit filius familias, minor, aut ſeruus 12.

Nec ex eo, quod res ſit litigioſa 13.

Nec ex oppoſitione alterius ſequeſtrari volentis 14.

Ex quatuor cauſis poteſt excuſari à reſtitutione, & enumerantur 15.

Enumerantur actiones contrariæ, quæ conceduntur depoſitario contrà deponentem 16.

Actiones directæ, & contrariæ.

SVb hoc vno, eodemque titulo amplam materiam aggredimur; Hic etenim primò erit ſermo, quænam actiones directæ dentur deponenti verſus depoſitarium. Secundò ex quanam cauſa dentur huiuſmodi actiones. Tertiò ex quanam culpa obligetur ad tales actiones depoſitarius erga deponentem. Quartò, an ex aliqua cauſa poſſit excuſari ab actionibus depoſiti depoſitarius non reddendo depoſitum. Quintò, quænam ſint actiones contrariæ depoſiti, quæ competunt depoſitario contra deponentem.

Enumerantur obligationes, quæ oriuntur ex depoſito in depoſitario.

Aſſertio I. Obligationes ex depoſito, quæ oriuntur in depoſitario ſunt potiſſimũ quinq; quas exponendo ſimul probabimus; prima, vt depoſitarius cuſtodiat, ac ſeruet rem depoſitam, ea fide, cura, & diligentia, qua ſolet res proprias cuſtodire, & ſeruare; colligitur *ex cap. bona fides de depoſito, & l. quod Nerua ff. depoſiti, & l. ſi vt certo §. quod verò ſenectute ff. commodati*. Secunda, vt teneatur reddere ad nutum repoſcentis depoſitum abſque mora, hocque habetur *in d. cap. bona fides, & l. 1. §. eſt autem, & §. penult. ff. depoſiti*. Tertia eſt, vt reſtituat rem non fractam, non diminutam, non deterioratam *l. ſed mihi videtur §. ſi reddita ff. commodati, & l. 1. §. ſi res depoſita ff. depoſiti*. Quarta, vt non poſſit vti re depoſita ſine conſenſu deponentis *l. ſi ſacculum ff. depoſiti, & l. qui furtum ff. de condic. furt.* Quinta, vt teneatur reſtituere quiquid ex ſua culpa, 1

& do-

& dolo in re depoſita natum eſt; ſequitur ex iuribus præcedentibus. Ratio horum omnium in vniuerſum eſt, quia contractus depoſiti eſt contractus ſupremæ fidei per ea, quæ ſupra dicta ſunt, adeòque ex eadem non eſt, cur depoſitarius ad præcedentia omnia non obligetur,

2 Aſſertio II. Actiones directæ, quæ competunt deponenti contra depoſitarium, ſunt potiſſimum ad rem ſuam non fractam, non diminutam repetendam ex quacunque ex præcedentibus cauſis, & ad quantum intereſt, quod non fuerit tempore, pro quo expoſuit, reſtituta, hæque actiones etiam competunt hæredibus deponentis contra depoſitarium, eiuſque hæredes

Competūt etiā hæredibus

Probatur primò quoad primam partem, quià actionibus paſſiuis, ſeù obligationibus, quas ex depoſito inſunt depoſitario, debent correſpondere iura, & actiones actiuæ in deponente, nam obligatio eſt erga aliquem obligatio, cum ex genere ſuo obligatio ſit relatiua, ergo, cum depoſitarius ex ſuperius dictis obligetur ad curam rei depoſitæ, ad reſtitutionem ad præſcriptum deponentis non quomodòcunque, ſed rei depoſitæ non diminutæ &c. defectu eorundem conſurget ius deponentis aduerſus depoſitarium &c,

Obligatio, & actio ſibi ſunt correlatiua.

Probatur ſecundò quoad ſecundam partem de hæredibus tàm deponentis, quam depoſitarij, quià quoad omnia iura, & onera ræpræſentant ſuos principales, ergo iſtis pereuntibus non erit, cur hæres deponentis non poterit agere contra hæredes depoſitarij; vndè merito dicitur *in l. 1. §. quod autem ff. depoſiti*, quod, ſi hæres rem depoſitam apud teſtatorem diſtraxerit ignorans depoſitam, quià dolo non fecit, non teneatur de re, teneatur tamen de pretio, & ſubditur ratio. *Hoc enim ipſo dolo facit, quod id, quod ad ſe peruenit, non reddit*

Actiones autem huiuſmodi, quæ dantur ex allegatis cauſis, vel ſunt vindicatiuæ rei, ſi res ipſa adhuc exiſtat, vel ſunt actiones ex ipſo nomine contractus, quo fiunt ad æquiualens eidem rei, ſi perierit, & ad quantum intereſt, vel quandòque ſunt furtiuæ, ſi depoſitarius vſus fuerit re contra voluntatem deponentis; vel in duplum, ſi res depoſita fuerit ex cauſa incendij, naufragij imminentis, & ſimilium, & ex culpa depoſitarij perierit, vel in ſimplum tantum, ſi fuerit depoſita per voluntarium contractum per ea, quæ dicta ſunt. Recole, quæ diximus ſupra *de commodato Prænot. 4. aſſert. 1. per totum*, & hic ſeruata proportione applica.

Vel ſunt actiones vendicatiuæ, vel ex depoſito.

Vel actio in duplū, & quo modo.

3 Aſſertio III. Attenta præcisè natura contractus ſecundum finem principalem, ad quem dirigitur, depoſitarius non tenetur, niſi ex dolo, & culpa lata, non leui, nec leuiſſima, In hanc aſſertionem propendent *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 63. art. 6. Gregorius Lopez l. 2., & 3. tit. 3. part. 5. Zabarella conſ. 115. num. 2., & ſeqq. Tuſcus verb. depoſitum concl. 200. num. 30. Azorius in ſumma C. depoſiti num. 20. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 7. verſ. primum quæritur in princip. Molina diſp. 527. in princip. Ognate tract. 19. diſp. 54. ſect. 4. num. 29., & ſeqq.*

D. Thō. Gregor. Lopez. Zabarell. Tuſchus. Azon. Azorius, Molina, Ognate.

Probatur primò, quod teneatur de dolo *ex l. ſi vt certo §. nunc videndum eſt ff. commodati, l. 1. §. quoniam autem dolus, & l. ſine dolo malo ff. depoſiti, & l. contractus ff. de reg. iur., §. præterea Inſtit. quib. mod. re contra. oblig.*, in quibus omnibus iuribus ſtatuitur in depoſito dolum eſſe præſtandum; & ratio euidens eſt, quia in omnibus contractibus, qui ſunt bonæ fidei, qualis eſt depoſitum per ſuperius enuntiata contrahentes de dolo tenentur, vt eſt in confeſſo apud omnes iuris interpretes, & Theologos

Dolus aduerſatur contractibus bonæ fidei.

Probatur ſecundò, quod teneatur de culpa lata *ex l. 1. ff. de action., & oblig., & l. 1. C. depoſiti cap. bona fides de depoſito*; nec obeſſe poteſt, quod in allegatis iuribus in præcedenti probatione ſolum ſit ſermo de dolo; nam illa iura in primis non reſtringunt ad ſolum dolum excluſiuè quoad alia, ſed ſolum concedunt actionem de dolo, quandò interuenit, non autem excludunt actionem interueniente lata culpa. Deindè ideò iura in præcitatis textibus ſolum loquuntur de dolo, quia in iure ciuili lata culpa appellatione doli comprehenditur, & dolo æquiparatur *l. quod Nerua ff. depoſiti l. aduerſus ff. ſi menſor falſum modum dixerit*. Tandem, ſi hæc iura ſolùm loquuntur de dolo, alia & præcipuè præcitata loquuntur etiam de culpa lata, vndè, ne admittatur iurium contrarietas, dicendum eſt iura loquentia de dolo ſtare poſitiuè, non priuatiuè; Ratio autem deducitur ex præcedentibus regulis generalibus poſitis ſuprà *Prænot 4. aſſert. 2., & ſeqq.* dum de commodato, quia in contractibus, qui fiunt in ſolam vtilitatem recipientis hic tenetur de leuiſſima culpa, non ex caſu fortuito, quandò fiunt in vtilitatem tam dantis, quàm recipientis hic tenetur de leui, non de leuiſſima, quandò in vtilitatem ſolum dantis, tunc recipiens tenetur ſolùm de lata, non de leui per iura ibi allegata, ſed depoſitum ex ſuo principali fine eſt in gratiam ſolum deponentis, ergo depoſitarius tenetur de culpa lata.

Culpa lata venit quandoq. appellatione doli.

Ratio ex generali regula.

Probatur tertiò, quod non teneatur de culpa leui, nec de leuiſſima *ex l. 1. C. depoſiti l. 1. §. ult. ff. eod. tit., §. præterea Inſtit. quib. mod. re contra. oblig. cap bona fides de depoſito.* Ratio autem horum iurium ea eſt, quia, cum huiuſmodi contractus fiant ex natura

ſua

ſua in ſolam commoditatem deponentis, & ſit merum beneficium depoſitarij, cum inde nullum lucrum conſequatur, iura noluerunt ipſum obligare ad exactiſſimam diligentiam, qualem adhibent ſolertiſſimi, nec ad tam exactam, qualem adhibent ſolertiores, ſed ad tantam dumtaxat, qualem adhibent communitèr homines rebus ſuis.

Dixi, *attenta præcisè natura contractus ſecundum finem principalem, ad quem dirigitur depoſitum*; non enim negauerim ex nonnullis circunſtantijs, & pactis nonnullas eſſe exceptiones admittendas ab hac communi doctrina, &

4 Primò, ſi depoſitum fiat alicui, cui ex vi proprij muneris incumbit onus res apud ſe depoſitas conſeruandi, quod exemplificant Doctores in ſtabularijs, Cauponibus, & Nautis comparatinne eorum, quæ in nauim, hoſpicium, & ſtabulum inſeruntur; iſti enim omnes, & alij ſimiles ſeruata proportione obligantur ſaltem de leui, prout colligitur *ex l. nauta ff. nauta, caupones &c.*, & docet *Antonius Gomez 2. var. reſol. cap. 7. num. 2. ex l. 1. §. vltimo, & l. 2. ff. nauta.* Ratio autem horum omnium eſt, quia huiuſmodi depoſita non ſunt in gratiam ſolummodò deponentjs, ſed etiam depoſitarij ratione contractus locationis, & conductionis cum eodem depoſito coniuncti. Addo ex diſpoſitione iuris poſitiui ne dum de culpa leui, ſed etiam de leuiſſima ſpecialitèr ſtabularios, nautas, & caupones teneri *ex l. 3. §. & hoc edicto iunctis antecedentibus, & ſeq. ff. nauta*, quod ideò ſpeciali iure inductum exiſtimo in eorum odium propter frequentes fraudes, & latrocinia in hoſpites.

Caupones, ſtabularij, & nautæ tenentur etiam de leui.
Anton. Gomez.

5 Secundò, ſi conuentum fuerit in celebratione contractus depoſiti, quod depoſitarius teneatur, & de leui, & de leuiſſima, vtique ex his culpis obligatur *cap. bona fides de depoſito, & l. 1. §. ſæpe ff. depoſiti, & §. ſæpe euenit, & l. contractus ff. de reg. iur.* Ratio autem congrua eſt, nam contractus ex conuentione legem accipiunt *cap. contractus de reg. iur. in 6., & l. 1. §. ſæpe euenit ff. depoſiti*; vbi ſic legitur *ſæpe euenit, vt res depoſita, vel ſummo periculo ſint eius, apud quem deponuntur, & in §. ſi conuenit* dicitur *Si conuenit, vt in depoſito, & culpa præſtetur, rata eſt*, quinimmò ex pacto obligari etiam depoſitarium ad caſus fortuitos docent communiter non ſolum ex præfatis iuribus, ſed etiam *ex l. iuris gentium §. item ſi quis ff. de pactis*; non enim iura obuiant huiuſmodi pactis, ſed ea relinquunt in libera poteſtate contrahentium.

Contractus ex conuentionibus legem accipiunt.

6 Tertiò, ſi is, qui depoſitum ſuſcepit ſe ipſum obtulit, tunc enim non ſolum de leui, ſed etiam de leuiſſima tenetur. Colligitur *ex d. l. 1. §. ſæpe euenit ff. depoſiti*. Ibi *Sed ſi quis ſe depoſito obtulit idem Iulianus ſcribit periculo ſe depoſiti alligaſſe, ità tamen, vt non ſolum dolum, ſed etiam culpam, & cuſtodiam præſtet, non autem fortuitos caſus.* Hoc idem habetur *in d. cap. bona fides de depoſito*, & ex ipſa natura vltroneæ oblationis euincitur; ſi enim non ſe obtuliſſet, alteri fortaſſe depoſuiſſet.

Arguitur ex natura vltroneæ oblationis.

Quartò, ſi mora in reſtituendo depoſitum culpam præceſſit tenetur etiam ex leuiſſima *l. ſi in Aſia § fin. ff. depoſiti. Gloſſa in l. prima ff. depoſiti, & in cap. bona fides de eod.* Ratio autem hæc eſt, quia ex quo depoſitarius eſt in mora reſtituendi rem depoſitam iam depoſitum non eſt in vtilitatem ſolius deponentis, ſed potius depoſitarij, qui renuit reſtituere, ergo poſt illam moram ex quacunque culpa res pereat, quantumuis culpa ſit leuiſſima, depoſitarius tenebitur ad illius reparationem. Conſequentia tenet, quia quandò contractus eſt in vtilitatem ſolius recipientis per ea, quæ ſuprà dicta ſunt, hic tenetur de leuiſſima, ergo, ſi poſt moram depoſitum eſſet potius in vtilitatem depoſitarij, quam deponentis, obligabit eundem depoſitarium ex leuiſſima. Adde, quod eo ipſo, quod eſt in mora, iam tenetur, & res ſtat eius periculo, ergo ex quacunque culpa pereat, ipſi perit. 7

Eo ipſo, quod eſt in mora periculo ipſius remanet.

Hic oritur difficultas, an ſi inter contrahentes poneretur pactum, vt nec depoſitarius teneatur de dolo, pactum illud ſubſiſteret, & obligaret depoſitarium. Reſpondendum eſt negatiuè, & ratio eſt, quia tale pactum immediatè obſiſtit bonæ fidei, quæ eſt propria huius contractus, & eſt contra bonos mores; colligitur expreſſe *ex l. 1. §. illud non eſt probandum ff. depoſiti l. contractus ff. de reg. iur., & l. ſi onus §. illud ff. de pactis.* 8

Tale pactum immediatè aduerſatur bonæ fidei.

Aſſertio IV. Si depoſitum factum fuerit in gratiam ſolius depoſitarij, vel vtriuſque, tunc in primo caſu depoſitarius tenetur de culpa quantumuis leuiſſima, in ſecundo de leui, non tamen leuiſſima *Nauarrus cap. 17. num. 180. Silueſter verb. depoſitum num. 2. Antonius Gomez 3. var. reſol. cap. 7. num. 2. Azotus in ſumma tit. Depoſiti nu. 23. Molina diſp. 527. num. 2. Abbas in cap. 2. num. 30. de depoſito, Decius conſ. 473. nu. 2.* Hic tamen aduerte, antequam probetur aſſertio, quod depoſitum extrahatur à propria quodammodò natura ex eo, quod fiat in vtilitatem depoſitarij, vel vtriuſque contrahentis; ſi etenim fiat ſolummodò in vtilitatem primi, tunc potiſſimum fit, quandò res traditur in pondere, numero, & menſura, quæque functionem admittit, non cum onere depoſitario reddendi eandem numero, ſed ſimilem in ſpecie, & ſic tranſit in naturam mutui; ſi verò fiat in vtilitatem vtriuſque 9

Nauarrus.
Silueſter
Anton. Gomez.
Azon.
Molina.
Abbas.
Decius.

In hac hypoteſi ſi extrahitur à natura depoſiti.

tunc

tunc potiſſimum fit, quandò depoſitarius pro munere cuſtodiæ aliquid accipit, & tunc tranſit in naturam locati. Non negauerim tamèn, depoſitum poſſe eſſe etiam in vtilitatem vtriuſque, quantumuis per depoſitarium nihil accipiatur pro cuſtodia; quod contingeret in caſu, quo deponens rem traderet ad finem cuſtodiæ, & depoſitarius citrà præiudicium eiuſdem re ipſa vteretur ad pompam.

Ex quadam regula, & proportione res deducitur.

Probatur prima pars ex regula generali ſuperiùs tradita, dum de commodato, quia quandò contractus in genere eſt in vtilitatem præciſè recipientis, tunc hic tenetur etiam de leuiſſima culpa, non tamen de caſibus fortuitis, ergo, ſi etiam hic contractus fuerit in vtilitatem ſolius depoſitarij recipientis tenebitur ex leuiſſima culpa.

Probatur ſecunda pars ſeruata proportione ex eadem regula, quià, quando contractus generalitèr eſt in vtilitatem vtriuſque, recipiens tenetur de leui, ergo hoc idem in hoc caſu dicendum eſt. Non ſiſto vlterius in his, quià clarè liquent ex alibi dictis, & vlterius infra apparebunt

10 Aſſertio V. Nulla cauſa poteſt excuſari depoſitarius à reſtitutione depoſiti, & ab actionibus, quæ ex eodem conceduntur, ſi quatuor excipias, proutinfra *Panormitanus in cap. bona fides de depoſito, Silueſter verb. depoſitum nu. 10. Azotus in ſumma loc. cit. num. 34., & 35. Tuſchus verb. depoſitum concl. 209. num. 6., & ſeqq. Molina diſp. 526. num. 1., & ſeqq.*

Panorm. Silueſter. Azon. Tuſchus. Molina.

Probatur primò in vniuerſum *ex l. qui depoſitum* 10., *& l. ſi quis, vel pecunias* 11., *&* 12., *& in aut. de depoſito C. depoſiti.* Ibi. *Reddere depoſitum modis omnibus compellatur, nullamque compenſationem, vel deductionem, vel doli exceptionem opponat*, redditque rationem. *Ne contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur.* Ratio autem horum iurium ea eſt, quia fuit neceſſaria hæc legum ſeueritas ad conſeruationem huius contractus, & humani commercij; facile enim depoſitarij eluderent deponentes in maximum bonæ fidei præiudicium, cui innititur hic contractus.

Neceſſaria fuit hac legum ſeueritas quare.

11 Probatur ſecundò in particulari reijciendo omnes cauſas, quibus depoſitarij poſſunt vti ad non reſtituendum depoſitum; & primò ipſis ſuffragari nequit titulus compenſationis per ea, quæ latè diximus ſuprà dum de commodato, & clare liquet *ex l. ſi quis, vel pecunias C. depoſiti, & l. vlt. C. de compenſationibus, & in auth. de depoſito C. depoſiti §. in bonu fidei Inſtit. de act.* quinimmò depoſitarius, nec poteſt aliquid deducere, nec doli exceptionem opponere *l. 1. §. eſt autem ff. depoſiti, & l. ſi quis* 11. *C. eod., & item l. fin. C. eod.* Rationem autem, cur in depoſito locum non habeat compenſatio eam tamen habeat in commodato recole ex ijs, quæ ſupra dicta ſunt, dum de eodem commodato.

In depoſito locum nō habet compenſatio.

Secundò ſuffragari nequit, quod depoſitarius ſit filius familias, minor, aut ſeruus. Colligitur *ex l. 1. §. an in pupillum ff. depoſiti, & §. ſi apud ſeruum, & §. ſi rem à ſeruo ff. eodem.* Ratio autem ea eſt, quia ipſi ex ſuperius dictis poſſunt eſſe depoſitarij, quantum ad hunc effectum, vt deponens rei vendicatione poſſit aduerſus ipſos agere, & reddendo nullam iniuriam irrogant Patri, Tutori, & Domino, cum ipſi in depoſito nullum ius acquiſierint. 12

Reddendo nullā iniuriam irrogant.

Tertiò, nec eidem ſuffragari poteſt, quod res penès ſe depoſita ſit litigioſa, prout communitèr ſentiunt *Doctores in d. l. ſi quis C. hoc tit.* Ratio autem ea eſt, quia ad depoſitarium non pertinet iudicare, & reſtituendo ei, a quo accepit, non præiudicat alteri collitiganti. Maior difficultas eſt, an ſi res illa fuerit furtiua, & per furem ipſum penès ſe depoſita poſſet ſuffragari eidem depoſitario, ne reſtitueret. Paulus *in l. 1. §. ſi prædo, vel fur ff. depoſiti* apertè aſſerit etiam Prædoni rem depoſitam reſtituendum eſſe. Verba legis hæc ſunt. *Si prædo, vel fur depoſuerit, & hos Marcellus lib. 6. ff. putat depoſiti rectè acturos, nam intereſt eorum, eo quod teneantur.* 13

Ad depoſitarium non pertinet iudicare.

Paulus I. C.

Quartò, nec eidem ſuffragari poteſt alterius oppoſitio ſequeſtrari volentis. Colligitur *ex l. ſi quis, vel pecunias in auth. de depoſito C. depoſiti*, vbi ſic legitur. *Sed iam cautum eſt, ne quis extrinſecus depoſitario interdicet depoſiti reſtitutionem, qua ſubſecuta depoſitor poſſidens pulſari poterit ab eo, cui interdixit, ſi contrà factum fuerit; damnum quodcunque acciderit ei, qui vim paſſus eſt præſtabitur ab eo, qui interdixit.* Atque ſic ſentiunt conformitèr ad hunc textum *Hoſtienſis tit. de depoſito nu. 5. prope medium, & ibidem etiam Azotus & c.* 14

Hoſtienſis. Azon.

Quintò eidem ſuffragari non poteſt, quod depoſitum datum fuerit pro tota vita deponentis, vel pro aliquo determinato tempore, quod nondum aduenerit, quandòquidem depoſitor poterit reuocare pro libito etiam ante mortem, & ante tempus determinatum. Colligitur *ex l. 1. §. ſi ſic depoſuero ff. depoſiti.* Ibi *Si ſic depoſuero apud te, vt poſt mortem tuam reddas, & tecum, & cum hærede tuo poſſum depoſiti agere, poſſum enim mutare voluntatem, & ante mortem tuam depoſitum repetere.* Ratio autem ea eſt, quia depoſitum ex natura ſua eſt ad nutum deponentis reuocabile, & tempus illud præfixum eſt ad obligandum depoſitarium ad cuſtodiam, non verò deponentem ad non repetendum.

Poteſt reuocari etiā ante mortem.

Dixi, *ſi quatuor excipias*, Prima cauſa eſt non reſtitutionis depoſiti, ſi deponens exi- 15

gat in damnum ſuum, vel aliorum *cap. ne quis in fin. 32. quaeſt. 2.* Secunda, ſi bona publica ſint, & fiſco addicta *l. bona fides in princip. ff. depoſiti*. Tertia, ſi concurrat ſimul fur, qui depoſuit, & dominus, tunc etenim propter impudentiam furis ipſi non eſt reſtituenda, ſed domino *l. bona fides ff. depoſiti*. Quarta, ſi per furem res depoſita ſit apud verum dominium, ex communi conſenſu etenim poteſt retinere, non reddere furi. Hæc omnia ſunt communia apud omnes Doctores tùm Theologos, tùm iuris peritos.

Actiones contrariæ, quæ conceduntur depoſitario.

16 Aſſertio VI. Actiones contrariæ, quæ conceduntur depoſitario contra deponentem, ſunt primò, vt depoſitarius poſſit repetere expenſas vtiles, & neceſſarias, quas fecit in cuſtodia rei depoſitæ, remque depoſitam detinere, donec ex illis ſatisfiat; Secundò, vt poſſit exigere compenſationem damnorum, ſi quæ inde obuenerunt, ſi deponens rem nociuam depoſuit. Tertiò, vt poſt terminum poſſit compellere deponentem ad recipiendum depoſitum. Quartò, vt poſſit exigere compenſationem damnorum, ſi deponens in prædictis defecerit. Quintò, ſi appareat depoſitum iam fuiſſe reſtitutum, & nihilominus deponens exegerit vlterius æſtimationem teneatur eandem reſtituere.

Conceditur actio ad impenſas vtiles, & neceſſarias recuperandas.

Prima pars expreſsè habetur *in l. ei apud quem 5. ff. depoſiti*, vbi *Bartolus, & Gloſa*; Pro impenſis contraria agit depoſitarius. Rurſus *in l. ſi in Aſia 12. ff. eod.* vbi ſic *videtur id actum, vt non impenſa eius id fiat, apud quem depoſitum ſit, ſed eius qui depoſuit*. Ratio eſt, quia non decet, vt depoſitarius, qui ob gratuitum beneficium deponentis onus ſubet, & laborem, & induſtriam impendit in cuſtodia rei, grauetur etiam expenſis in eo factis; atque ſic ſentiunt *Azotus in tit. de depoſito n. 36.*, *Mantica lib. 10. de tac. tit. 10. nu. 24. Gloſa in l. ſi plures §. fin. ff. depoſiti, Azorius lib. 7. inſtit. mor. par. 3. cap. 9.*

Bartolus. Azon. Mantica. Gloſa. Azorius.

Poteſt detinere rem depoſitam donec ſatisfiat in expenſis.

Quod autem poſſit detinere rem depoſitam, donec in illis expenſis ſatisfiat, colligitur ex eo, quod ratione expenſarum habet determinatè ius in illa re, ergo poterit illam detinere, donec in illis ſatisfiat, & iuxta hunc ſenſum loquitur, *Gloſa in l. ſi plures §. vltimo in verb. intentum ff. depoſiti Innocentius c. propter ſterilitatem de depoſito, Azorius lib. 7. inſt. mor. c. 9.*, neque obeſſe poteſt huic noſtro ſenſui id, quod dictum fuit in præcedentibus, ſcilicet in depoſito non dari compenſationem; non inquam, obeſſe poteſt, quia id, quod fuit dictum de compenſatione, intelligendum eſt in ordine ad alia debita deponentis, non in ordine ad id, quod reſultat ex eodem depoſito, prout notauit *Immola in cap. bona fides extra num. 13. in fin. de depoſito*, & habetur in *l. ei apud quem ff. depoſiti*.

Azorius. Immola.

Poteſt exigere compenſationem damnorum.

Secunda pars expreſsè habetur *in l. actionem ff. depoſiti, & l. ei apud quem ff. eod.* & ratio eſt, quia per illam depoſitionem ſine congrua admonitione fuit cauſa iniuſta talium damnorum, adeòque ad illorum compenſationem tenetur. Hoc idem deciditur *in l. ſi ſeruus ff. de pignorat. actione*, idque ſuſtinent *Gregorius Lopez l. 10. tit. 3. part. 5.*, *Vuſemb. tit. de depoſito n. 2. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. c. 9. verſ. duæ actiones in fin.*

Lopez. Vuſemb. Azorius.

Etiamſi deponens fuerit ignorans vitij.

Hic tamen oritur difficultas, an ſi deponens rem eandem depoſuerit ignorans vitium eiuſdem, & indè graue damnum depoſitario prouenerit, an, inquam, non obſtante bona fide teneatur damna indè ſecuta reſtaurare. Crediderim tutius eſſe, quod deponens teneatur ad damna indè ſecuta. Colligitur *ex l. ſi ſeruus §. quod verò ff. de furtis*; non enim æquum eſt, vt depoſitarius loco beneficij detrimentum reportet *Molina d. diſp. 527. verſ. ſi quis ſeruum depoſuit in fine*.

Poteſt poſt tẽpus cõpellere deponentem ad recipiendum depoſitũ.

Tertia pars ex eo colligitur, quod qui beneficium alteri impendit, non tenetur ad beneficium vltra conuenta, ergo elapſo tempore depoſiti poterit compellere deponentem ad recipiendum. Conſequentia probatur, quia cæteroqui contrà ſuam voluntatem cogeretur nouum beneficium præſtare, vel prorogare iam præſtitum, poſtquam finitum eſt, & hinc etiam colligitur quarta pars, quod ſi deponens nolit acceptare depoſitum, & interim ex illo damnum aliquod oriatur depoſitario, illud teneatur reſarcire, quandòquidem illius cauſa iniuſta eſt. Hoc expreſsè habetur *in l. ei apud quem in princip. ff. depoſiti* hocque ſuſtinet *Azotus in ſumma tit. de depoſito num. 36.*

Azotus.

Quinta pars colligitur *arg. l. 1. §. final. ff. depoſiti*, quia, ſi deponens habita æſtimatione rei apparente depoſito illam non redderet diteſceret cum detrimento ſui benefactoris; hoc enim ipſo dolo facit, quod id, quod ad ſe peruenit, non reddit *l. ſi ſine dolo malo 19. in fin. ff. depoſiti*.

PRÆNOTIO XII.

An depoſitarius poſſit vti depoſito, & an ſemper depoſitum per vſum tranſeat in alium contractum.

SVMMARIVM.

Nonnulla notabilia ad titulum 1.

Depoſitarius non poteſt vti re depoſita, & ſi vtatur cum damno ſubijcitur actioni depoſiti, & furti 2.

Si

Si nullum damnum ex vſu ſequatur non erit damnandus, niſi vſus fuerit expreſsè prohibitus Ibid.

Depoſitarius vtendo re depoſita in tribus caſibus non peccat 3.

Vſus rei depoſitæ, ſi hæc tranſeat in mutuum, cedit depoſitario, & etiam ſi tranſeat in commodatum 4.

Conceſſa facultate vtendi depoſito depoſitum tranſit in mutuum, ſi vſus importet conſumptionem, in commodatum, ſi res non ſit conſumptibilis 5.

Ratio dubitandi.

HIc multa agitanda veniunt. Primò, an depoſitarius ſimpliciter poſſit re dopoſita vti. Secundò, an ſi non ſimpliciter, ſaltem in aliquibus caſibus. Tertiò, an in ijs caſibus, in quibus poteſt vti, depoſitum remaneat in puris terminis depoſiti, an verò tranſeat in alium contractum, & qualem. Pro ſolutione

Res, vel eſt recipiens functionem, vel non.

Aduerte, rem depoſitam, vel talem eſſe, vt vſu eiuſdem veniat conſumptio, vt ſi deponantur pecuniæ in pondere, numero, & menſura, vel aliæ res recipientes functionem, puta triticum, vinum in determinata menſura, vel talem, vt ex vſu, quo vltroneè vtitur depoſitarius nulla ſequatur læſio in eadem re, ſed eadem omninò formaliter, & illæſa remaneat, vt ſi deponantur gemmæ, vaſa aurea, vel argentea, quibus vtatur depoſitarius ad pompam, vel ad ornatum tempore conuiuij, vel alicuius alterius ſolemnitatis &c. hocque, vel cum conſenſu deponentis, vel ſine illo.

Aſſertio I. Depoſitarius regularitèr non poteſt vti re apud ſe depoſita, adeò vt ſi vtatur, & ex illo vſu damnum ſequatur deponenti, vel in interitu rei, vel in deterioratione poſſit deponens aduerſus eundem agere non ſolum actione depoſiti, ſed etiam furtiua, ſi verò ex illo vſu damnum non ſequatur ex eo, quod res illæſa remaneat, non erit depoſitarius ex eodem damnandus, ſi non fuerit eidem expreſsè prohibitus *Coarruuias lib. 3. var. cap. 15. nu. vlt. Leſſius lib. 2. cap. 27. dub. 2. nu. 5. Angelus verb. depoſitum nu. 12. Panormitanus cap. 1. de depoſito num. 2. Gabriel. in 4. diſt. 15. quæſt. 10. d. 9.*, & alij communitèr.

Coarru. Leſſius. Angelus. Panorm. Gabriel.

Prima pars colligitur *ex l. 29. ff. depoſiti, & ex l. qui furtum 16. de condict. furt., & ex l. 3. C. depoſito*, & quidem naturali æquitati innituntur huiuſmodi iura; depoſitum enim ex definitione præhabita eſt præcisè ad cuſtodiendum, quæ particula, cum ſit appoſita ad contradiſtinguendum ipſum depoſitum a cæteris contractibus, debet intelligi priuatiuè non ſolum quoad dominium, ſed etiam quoad vſum, cæteroqui non contradiſtingueretur à mutuo, & commodato. Si autem inquiras, cur concedatur actio furtiua? dicendum eſt, quià fit contrectatio vſus inuito Domino, quod ſaltem ex diſpoſitione iuris eſt materia furti, vndè meritò legitur *in d. l. qui furtum ff. de condit. furt. Qui furtum admittit re commodata, vel depoſita, vtendo conditione quoque ex furtiua cauſa obſtringitur.*

Depoſitũ eſt ad cuſtodiendũ non ad vtẽdum.

Secunda pars ex eo colligitur, quià, cum talis vſus non ſit noxius deponenti, non eſt præſumendus eſſe contra voluntatem eiuſdem, ſicque præſumitur conſenſus ſaltem implicitus ipſius, quod ſufficit ad euitandam actionem furtiuam per ea, quæ notant *Armilla verb. depoſitum n. 18.; Siluester eod. verb. n. 10.; Fillintius tract. 34. q. 8. c. 1.; Molina diſp. 524. n. 1.*, & habetur *in l. 29. ff. depoſiti.* Ex quo autem deſumi poſſit præſumptio talis voluntatis tacitæ deponentis? aſſero deduci ex generali regula. Quod tibi non nocet, & alteri prodeſt de facili concedendum. Dixi, *ſi non fuerit eidem expreſsè prohibitus*; nam potuit ex iuſtis cauſis deponens nolle, vt res ſua exponatur ob varios fines, in quo certè caſu depoſitarius eſſet culpæ damnandus, ſi contra talem expreſſam voluntatem exponeret, & teneretur ad damna quantumuis inopinata, ſi indè obuenerint.

Conſenſus ſaltem implicitus ſufficit ad euitandã actionem furtiuã.

Siluester. Fillint. Molina.

Aſſertio II. Depoſitarius in tribus caſibus vtendo re apud ſe depoſita non peccaret *Leſſius lib. 2. c. 27. dub. 2. n. 6. Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. c. 7. verſ. octauo quæritur Molina tract. 2. diſp. 124., Gabriel. in 4. diſt. 15 q. 10. dub. 9., Coarruuias 3. var. reſol. c. 154. n. 8.* 3

Leſſius. Azorius. Molina. Gabriel. Coarru.

4

Primus caſus eſt, ſi vtatur depoſitarius bona fide exiſtimans domino id non diſplicere, vel quia vſus cedit in vtilitatem eiuſdem deponentis, vt ſi depoſita fuerit veſtis, quæ ſine aliquo vſu pro aliquo tempore tinea abroderetur, & ſi depoſiti libri, qui ſine vſu puluere attererentur, & ſi equus, qui ſine vſu in ſtabulo langueſceret, vel quia ex vſu nulla læſio poteſt oriri eidem deponenti. Ratio autem ea eſt, quia in ſimilibus caſibus depoſitarius potius fauet, quam obſit deponenti, & benè ipſius negotium gerit, vndè non eſt, cur ex illis furti teneatur; quandò autem non ſequitur deterioratio, non præſumitur rationabilitèr inuitus deponens, ſed implicitè conſentiens; furtum autem non cenſetur committi ſine animo furandi, ſeù contrectandi rem inuito domino *l. qui iniuria in princip. ff. de furt., Angelus verb. depoſitum n. 12., Panormitanus c. 1. de depoſito, Gabriel in 4. diſt. 15. q. 10. dub. 9.* Nec officit, quod poſtea deponens dignoſcatur quoad talem vſum inuitus, non, inquam, officit, quia ad ſummum tunc teneretur depoſitarius compenſare illum vſum, non tamen obligaretur actione furti

Poteſt vti, ſi exiſtimet vſum redundare in vtilitatem deponentis.

Angelus Panorm. Gabriel.

Leſſius. *Leſſius d. lib. 2. cap. 27. dub. 2. num. 7.*

Secundus eſt, ſi per deponentem ſit conceſſa libera facultas talis vſus; tunc etenim non eſt dubium, quin poſſit re depoſita vti, eum nil obſtet tali vſui; verum tamen eſt, quod tunc ille contractus non remanet amplius ſub pura ratione depoſiti, ſed ſi ſit res, quæ per talem vſum ſit conſumptibilis, tranſit in mutuum, ſi verò non ſit conſumptibilis, tranſit in commodatum. Aduerte, quod tunc res illa incipiat tranſire in mutuum, vel commodatum, quando depoſitarius incipit ea vti *Nauarrus c. 17. n. 181.*, & colligitur *ex l. certi conditio 9. §. fin. ff. de reb. creditis*. Ratio autem eorum, quæ hic dicuntur, ea eſt, quia depoſitum, qua depoſitum eſt præcisè ad cuſtodiendum, & non ad vſum, ergo ſi res concedatur ad vſum iam non eſt præcisè ad cuſtodiam.

Etiam ſi conceſſa ſit libera facultas talis vſus.

Nauarrus.

Tertius eſt, ſi per deponentem fuerit depoſita pecunia numerata, nec obſignata, & per eundem non fuerit interdictus vſus eiuſdem depoſitario; tunc etenim, ſi hic ſit certus, quod quandò res illa, ſeu pecunia repetetur, ſe ſimilem habiturum, vtique poteſt ex præſumpta voluntate Domini eadem vti; prout docent *Molina diſp. 524.*, *Silueſter verbo Depoſitum n. 10.*, *Leſſius lib. 2. c. 27. dub. 2. n. 8.* Ratio eſt, quia per talem vſum nullum detrimentum infertur domino, quia, tunc ſi quocunque caſu res pereat, alia eiuſdem rationis, & bonitatis eſt ipſi conferenda.

Si fuerit depoſita pecunia numerata, & non obſignata.

Molina. Silueſter. Leſſius.

4 Aſſertio III. Vſus rei depoſitæ, ſi hæc modo, quo ſupra tranſeat in mutuum, cedit depoſitario; ſi verò tranſeat in commodatum ex præſumpta voluntate deponentis, etiam cedit eidem depoſitario, *Molina d. diſp. 524. in fin.*

Molina.

Probatur prima pars, quià vſus rei cedere debet ex natura ſua ei, qui eſt dominus talis rei, ſed quando depoſitum tranſit in mutuum dominium rei depoſitæ, tranſit in depoſitarium, qui non eſt talis, niſi denominatiuè, & impropriè, propriè autem, & formaliter mutuatarius, ergo vſus eidem, non deponenti debet ex natura ſua cedere. Confirmatur, quia illud, quod acquiritur ex tali vſu eſt fructus induſtriæ vtentis, qui, dum ſuo periculo negotiatur conſumendo, & diſtrahendo res depoſitas, vtique congrua ratione debet ſibi acquirere.

Vſus rei cedit domino rei.

Probatur ſecunda pars, quià vſus rei commodatæ cedit commodatario ex genere ſuo, ergo, ſi ex præſumpta voluntate Domini depoſitum tranſijt in commodatum vſus eiuſdem debet cedere commodatario; quod ſi poſtea comperiatur, Dominum fuiſſe inuitum ad talem vſum, tunc depoſitarius ratione bonæ fidei excuſatur ab actione furtiua, non tamen à compenſatione talis vſus, ſi hic fuerit ſecundum ſe pretio æſtimabilis, vt ſi vſus fuerit equo depoſito ad iter habendum, niſi talis vſus habitus fuerit in vtilitatem eiuſdem deponentis modo quo ſupra, ne ſcilicet equus langueſceret, & ne veſtis puluere contereretur.

Vſus commodati cedit commodatario.

Aſſertio IV. Ex eo, quod in depoſito conceſſa fuerit depoſitario vel tacita, vel explicita facultas vtendi re depoſita tranſit depoſitum, vel in mutuum ſi res ſit conſumptibilis vſu, vel in commodatum, ſi non ſit conſumptibilis, vel in locatum, ſi vſus ſit pro aliqua mercede *Nerua, Proculus, Marcellus in l. certi conditio §. depoſiti ff. de reb. creditis, Vulpianus in l. quod ſi ab initio ff. commod. &c., Nauarrus in man. c. 17. n. 180.* aduerſus nonnullos alios aſſerentes, non mutari naturam depoſiti, ſed per talem facultatem excedi duntaxat terminos notiſſimos, & modos depoſiti. 5

Nerua. Proculus Marcell. Vulpian. Nauarrus.

Probatur primò, quia negatio vſus eſt de formali conceptu depoſiti, qua depoſitum eſt, ergo vbicunque conceditur vſus depoſitum deſinit eſſe ſub ratione depoſiti, & tranſit in alium contractum. Antecedens probatur, quia per negationem vſus contradiſtinguitur depoſitum à commodato, alijſque contractibus; principium autem formaliter diſtinctiuum eſt etiam formaliter conſtitutiuum.

Negatio vſus eſt de conceptu depoſiti.

Probatur ſecundò, quod tranſeat in mutuum, vbi conceditur vſus in re eodem vſu conſumptibili hoc pacto. Dum conceditur vſus rei conſumptibilis eo ipſo transfertur dominium eiuſdem rei cum onere tantundem poſtea reſtituendi, ergo proprium fit mutuum. Probatur conſequentia, quia depoſitum, qua depoſitum eſt, non eſt cum translatione dominij; tum quia conceſſio rei cum translatione dominij cum onere reſtituendi aliam ſimilem in ſpecie, & in eadem bonitate eſt propriè mutuum, vt ſuppono ex dictis *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris Prænot. 1.*

Per conceſſionem vſus in re conſumptibili transfertur de mutuum

Probatur tertiò, quod tranſeat in commodatum, vbi conceditur vſus in re ipſo vſu non conſumptibili, quia, vt ſuprà aſſerebam, vſus eſt ratio formalis, per quam commodatum contradiſtinguitur à depoſito, vbi dominium rei non transfertur, ergo per illam conceſſionem vſus depoſitum tranſit in commodatum. Hoc tamen ex ſupra dictis notandum eſt, quod commodatum non incipit, niſi vbi incipit vſus.

Vſus eſt ratio formalis, per quam commodatum differt à depoſito.

Dices primò, quod, quantumuis permittatur vſus; non propterea depoſitum tranſeat in commodatum, quia non minus eſt de ratione depoſiti, quod non ſit ad vſum, ac ſit de ratione alius, quod ſit ad

nutum reuocabile; commodatum autem non eſt renocabile, niſi ad certum tempus conuentum, vel implicitè, vel explicitè per ea, quæ ſuperius dicta ſunt, ergo &c. Sed contra quia, quod datur titulo depoſiti eſt quidem ad nutum reuocabile, quotieſcunque vſus exceptus non eſt, quia ante talem vſum remanet in puris terminis depoſiti, quia tamen depoſitum eſt cum libera facultate vtendi, incæpto vſu reuocabile non eſt, niſi eodem conſummato.

Dices ſecundò *ex l. die ſponſaliorum §. qui pecuniam, & l. si ſacculum ff. depoſiti*, qui depoſitum in proprios vſus conuertit poſt moram in vſuras quoque iudicio depoſiti condemnandus eſt, ergo, ſi iuditio depoſiti condemnandus eſt, remanet contractus in pura ratione depoſiti, ſicque in alium contractum non tranſit. Confirmatur *ex l. Lucius Titius, & in l. publia §. 1. ff. eod.* vbi dicitur per illam vſus conceſſionem depoſitum excedere ſolummodò notiſſimos terminos depoſiti; Sed contrà, quia vt bene exponit *Gloſa in d. l. die ſponſaliorum verb. condemnandus eſt ff. depoſiti*, in allegatis textibus ſupponitur, quod non conuenerit, vt depoſitarius ea vteretur, & quod vtatur contra voluntatem Domini, ſeù ſine eius permiſſione, & ideò dicitur, quod depoſiti agatur inſpecto initio; ſi verò ſupponatur, quod expreſsè conuenerint, tunc per eandem gloſam dicitur, quod tunc, quandò vtitur, fiat mutuum, & de mutuo agatur *l. quod ſi ab initio ff. ſi cert. petatur*, quod proportionali ratione intelligendum eſt in ordine ad commodatum, quandò res, qua vtitur, non eſt conſumptibilis. Ratio autem, cur depoſiti agatur, quandò expreſsè conuentum non eſt de vſu, ea eſt, quia, cum deponens non permiſerit vſum, agere debet ex eo titulo, quo conceſſit quaſi in tranſgreſſorem conuentorum. Ad id; quod ſubditur *ex l. Publia, & ex l. Lucius Titius*, dicendum eſt ex eo, quod dixerint, tunc depoſitum excedere notiſſimos terminos depoſiti, voluiſſe prædicta iura egredi contractum a ratione depoſiti, quatenùs tranſeat in alium contractum, cæteroqui iura iuribus obſtarent, nam alia iura expreſsè aſſerunt, huiuſmodi non eſſe depoſitum, ſed locatum, vel mutuum, vel commodatum, *vt l. 1. §. eleganter, & §. ſi pecuniam, & ſape euenit ff. depoſiti, & l. certi condictio 9. §. fin. ff. ſi cert. petat.* ſicque ſentiunt *Altiatus in l. 2. in princip. num. 19. ff. ſi cert. pet. Mantica lib. 10. tit. 3. num. 15., & alij communiter*, adeò vt *Ognate tract. 19. diſp. 55. ſect. 1. num. 17. in fine* aperto ore aſſerat contrariam ſententiam nullam habere probabilitatem, eamque tribuit ſoli Vueſembecio, licet immeritò quandòquidem idem ſentiunt *Azor. inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 7., & Gloſa in d. l. Publia verſ. excedere ff. depoſiti*, vbi dicit, quod quamuis illa libera facultas vtendi excedat notiſsimos terminos nihilominus adhuc ſit depoſitum.

Gloſa.

Conuenitur actiones depoſiti inſpecto initio.

Agit ex eo titulo, quo conceſſit.

Altiatus. Mantica. Ognate. Vueſemb. Azorius. Gloſa.

Probatur quartò, quod tranſeat in locatum, quandò vſus conceditur pro aliqua mercede, quia depoſitum, qua depoſitum eſt, debet eſſe abſolutè gratuitum, quod idem dic de commodato, per quod conceditur vſus, ergo, ſi dominium rei depoſitæ adhuc remaneat penès deponentem, & pro vſu recipiat mercedem perinde eſt, ac ſi eundem vſum locauerit, eum in hoc eluceant omnes leges, & rationes, quæ ad eandem locationem ex natura ſua pertinent, & colligitur expreſsè *ex l. 1. §. ſi veſtimenta, & §. ſi quis ſeruum §. depoſiti*, vbi dicitur, ſi quis depoſitum mercede ob cuſtodiam ſuſcipit, agi aduerſus eum ex conducto, non ex depoſito. Neque in hoc audiendus eſt *Bartolus conſ. 71. vol. 4.* qui *ex cap. bona fides de depoſito* ſeotis non mutari naturam depoſiti, cum deponens poſſit quotieſcunque voluerit illud repetere mercede cuſtodiæ ſoluta; deindè in hac hypotheſi non transfertur in cuſtodem vſus rei; Non, inquam, audiendus eſt; nam dupliciter poteſt contingere, quod res tradatur pro mercede; primò, quatenùs recipiens cuſtodiendum locet operam ſuam, & induſtriam, & ratione eiuſdem recipiat congruam mercedem à deponente. Secundò, quatenus ipſe deponens locet vſum talis rei, & pro tali vſu conuentam præſtationem recipiat; ſi primo modo res ſe habeat, non eſt aliqua repugnantia, quin conducens operam alterius ad cuſtodiendam rem ſuam ex pacto ſaltem implicito, vt poſſit eam repetere, quandò voluerit, quia non locat rem, ſed conducit perſonam ad cuſtodiendam illam, & ſecundum hunc ſenſum ſequitur, quod quamuis in cuſtodem non transferatur vſus rei, non tamen ceſſet eſſe propriè conductio, cum conductio ſit operæ, & induſtriæ, non vſus rei; ſi ſecundo modo res procedat, iam definit eſſe depoſitum, in quo vſus rei non transfertur; nec poteſt eſſe commodatum, quia non eſt gratuitum; vndè cum dominium adhuc remaneat penès deponentem, & vſus tradatur pro mer-
1 cede, non poteſt eſſe, niſi locatum, nec poteſt obeſſe, quid ad nutum deponentis poſſit ille vſus reuocari; non, inquam, obeſſe poteſt, tùm quia non eſt de ratione locati, vt ſit ad certum tempus; tùm quia poteſt ex pacto ſalsem implicitò etiam locatio reſolui pro tẽpore beneplacito locatori, cum hoc non eſſet contra, ſed præter naturam contractus; tùm quia tandem, ſi rès tradita ſit ad certum vſum, qui exigat determinatum tempus non poſſet ante tale tempus reuocari. Ad id, quod ſubdit *Bartolus*

Bartolus

Sẽper eſt ductio con opera, & locatio eiuſdem.

Bartolus

ex

ex cap. bona fides de depoſito, dicendum eſt, in eo textu ſolum muni eum, cui depoſitum commiſſum eſt ex culpa etiam leui obligari, quandò ob cuſtodiam depoſiti mercedem recipit, quod potius arguit locationem, quam depoſitum, cum depoſitarius non teneatur ex culpa leui, ſed tantum ex lata, & dolo; quod ſi ibi dicitur depoſitum, ideò dicitur, quia primo fuit intentum depoſitum, quamuis poſtea tranſierit in locatum, vel dicitur tale tantum nomine, non re ipſa.

PRÆNOTIO XIII.

Quandò, & quomodò terminetur depoſitum, & ſit reddendum.

SVMMARIVM.

Expenſæ faciendæ in translatione pro reſtituenda re depoſita deponenti, & in tranſlatione rei ad cuſtodiam pertinent ad deponentem 1.

Tenetur depoſitarius rem reſtituere exigente deponente, quandò hic vult inſumere in vſus illicitos non contrà iuſtitiam 2.

Depoſitum vni commiſſum, ſi tranſeat ad plures hæredes omnes obligantur in ſolidum, ſi in omnes deuenit, ad ratam, ſi per partes 3.

Deponentes in concurſu creditorum ſunt præferendi, quantumuis ſint poſteriores 4.

CErtum eſt, depoſitum quantum eſt ex natura ipſius, poſſe ad nutum deponentis reuocari. Modò nonnulla circa talem reuocationem remanent inquirenda; & primò, quandò reſtituenda res eſt in alio loco, an ſit reſtituenda expenſis deponentis, non verò depoſitarij. Secundò, an aliquando is, qui depoſitum ſuſcepit exigente deponente rem ſuam poſſit ad aliud tempus reſtitutionem deferre. Tertiò, quid ſentiendum ſit, quandò res apud aliquem deponitur, & ipſo mortuo tranſit ad ipſius hæredes. Quartò, an deponentes rem ſuam apud alium cuſtodiendam ius habeant, vt cæteris creditoribus præferantur.

Nonnullæ rationes dubitandi.

Aſſertio I. Si res in vno loco apud depoſitarium fuerit depoſita, & ſit in alio reſtituenda, expenſis deponentis facienda eſt tranſlatio; item ſi collata in vno loco, & depoſitarius cauſa cuſtodiæ in alium transferat non tenetur, niſi reſtituere in loco, in quo res reperitur, quod ſi transferenda ſit ad deponentem translatio eiuſdem deponentis expenſis facienda eſt, non depoſitarij *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 8. verſ. 2. quæritur.* 1

Azorius.

Probatur vtraque pars ex textu, *in l. ſi in Aſia in principio, & in §. depoſitum ff. depoſiti*, vbi ſic legitur. *Si in Aſia depoſitum fuerit, vt Romæ reddatur, videtur id actum, vt non impenſa eius id fiat, apud quem depoſitum ſit, ſed eius, qui depoſuit.* Rurſus immediatè ſubiiitur *Depoſitum eo loco reſtitui debet, in quo ſine dolo malo eius eſt, apud quem depoſitum eſt.*

Iura obſcentia in contrarium.

Probatur ſecundò ratione, quià ex beneficio, quod quis præſtat in alterius fauorem, non debet ſubire maius onus, ac exigat ipſum beneficium ſecundum ſui naturam, ſed, ſi teneretur depoſitarius rem alio traducere proprijs expenſis ad deponentem ex beneficio, quod eidem præſtat, teneretur ſubire maius, onus ſcilicet illarum expenſarum, ac illud, quod exigit ipſum beneficium, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod in caſu, quo depoſitarius alio comigrans ſecum rem deferret, motu proprio deferret, adeòque, quod tunc ſaltem proprijs expenſis teneatur ad eum locum reducere, in quo accepit; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià, cum res illa propriæ fidei fuerit commiſſa cuſtodienda, ad ipſum tanquam ad fidum cuſtodem pertinet eam cuſtodire, ſecumque deferre, vt cuſtodiat, & in hoc benè gerit negotium deponentis, quinimmò eundem deponentem grauamini ſubijceret compenſandi expenſas, quas depoſitarius fecit in ſecum re illa transferenda, ſi quas fecerit.

Ex beneficio, quod quis præſtat in fauorem alterius non debet onus ſubire.

Aſſertio II. Omiſſis in caſibus, de quibus ſupra, in quibus depoſitarius eximitur ab onere reſtituendi immediatè rem apud ſe depoſitam, non eximitur ab onere reſtituendi rem depoſitam, quandò deponens rem, quam petit ſibi reſtituendam, vult inſumere in vſus aliundè illicitos, quamuis non contra iuſtitiam, vt ſi velit inſumere in meretrices. *Sotus lib. 4. de iuſt. quæſt. 7. art. 1. ad primam*, cui videtur adhærere *Azorius inſtit. mor. par. 3. lib. 7. cap. 8. verſ. etenim Caietanus.* 2

Sotus. Azorius.

Probatur, quià collatio pecuniæ ad vſus illicitos, non tamen contrà iuſtitiam inſumendæ eſt contra charitatem, detentio pecuniæ, ſeu rei inuito Domino eſt contrà iuſtitiam, ergo depoſitarius exigente quantumuis ad vſus illicitos deponente rem depoſitam tenetur illam immediatè reſtituere, Conſequentia probatur, quià magis vrget obligatio iuſtitiæ, quam obligatio charitatis, & ex duobus malis eligendum eſt minus, illud ſcilicet, quod eſt contra charitatem, quam illud, quod eſt contra iuſtitiam; ex quo patet diuerſam eſſe rationem de eo, qui reddit aliquid adhibendum contra iuſtitiam; hic enim, ſi non reddit facit tantum contra iuſtitiam, ſi reddit facit contra iuſtitiam, quatenùs ſaltem indirectè concurrit ad inferendam iniuriam, facit etiam contra charitatem,

Prævalet ius iuſtitiæ iuri charitatis.

quare-

quatenus ex charitate tenetur conſulere bono alieno, quandò poteſt, ideò in tali caſu maius malum eſt redd[...], quam non reddere, & iſtud tanquam minus malum præeligendam eſt, Quod intellige procedere, niſi neganti reddere, maius vel æquale, vel ſaltem graue damnum immineret, tunc enim, quia licitè quiſque poteſt præferre bonum proprium alieno, nec vllus tenetur cum graui detrimento proprio, impedire detrimentum alienum, liceret petenti rem reddere ipſi, vel alij contra iuſtitiam nocturam,

Intellige, niſi reſtituti immineat grauius, vel æquale damnum.

3 Aſſertio III. Si res vni commiſſa in depoſitum poſt ipſius obitum tranſierit ad eius hæredes, omnes obligantur in ſolidum, ſi communitèr in omnes deuenit, pro parte tantum, ſi per partes res in eoſdem deuenit. *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 8. verſ. quinto quæritur.*

Azorius.

Probatur expreſsè *ex l. ſi duo ff. depoſiti*, vbi in caſibus particularibus fit mentio quandonam obligentur in ſolidum, & quandonam tantum pro parte; quamuis autem quandòque obligentur in ſolidum; ſi tamen ad rei reſtitutionem agatur condemnatio fit pro parte; vt colligitur ex eodem textu in fine-Ibi-*Planè, niſi integra rei reſtitutione eum, cum quo actum fuerit liberari non poſſe; condemnandum tamen, ſi res non reſtituatur pro qua parte heres extiterit,*

4 Aſſertio IV. Deponentes in concurſu aliorum creditorum aduerſus depoſitarium ex cauſa depoſiti ſunt præferendi, quantumuis tempore ſint poſteriores, dummodò vſuras non receperint. Expreſsè colligitur *ex l. si hominem §. quoties ff. depoſiti*-Ibi-*ſolet primo loco ratio haberi depoſitariorũ, hoc eſt eorum, qui depoſitas pecunias habuerunt*. Ratio autem propter quam, ſi vſuras receperint, non ſit præferendè ex eodem textu colligitur, quia ſcilicet per illam vſurarum receptionem videtur renuntiare depoſito cum hoc in alium contractum transeat. Hoc deponentium priuilegium, expreſsè etiam habetur *in l. si veriori ff. de priuil. cred.*, & ampliatur *in l. quod priuilegium 8. ff. depoſiti*, adeò vt extendatur non ſolum ad eam quantitatem, quæ in bonis argentarij ex pecunia depoſita reperta eſt, ſed in omnibus fraudatoris facultatibus, ibique additur ratio, quià ſcilicet *propter neceſſarium vſum argentariorum ex vtilitate publica receptum eſt*.

Per vſurarum receptionẽ deponentes cedũt iuribus depoſiti.

Hic ſolum remanet dubitandum, an ſi plures fuerint, qui apud eandem depoſitarium res ſuas depoſuerint, & omnes concurrunt ad eaſdem, vel pretium earum recipiendam ſint admittendi cum ordine prioris, & poſterioris, an verò omnes ſimul. Spectato ordine naturalis rationis videntur admittendi cum tali ordine, quià in pari caſu, & priuilegio, qui prior eſt tempore, eſt potior iure, & priuilegium inſtribuit in ordine ad non priuilegiatum non autem in ordine ad æquè priuilegiatum, ſi igitur ratione priuilegij habent æquale ius, & ex alia parte vnus habet prioritatem ratione temporis, non eſt, cur habere non debeat prælationem quoad ius. Nihilominus attento iure poſitiuo admittuntur ſine tali ordine *d. l. si hominem §. quoties ff. depoſiti*, vbi ſic legitur. *Et conſtat ſimul admittendos eſſe; hoc enim reſcripto principali ſignificatur,*

Æquè priuilegiati omnes admittũtur.

DISQVISITIONES I.

Ad omnes Prænotiones prælibatas de Commodato,

§. I.

An, ſi fur rem furtiuam commodauerit concurrente Domino eidem, an domino ſit reſtituenda, & an poſſit à domino reuocari ante vſum, ſeù incæpto iam vſu,

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ 1.
Domino probante rem commodatam eſſe ſuam ipſi reſtituenda eſt non furi commodanti 2.
Poteſt dominus reuocare rem ante tempus conceſſum à fure 3.
Poteſt dominus reuocare rem commodatam per forem, quantumuis commodatarius iam incæperit vſum talis rei 4.

Diſquiſitio I, Dictum fuit prænot. 1. ſub hoc eod. titulo etiam furem, vel Prædonem, ſi commodauerit habere commodati actionem iuxta textum *in l. ità vt, vel fur ff. commodati* ad effectum ſaltem repetendi rem cummodatam, prout ibi aſſerebamus ex *Azorio inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 4. verſ. 2. quæritur Tabiena verb. commodatum num. 7.* Nunc agente ſimul eodem fure, qui commodauerat, & Domino eiuſdem rei, à quo per furem fuerat ablata ad repetendam rem illam quæritur, cui ex illis ſit per commodatarium reſtituenda, & an ſi per furem commodantem fuerit conceſſa ad certum vſum poſſit, vel ante illum, vel illo incepto per eundem Dominum, reuocari. 1

Azorius, Tabiena,

Reſpondeo primo Domino legitimè 2

pro-

probanti rem illam ſuam eſſe, & per furtum a ſe ablatam reſtituenda res eſt commodata, non furi, qui commodauit *Syluester verb. commodatum quæſt.* 1. Colligitur expreſsè reſponſio ex textu *in l. inciuilem C. de furtis*, & ratio eſt, quia dominus eſſet rationabilitèr inuitus, ſi rem, quam poteſt commodatarius ſine proprio damno ei reſtituere, non reſtituat, ergo &c. Eximerem tamen ab onere grauis culpæ eundem commodatarium, ſi furi reſtitueret rationabilitèr, credens eundem propriè ſpontè rem illam verò domino reſtituturũ, aut ſaltem facile dominum a fure recuperatarum cum de tali redditione nequeat dominus eſſe rationabilitèr inuitus, cum nullum ex ipſa detrimentum patiatur.

Syluester

Excuſandus eſſet commodatarius, ſi ſciret cõmodãtem reſtituturum eſſe Domino.

Dices, ſi res eſſet Domino reſtituenda, prout in hac reſponſione aſſeritur, fruſtatoria eſſet actio commodati, quæ furi conceditur ex diſpoſitione *d. l. ità vt vel fur ff. commodati*, ergo cum ipſi concedatur talis actio ad repetendam rem illam, ipſi non domino erit reſtituenda. Sed contra, quià actio, quæ conceditur non eſt in concurſu veri domini, ſed concurrente præcisè fure commodante ad recipiendam rem commodatam, vt reſtituat Domino, prout notat *Ognate tract. 12. diſp. 43. ſect. 2. num. 38.* Deindè actio furi conceditur, quia commodatarius non habet rationem, cur non debeat reſtituere; facta autem ſuppoſitione, quod per legitimas probationes innoteſcat verus Dominus rei, quæ ſibi fuerat commodata, iam habet maximè eodem agente, quo legitimè impediatur ad reſtituendam potiſſimum cum res clamet pro domino.

Actio, quæ conceditur furi non eſt in concurſu veri Domini.

Probatur ſecundo reſponſio, quià res furtiua quocunque tranſeat, ſemper tranſit cum vitio furtuitatis, ergo vbicunque fuerit poterit per dominum vindicari. Conſequentia probatur, quia res vbicunque fuerit ſemper clamat pro domino, & ſolum vinculo furtiuitatis alligatur, ne iura proprio innato ad dominum ſuum tranſeat, ergo ſoluto tali vinculo per legitimas probationes non erit, cur non poterit per dominum probatum legitimè, vt talem reuocari.

Res furtiua ſemper tranſit cum vitio furtiuitatis.

3 Reſpondeo ſecundò, quantumuis per furem commodantem res fuerit conceſſa ad certum vſum, poteſt tamen per Dominum, vbi reſciuerit rem ſuam ad manus commodatarij deueniſſe eandem repetere ante talem vſum. Eſt conformis ijs, quæ alibi dicta ſunt. Probatur primò, quia factum furis non poteſt præiudicare verò Domino, ergo quantumuis fur rem furtiuam alteri commodauerit ad certum vſum poterit ante talem vſum a Domino reuocari. Antecedens probatur, quia fur circa rem furtiuam nullum penitus ius habet, cum res illa per ipſum fuerit vſurpata non legitimè acquiſita, ergo quodcunque egerit circa ipſam non poterit obeſſe verò Domino.

Factum furis non poteſt præiudicare vero Domino.

Dices, commodatarius ex vi commodati ſibi facti ius legitimè acquiſiuit ad talem vſum, ergo res habet, ne ante talem vſum reuocetur *arg. l. in commodato §. sicut ff. commodati, & cap. vnico de commodato.* Sed contra, quia cum tale commodatum, vt potè rei alienæ non ſubſiſtat *Azorius inſtit. mor. part. 3. lib. 7. cap. 4.* non tribuit ius ad effectus, qui ex eodem conſequuntur, quod ſi concedatur actio, vt ſuprà ex vi *l. ità vt vel fur ff. commodati* hoc non eſt, quià contractus ſubſiſtat, ſed quià cum rem tradiderit ius habet eandem repetendi, vt reſtituat verò domino.

Azorius.

Contractus non ſubſiſtit.

Probatur ſecundo *ex l. si ſeruus meus ff. commodati*, vbi dicitur, quod ſi ſeruus rem domini alteri ſcienti dominum nolle ſibi commodari, commodauerit eidem Domino duplex compet actio, altera commodati, altera furti. Quo poſito ſic argumentor. Domino non conſentiente, commodato facto per ſeruum conceditur actio reuocatoria, quinimmò & furtiua, ſi commodatarius fuerit ſciens, quod dominus non conſenſerit tali commodato, ſed quandò res furtiua per furem alteri commodatur dominus non præſumitur conſentire tali commodato, ergo per ipſum poterit iuſtè, & legitimè reuocari, quantumuis ſi non fuerit commodatarius ſciens furti, non poſſit contra ipſum agere actione furtiua.

Domino cõceditur actio reuocatoria, & furtiua.

Reſpondeo tertio poſſe dominum legitimè reuocare rem commodatam per furem quantumuis commodatarius incæperit vſum ſibi permiſſum eiuſdem rei. Eſt conformis ijs, quæ ſupra dicta ſunt. Probatur primò, quia pro quocunque tempore res furtiue ſemper clamat pro domino, nec conceſſio facta per furem poteſt ius eiuſdem Domini impedire, ergo quantumuis vſus fuerit inceptus poterit per Dominum res reuocari. Antecedens quoad ſecundam partem probatur, quia fur illegitimè conceſſit vſum talis rei, cum illum non haberet penès ſe, nec in ſua legitima poteſtate, ergo conceſſio talis vſus non poteſt obeſſe iuri legitimo domini talis rei. 4

Fur illegitimè cõceſſit vſũ rei furtiuæ.

Dices, ſi reuocaretur talis vſus incæptus commodatarius ex beneficio ſibi præſtito plurima ſubiret incommoda, ſiquidem eius negotia in deterius abirent; ex commodato autem commodatarius debet potius iuuari, quam decipi *ex cap. primo de commodato.* Sed contra, quia damna, quæ ex reuocatione commodati obuenirent commodatario non poſſunt obeſſe Domino, nec eiuſdem legitimam actionem impedire,

Damna, quæ prouenirent commodatario non poſſunt obeſſe vero Domino.

re, quandòquidem commodatum factum eſt contrà ipſius conſenſum; vndè ad damna, quæ ex tali reuocatione ſibi obueniunt, agere poterit contrà furem commodantem, ex quo ſine iure commodauit, non contrà dominum reuocantem, cum vtatur legitimo iure ſuo, & ſicuti eidem furi commodanti conceditur actio directa contrà
1 commodatarium ad repetendam rem commodatam *ex vi l. commodare, & l. ita vt vel fur ff. commodati*; ità non eſt, cur eidem commodatario non concedatur actio contraria ad damna, quæ conſequuntur ex reuocatione rei ante vſum completum.

Probatur ſecundò, quià commodatarius non poteſt habere maius ius, ac ſibi fuerit conceſſum per commodantem, ſeù ac potuerit per eundem eidem concedi, ſed per commodantem non potuit eidem concedi
2 vſus, ergo ex vi talis vſus non habet ius, cur poſſit rem illam detinere, ſicuti nec ipſe fur habet ius detinendi rem furtiuam contrà voluntatem Domini, cum naturali iure compellatur eam reſtituere.

§. II.

An dolus ſerui præiudicet commodanti?

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ in ſuis terminis 1.

Si ſeruus meus res per me commodatas officialibus ab eiſdem arripuerit ego habeo actionem aduerſus eoſdem officiales, ſi culpa aliqua ipſorum interueſſerit, ſecus ſi nulla 2.

Si ego denuò receperim ſeruum, qui res commodatas abſtulit à commodatario, commodatarius habet mecum actionem furti nomine ſerui 3.

1 Disquiſitio II. Commodaui res meas quibuſdam officialibus ad eorum munera obeunda. Seruus meus res illas per me commodatas furto ſurripuit, & ad hoſtes detulit, & poſteà ſine talibus rebus rediit, & per me receptus eſt. Hic duplex oritur difficultas; prima eſt, an ego habeam actionem commodati aduerſus prædictos officiales ad repetendam æſtimationem rerum illarum; Secunda, an prædicti officiales habeant actionem furti aduerſus me nomine ſerui.

Exponitur ſenſus difficultatis, & caſus.

Reſpondeo primò, me iuſtam habere aduerſum prædictos Officiales commodati actionem, ſi aliqua irrepſerit culpa reſpectu eorundem officialium in cuſtodia talium rerum; ſecus verò, ſi nulla ex parte ipſorum culpa interuenerit. *Gloſa in l. rem mihi commodaſti §. in exercitu ff. commodati*; & conformis eſt iis, quæ ſupra diximus.

Si culpa interceſſerit. Gloſa.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod commodatarius tenetur verſus commodantem de culpa etiam leuiſſima quoad rem commodatam *ex l. ſi vt certo §. nunc videndum ff. commodati, & ex §. is vui Inſtit. quib. mod. re contra. oblig., & l. contractus ff. de reg. iuris* per ea, quæ ſupradiximus *ſub hoc eod. tit. Prænot. 4. aſſert. 2. verſ. probatur aſſertio primo*, ergo vbi irrepſeris culpa ex parte commodatariorum, quantumuis res fuerit ſublatæ per ſeruum meum, iidem tenebuntur aduerſum me actione cõmodati.

Commodatarius tenetur de culpa leuiſſima.

Dices ex eo, quod periculum, ſeù damnum obuenerit a ſeruo meo damnum mihi eſſe imputandum, non commodatariis. Sed contra primò, quià, quantumuis ſeruus meus non fuerit fidus, & idoneus, damnum mihi non eſt imputandum, cum onus cuſtodiendi à quocunque incumberet eiſdem commodatariis, quod deindè, res periclitatæ fuerit, vel per meum ſeruum, vel per alios, ad me referre non poteſt, cum ego non tenerer rem commodatam cuſtodire a meo ſeruo, nec ab aliis, poſtquam eam commodauerim; contra ſecundò, quia *ex l. rem mihi commodaſti §. in exercitu ff. commodati*, quandò res eſt tradita ad vtendum communi periculo, tàm commodantis, quam commodatarii, quantumuis per ſeruum commodantis res illa ſurripiatur, & deferatur ad hoſtes, conceditur eidem commodanti actio commodati aduerſus commodatarium pro ipſius parte, nec impedit talem actionem, quod ſeruus commodantis fuerit fur, ergo, ſi res ſit tradita ſecundum communes regulas commodati, ſecundum quas ex culpa etiam leuiſſima periculum adæquatè pertinet ad commodatarium, dabitur mihi actio in ſolidum contrà commodatarium, quantumuis res illa per meum ſeruum fuerit furto ſublata. Conſequentia probatur, quia ſi qualitas ſerui commodantis non impedit, quominus eidem commodanti competat actio commodati pro parte, quandò periculum ſtat pro vtroque, nec qualitas etiam ſerui mei impedire poſſe videtur, quominus mihi competat actio commodati pro toto, quandò periculum ex culpa totalitèr incumbit commodatario.

Qualitas ſerui mei non tribuit maius ius cõmodatario.

Ex textu deducitur manifeſtè intētum.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia commodatarius non tenetur verſus commodantem ex caſu fortuito *cap. vnico de commodato §. item is verſ. at is inſtit. quib. mod. re contrah. oblig. l. ſi vt certo §. nunc videndum ff. commodati*, ſed furtum ſine culpa commodatarii in re commodata computatur inter caſus omninò fortuitos *l. ſi vt certo §. ſi me rogaueris in fin. ff. commodato*, ergo ex eodem commodatarius non tene-

Commodatarius non tenetur de caſu fortuito.

Ppp tur

tur actione commodati verſus eundem commodantem. Confirmatur, quia commodatarius non potuit obuiare illi furto, cum nullam culpam præſupponatur habuiſſe in cuſtodia, ergo non eſt, cur teneatur ad illius reparationem.

3 Reſpondeo ſecundò. Si ego denuo receperim ſeruum, qui res commodatas abſtulit à commodatario, commodatarius habet mecum actionem furti nomine ſerui. Colligitur expreſſè *ex l. rem mihi commodaſti §. in exercitu ff. commodati*; vbi ſic legitur, *Habiturum me commodati actionem cum contubernalibus conſtat pro cuiuſque parte, ſed & illi mecum furti ſerui nominè agere poſſunt, quoniam noxa caput ſequitur, & ſi tibi rem periculo tuo vtendum commodauero, eaque à ſeruo meo ſurripiatur, agere mecum furti poſſis ſerui nomine.* Ratio autem huius reſponſionis, & diſpoſitionis legalis ex eo deducitur, quia ſeruus quamuis non obligetur ex contractu, ex delicto tamen obligatur *l. eum qui §. idem ſcripſit ff. de furtis*, ergo noxalitèr commodatarius poterit agere furti contra dominum, ſiquidem, vt ſuprà recitauimus *ex ead. l. rem mihi §. in exercitu ff. commodati* noxa caput ſequitur.

ſeruus ſi non tenetur ex eò tractu, tenetur ex delicto

Dices, irrationabile omninò videtur, quod Dominus obligetur ex delicto ſerui, cum delictum ipſum ſit perſonale, nec alteri imputandum à delinquente, ergo non eſt, cur commodatarius poſſit agere actione furti aduerſus Dominum nomine eiuſdem ſerui. Sed contra primò, quia ſicuti quidquid acquirit ſeruus, acquirit domino, ita è conuerſo, quidquid ex ſua culpa, delictoque deperdit, deperdere debet domino. Secundò, quia cum ratione delicti ſeruus ipſe obligetur ad pœnas, & fiat ſeruus iudicij, dominus ipſe tenetur eundem redimere, vt valeat ad ſui commoda adhibere.

indirectè Dominus ſaltem tenetur pro ſeruo.

§. III.

Ad quid teneatur commodatarius, ſi re commodata vtatur quidem ad vſum ſibi conceſſum, ſed non iuxta conuenta.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries 1.

Nonnulla notabilia circa ipſum 2.

Si commodatarius equum petierit pro determinato loco ad quatuor dies inſumendos in itinere, & poſtea iter confecerit duobus, in quibus equus mortuus eſt tenetur actione commodati aduerſus commodantem 3.

Si commodatarius loco non expreſſo equum petierit pro itinere quatuor dierum, & ſecundo die perierit non tenetur actione commodati, niſi iter fuerit infectum 4.

Si æque dominus fuiſſet conceſſurus ad duos dies, ac ad quatuor probabilius commodatarius non tenetur 5.

1 Diſquiſitio III. Accepi commodatum equum a Caio, quem decepi, aſſerens me accipere ad iter conficiendum quatuor dierum, cum re vera acceperim ad iter, quod fieri ſolebat duobus tantum diebus, & cum iter facerem duobus diebus equus caſu fortuito in via mortuus eſt. Quæritur modo, an damnum ſtet mihi commodatario, qui modo prædicto decepi, an Caio commodanti, cum caſu fortuito perierit? Pro ſolutione

2 Aduerte, an commodatarius in petitione equi pro itinere conficiendo quatuor dierum denunciauerit locum, ad quem habendum erat iter; vel præciſè dixerit pro itinere quatuor dierum. Rurſus ex ſuppoſitione, quod locum denunciauerit, vel locus ille erat talis, vt ſpacio duorum dierum poſset commodè aſſequi, vel talis, vt quamuis per duos dies poſſet ad ipſum perueniri, non tamen niſi cum maxima difficultate, & cum maximo equi labore. Item ſi locum non denunciauit, ſed præciſè dixit pro itinere quatuor dierum, vel in illis duobus diebus iter habuit commodum, quod regularitèr per illud ſpatium duorum dierum habetur ſine coactione equi, vel iter habuit violentum vltra id, quod regularitèr habetur. Tandem, vel poteſt præſumi, quod ſi commodatarius petiiſſet ſpecificè ad illud iter duorum dierum, dominus conceſſiſſet, vel quod non conceſſiſſet. His ſic pro clariori notitia conſideratis.

nonnullæ conſiderationes neceſſariæ ad deciſionem caſus,

3 Reſpondeo primò. Si commodatarius pro loco determinato equum petierit ad quatuor dies inſumendos in itinere, & poſtea iter confecerit duobus, in quibus equus mortuus eſt, tenetur actione commodati erga commodantem. Ratio eſt, quia commodatarius vſus eſt equo vltra modum, & facultatem ſibi conceſſam à commodante, ergo ratione illius vſus, qui certè culpabilis eſt, tenebitur actione commodati erga dominum, ſi ille equus in illo itinere moriatur; neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod illud iter etiam per duos dies non ſit inſuetum, cum per alios pro illo tempore cum ſimili equo paſſim habeatur; non, inquam, obeſſe poteſt, quia, quantumuis illud iter per tale tempus commodè fieri potuerit, & paſſim ab alijs fiat, potuit tamen commodans nolle concedere, niſi ad commodius iter per quatuor dies; conceſſio etenim eſt merum beneficium, quod non extenditur vltra formam conceſſionis; & ſicuti

vſus eſt equo, vltra modum, & facultatem ſibi conceſſam

Conceſſio eſt moriū beneficiū, quod non extendatur vltra formam conceſſionis.

cuti locator poteſt equum locare accepta mercede ad iter, ita vt non fiat, niſi pro determinato tempore, & ſi aliter fiat conductor teneatur ex conducto ita commodator, qui ex gratuita beneficentia commodatum præſtat poteſt equum commodare ad iter, ita tamen, vt non fiat niſi pro conuento tempore, & ſi aliter fiat commodatarius teneatur actione commodati.

Reſpondeo ſecundò, ſi commodatarius equum petierit ad iter quatuor dierum, & non expreſſerit locum, ad quem iter dirigit, & intra duos dies in itinere equus moriatur non tenetur actione commodati erga commodantem, ſi per ſingulos dies commodum, & conſuetum furi per alios commodè, iter habuerit, & non præuiderit deteriorationem, ſeù periculum equi; ſecus ſi iter inſuetum, & laborioſum, vel præuidens periculum non deſtiterit ab vlteriori itinere.

4 Ratio primæ partis eſt, quià actio non conſurgit, neque ex natura commodati, neque ex conuentione, neque ex aliqua culpa commodatarij, ergo non eſt, cur contrà eundem agi poſſit ex commodato, ſi equus in itinere moriatur. Antecedens quoad primam partem probatur, quia commodatum, qua præcisè commodatum eſt non obligat ad interitum, ſeù deteriorationem rei ex caſu omninò fortuito, & non præuiſo per ſuperius latè probata, ſed quandò non exprimitur locus ad quem iter dirigitur, nec exceditur in itinere vltrà conſuetum, nec præuidetur periculum, ſi equus præmoriatur eſt caſus omninò fortuitus, vt per ſe patet, ergo ex commodato commodatarius ob equi interitum, non obligabit actione commodati.

Non tenetur niſi iter fuerit inſuetum, & cum præuiſione periculi.

Probatur idem antecedens quoad ſecundam partem, quia commodatarius non excedit limites conuentionis, ergo neque ex conuentione obligabitur. Antecedens probatur, quia quandò non eſt expreſſus locus, nec limitata poteſtas vtendi quoad determinatum modum non excedit limites conuentionis, qui re commodato vtitur ſecundum conſuetum modum, quo cæteri regularitèr vtuntur, ſed in caſu, de quo loquimur per commodantis pacta, non eſt præſcriptus determinatus modus vtendi re commodata, & commodatarius vtitur conſueto modo vtendi, ergo &c. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod petitio ad quatuor dies facta eſt ad iter, & quod poſtea iter ex voluntate commodatarij erat complendum per duos; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià ex quo commodans conceſſit equum ad quatuor dies, nec modus vtendi fuerit expreſsè poſitus per pacta, nec implicitè limitatus per determinationem loci quoad illud tempus quatuor dierum purum referre poteſt, quod petitio facta fuerit ad quatuor dies, & licet commodatarius per duos dies peruenerit ad locum ſibi mentaliter præfixum, potuit tamen vlterius progredi ad alios duos dies, dummodò non excederet per ſingulos dies iter conſuetum ſine tranſgreſſione conuentionis cum non fuerit determinatus locus, ita potuit poſtquam illuc peruenerit, non vlterius progredi; Neque hoc eſſet vltra conuentionem, quia conuentio reſpicit ne vltra quatuor dies producatur iter, non autem ne perficiatur miſſo a tempore, ſi commode, & iuxta conſuetum potuit perfici, & qui terminum ſtatuit, excludit iter intra vltra illum, non autem excludit, ne intra illum poſſit perfici, dummodo non fiat per coactionem, & vltra conſuetum.

Vtitur ſecundum conſuetum modum, ſecundum quem alij regulariter vtuntur.

Conuentio reſpicit, ne vltra illos conuentos dies iter producatur.

Probatur idem quoad tertiam partem, quia in hypotheſi de qua loquimur nulla apparet culpa commodatarij, nec ratione itineris in ſingulos dies, cum illud ſupponitur eſſe conſuetum, nec excedere vſitatum morem; nec ratione præuiſionis alicuius periculi, cum ſupponatur nullum præuidiſſe, ergo &c.

Non eſt culpa nec ratione itineris, nec ratione modi & periculi.

Ratio ſecundæ partis deducitur argumento è contrario ſenſu deducto, *ex l. ſi commodauero ff. commodati*, vbi cum commodans commodauerit equum vſque ad certum locum, & equus mortuus fuerit in itinere dicitur, quod commodatarius non tenetur commodati, *nam ego*, qui tum commodans, *in culpa eis quod in tam longum iter equum commodauerim, qui cum laborem ſuſtinere non potuit*, ergo ſi commodatarius ratione inſueti, & laborioſi itineris fuerit cauſa &c. tenebitur &c. Confirmatur, quia ipſum inſuetum, & nimis laborioſum iter culpabile eſt, & commodatarius id præſtat in re commodata, quod quiſque dominus in re ſua regularitèr non præſtat, cum illud iter ſupponatur inſuetum, & irregulare.

Inſuetum iter, & laborioſum culpabile eſt.

Reſpondeo tertiò. Si eſſet rationabilis præſumptio, quandò equus pro certo loco petitur, quod dominus æque fuiſſet conceſſurus etiam ad duos dies, quantumuis fuerit petitus ad quatuor, probabilius eſt in foro ſaltem conſcientiæ, quod non teneretur actione commodati, ſi equus intra illos duos moriatur dummodò propter inſuetum vſum non fuerit cauſa illius interitus. Ratio eſt, quià qui operatur ſecundum præſumptam rationabiliter voluntatem Domini operatur ſecundum dictamen prudentis rationis, ergo in foro externo ſaltem animæ non tenebitur actione commodati, ſed quandò eſt rationabilis præſumptio, quod dominus æque conceſſiſſet &c. commodatarius ſic vtens operaretur ſecundum præſumptam rationabilitèr volunta- 5

Operatur ſecundū rationabiliter præſumptam voluntatem domini.

tem commodantis, ergo &c. Confirmatur, quiá depoſitarius vtens depoſito ſecundum implicitam, & præſumptam voluntatem deponentis re depoſita non tenetur actione depoſiti per ſuperius probata, ergo etiam commodatarius &c.

---

§. IV.

An res indiuidua duobus commodata obliget vtrumque inſolidum.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ, & rationes circa ipſum dubitandi 1.

Quoad obligationem primitiuam quilibet tenetur dumtaxat pro rata 2.

Quoad obligationem ſecundariam ex dolo, & culpa vterque obligatur inſolidum, ſi vterque deliquerit, ſi alter tantum deliquerit ipſe obligatur ad totum 3.

Si res commodata ex furto tertia perſona perierit altero ex duobus commodatarijs agente ex furto aduerſus furem, actio alterius perimitur 4.

Si commodans agat contra vnum ex commodatarijs, ex facto alterius, eidem contra quem agit cedenda eſt actio aduerſus alterum 5.

Si vnus ex commodatarijs furto egerit aduerſus furem ipſe ſolus per commodantem debet conueniri 6.

1 DIſquiſitio IV. Commodauerat quis alteri plauſtrum, vel iumentum duobus ad eorum vſus, qui etiam in celebratione contractus ſe obligauerant ad caſus fortuitos. Rebus ſic ſtantibus res illa in indiuiduo puta plauſtrum, vel iumentum interijt, Quæritur iam, an actio commodati detur in ſolidum contra vtrumque commodatarium, an verò tantum pro rata?

Variæ conſiderationes circa factum propoſitũ

Sub hac controuerſia plura veniunt examinanda, quæ valdè conſerre poſſunt ad plures quæſtiones diſſoluendas in hac materia commodati, & primò quoad obligationem primitiuam, quæ ad rei reſtitutionem contrahitur, an quilibet eorum teneatur pro parte, an vterque in ſolidum; Secundò in obligatione ſecundaria, quæ contrahitur ratione doli, vel culpæ, an vterque obligetur, vel in ſolidum, vel tantum pro rata. Tertiò, ſi commodans agat contra vnum ex facto alterius, an eidem ſit actio cedenda. Quartò, an ſi res illa commodata fuerit ſurto ſublata altero agente, actio alterius contra furem tollatur. Quintò, an ſi vnus furto egerit contra furem, ipſe ſolus debeat conueniri ex commodato.

Reſpondeo primò quoad obligationem primitiuam quilibet tenetur dumtaxat pro rata, *Molina diſp. 297. verſ. dubium eſt in fine, Bartolus in ſummario in l. ſi vt certo loco §. ſi duobus ff. commodati*, & habetur *in l. 5. Caſtella tit. 2. part. 5.* Expreſſa colligitur *ex d. l. ſi vt certo loco §. ſi duobus ff. commodati*, vbi etiam adducitur ratio, quià vſus non eſt adæquatus vtrique, cum vnus per alium impediatur in plauſtro, vel iumento, quod ſecus eſt in balneo, vel porticu, neque enim minus vnus, quam alius vteretur, nec per vnum, vſus alterius impeditur, ſicuti impeditur in plauſtro, vel in vehiculo, ergo cum non ſit adæquatus vſus vtrique, nec ad repetendam rem debet dari actio adæquata contra vtrumque, ſed tantum ad ratam. 2

Molina
Bartolus

Vſus non eſt adæquatus vtrique commodatario.

Reſpondeo ſecundò quoad obligationem ſecundariam ex dolo, & culpa vterque obligetur in ſolidum, ſi vtriuſque culpa interuenerit, ſi verò culpa vnius tantum interuenerit ipſe obligatur quoad totum, *Bartolus in d. l. ſi vt certo §. ſi duobus ff. commodati, Molina loco cit.* colligitur *ex d. l. ſi vt certo ff. ſi duobus* - Ibi - *Quare duo quodamodo rei habebatur*, vbi *Gloſa in d. verbo habebuntur*, ſubdit, *quid vterque obligatus eſt in ſolidum ad reſtituendum*. Ratio eſt, quià cum vterque defecerit non eſt, cur commodans non poſſit pro toto contra vtrumque agere, cum dolus, & culpa vtrumque conſtituat delinquentem, & reum. In hac tamen hypotheſi, ſi commodans ab altero eorum conſecutus fuerit integram reſtitutionem, alter tenetur reſarcire huic medietatem *d. l. ſi vt certo §. ſi duobus ff. commodati*. Quod verò quandò alter ſolummodò eſt in dolo, & culpa ipſa ſolum teneatur in ſolidum domino illius rei, ſeù commodanti colligitur *ex l. 1. §. ſi apud duos ff. depoſiti* - Ibi - *Si alter dolo non fecerit, & id circo ſit abſolutus, nam ad alium peruenietur*; non enim innocens damnis, ſeù culpis nocentis ſubeſſe debet. 3

Bartolus
Molina.

Gloſa.

Si alter ſatisfecerit pro toto, alter tenetur eidem pro rata ſatisfacere.

Reſpondeo tertiò. Si res commodata ex furto tertiæ perſonæ perierit altero ex duobus commodatarijs agente ex furto aduerſus furem, alterius actio perimitur. Colligitur expreſſè *ex l. ex duobus 16. ff. de duobus reis*, vbi ſic legitur. *Ex duobus reis ſtipulandi, ſi ſemel vnus egerit, alteri promiſſor offerendo pecuniam nihil agit.* Ratio autem, an eſt, quam adducit *Gloſa in l., & altero agente in verbo tolletur ff. commodati*, quia ſcilicet vtrique in ſolidum ex vna, eademque cauſa defertur furti actio, ſed quandò ex eadem cauſa vna eſt pluribus actio vni per alium præiudicatur *d. l. ex duobus ff. de duobus reis*. Verum tamen eſt, quod in data hypotheſi alter ex reis credendi eximetur ab onere verſus cōmodantem.

Gloſa.

Actio ex eadem cauſa vtrique defertur.

Reſ-

Reſpondeo quartò. Si commodans agat
5 contra vnum ex commodatarijs ex facto alterius eidem contra quem agit eſt cedenda actio aduerſus alterum. Bartolus in ſummario *d. l. ſi vt certo §. ſi duobus ff. commodati*. Ratio autem ea eſt, quia ex quo vnus pro altero ſoluit ius acquirit aduerſus eundem, quia id præſtat, quod alter deberet præſtare, ergo non incongruè poterit exigere ceſſionem actionis, vt aduerſus doloſum poſſit exigere, quod ex facto ipſius obligatus fuit ad ſoluendum. Confirmatum ex *l. vnde quæritur ff. commodati*, vbi dicitur, quod cedatur actio reſarcienti damnum ab alio datum, ſi non commodati ſaltem ex dolo, vt notat *Gloſa in d. l. vndè quæritur verb. quod videtur habere rationem ff. commodati*.

Bartolus

Qui pro altero ſoluit ius aduerſus ipſum acquirit.

6 Reſpondeo quintò. Si vnus ex commodatarijs furto egerit contra furem ipſe ſolus debet commodati conueniri, quod ſi alter conueniatur, & paratus ſit conuenire alterum, qui furtè agendo lucrum ſenſit ex re commodata debet audiri, & abſolui. Colligitur expreſsè, *& l. vnde quæritur ff. commodati*. Ratio ea eſſe poteſt, quià ex quo onus commodatarius agendo ex furto conſecutus eſt, vel rem commodatam, vel eius æſtimationem conſequutus eſt, quod ad alterum ſpectat contribuere, ergo ipſe ſolus debet conueniri, ne lucrum ex alterius damno reportet, tum ipſe ſolus habuerit totam rem, vel eius æſtimationem, quæ debetur commodanti. Confirmatur, quià ex eo, quod vnus ex focijs, ſeù commodatarijs egerit aduerſus furem actione furtiua actio alterius tollitur aduerſus eundem furem *l., & alterutro ff. commodati*, & conſequenter dicitur *in l. ex duobus ff. de duobus reis*, quod vnus ex reis credendi lite conteſtata perimit ius alterius, ergo ſi extinguit ius alterius, qui non egit actione furtiua aduerſus furem in ſe ipſum contrahit obligationem contribuendi ex commodato id, quod alter debet commodanti contribuere.

Vnus ex reis credendi lite conteſtata perimit ius alterius.

Quod, ſi commodator egerit ex leg. Aquilia aduerſus eum, qui actione furti conſecutus eſt rem commodatam, & alter fuerit, qui damnum dedit tunc eidem, aduerſus quem actum eſt eadem leg. Aquil. remittenda eſt actio commodati, ad conſequendam id pluris ab altero, quod ex eadem lege perſoluit. Ità expreſsè habetur *in d. l. vndè quæritur ff. commodati*.

§. V.

An oppoſitio cuſtodiæ facta per commodantem rei commodatæ eximat commodatarium à periculo eiuſdem rei.

SVMMARIVM.

Exponitur in ſpeciali caſu, in quo ſenſu ſit accipiendus titulus 1.

Nonnulla conſiderabilia circa factum 2.

Si commodatarius in illa domo ſic ſtrata non erat permanſurus in ſequentem diem appoſitio cuſtodia facta per commodantem non eximit commodatarium à periculo 3.

Si permanſurus non erat, & facta fuerit conuentio, quod commodans cuſtodem apponeret periculum ad ipſum pertinet 4.

Si cuſtos per commodantem deſtitutus fuerit ad inſtantiam commodatarij periculum pertinet ad finem, ſi cuſtos fuerit fides 5.

DIſquiſitio V. Egeram cum Caio, vt domum mihi ſterneret, & argentum 1
ad miniſterium commodaret pro certa determinata die, Peregit hic Caius pro die conuenta, ſed cum ego egerem pro die immediate ſequenti eodem miniſterio, rogaui eundem Caium, vt pro die ſequenti idem munus, & commodatum præſtaret, quod benefice promiſit, ſed cum idem Caius commodè ad finem primi diei domum referre non poſſet ibi reliquit conſtituendo ſuum famulum cuſtodem rei argentariæ, Argentum pro illo tempore, quo cuſtos à commodante deſignatus ibi manebat perijt, vel ex furto per alterum peracto, vel per eundem ſeruum cuſtodiæ deſtinatum. Quæretur iam cuius fuerit periculo illud argentum, & qua actione agi poſſit. Pro ſolutione

Res exponitur in determinato caſu

Aduerte, an in eadem domo ſic ſtrata, 2
vel parata ego permanſerim per vtrumque illum diem ſucceſſiuè petitum, an verò primò peracto iuxtà primam petitionem receſſerim, vt ſecundò redirem iuxtà ſecundam petitionem. Secundò, an cuſtos fuerit deſtinatus ad exigentium ea petitionem mei commodatarij, an verò ad electionem, & arbitrium Caij commodantis, cum ſciret ibi non me permanſurum, ſed rediturum ad ſequentem diem. His ſic conſideratis

Nonnulla notabilia neceſſaria ad rem præſentem.

Reſpondeo primò. Si ego in illa domo 3
ſic ſtrata, ſeù parata permanſurus eram vſque ad ſequentem diem pro quo ſecundò petij, & Caius poſt primum diem appoſuerit cuſtodem periculum ad me pertinet.

Colli-

Colligitur expreſsè *ex d. l. ſi vt certo §. ſi de me petiſſes ff. commodati*, vbi ſic legitur. *Ego puto commodati quidem agendum in vtroque caſu: verum cuſtodiam eum præſtare debere penès quem relicta ſunt*. Ratio autem ea eſt, quam adducit *Gloſa in d. l. ſi vt certo verſ. relicta ſunt*, quia ſcilicet ego commodatarius ex vi commodati obligatus fui pro cuſtodia; Neque ex eo, quod Caius commodator cuſtodem poſuerit præſumendus eſt cuſtodiæ commodatarij renuntiaſſe; ſicuti ex eo, quod dominus conſtituto cuſtodi alterum addiderit ad cuſtodiam ſuæ rei non intelligitur primum liberare, ergo ſi ex defectu cuſtodiæ argentum perierit tenebor actione commodati ego commodatarius.

Gloſa.

Commodatarius ex vi commodati obligatur ad cuſtodiam.

4 Reſpondeo ſecundò. Si ego in illa domo permanſurus non eram per illos duos dies, & facta fuerit conuentio, quod commodator cuſtodem apponeret pro tempore, quo domum referre non poterat argentum, cum ibi ego non eſſem permanſurus ſi pereat, eidem Caio commodanti perit, nec vllam habet aduerſus me actionem. Colligitur ex *d. l. ſi vt certe §. ſi de me petiſſes ff. commodati* ibi *niſi aliud nominatum conuenit*. Accedit, quod ſi ab initio commodator in rei traditione cuſtodem appoſuerit tunc renuntiaſſe cuſtodiæ commodatarij videatur *l. ſi ſoluturus in fin. ff. de ſolut. l. quarundam ff. de acq. poſſeſ. l. fin. §. ſiquidem C. de pact. conuent.*, ergo à fortiori renuntiaſſe præſumendus eſt quando commodatarius expreſsè dixit ſe ibi non permanſurum, & conuenit de cuſtode apponendo per commodantem.

Commodans apponens in principio cuſtodem videtur cedere cuſtodia commodatarij.

Reſpondeo tertiò. Si cuſtos per commodantem fuerit deſtinatus ad exigentiam mei commodatarij, & res illa perierit ego tenebor actione commodati, ſi cuſtos ille deſignatus fuerit fidus, & idoneus, ſecus ſi infidus, vt non idoneus. Aduertè tamen, quod ly *ad exigentiam* poteſt ſtare duplicitèr, primò quatenus ego conueniam, quod Caius commodator teneatur ipſe cuſtodem conſtituere; Secundò quatenus ego exegerim, vt quodamodò nomine meo cuſtodientem conſtitueret. Iuxtà primum ſenſum difficultas, ſeù reſponſio non procedit cum de ipſo actum fuerit in præcedenti reſponſione. Iuxta ſecundum verè procedit, & ſic probatur. Ex eo, quod ego exegerim cuſtodem pro illo tempore exegi ad præſtandum munus, quod mihi ex vi commodati incumbebat, ergo cuſtodia illa ad me pertinebat, adeòque cuſtos in eo munere agit vices meas, ergo ex defectu debitæ cuſtodiæ ego tenebor actione commodati verſus commodantem, neque obeſſe poteſt, quod ille cuſtos fuerit deſignatus per commodantem; non, inquam, obeſſe poteſt, quià cum deſtinauerit fidum, & idoneum, quantum ſpectat ad humanum iudicium non poteſt eidem ad culpam imputari; vndè conformitèr ad hoc dicitur *in d. l. ſi vt certo §. ſi me rogaueris ff. commodati*, quod *ſi me rogaueris, vt ſeruum tibi cum lance commodarem, & ſeruus lancem perdiderit periculum ad te reſpicere, nam, & lancem videri commodatam, quare eam quoque præſtandam*. Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod deſignando ſeruum infidum eſt in culpa malæ electionis, adeòque damni indè ſecuti iuxta textum *in l. qui non tam idoneum ff. commodati*, nec ad aliud exiſtimo tendere textum *in d. l. ſi vt certo §. ſi me rogaueris ff. commodati*, dum dicit. *Planè ſi ſeruus cum ea fugerit, eum quo commodatum accepit non teneri, niſi fuga præſtiterit culpam*.

Cuſtos agens vices commodatarij.

Deſignando ſeruū infidum eſt in culpa malæ electionis

Reſpondeo quartò. Si Caius commodator ex ſua electione, & arbitrio cuſtodem conſtituerit me non exigente, cum ſciret me ibi non permanſurum, tunc ego non tenebor actione commodati verſus eundem. Ratio eſt, quia cum commodans ſciret me ibi non permanſurum, potuit etiam præſumere me non habiturum cuſtodiam illius argenti, vndè ſi ego eidem poſt primum diem conſignauerim argentum commodatum, vt poſtea altera die iterum commodaret videor in eundem tranſtuliſſe onus cuſtodiæ, ergo ſi ex defectu cuſtodiæ pereat ipſi commodanti non mihi perire dicendum eſt.

---

§. VI.

An error in iure quoad perſonam commodatarij impediat actionem commodati.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ, & rationes dubitandi 1.

Ex errore, quo commodans exiſtimat commodatarium ſibi eſſe ſeruum, cum ſit liber, non tollitur actio illius aduerſus iſtum 2.

Soluuntur rationes dubitandi in principio propoſita 3.

DIſquiſitio VI. Liber homo bona fide mihi ſeruiebat, quem ego, vt ſeruum habebam. 1 Eidem rem meam commodaui, quæ ex ipſius culpa perijt. Quæritur modo, an ego habeam aduerſus ipſum actionem commodati?

Ratio dubitandi ex eo conſurgit, quod

ſeruus

ſeruus; vt ſeruus non poteſt ſaltem inutiliter obligari, & omnes actiones ſerui imputantur Domino; ſicuti igitur Dominus non poteſt contra ſe ipſum ciuilitèr agere, nec agere poſſe videtur ciuilitèr aduerſus eundem ſeruum. Deindè eatenus contractus obligat, quatenus ſunt intentiones contrahentium obligandi, ſed ego commodans homini libero à me reputato, vt ſeruo, habere non poſſum intentionem ipſum ciuilitèr obligandi, cum ſeruus, vt ſeruus nequeat ciuilitèr obligari, ergo ipſe ex tali actione, ſeù commodato non poteſt erga me teneri, adeòque nec ego poſſem contra ipſum agere. His tamen non obſtantibus

Rationes dubitandi circa titulum.

Reſpondeo primò. Ex tali errore, quo ego hominem liberum reputabam, vt ſeruum, non oritur, quin ego aduerſus ipſum agere poſſim actione commodati. Colligitur expreſsè *ex l. ſi is, qui commodatum §. ſi libero homini ff. commodati*, vbi ſic legitur *ſi iuſſiſſem eum aliquid facere, vel mandati cum eo, vel præſcriptis verbis experiri me poſſe. Idem, & in commodato erit dicendum.*

Probatur primò, quia commodatarius in data hypotheſi ſecundum ſe capax eſt obligationis ciuilis paſſiuæ, & ſpontè omninò, & liberè ſe obligat, ergo non eſt, cur in ipſo non oriatur actio ex commodato, & vtique ciuilis. Antecedens probatur, quià ſecundum ſe eſt ſimplicitèr liber, & ſe cognoſcit, vt talem, ergo ſi ſpontè commodatum exigit, & recipit, ſe obligat ad eas omnes actiones, quæ ex commodato oriuntur, & etiam liberè, cum etiam liberè contractum ineat; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, non ſufficere voluntatem liberam commodatarij ſe obligandi, niſi etiam accedat voluntas commodantis ipſum obligandi, quæ vtique non ſupponitur, cum ipſe cogitauerit commodare ſeruo, quem vtique cognouit, non poſſe obligare; non, inquam, obeſſe poteſt, quia commodans commodando ſemper præſumitur obligare, quantum alter, ſcilicet commodatarius obligari poteſt, & in tantum non intendit obligare, in quantum ille obligari non poteſt, ergo ſi poteſt obligari &c. poterit &c.

Eſt ille commodatarius quantum eſt ex ſe habilis, vt ciuilitèr obligetur.

Dices, qui contrahit inualidè, & vſurariè bona fide exiſtimans contrahere validè, & licitè non conſtituit contractum validum per ea, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus III. de Mutuo, & Vſuris Diſq. VI. §. VI., & VII.*, nec contractus vllum parit effectum, ergo etiam, qui cum eo contrahit, quem bona fide exiſtimet, non poſſe obligare, ipſum non obligabit ciuilitèr, quantumuis potuerit ciuilitèr obligari. Conſequentia probatur, quia ſi bona fides non ſufficit ad validandum contractum, qui ex natura ſua inualidus eſt, ità nec bona fides, ſecundum quam arbitratur alter contrahens eſſe ineptus ad contrahendum poterit ipſum habilem conſtituere ad contrahendum, quantum ad effectum ipſum obligandi. Sed contra, quià hæc inſtantia potius prodeſt, quam obſit noſtro ſenſui, nam ſi bona fides non ſufficit ad validandum contractum, qui ſecundum ſe inualidus eſt, ita nec bona fides ſufficere poſſe videtur ad conſtituendum eum inhabilem, qui ſecundum ſe habilis eſt. Deindè dato, quod bona fides non conſtituat contractum validum, qui ſecundum ſe inualidus eſt, quia hoc eſt, quià ex natura ſua, & ex ſuis intrinſecis principijs eſt inualidus, bona tamen fides, ſeù exiſtimatio, quod, ex inabilitate commodatarij non ſubſiſtat, quantum ad effectum obligandi ciuilitèr, non facit, quod non ſubſiſtat, quando commodatarius habilis eſt, cum nil deficiat, quod requiratur ad validam ſubſiſtentiam.

Inſtantia ex aliàs dictis deſumpta diſſoluitur.

Probatur ſecundò, quià homo liber, qui reputatur, vt ſeruus, poteſt obligari actione mandati, vel præſcriptis verbis *l. ſi is qui commodatum §. ſi libero ff. commodati*, ſi per dominum eidem aliquid committatur, ergo etiam poterit obligari actione commodati, ſi aliquid per dominum eidem commodetur *arg. d. l. ſi is qui §. ſi libero ff. eodem*, tùm quia non minus eſt ciuilis actio mandati, & præſcriptis verbis, ac ſit actio commodati; Neque obeſſe poteſt textus *in l. at qui natura §. ſi libero ff. de negot. geſtis*, vbi dicitur, quod homo liber reputatus, vt ſeruus, non obligari poſſit actione mandati, quia non ſpontè ſuſcepit mandatum; non, inquam, obeſſe poteſt, quia in allegato textu rectè dicitur, quod non poſſit obligari actione mandati, quia in caſu illius textus homo ille ſe reputabat, vt ſeruum, quia ex neceſſitate geſſit, non ex voluntate, vndè benè ibi dicitur, quod oriatur actio negotiorum geſtorum, non mandati, in caſu autem præſentis textus homo ille liber reputatus, vt ſeruus ſciebat ſe liberum eſſe, ſicque quodammodò voluntatem habebat *Gloſa in d. l. ſi is qui commodatum in verb. mandati ff. eod.*

Homo liber reputatus, vt ſeruus, poteſt obligari actione mandati.

Homo ille ſciebat ſe liberum eſſe.

Gloſa.

Probatur tertiò, quia ille error commodantis poteſt ſtare cum tacita obligatione, quæ conſurgat ex ipſo contractu, ergo ex illa tacita obligatione poterit commodatarius, quantumuis reputatus, vt ſeruus, cum tamen ſit liber, ligari actione commodati. Antecedens probatur in eo, qui per errorem indebitum ſoluit, vt patet *ex d. l. ſi is, qui commodatum §. ſi libero ff. commodati.*

Ad rationes dubitandi ex ijs, quæ dicta 3

ſunt

ſunt, iam patet, quid ſit reſpondendum; licet etenim ſeruus, vt ſeruus non poſſit obligari ciuilitèr, poteſt tamen liber homo, licet reputatus, vt ſeruus; nam, in tantum ſeruus, vt ſeruus non poteſt obligari; in quantum nec habet poſſe, nec velle; liber autem licet reputatus, vt ſeruus habet, & poſſe, & velle, adeòque non eſt, cur non poſſit obligari. Ad id, quod ſubditur, dicendum eſt, intentionem commodantis eſſe obligandi ſaltem præſumptiuè ad id, ad quod commodatarius obligari poteſt, cum igitur poſſit obligari nedum naturalitèr, ſed etiam ciuilitèr, ideò &c.

Liber homo reputatus, vt ſeruus habet poſſe, & velle

---

§. VII.

An commodatarius allegans res perditas teneatur probare.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries in caſu particulari 1.

Ad commodatarium ſpectat onus probandi, res illas fuiſſe caſu fortuita deperditas 2.

Tenetur probare plenè, ſi res perijerit ex caſu apertiſſimo, per coniecturas, ſi ex caſu occulto 3.

Probata per commodatarium amiſſione rei commodatæ, & ex aduerſo allegata culpa, & dolo in caſibus, qui de facili non accidunt ſine culpa, ad commodatarium ſpectat probare non exiſtentiam doli, ſeù culpæ, in caſibus verò, qui regularitèr accidunt ſine culpa ad commodantem ſpectat probare dolum 4.

1 DIſquiſitio VII. Commodaueram Titio res meas pretioſas ad annum cum onere, vt omnes leges commodati ſeruare teneretur. Rebus his ſic per eundem Titium receptis poſt aliquod temporis idem Titius mihi denuntiauit res illas, vel ex incendio, vel ex furto, vel ex alio caſu fortuito perijſſe. Controuerſia excitata de veritate enuntiati quæſitum fuit in primis, an ad eundem Titium ſpectet probare res illas fuiſſe deperditas, an ad me, non fuiſſe deperditas. Deindè, quid requiratur ad plenam probationem, quantum ad effectum eximendi eundem Titium ab actione commodati. Tandem, ſi per Titium probatur amiſſio, & ex aduerſo per me allegetur culpa ad quem ſpectet probatio?

Variæ rationes dubitandi proponuntur.

2 Reſpondeo primò, ad eundem Titium ſpectare onus probandi res illas fuiſſe deperditas *Panormitanus in c. bona fides de depoſito, Bartolus in l. ſi quis ex argentarijs ff. de edendo, Silueſter verb. commodatum nu.* 10. *verſ. decimo tertio*. Ratio eſt, quià in commodato commodatarius tenetur exhibere iure actionis *Silueſter loco quo ſupra*, ſed quandò quis tenetur exhibere iure actionis tenetur probare, & non probans condemnatur *l. ſi creditor ff. de pignor. act.*, ergo ad eundem commodatarium, qui tenetur iure actionis exhibere, incumbit onus probandi. Confirmatur, quia dicenti, non neganti incumbit onus probandi, ſed commodatarius eſt, qui aſſerit res illas fuiſſe deperditas, & ego nego, ergo ad illum, non ad me ſpectat &c. Confirmatur ſecundò, quia ex commodato, quod præſtiti, ius ego habeo exigendi res meas, ergo, ſi commodatarius vult elidere meam petitionem, debet probare res illas fuiſſe amiſſas.

Panormitanus. Bartolus Silueſter

Qui tenetur exhibere iure actionis tenetur probare.

Dices, onus probandi ſpectat non ad reum, ſed ad actorem, ſed in data hypotheſi commodatarius eſt reus, qui conuenitur, & ego actor, ergo ad me, non ad illum ſpectat probare. Deindè ego exigo, & peto, ille negat, ergo ad me &c. Sed contrà, quia illa regula ad actorem ſpectat probare, non ad reum fallit in pleriſque, & primò, quantum ſpectat ad ſtatum præſentem, quando actor habet ius non ſolum quoad proprietatem, ſed etiam quoad poſſeſſionem in re illa, de qua agitur, & alius ſolum habet vſum, & detentionem corporalem illius, tunc etenim ad hunc ſpectat, qui corporalitèr rem detinebat, probare rem illam eſſe amiſſam; Secundò, quandò ex vi contractus reus obligationem habet rem conſeruandi. Deindè ipſe aſſerit rem perijſſe, ergo ipſe debet probare.

Regula, quod ad actorem ſpectat probare, in multis fallit.

3 Reſpondeo ſecundò, quandò res perierint ex caſu apertiſſimo debet commodatarius plenè, & apertè probare, quandò verò ex caſu occulto, tunc ſufficit probare per coniecturas habito reſpectu ad qualitatem perſonæ, & ſimilium. Ita quoad omnes partes idem *Silueſter d. verb. commodatum num.* 10. *verſiculo decimo tertio*. Ratio quoad primam partem eſſe poteſt, quia, quandò haberi poteſt aperta, & concludens probatio eadem adhibenda eſt, nec ſufficit coniecturalis, quæ ſolum admittitur in ſubſidium probationis plenæ, & concludentis, quandò hæc haberi non poteſt, ſed quandò res perit ex caſu apertiſſimo, puta ex incendio, vi hoſtium, & tempeſtatis, commodè haberi poteſt aperta, & concludens probatio, ergo hæc adhibenda eſt, non alia ſubſidiaria *l. ſi creditor C. de pignor. act.* Hic tamen aduertendum eſt, non ſufficere quamcunque probationem interitus rei, ſed requiri probationem interitus rei commodatæ in indiuiduo, ſic v. g. non ſufficit commodatarium probare equum ſibi

Silueſter

Coniecturalis probatio ſolum admittitur in ſubſidium.

com-

commodatum naturalitèr mortuum, ſed debet probare, de quo equo per ſigna eius *Ioan. Andra. in cap. auditis de praeſcrip. Abbas ibid. in penult. col.* Verum tamen eſt, quod, ſi ex incendio, hoſtium inuaſione &c. probaretur communis rerum interemptio, eſſet admittenda talis probatio etiam quoad res commodatas ex vehementiſſima præſumptione.

Ioannes Andreas. Abbas. *Requiritur probatio in terminis in dubiis.*

Ratio quoad ſecundam partem ea eſt, quia probari coniecturis, & indicijs ſatis eſt id, quod ſui natura probari difficile admodum eſt *l. filium definimus ff. de his, qui ſunt ſui, vel alien. iur. l. conſenſu §. ſuper C. de repud. cap. veniens 2. de teſt. cap. Michael de fil. presbit. Bartolus in l. de pupillo §. ſi quis ipſi praetori quaſ. 8. vbi & Alex. col. 8. ff. de op. nou. nunt. Baldus ſi quis in hoc genus C. de Epiſ., & Cleric.* Hinc in particulari, quandò aliundè probatio euidens haberi non poteſt, quamuis familiares, & domeſtici regularitèr non admittantur, res amiſſæ per eoſdem ſufficientèr probantur, qui teſtantur ſe vidiſſe res illas die præcedenti, & de nocte ſenſiſſe furem, & de mane res illas non reperiſſe *Bartolus in l. ſi quando in fin. C. unde vi Abbas in cap. fin. quod me. cauſ.* Hinc etiam ſufficientèr probatur, quandò aliunde probatio fortior haberi non poteſt, ſi probet ſe reperiſſe de mane oſtium ſuæ ſtationis effractum, vbi erunt res depoſitæ, vel intraſſe locum dum erat equeſter, & rediuit pedeſter, dum dicit ſe in latrones incidiſſe *Silueſter de verb. commodatum num. 10. verſ. decimo tertio.*

Bartolus Alexander. Baldus.

Bartolus Abbas.

Silueſter

4 Reſpondeo tertiò, ſi per commodatarium probetur amiſſio rei commodatæ, & ex aduerſo allegetur culpa, vel dolus, in caſibus, qui de facili non accidunt ſine culpa, ſpectat ad commodatarium probare caſum fortuitum, in caſibus verò, qui regularitèr accidunt ſine culpa, eum præſumatur in iſtis culpam abeſſe, onus probandi transfunditur in allegantem eandem culpam *Bartolus in l. ſi quis ex argentarijs ff. de edendo, Silueſter d. verb. commodatum num. 10. verſ. decimo tertio in fin.* Ratio in vniuerſum eſſe poteſt, quia in primis caſibus præſumptio ſtat contra commodatarium, in ſecundis verò præſumptio eſt in fauorem eiuſdem, ergo in primis probatio facienda eſt per eundem commodatarium, in ſecundis per commodantem. Conſequentia probatur, quia probationes duriores faciendæ ſunt per eum, contra quem eſt præſumptio *l. fin. in princip., & ibi Bartolus ff. quod met. cauſ. Baldus in l. fine C. de probat. in 2. col. verſ. deinde reſtat.*

Bartolus Silueſter

In primo caſu praeſumptio ſtat contra commodatarium.

Bartolus Baldus.

§. VIII.

An, ſi commodatarius ex impotentia fuerit in mora reſtituendi rem commodatam, teneatur ad intereſſe commodanti.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus propoſita difficultatis 1.
Si in celebratione contractus expreſsè conuentum fuerit, quod commodatarius teneatur ad intereſſe ex mora, etiam ſi non fuerit expreſſum, quod teneatur ex caſu fortuito vtique tenebitur ad tale intereſſe 2.
Si in celebratione contractus nulla facta fuerit talis conuentio, commodatarius non tenebitur ad intereſſe, ſi impotens fuerit in mora 3.

Diſquiſitio VIII. Certum eſt in primis commodatarium eo ipſo eſſe in mora, quo rem ſibi commodatam pro tempore præfinito non reſtituit, etiam ſi per commodantem non fuerit interpellatus, quia dies ipſa ſtatuta pro domino creditore re interpellet *cap. vlt. de locato l. magnam C. de contrahenda ſtip., & l. 2. C. de iur. Emphyt.* Certum eſt ſecundò, quod ſi commodatarius fuerit in mora ex ſua culpa quantumuis leuiſſima, teneatur verſus commodantem ad omnia damna inde ſubſecuta, & ad compenſationem etiam lucri ceſſantis, vt docent communitèr omnes Theologi, quia, cum hic contractus fit in vtilitatem ſolius commodatarij, ex eodem obligatur etiam de leuiſſima. Quibus ſuppoſitis Titius commodatarius, qui rem commodatam acceperat ab Antonio pro tempore, quo ex vi contractus complebatur, reſtituere ex impotentia non potuit, & inde Antonio damna aliqua prouenerunt, lucrumque indè ceſſauit. Orta tunc fuit controuerſia, an ratione talis impotentiæ eximatur ab onere compenſationis talium damnorum, an verò ea non obſtante teneatur ad eandem. 1

Eo ipſo eſt in mora, quo tempore praefinito nō ſoluit.

Poſt moră obligatur etiă de leuiſſima.

Reſpondeo primò. Si in celebratione contractus expreſſe conuentum fuerit, quod commodatarius teneatur ad intereſſe, ſi in mora fuerit etiam, ſi non fuerit expreſſum, quod teneatur etiam ex caſu fortuito, & abſque ſua culpa, vtique tenebitur ad tale intereſſe, quantumuis impotens non reſtituerit. *Molina diſp. 297. verſ. tota verò difficultas.* Ratio autem ea eſſe poteſt, quia illa conuentio expreſſa de præſtando intereſſe, ſi in mora fuerit non debet præſumi fruſtatoria, & ſuperflue appoſita, 2

Molina. *Illa conuentio eſſet fruſtatoria, & ſuperflua.*

poſita, ergo intelligitur etiam obligare ex mora quoad caſus fortuitos, quibus obuiare non poſſit commodatarius ad idem intereſſe. Antecedens patet, quià verba, & pacta contrahentium debent aliquid operari *In ſpecul. de emptione, & vendit. §. 1, verſ. ſed quid, ſi in inſtrumento Baldus in rub. C, de contrahend. empt. in 3. col. in 11. quaſt. Alexander conſ. 66. part. 4.* Conſequentia probatur, quia, ſi ex vi illius conuentionis non obligaretur commodatarius ad intereſſe etiam ex caſibus fortuitis, illa conuentio nihil operaretur, quandòquidem ex culpa etiam leuiſſima ex ipſa natura contractus obligatur, ergo, ne extruamus ſuperflua in conuentione contra iuris diſpoſitionem, debemus aſſerere eandem referri etiam ad caſus fortuitos. Confirmatur, quia commodans per talem conuentionem implicitè intendit nolle ſubire aliquod damnum etiam lucri ceſſantis, hocque commodatario ſignificat, dum ſub tali pacto contrahit; tale autem pactum non eſt contra, ſed præter naturam contractus, & acceptatum obligat, ergo &c.

Speculator. Baldus. Alexander.

Tale pactum non eſt cōtra, ſed præter naturam contractus

Reſpondeo ſecundò. Si in celebratione
3 contractus nulla fuerit facta conuentio, quod commodatarius teneatur ex mora ad intereſſe, commodatarius non tenebitur ad ipſum, ſi impotens fuerit in mora *Molina d. diſp. 297. verſ. dicendum deinde eſt*, Ratio eſſe poteſt primò, quia commodatarius ex ipſa natura contractus non obligatur ad caſus fortuitos rei commodatæ penès ſe exiſtentis per ea, quæ late dicta ſunt ſuperiùs, vndè, ſi pereat, ad nihil tenetur, ergo niſi facta fuerit conuentio, quod ex mora teneatur ad intereſſe, non tenebitur ad ipſum intereſſe. Conſequẽtia probatur, quia, quandò cauſa aliqua eſt ſufficiens ad excuſandum ab interitu rei commodatæ, eſt etiam ſufficiens ad excuſandum ab intereſſe, quod proueniret ex tali re, nam commodans eo ipſo, quod commodat, ſi contrarium pactum non deducit, cenſetur ſe exponere cuicunque periculo talis rei tam quoad ſe, quam quoad intereſſe ejuſdem, quod abſque culpa commodatarij proueneri. Ratio eſſe poteſt ſecundò, quia impotentia excuſat a redditione rei commodatæ, ergo etiam excuſat ab intereſſe eiuſdem, quod conſequitur ex tali non redditione, cæteroqui eodem modo ſe haberet, ac ſi non excuſaretur a redditione eiuſdem rei.

Molina

Impotentia excuſat à redditione rei commodatæ.

Dices, quod pro illo tempore, pro quo commodatarius ex impotentia eſt in mora reſtituendi rem commodatam, fruitur vſu eiuſdem rei contra voluntatem eiuſdem Domini commodantis, ergo ratione illius vſus contra propriam voluntatem poterit Dominus commodans agere ad intereſſe. Conſequentia probatur, quià commodans ex ſuperius dictis poteſt agere actione furti, & ad omne intereſſe contra commodatarium, qui vtitur re ſibi commodata ad alios vſus, ad quos non fuit res illa conceſſa, ergo etiam poterit agere, ſi vtatur quidem ad vſum, ad quem fuit conceſſa, ſed vltra terminum conceſſionis, quandòquidem vſus vltra talem terminum non eſt conceſſus. Sed contra, quia aliud eſt loqui præcisè de intereſſe propter moram, quod conſequeretur commodans, ſi res commodata ſibi in termino reſtitueretur, de quo procedit reſponſio, aliud loqui de intereſſe propter vſum, quem ipſe commodans non conceſſit, quoque vtitur commodatarius in tempore moræ; de hoc etenim non renuo concedere, quod commodatarius ad proportionem vſus teneatur valorem contribuere, quia ille vſus eidem non conceſſus eſt gratis; Quod ſi dicas, quod, quotieſcunque res commodata non reſtituitur, remaneat ſub puris terminis commodati; commodatum autem, qua commodatum eſt, etiam in ordine ad vſum non poſſit intereſſe, adeòque ex vi illius nihil poteſt exigi; ſtatim impugnaberis, quia quamuis actione prima dicatur manere ſub terminis commodati, abſolutè tamen quoad vſum commodatum terminatum eſt, cum ad talem vſum vltra terminum non intelligatur permiſſum, adeòque, quamuis actione commodati ceſſante impotentia poſſit commodans agere ad repetendam rem ſuam, non propterea prorogatur conceſſio vſus, pro quo propterea poteſt legitimè valorem exigere. Limitarem tamen hæc, quæ hoc vltimo loco dicuntur, in caſu, quo impotentia, quæ excuſat a redditione rei commodatæ, vim concederet etiam ad vſum talis rei, ſi ex eo nullum damnum proueniret commodanti, ſicuti enim hæc excuſat a redditione, ita excuſat etiam a contributione valoris.

Pro vſu vltrà tẽpus conceſſũ poſſet exigere pretiũ, & quomodo.

Quod vſum non remanet amplius ſub puris terminis commodati.

---

§. IX.

An commodatarius teneatur rem commodatam reportare commodanti.

SVMMARIVM.

Proponitur id, in quo conſiſtit difficultas 1.

Si conuentio ſit, quod commodatarius referat, vel remittat, referenda, vel remittenda eſt expenſis eiuſdem, ſi verò, quod commodans recipiat per ſe immediatè, debet recipere ſine expenſis commodatarij 2.

Si

Si nihil conuentum fuerit ſtandum eſt conſuetudini 3.

Ex coniecturis etiam, vbi nil conuentum ſit, vel conſuetum, poteſt res euinci 4

Vbi, nec pactum, nec conſuetudo, nec præſumptio viget onus ſpectat ad commodatarium 5.

1 DIſquiſitio IX. Acceperat Titius rem commodatam à Caio ſecundum regulas talis contractus. Sed veniente tempore reſtitutionis orta fuit controuerſia, an onus reportandi, ſpectaret ad ipſum commodatarium, an verò onus recipiendi ad commodantem. Ex diuerſitate rationis, quæ militat in commodato, ac militet in depoſito, videtur abſolutè onus referendi ſpectare ad commodatarium; ſicuti enim ex ſupradictis, quia depoſitum eſt in fauorem dumtaxat deponentis, quantumuis depoſitarius in longinquas regiones receſſerit vna cum re depoſita ad ipſum deponentem ſpectat rem ſuam repetere in loco, in quo eſt, & ſi ſit remittenda per depoſitarium expenſis eiuſdem deponentis remitti debet, ita è conuerſo, quia commodatum regularitèr eſt dumtaxat in fauorem commodatarij, ideò ad eundem ſpectare videtur onus reportandi, & ſi per alium remittere debeat, vtique hoc præſtare debeat proprijs expenſis, non commodantis, ne hic ex beneficio ſuo damnum reportet.

Diuerſa ratio in commodato, ac in depoſito.

Bartolus — Examinat hanc controuerſiam *Bartolus in l. cum qui §. ſed & ſi dum ff. commodati num. 2.*, qui in primis aſſerit, attendendum eſſe quid in celebratione contractus conuentum ſit inter contrahentes, & conuenta ſecundum eorum normam eſſe adimplenda. Deindè, ſi nihil inter ipſos conuentum ſit circa modum reſtitutionis, ſtandum eſſe conſuetudini. Tandem, vbi nulla viget circà hoc conſuetudo rem definiendam eſſe ſecundum qualitates, & conditiones perſonarum; Hæc ille loco citato, vbi multa congerit iura ad ſtabiliendum ſuum ſenſum.

2 Reſpondeo primò. Vbi re vera conuentum ſit, quod vel commodatarius referat, vel ſuis expenſis mittat, ad eundem ſpectat reportare, vel remittere, vel quod commodans recipiat per ſe immediatè, vel ſuis expenſis, ipſe debet recipere ſine vllo incommodo commodatarij *Bartolus loc. cit.* (Bartolus) Ratio eſt, quia pacta, quæ non aduerſantur naturæ contractus, ſunt adamuſſim ſeruanda *l. iuris gentium §. præter ait ff. de pact. Baldus in l. 1. C. de ded. lib. tol. Alexander in l. 1. §. non autem ff. de dol.*, ſed huiuſmodi pactum, ſiuè ſit in fauorem commodantis, ſiuè commodatarij nullatenus aduerſatur naturæ contractus, ergo non eſt, cur non debeat adamuſſim ſeruari.

Baldus. Alexander. — *Non aduerſatur naturæ contractui.*

Dices, aduerſari naturæ contractus, quatenùs eſt in fauorem commodatarij, qui ex quo recipit beneficium a commodante in commodato, non debet eundem grauare in receptione ſuæ rei, cæteroqui hic ex beneficio maleficium ſortiretur. Sed contra, quia ex quo ipſe commodans aſſentitur tali grauamini ſpontè, nulla eidem infertur iniuria, & ſicuti nemine refragante poteſt ſpontè recipere, ita poteſt etiam ſe obligare ad recipiendum, & ſicuti gratis beneficium impertitur commodando, ita poteſt magis beneficium prorogare ſe obligando ad recipiendum. Deindè iuxta naturam commodati eſt, quod commodatarius obligetur ex culpa leuiſſima, & tamen ex pacto poteſt commodans ipſum eximere ab obligatione talis culpæ leuiſſimæ, ipſumque tantum vincire ex culpa leui, & lata, ergo quamuis eſſet iuxta naturam commodati, vt res commodata deferretur ad commodantem per commodatarium, poterit tamen commodans eundem eximere a tali obligatione deferendi, ipſamque in ſeipſo aſſumere; vndè dicendum abſolutè eſt tale pactum non eſſe contra, ſed ad ſummum præter naturam contractus.

Poteſt beneficium prorogare ſe obligando ad recipiendū.

Reſpondeo, vbi nihil conuentum, eſt, 3
ſtandum eſt conſuetudini, adeò vt, ſi hæc ſit, vt commodatarius deferat, ipſe teneatur deferre, ſi verò ſit, vt recipiat commodans, ipſe teneatur recipere *Bartolus loc. quo ſupra.* (Bartolus) Ratio eſt, quia id inter contrahentes actum eſſe credendum eſt, quod conſuetum eſt *l. plenum § equiſij ff. de vſu, & habit. l. continuus § cum ita ff de verb. oblig.* vndè benè dicitur, quoad hoc, quod conſuetudo æquiparatur pacto *Baldus in l. liberti col. 10. verſ. quæritur ff. de oper. libert.*, & ſapit naturam pacti *Gloſa, & Baldus in l. 1. de ſeru. fugit.*, quod verum eſt etiam, ſi non ſit dictum aliquid de ea ſeruanda *Baldus in addit. ſpec. de conſuet. in princip. & in l. 1 col. 3. C. quæ ſit long. conſ., & in auth. ſed nouo in 3. not. C. de ſeru. fug. Innocentius in cap. 2 in prima col. in gloſ. ſub in verb. ſigillum in verſ. nos tamen dicimus de fid. inſtrum.* I

Cōſuetudo æquiparatur pacto. — Baldus. Gloſa. — Baldus. Innocentius.

Reſpondeo tertiò, etiam ex qualitate 4
perſonarum, vbi pactum, vel conſuetudo nihil ſuadet, optime coniectari poteſt, quænam fuerit mens contrahentium, & quis deferre teneatur; ſic, ſi commodans fuerit ruſticus, commodatarius nobilis, vel è contra commodatarius ruſticus, & commodans nobilis tunc præſumendum eſt, quod ruſticus, ſiuè fuerit commodans, ſiuè commodatarius teneatur recipere, ſi ſit commodans, vel deferre, ſi fuerit commodatarius. Ratio in promptu eſt, quia nobilis non ſolet deferre, & ruſticus ſiuè beneficium conferat commodando, ſiue reci-

piat recipiendo commodatum, præſumitur conferre liberè ſine vllo grauamine, & recipere, nolens grauare conferentem, cum commodè iuxta ſuæ perſonæ conditionem vtrumque præſtare poſſit. Verum tamen eſt, quod, ſi ipſe ruſticus eſſet commodans, & rem ſuam non poſſet commodè recipere, & cogeretur expenſas facere, tunc non facile præſumerem, intentionem eiuſdem fuiſſe ſe obligandi ad reſtituendam rem illam proprijs expenſis, ſed ad commodatarium ſpectare illas conferre, ne ex beneficio detrimentum nanciſceretur.

Ex varietate perſonarum poteſt renunciari quando aliunde haberi nō poteſt.

5 Reſpondeo quartò, quod, ſi nec ex pacto, nec ex conſuetudine, nec ex qualitate perſonarum coniectari poſſet intentio contrahentium, tunc congruentiùs obligaretur commodatarius ad rem illam commodanti deferendam. Ratio eſt, quia ex quo beneficium recepit, non debet in benefactorem onus aliquod transfundere; vndè quoad hoc non modicam vim habet argumentum a contrario ſenſu deductum à materia depoſiti in principio huius diſquiſitionis; ſicuti enim, quia depoſitum eſt in fauorem deponentis præcisè ad eundem deponentem ſpectat rem ſuam ad ſe reducere, ità, quia commodantum regularitèr eſt præcisè in fauorem depoſitarij ad eundem ſpectabit rem illam ad ſuum dominum reducere.

Ex eo, quod beneficium recepit, nō debet grauare benefactorē.

---

§. X.

An conditio vſucapiendi detur ex commodato.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ 1.
Conditio vſucapiendi regularitèr non datur in commodato 2.

1 DIſquiſitio X. Diutino tempore rem ſibi à Fabio commodatam detinuerat Seius, cumque Fabius actione commodati ageret ad repetendam rem ſuam, excipiebat Seius allegans ius vſucapionis per tempus ſufficiens ad præſcribendum. Quæritur iam, an valida ſit exceptio ad effectum elidendi mentem, & actionem commodantis. Hic recolenda ſunt, quæ dicta ſunt *tom. primo ſub tit. Contractus I. de Contractibus, vt ſic Pranot. ſecunda per totum*, quibus hic applicatis.

2 Reſpondeo, iuſtam non eſſe exceptionem Seij, nec validam ad elidendam actionem Fabij. *Ognate tract. 12. diſp. 43. ſect. 9. n. 150.* Ratio eſſe poteſt, quia ad legitimè præſcribendum requiritur poſſeſſio ciuilis in præſcribente, cum hæc ſit radix præſcriptionis *c. poſſeſſor de reg. iur. in 6. c. cum veniſſet de reſtit. ſpoliat. Gloſa in c. Clerici 16. q. 3.*, ſed in commodato poſſeſſio ciuilis non transfertur in commodatarium *l. 8., & 9. ff. commodati §. item is cui Inſtit. Quib. modis re contra oblig.*, vbi ſic legitur *Namque in commodato non ità res datur, ut eius fiat, cui datur, & ob id de ea ipſa reſtituenda tenetur, Baldus in l. ſi ut certo §. denique ff. commodati, Silueſter verb. commodatum num. 5. Azorius in ſumma C. de commodato num. 2.*, ergo commodatarius iuſtè, & legitimè non poteſt vſucapere, ſeù præſcribere; neque dicas ex ſolo vſu poſſe rem capi, vt patet ex ipſa Ethimologia nominis vſucapionis; contrà enim impugnaberis, quià effectus rei non eſt ſumendus ex ethimologia nominis materialitèr ſumpti, ſed ſecundum id, quod ſubſtantialiter, & ſecundum communem ſenſum indicat; vſucapere autem licet ſecundum verborum ſonum importet ſolam poſſeſſionem per vſum, ſecundum communem tamen conſenſum accipitur, prout dicit veram, realem, & ciuilem poſſeſſionem, per quam poſtea ſuppoſito vſu, ſeù detentione per tempus præſcriptum, etiam proprietas rei acquiritur.

Ognate.

Ad legitimè præſcribendū requiritur poſſeſſio ciuilis.

Baldus.
Silueſter.
Azor.

Vſucapere licet ſecūdum verborū ſonū dicat vſū, ſecūdum rem importat etiā poſſeſſionem ciuilē per vſum.

Ratio poteſt eſſe ſecundò, quià præſcriptio eſt in ordine ad transferendum dominium, ſeù acquirendum, ergo ad eandem neceſſario requiritur bona fides de dominio, ſed in commodatario, nequit dari talis bona fides, ergo &c. Antecedens patet, quia per præſcriptionem dominium rei acquiritur, & per conſequens bona fides, quæ requiritur ad præſcribendum, debet eſſe quoad idem dominium, nam bona fides debet eſſe de eo, quod præſcribens intendit acquirere.

Dices, quod commodatarius poſſit quandòque præſumere dominium rei commodatæ ad ſe ſpectare, vel quia ignorat commodatum, vel quia ſibi præfigit aliquem iuſtum titulum poſſidendi, ſub qua certè conſideratione bona fides eſt quoad dominium. Sed contra, quia quantumuis, ignoret commodatum, ſi tamen de eodem doceatur, ceſſat quæcunque ratio præſumptionis, ſi verò agat ex alio titulo iam non eſt ex præciſo titulo præſcriptionis ex commodato, ſed vel ex compenſatione, vel ex debito, quod non eſt contra mox poſitam reſponſionem, quæ procedit ex vi formalitèr vſucapionis ex commodato.

Si doceatur ceſſat quæcunq; ratio præſumptionis.

Addit congruentiam *Ognate d. tract. 12. de commodato diſp. 43. ſect. 9. n. 150.* fundatam in eo, quod præſcriptio exigat multum temporis ſaltem decennium; commodatum verò citius diſſoluitur. Sed quamuis regularitèr hoc verum ſit, non eſt tamen

men aliqua repugnantia, quin ex conuentione partium commodatum poſſit eſſe vltra decennium. Deindè, quamuis commodatum non eſſet vltrà decennium, potuit tamen reſtitutio non fieri, vel ex incuria commodantis in exigendo, & ex defectu commodatarij in reſtituendo opportuno tempore, ſicque remanere penès commodatarium, etiam vltrà decennium, ſi non in ratione commodati, ſaltem in ratione detentionis corporalis, vndè argumentum non vniuerſalitèr euincit.

Commodatū ex conuentione partiū poteſt eſſe vltrà decenniū.

---

§. XI.

An commodari poſſit res ad pignorandum, & quandonam poſſit repeti.

SVMMARIVM.

In quo conſiſtat difficultas, & ratio dubitandi 1.
Commodatum ad pignerandum ſubſiſtit in ratione commodati 2.
Reſponſio ad rationem dubitandi 3.
Commodans non poteſt repetere commodatum ante reſtitutionem mutui, ſi illa reſtitutio fiat in tempore, quod exigit finis, ad quem acceptum eſt mutuum, vel conſuetudo, vel pactum 4.
Si commodatarius non luat pignus ad tempus, ad quod datum eſt, cogi poteſt, vt luat 5.

1 DIſquiſitio XI. Indigebat Caius certa pecuniæ quantitate ad ſua munera obeunda, quam exegit a Titio, qui, vt ſuæ conſuleret indemnitati, ſeque tutum redderet, concedere noluit poſtulatum ſine pignore, cumque Caius pignus non haberet, exegit à me rem quandam pretioſam, vt eandem oppignoraret Titio ad habendam illam pecuniæ quantitatem, qua indigebat. Libenter annui ipſius petitioni, eandemque rem pretioſam ad eum effectum commodaui. Quæritur primò, an illud commodatum per me eidem Caio præſtitum ſubſiſtat in ratione commodati. Secundò, an poſſit ſolummodò repeti poſt reſtitutionem rei, ſeù pecuniæ in mutuum acceptæ. Tertiò, quid agendum, ſi Caius vltra conuentum differat reſtitutionem mutui.

Refertur ſtatus quæſtionis.

Ratio dubitandi in eo conſiſtit, quod de ratione commodati per ſuperiùs dicta eſt, quod ſit ad certum tempus vel implicitum, vel explicitum, & per hoc contradiſtinguitur a precario, ceteriſque contractibus, in quibus non transfertur rei dominium; In data autem hypotheſi non videtur certum tempus præfinitum, cum reſtitutio commodati pendeat a reſtitutione mutui, quod videtur pendere ab arbitrio commodatarij, qui etiam mutuatarius eſt reſpectu pecuniæ acceptæ a Titio, ſicque commodatum quoad reſtitutionem videtur pendere abſolutè à voluntate commodatarij, quod non conſonat naturæ contractus. Nihilominus

Et etiam rationes dubitandi de c reſ factum.

2 Reſpondeo primò, commodatum per me præſtitum Caio ſubſiſtere in ratione commodati *Baldus in l. de reſtituendis C. commodati*. Colligitur expreſsè ex textu *in ead. l. de reſtituendis C. commodati*, vbi ſic legitur. *De reſtituendis rebus, quas marito obligandas pro ſe dederas, poſtquam debitum fueris extenuatum, commodati actionem etiam aduerſus hæredes eius exercere potes.* Hoc idem ratione ſic euincitur, quià quotieſcunque res conceditur ſine tranſlatione dominij ad tempus determinatum, ſiuè implicitè, ſiuè explicitè, res propriè dicitur commodari, ſed in data hypotheſi res concederetur ſine translatione dominij ad tempus, ſi non explicitè, ſaltem implicitè determinatum, ergo &c. Minor probatur, quia res illa conceditur ad certum finem, nempe ad certum vſum, qui limitatur ad tempus, vel conſuetudine præſcriptum, vel limitandum arbitrio boni viri ea proportionali ratione, qua liber conceſſus ad finem, vt tranſcribatur implicitè limitatur ad tempus, quod exigit talis tranſcriptio, ſicque non egreditur limites commodati.

Baldus.

Res conceditur ſine tranſlatione dominij.

3 Hinc ad rationem dubitandi habes quid reſpondeas. Eſto enim, quod reſtitutio commodati pendeat a reſtitutione mutui, hæc tamen non pendet ſolum ab arbitrio mutuatarij, ſed a fine, ad quem acceptum eſt mutuum, vel a conſuetudine, ſecundum quam ad tempus determinatum ſolent concedi mutua habito reſpectu ad finem, ad quem accipiuntur, vel ab arbitrio boni viri, quæ innuunt determinationem temporis ſaltem implicitè.

Pendet etiam à fine, ad quem acceptum eſt mutuū.

Dices, per commodatum ſolum vſum transferri in commodatarium remanente dominio, & poſſeſſione ciuili penès commodantem, ſed qui rem commodatam tradit in pignus, transfert poſſeſſionem in pignoratarium, & ſubijcit periculo dominium eiuſdem, nam pignoratarius, ſi non luatur pignus per reſtitutionem debiti, poteſt illud vendere, ergo commodatum non poteſt fieri ad pignorandum, cum pignoratio ſit contra ſubſtantialia commodati. Sed contrà, quià per pignorationem nec dominium, nec poſſeſſio ciuilis transfertur in commodatarium, ſed dumtaxat corporalis poſſeſſio, & ſic per hoc

Per pignorationem, nec transfertur poſſeſſio re pignorata.

non

non pugnat cum commodato; quod deinde per pignorationem exponatur commodatum periculo amiſſionis, ſi non ſoluatur debitum, ob quod commodatum datum eſt in pignus, non deſtruit naturam commodati, nec actionem ex commodato, quandoquidem ex genere ſuo ex pignore non oritur illud periculum, niſi ex culpa pignorantis, qui etiam eſt commodatarius, qui propterea tenebitur ex tali culpa, & licet commodans ex conſenſu præſtito ad pignorandum, non poſſit rem illam vindicare à pignoratario ante ſolutionem debiti, ob quod res illa data eſt in pignus, poteſt tamen cogere ad luendum, vel per ſolutionem debiti, vel per ſubſtitutionem alterius rei æquè idoneæ, ad quod ius habet ex commodato.

4 Reſpondeo ſecundò. Non poteſt in data hypotheſi repeti per me commodatum ante reſtitutionem mutui faciendam per Caium Titio, ſi illa reſtitutio fiat intra tempus, quod exigit finis, ad quem acceptum eſt mutuum, vel conſuetudo, vel arbitrium boni viri. Probatur, quià commodans non poteſt reuocare commodatum ante tempus, ad quod eſt conceſſum *l. in commodato 17. §. ſicut ff. commodati cap. vnico extrà de commodato l. in rebus 18. ff. commodati*, ergo ſi fuerit commodatum ad pignorandum pro mutuo in certo negotio, & mutuum diſſoluatur vel iuxta tempus conuentum, vel iuxtà tempus, quod exigit finis, ad quem acceptum eſt mutuum, vel iuxta conſuetudinem, vel arbitrium boni viri, non poterit ante talem vſum, ſeù tale tempus reuocari. Conſequentia tenet, quia ſecus reuocaretur ante tempus, ad quod datum eſt.

Commodans non poteſt reuocare commodatum ante tempus, ad quod conceſſum eſt.

5 Reſpondeo tertiò. Si commodatarius non luat pignus intra tempus, quod exigit finis, ad quem conceſſum eſt, vel conſuetudo determinat, vel bonus vir arbitratur, poteſt per commodantem cogi, vt luat vel per ſolutionem debiti, vel per ſubrogationem alterius rei æque idoneæ *Baldus in l. de reſtituendis in ſecunda quaſt. C. commodati*. Ratio eſt, quià commodans non tenetur commodatum protrahere vltra tempus, ad quod vel explicitè, vel implicitè commodauit, ergo vltra illud tempus poterit cogere ad reſtituendum omni modo, quo poteſt reſtitui, ergo compellendo vel ad reſtitutionem debiti, vel ad ſubrogationem alterius rei; Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod, ex quo commodauit ad pignorandum, non poſſit rem illam vindicare caſu, in quo commodatarius non reſtitueret debitum; non, inquam, obeſſe poteſt, quia poteſt vendicare compellendo ad reſtitutionem, vel ad ſubrogationem; quod ſi nec poteſt commodatarius reſtituere, nec ſubrogare, non propterea illud deſinit eſse commodatum, & non ex defectu iuris ſibi competentis non poteſt vindicare, ſed ex impotentia reſtituere debentis, & ſicuti, ſi res eſset commodata ſimpliciter alicui, & non ad pignorandum non deſineret eſse commodatum ex eo, quod commodatarius eſſet impotens ad reſtituendum, & ſi actio ceſſaret, non eſſet ex defectu iuris in commodante, ſed ex impotentia commodatarij, ità, ſi res ſit commodata ad pignorandum ex eo, quod commodatarius non poſſet pignus luere, non deſineret eſſe commodatum, nec ceſſaret actio in commodante defectu iuris ſibi competentis, ſed ex impotentia alterius.

Baldus.

Commodans non tenetur commodatum protrahere vltra tempus, ad quod vel implicitè, vel explicitè commodauit.

Dixi, *vel per ſubrogationem alterius rei æquè idonea*, nam pignoratarius, ſi alia res æquè idonea ſubſtituatur pro pignore, non poteſt illam reſpuere, cum pignus vnum poſſit ſubrogari pro alio etiam inuito creditore *Franciſ. Crem. not. 54. incip. quaritur ſi penès Iudaum allegata gloſ.* quam dicit ſingularem *in l. Titium ff. de pign.*, & in hoc quidem conſonat ratio, quandòquidem creditor per aliam rem æque tutus redditur, nec poteſt quid aliud exigere.

Pignus vnum poteſt ſubrogari pro alio etiã inuito creditore.

---

§. XII.

Cui commodatarius lucretur pœnam exigens à fure rem, & pœnam.

SVMMARIVM.

Facti ſeries in ſuis terminis exponitur 1.
Commodatarius exigens à fure rem, & pœnam ſibi, non commodanti lucratur 2.

DIſquiſitio XII. Commodatam acceperat rem pretioſam Titius a Caio, & 1
durante commodato a fure res illa exiſtens penes Titium commodatarium furto fuit ſublata. Egit Titius commodatarius actione furtiua aduerſus eundem furem, & conſecutus eſt rem, & pœnam. Hinc orta fuit controuerſia, cui fuerit illam pœnam lucratus, an ſibi, an verò Caio commodatori.

Commodatario competere actionem furtiuam aduerſus furem ſurripientem rem commodatam videtur ex eo deduci, quod dicitur *in l. rem mihi commodaſti ff. commodati*, vbi conceditur actio commodatario contra commodantem, qui rem commodatam ſurripuit, non quidem furtiua, quia, vt docent communiter Doctores in dicto textu ſcribentes, non contrectauit rem alienam, ſed propriam, ſed commodati con-

Actio furtiua competit commodatario aduerſus furem.

contrariam actionem vtilem. Si igitur aduerſus dominum ſurripientem rem commodatam conceditur actio, non tamen furtiua, quia non contrectat rem alienam, contra furem quidem concedetur eidem commodatario actio abſolutè furtiua, quandòquidem rem alienam contrectat; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, rem à fure ſurreptam non dici alienam reſpectu commodatarij, ſed reſpectu commodantis, cum iſtius proprium ſit dominium, proprietas, & ciuilis poſſeſſio; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia quantumuis dominium, & poſſeſſio ciuilis remaneat penès commodantem, cum tamen cuſtodia tam dominij, quàm poſſeſſionis demandata ſit commodatario eo, quod poſſeſſionem corporalem in ordine ad vſum ſibi conceſſum detineat, ideò eidem competere debet actio, ſecundum quam poſſit alium à furto arcere, vel poſt furtum cohibere, vt reddat, & ſicuti, ſi ex aliqua ſua culpa res illa eſſet furto ſublata competeret commodanti actio aduerſus ipſum, ita & eidem competere debet actio aduerſus furem. His ſuppoſitis

Cuſtodia pertinet ad commodatarium.

2 Reſpondeo, commodatarium exigentem à fure rem, & pænam, eandem pænam non commodanti, ſed ſibi lucrari *Baldus in l. fin. §. ſed cum in 2. C. de furtis, Papinianus in ead. l. eod. tit.* licet ſibi parùm conſtans alias contrarium docuerit. Verba textus *in ead. l.* recito, quià manifeſtè comprobant reſponſionem, *Et licet ab antiquis variatum eſt, & etiam ab ipſo Papiniano in contrarias declinante ſententias, tamen nobis hoc decidentibus Papinianus licet variauerit, eligendus eſt non in prima, ſed in ſecunda eius definitione, in qua lucrum ſtatuit minimè ad dominum rei peruenire*. Rationemque aſſerti adducit idemmet textus. *Vbi enim periculum, & ibi & lucrum collocetur, ne ſit damno tantum deditus, qui rem commodatam accepit, ſed liceat ei etiam lucrum ſperare*.

Baldus, Papinianus.

Dices primò, commodatarium non ſubeſſe periculo, niſi in caſu culpæ ſaltem leuiſſimæ, quod debet ſibi imputare, non autem ex caſu fortuito, ſicque ratione periculi non poſſe lucrari illam pænam. Sed contrà, aſſerunt aliqui ſatis eſſe ad lucrandum illam pænam, quod ſubſit periculo ex culpa leuiſſima, quandòquidem obligatur ad exactiorem diligentiam, quam teneatur adhibere in rebus ſuis, ab eaque deficiens ſubijcitur periculo; ſed non efficax videtur hæc ratio, ſiquidem ex alio capite obligatur ad exactiſſimam illam diligentiam, ſcilicet ex eo, quod habeat, & vtatur re commodata ad ſui præcisè commoditatem, ſicque ſufficienter ex hoc capite compenſatur abſque eo, quod acquirat aliud ius ex tali periculo. Quamobrem aſſerendum exiſtimo, ratione periculi ius prælegatum adiudicaſſe lucrum pænæ cedere commodatario, quatenùs ex præſumptione eiuſdem iuris vix concipitur periculum aduenire ſine culpa eiuſdem commodatarij, adeòque, cum regularitèr præſumatur pro culpa, idemque commodatarius condemnetur, quamuis quandòque, & plerumque inculpabilis ſit, ideò rationabilitèr in compenſationem conceſſum eſt illud ius acquirendi pænam illam.

In compenſationem illud ius pænæ conceditur commodatario.

Dices ſecundò, illa condemnatio tam in rem, quam in pænam orta eſt occaſione rei commodatæ, quæ tàm quoad dominium, quam quoad poſſeſſionem ciuilem ſpectat ad commodantem, ergo iuſtè hic poterit exigere eandem condemnationem tam quoad rem, quam quoad eandem pænam, adeòque hæc non cedet commodatario. Sed contrà, quia quamuis illa condemnatio quoad pænam proueniat ex occaſione rei commodatæ, cum tamèn proueniat ex culpa, quæ quodamodò poteſt imputari negligentiæ commodatarij, quamuis hic non deliquerit, ideò non incongruè ipſi adiudicatur. Accedit, quod ipſe aſſumpſit actionem, & litem aduerſus furem nomine proprio, & per conſequens ſe ſubiecit periculo eiuſdem litis, quinimmò ſic agendo quodamodò ſaltem præſumptiuè ſe conſtituit in culpa non præſtitæ debitæ cuſtodię, ſicque periculo ſoluendi rem ſibi commodatam, quantumuis in re non fuerit culpabilis, ſicque congruum eſt, vt ratione talis periculi, cui ſe ſubmittit, acquirat ius ſaltem quoad illam pænam. Tandem ex eo præcisè, quod illud lucrum condemnationis quoad pænam ortum fuerit occaſione rei commodatæ non ſequitur, quod cedere debeat commodanti, ſicuti ex eo, quod aliquod lucrum acquiratur occaſione depoſiti, non proptereà ſequitur, quod illud acquiratur deponenti, ſed depoſitario, ſi hoc fuerit ex illius induſtria, & ſicuti in hac hypotheſi depoſiti lucrum cedit induſtriæ, ita in hypotheſi commodati lucrum cedit periculo exitus litis, quod aſſumpſit commodatarius; vterque enim titulus tam induſtriæ, quam periculi eſt ſecundum ſe lucratiuus.

Ex eo, quod aſſumpſerit actionem aduerſus furem ſe ſubiecit periculo litis.

§. XIII.

An, & quænam actio concedatur, ſi per vxorem res marito per extraneum commodata ſurripiatur.

SVMMARIVM.

In quo ſita ſit ratio præſentis diſquiſitionis 1.

Domi-

Dominus rei commodatæ habet actionem commodati aduerſus maritum, ſi fuerit in culpa etiam leuiſſima, furti aduerſus vxorem eiuſdem 2.

Non tamen habet actionem agendi æquè primò contra maritum, & vxorem, ſi maritus fuerit ſoluendo 3.

Facto diuortio, vel præmortuo marito poteſt dominus actione furti agere aduerſus vxorem 4.

Maritus actione commodati impetitus à domino, non poteſt poſteà agere actione furti aduerſus vxorem 5.

1 DIſquiſitio XIII. Commodauerat Fabius Titio gemmam quandam pretioſiſſimam, quæ durante commodato fuit per vxorem eiuſdem Titij ab ipſo furto ſublata. Hic iam multiplex ſuborta fuit difficultas; & primò, an Dominus gemmæ habeat actionem furti aduerſus vxorem Titij, an verò tantum commodati aduerſus eundem. Secundò ex ſuppoſitione, quod poſſit contra vtrumque agere, an habeat electionem agendi, vel contra vxorem furti, vel commodati aduerſus maritum. Tertiò ex ſuppoſitione, quod dominus agat aduerſus maritum actione commodati, an hic habeat aduerſus vxorem actionem furti, an aliam, & quamnam.

Rationes plurimæ examinandæ.

2 Reſpondeo primò, Dominum rei commodatæ ſecundum ſe habere actionem commodati aduerſus maritum, ſi hic fuerit in culpa ſaltem leuiſſima, & etiam furti aduerſus vxorem eiuſdem. Expreſsè colligitur hæc reſponſio *ex l. manifeſtiſſimè §. cum autem C. de furtis*, vbi ſic legitur. *Dominus autem omnem licentiam poſſideat, ſiuè aduerſus maritum commodati, ſiuè aduerſus mulierem furti actionem extendere*; nec incongrua ſanè ratione, quandòquidem eidem debet ius competere rem ſuam, vel æſtimationem eiuſdem quocunque modo repetere, ſicque æſtimationem à marito actione commodati, cum ex contractu hic teneatur, rem verò ipſam ab vxore eiuſdem non quidem actione commodati, cum non contraxerit cum ipſa, ſed actione furti propter furtum ab eadem commiſſum. Hic tamen nota, quod ſi dominus egerit furti, & conſequutus fuerit rem ſuam non poſſit amplius agere commodati aduerſus maritum, nec ſi egerit commodati aduerſus maritum, non poſſit amplius agere furti aduerſus vxorem; ratio autem ea eſſe poteſt, quia commodans non habet ius, niſi ad rem ſuam, vel eius æſtimationem, & non ad aliud, niſi fortaſſe ad pænam, & vna actione agendo cedit alteri, quod aliquo modo euinci poteſt ex textu *in l. in commodato §. rem commodatam. ff. commodati*, vbi dicitur, quod ſi Dominus receperit pretium rei commodatæ ex eo, quod res ipſa fuerit per commodatarium amiſſa, & poſtea res eadem in eius poteſtatem deuenerit, teneatur vel pretium receptum commodatario reſtituere, vel rem ipſam eidem deferre.

Competit domino rē ſuam, vel eius æſtimationē, quocunq; modo repetere.

Per actionem furti tollitur actio commodati.

3 Reſpondeo ſecundò, quantumuis Dominus ius habeat agendi commodati contrà maritum, & furti aduerſus vxorem, non tamen æquè primò, ſi maritus fuerit ſoluendo. Colligitur expreſsè *ex d. l. manifeſtiſſimè §. cum autem C. de furtis*, vbi ſic legitur. *Ità tamen, vt ſi ipſe, qui rem commodatam accepit ſoluendo ſit, nullo modo aduerſus mulierem furti actio extendatur*; & quidem iure merito à generali regula, ſecundum quam aduerſus furem immediatè conceditur actio furtiua, excipitur vxor, quæ rem commodatam furto ſuſtulit à marito, quandò hic eſt ſoluendo, ne ſcilicet, vt ſubdit textus *in d. l. manifeſtiſſimi §. cum autem in fin.* ex huiuſmodi occaſione inter maritum & vxorem, qui non ſecum benè viuunt, aliqua machinatio oriatur, & forſitan marito volente, vxor eius extrahatur, & furti patiatur pænalem condemnationem; ſunt verba textus.

Specialis ratio, ob quam à communi regula excipitur vxor.

Ex quibus fas erit deducere, quod, ſi maritus non fuerit ſoluendo, tunc dominus poſſit actione furti agere aduerſus vxorem eiuſdem, quæ ſurripuit, & ex hoc æquitas maxima præcitati iuris fas erit deducere, quod ex vna parte conſulere voluit indemnitati domini commodantis, dum eidem tribuit actionem rem ſuam repetendi, vel æſtimationem eiuſdem, vel a marito, ſi ſit ſoluendo, vel ab vxore, ſi ille non ſit ſoluendo; ex alia etiam fauere voluit matrimonio, dum negauit actionem furti aduerſus vxorem, quandò maritus eſt ſoluendo propter rationem ab eodem textu adductam.

Specialis, quædam æquitas iuris in hoc emicat.

4 Hic ſuboritur difficultas, an ſi factum fuerit diuortium inter maritum, & coniugem, vel ſi maritus, qui erat commodatarius, præmortuus fuerit ante reſtitutionem rei commodatæ, quæ fuerat per vxorem ſurrepta, vel æſtimationis eiuſdem, poſſit tunc dominus rei actione furti agere aduerſus vxorem eiuſdem. Sentiendum arbitror affirmatiuè, quandòquidem ceſſant præſumptiones, quæ in allegato textu proponuntur; non enim poteſt eſſe periculum alicuius malæ machinationis, & quod volente marito vxor eius extrahatur.

Præmortuo marito, vel facto diuortio ceſſant præſumptiones.

5 Reſpondeo tertiò, quod agente Domino rei commodatæ contra maritum, & ab eadem exigente æſtimationem rei non poſſit maritus actione furti experiri contrà propriam vxorem, quæ ab eodem marito ſurripuit rem commodatam. Ita expreſsè colligitur *ex d. l. manifeſtiſſimi §. cum autem C. de*

de furtis, vbi ſic legitur. *Cum enim apertiſſimi iuris ſit non poſſe maritum conſtante matrimonio furti actionem contrà ſuam vxorem habere, quià lex ità atrocem actionem dare in perſonam ità ſibi coniunctam erubuit.*

Habere ſolũmodò maritus actionem rerũ amotarũ contrà vxorem.

Quamobrem in data hypotheſi ex textu allegato colligitur, ma[illegible] propter matrimonij pudorem non [illegible], ſed rerum amotarum actionem habere aduerſus vxorem, ſi maritum Dominus elegerit. Sed hic immediatè ſuboritur difficultas, an actio rerum amotarum detur marito aduerſus vxorem conſtante matrimonio, an verò dumtaxat eodem diſſoluto, & ad quid extendatur talis actio. Sentiendum eſt, hanc actionem dari marito aduerſus vxorem etiam conſtante matrimonio. Colligitur *ex l. ſi quis vxori ff. de furtis*, vbi ſermo eſt de vxore cohabitante cum marito, vt legenti textum ſit manifeſtum, item ex textu *in l. 2. C. rerum amotarum*. Huiuſmodi autem actio conſtante matrimonio, datur dumtaxat ad ſimplum *Gloſa in d. l. manifeſtiſſimi verb. ſed rerum amotarum*, quod comprobat exemplo actionis ſerui corrupti *vt l. fin. ff. de ſeru. corrupt.*, *& l. ſi ſeruus ſeruum §. ſi cum maritus ff. ad leg. Aquil.*, & hoc vtique fauore matrimonij.

Hæc actio eſt ſolummodò ad ſimplum. Gloſa.

§. XIV.

An commodans arma teneatur ad damna indè ſecuta.

SVMMARIVM.

Refertur ſenſus difficultatis 1.

Si commodans ex qualitate perſonæ ad maleficia proclinis rationabilitèr præſumere poterit de maleficio, vel conſcius fuerit inimicitiæ capitalis commodatarij, vix eximi poteſt à culpa in foro externo, adeòque ſaltem ſubſidialitèr tenetur ad damna 2.

Si commodans non præuidit rationabiliter maleficium commodando non tenetur ad damna 3.

In dubio regulariter præſumendum eſt pro animo recto, adeoque non tenetur 4.

1 DIſquiſitio XIV. Poſtulauit Caius titulo commodati arma a Sempronio non aperiens ad quem finem. Annuit Sempronius, eaſemque, aliaque petita conceſſit. Caius indè occidit ſuum inimicum iiſdem armis ſibi commodatis. Controuerſum fuit, an Sempronius ex illo commodato teneatur ad damna indè ſecuta.

Hæc controuerſia dependet ab intentione concedentis, quæ poteſt eſſe vel realis, vel præſumpta; ſi ſit realis, ſcilicet ad maleficium, nulli dubium eſſe poteſt, quin ipſe commodans ſaltem ſubſidialitèr teneatur ad damna indè ſecuta; ipſe enim verè eſt cooperans ad ipſa; ſi ſit præſumpta, quæri poteſt, ex quo coniectari poſſit eadem intentio ſaltem interpretatiua ad maleficium, an ex qualitate perſonæ, cui commodauit, an ex cognitione inimicitiæ perſonæ, an ex aliis adminiculis; ſi autem ſit dubia, ita vt nequeat prudenter iudicari, an intentio ad rectam, vel ad ſiniſtram partem inclinauerit, quæri poteſt, quomodò ſit iudicandum.

Attendẽda eſt intentio concedentis, vel realis, vel præſũpta.

Reſpondeo primò. Si commodans ex qualitate perſonæ ad maleficia proclinis, cui arma commodauit, rationabiliter præſumere potuit de maleficio, vel conſcius fuit inimicitiæ capitalis eiuſdem erga alium, & nihilominus commodauit, in foro externo vix eximi poſſe videtur a culpa, adeòque etiam a compenſatione damnorum ſaltem ſubſidialitèr. Ratio eſſe poteſt, quia eſt cauſa ſaltem præſumpta damnorum, quæ inde ſecuta ſunt, quandòquidem præuidens ex qualitate perſonæ, cui commodat, periculum damnorum aliorum, ſpontè ſe in illud iniecit, ſicque non ſolum negatiuè cooperatus ſupponitur non obſtando, ſed etiam quaſi moralitèr poſitiuè media conferendo ad illa damna. Accedit primò, quod in multorum ſententia excitato per aliquem Principem aduerſus alium bello iniuſtè manifeſtè vendens arma militibus ſaltem præſumptiuè peccat, & tenetur ad reparationem damnorum, quia præſumitur cooperari illis damnis, ergo exiſtente in aliquo vitio aliquo procliuitatis ad malum commodans ſcienter illi arma peccabit, & ſi damna ex maleficio eiuſdem inde orta ſint, tenebitur ſaltem ſubſidialitèr ad reparationem eorundem, cum præſumatur illis cooperationem contuliſſe. Accedit ſecundò, quod depoſitarius non poteſt licitè reſtituere arma, quæ detinet, domino furioſo, quandò ex illa reſtitutione præuidet futura damna, vel ipſi furioſo, vel alteri, ergo multo minus poterit quis arma alteri commodare, quandò ex illis præuidere rationabilitèr poteſt damna alteri obuentura. Conſequentia probatur, quia fortius ius obligat ad reſtituendum depoſitum, ac ad præſtandum commodatum, ergo, ſi non obſtante fortiori iure obligante depoſitarium ad reſtituendum depoſitum, tenetur hic non reſtituere, quandò præuidet damnum, vel deponenti, vel alteri obuenturum, multo magis tenebitur quis non commodare arma, vel aliud, quando præuidet veriſimiliter ex illo commodato damnum futurum.

Eſt in cauſa ſaltem præſumpta damnorum.

Domino furioſo nõ poteſt depoſitarius arma reſtituere.

Reſpondeo ſecundò. Si commodans præuidere veriſimilitèr non potuit damna 3

Rrr ex

ex commodato ſecutura, nec peccat commodando, nec ad aliquam reparationem tenetur, ſi ex commodato maleficium proueniret *Baldus in l. quicunque col. pen. verſ., & ſic eſt arg. C. de ſern. fug. Alexander in addit. ad Bart. in l. is qui opem §. ope C. de furt.* Ratio eſt, quia nec ex natura contractus, nec ex intentione praua influit in talia damna, ergo non eſt, cur teneatur ad aliquam reparationem. Antecedens probatur quoad primam partem, quià ex vno capite non prohibetur arma commodare, ex alio poteſt tale commodatum coniungi cum vſu licito, quod, ſi vertatur in peruerſum, eſt ex peruerſitate commodatarij, cui propterea maleficium eſt imputandum, non commodanti; quoad ſecundam etiam ex ſe patet, quià nec præſumitur commodare ad maleficium, nec præuidere idem maleficium, cum commodatum poſſit coniungi cum recto fine, vel ad iter ſcilicet, vel ad aliquam oſtentationem.

Baldus. Alexander.

Nec ex natura contractus, nec ex intentione praua cooperatus fuit malo.

4 Reſpondeo tertiò. In dubio, an commodans commodauerit animo nocendi, vel animo recto, & præciſe gratificandi in ordine ad vſum licitum præſumendum eſt pro animo recto, ſicque non tenetur ad reparationem, ſi quod damnum indè fuerit ſecutum *Baldus in l. quicunque col. penult. in verſ. & ſic eſt arg. C. de ſeru. fugit. arg. contra in l. 1. §. feramenta ff. de furt.* Ratio ex eo deduci poteſt, quia in maleficijs quotieſcunque res in dubio eſt, ſemper fieri debet interpretatio in mitiorem partem *Panormitanus in cap. cum tu in vlt. not. de teſtibus* quinimmò quantum fieri poteſt interpretatio ità fieri debet, vt euitetur delictum *Baldus in l. non ſolum §. ſed vt probari ff. de op. no. nunt., & in l. precibus C. de impub. & al. ſubſtit.*, & nunquam quis ex actu, quem facit, præſumitur delinquere, niſi quandò delictum eſſet ſibi fauorabile *Gloſ. ſing. in l. qui iuraſſe §. ſi pater de iureiur. Alexander conſ. 70. part. 1. Felinus in cap. 1. de offic., & poteſt. iud. deleg.* Confirmatur, quia quiſque præſumitur probus, niſi probetur contrarium ex vulgatis iuribus, ergo quotieſcunque ipſius actio poteſt, vel in bonum, vel in prauum finem interpretari, debet fieri in bonum, cum debeat præſumi pro illius probitate.

Baldus.

In dubio ſemper facienda eſt benignior interpretatio.

Baldus.

Gloſa, Alexander. Felinus.

DISQVISITIONES II.

Ad omnes Prænotiones de contractu depoſiti.

§. I.

An depoſitarius poſſit reſtituere rem depoſitam bannito, cuius bona ſunt confiſcata.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ 1.

Depoſitarius bona fide, & ex ignorantia reſtituens rem depoſitam bannito liberatur à quocunque onere 2.

Si ſcienter reſtituerit non liberatur ab onere verſus Fiſcum 3.

Satisfit rationi dubitandi 4.

DIſquiſitio I. Depoſuerat Fabius apud Antonium res certas determinatas in ſpecie, vt illas cuſtodiret. Non adhuc facta reſtitutione depoſiti idem Fabius atrox delictum commiſit, ob quod fuit bannitus, & ipſius bona publicata, non tamen per Fiſcum ob ignorantiam repetita apud Antonium. Exegit poſtea idem Fabius eaſdem res ab Antonio, cui commiſerat cuſtodiendas, qui ſine contradictione reſtituit. Hic orta fuit controuerſia, an Antonius obligetur per talem reſtitutionem erga fiſcum ad eidem conferendum pretium, ſeù æſtimationem rerum reſtitutarum. Latè examinant hanc difficultatem *Baldus in rub. ad finem C. depoſiti. Salicetus in l. ſi quis vel C. eod. tit.*, vbi tamen ſupponunt, quod ſtatuto caueatur, ne bannito reddatur ius. 1

Baldus. Salicetus

Ratio dubitandi ex eo potiſſimum conſurgit, quod contractus depoſiti ex ſuperius dictis eſt contractus, qui exigit ſummam fidem in depoſitario, qui propterea ex natura depoſiti videtur obligari ad reſtituendum in quocunque euentu res illas ſi extent, deponenti, hocque videtur colligi *ex l. 3. C. de nouationibus* præcipuè, vbi per Fiſcum eidem depoſitario non interdicta ſit reſtitutio rei depoſitæ. Nihilominus

Ratio dubitandi circa quæſitum.

Reſpondeo primò. Si Antonius probabilitèr ignorans rem depoſitam Fabio deponenti bannito reſtituerit liberatur a quocunque onere verſus Fiſcum. *Baldus in d. rub. ad fin. C. depoſiti, Ludouicus Rom. in l. 3. § fin. ff. quod quiſque iuris.* Colligitur expreſsè reſponſio *ex l. fin. ff. de tranſact. l. qui pœna ff. de manumiſ.* Ratio autem ea eſſe

Baldus. Ludouic. Roman..

poteſt,

poteſt, quia ipſe depoſitarius non tenetur ratione rei, nec ratione ſolutionis indebiti, ergo &c. Antecedens quoad primam partem patet, quia ex quo res reſtituta eſt deponenti, non amplius remanet penès ipſum depoſitarium, adeòque ratione eiuſdem penès ſe non exiſtentis non tenetur; quoad ſecundam etiam ſic euincitur, quia vbi ſibi non conſtat de iure fiſci ſe habet, vt legitimum debitorem reſpectu Fabij deponentis, nec habet, quo impediatur ad eidem ſatisfaciendum; ergo ſatisfaciendo non ſoluit indebitum, quantum ad effectum, vt obligatus remaneat ad iterum ſoluendum, quinimmò, ſi non ſatisfaceret, non agnoſceret bonam fidem debitam ex natura talis contractus.

Vbi non conſtat de iure Fiſci, depoſitarius ſe habet, vt debitorē verſus deponētem.

3 Reſpondeo ſecundò. Si ſcientèr Fabio bannito reſtituerit, non liberatur ab onere verſus Fiſcum. *Baldus in d. rub. ad fin. C. depoſiti*. Ratio ex eo deducitur, quod omnia iura Fabij ratione delicti per ipſum commiſſi, & ratione publicationis bonorum eiuſdem tranſeunt in Fiſcum, ergo ſi Antonius ſcientèr alteri à Fiſco tradiderit obligabitur verſus Fiſcum, cum ſcienter ſoluerit indebitum *l. reo criminis ff. de ſolut.* Neque dicás, quod Fiſcus ius non habeat ad bona banniti, niſi poſt acquiſitionem eorundem, ſeu traditionem; contrà enim impugnaberis, quia Fiſcus poſt commiſſum delictum ius habet exigendi à debitoribus banniti debita; *l. Paulo §. fin. per Bartolum, & Doctores ff. de leg. 3. l. 3. C. quandò fiſc. vel priu.*, & poteſt reuocare ſolutum per debitorem banniti alteri creditori *l. pecuniam, & ibi Bartolus C. de priuileg. Fiſci.*

Baldus.

Fiſcus poſt commiſſum delictum ius habet exigēdi à debitore delinquētis.

Bartolus.

Dices, qui rem accipit titulo conceſſo à fure, eidemque reſtituit non obligatur verſus Dominum, cum eandem non conſtituat in deteriori ſtatu ab illo, in quo erat, antequam ipſe acciperet, vt docent Doctores non infimi nominis, ergo etiam qui rem depoſitam accipit à bannito, eidemq; reſtituit, non tenebitur ad aliquid verſus Fiſcum, cum illam non conſtituat in deteriori ſtatu ab illo, in quo prius erat. Conſequentia probatur, quia non minus dominus ius habet in rem ſibi furto ſublatam, ac habeat Fiſcus in bona delinquentis confiſcata, præcipuè quandò eidem non ſunt tradita, ergo ſi emptor reſtituens furi non obligatur verſus Dominum, nec depoſitarius reſtituens deponenti bannito tenebitur verſus Fiſcum. Sed contra primò, quia quandò quis poſſidet rem furtiuam titulo gratuito, non poteſt licitè eandem furi reſtituere, ſed tenetur reſtituere Domino, ſi de eodem conſtat, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergo etiam cum depoſitarius detineat titulo mere gratuito, ſi conſtiterit rem illam eſſe Fiſco ratione delicti deuolutam, non poterit deponenti remittere, ſed tenebitur Fiſco tradere; contra ſecundò, quia maius eſt priuilegium Fiſci, quam cuiuſcunque priuati creditoris, atque mirum non eſt, cur ipſe non debeat cæteris omnibus præferri; contra tertiò, quia non ità certum eſt, quod etiam poſſidens rem furtiuam titulo oneroſo poſſit eandem ad recuperandum pretium pro eadem ſolutum eandem reſtituere furi venditori, quandò de facili ab eodem Dominus non eſſet recuperaturus; cum igitur in hac hypotheſi Fiſcus non eſſet facilè rem recuperaturus à bannito, ideò non videtur poſſe depoſitarius ſcientèr eidem tradere.

Qui poſſidet rem furtiuam titulo gratuito non poteſt illā furi reſtituere.

Maius eſt priuilegium Fiſci, quam priuatorum.

Ad rationem dubitandi dicendum eſt cum *Baldo in d. rub. in fin. C. depoſiti* extrinſecam, & ſpecialem rationem bonam fidem debitam iure contractus impedire, quandò in maiorem æquitatem dilabitur *l. bona fides ff. de iudicijs*. Ad illud, quod ſubditur *ex l. 3. C. de nouationibus* dicendum eſt non facere ad præſens inſtitutum, quia ibi textus loquitur in ceſſionario, qui habebat iura vtilia, hic autem in Fiſco, qui habet iura directa; ibi in cedente non denegatur ius, hic autem bannito denegatur. Ita fermè ad verbum *Baldus in d. rub. in fin. C. depoſiti*.

4 Baldus.

5 *Fiſcus habet iura directa.*

Baldus.

---

§. II.

An deponens certam pecuniæ quantitatem penès mercatorem ea conditione, vt, ſi aliquid ipſi deponenti acciderit, tradat illam tertiæ perſonæ, illam amittat, ſi in carcerem detrudatur, vel banniatur.

SVMMARIVM.

Exponitur ſtatus controuerſiæ, & ſenſus difficultatis 1.

Refertur mens Baldi, & quid veniat per ly, ſi quid mihi contigerit 2.

Illa diſpoſitio facta per deponentem non habet locum, niſi in caſu mortis naturalis 3.

Si deponens ex commiſſo delicto banniatur cum confiſcatione bonorum, bona illa depoſita tranſeunt in Fiſcum cum excluſione nominati 4.

1 Diſquiſitio II. Depoſuerat Caius mille nummos aureos apud Sempronium mercatorem ea adiecta conditione, vt, ſi aliquid eidem Caio euenerit, tradere illos debeat Meuio ipſius Caij familiari, non facta expreſſione, quid illud debeat eſſe,

quod, ſi euenerit, nummi illi tradi debeant Meuio, an mors naturalis, an etiam ciuilis, an quid aliud. Hoc interim idem Caius grauitèr deliquit, & ob delictum in carcerem detruſus eſt, & fortè etiam bannitus. Quo poſito Meuius contendebat illos

Status controuerſiæ præſentis.

nummos depoſitos penès Sempronium ex vi diſpoſitionis eiuſdem Caij ſibi reddendos eſſe, aduerſus quem excipiebat Caius diſpoſitionem ex ſe appoſitam non habere locum, niſi in caſu mortis naturalis. Hic igitur inueſtigandum erit primò, an cadat dumtaxat ſub tali diſpoſitione mors naturalis. Secundò ex ſuppoſitione, quod dumtaxat mors naturalis comprehendatur, an, ſi ob delictum, ob quod bannitur, priuetur omnibus ſuis bonis, illi nummi depoſiti tranſire debeant ad Fiſcum cum excluſione Meuij nominati, an verò ad nominatum cum excluſione Fiſci.

Baldus *in d. rub. in fin. num.* 11. *C. depoſiti*
2 Baldus. exiſtimat ſub iſto verbo, *ſi aliquid contigerit*, non comprehendi, niſi mortem naturalem iuxta textum *in l. Publia ff. depoſiti*, vbi cum Publia Næuia proficiſcens ad maritum

Sententia aſſerens venire dumtaxat mortem naturalem.

ſuum arcam clauſam cum veſtibus ſuis commendaſſet Caiæ Sciæ ea conditione, vt ſi ſalua redierit, ipſi reſtitueretur, ſi verò aliquod humanum ipſi contigerit, filio ſuo, quem ex altero marito ſuſcepit, traderetur, cumque ipſa inteſtata deceſſerit concluſum fuit filio arcam illam cum veſtibus deberi, non ſecundo marito; vndè in hypotheſi, de qua loquimur, ſequitur expreſsè, quod Meius ex eo, quod Caius in carcerem fuerit detruſus, ſeù bannitus, iniuſtè petet.

Reſpondeo primò, illam diſpoſitionem
3 factam per Caium per illa verba, *ſi aliquid mihi contigerit*, comprehendere dumtaxat
Baldus. mortem naturalem; Baldus, qui ſuprà, cui
Bartolus. etiam aſſentitur *Bartolus in d. l. Publia ff. depoſiti*, vbi etiam aſſerit, quod, ſi aliquis teſtator dixerit. Si Deus aliud faceret de filio meo, volo, quod bona mea dentur pauperibus, tunc talis diſpoſitio locum non habeat; niſi in morte naturali filij; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur; quod Caius per illam dictionem, *ſi aliquid mihi contigerit*, voluit prouidere rebus ſuis pro

Nonnulla aduerſus reſponſionem, eorùmque ſolutio.

omni euentu, quo eiſdem ipſe amplius gaudere non poſſet, ſed eueniente nedum morte naturali, ſed etiam ciuili ratione delicti, ob quod omnibus ſuis bonis priuetur per publicationem, ſeù confiſcationem, non poteſt amplius eiſdem gaudere, ergo per illam dictionem præſumendus eſt voluiſſe comprehendere etiam caſum delicti, ſeù mortis ciuilis, ob quod, ſeù quam priuatur &c. Confirmatur, quia illa dictio, *aliquid* indiferens eſt, vt coniungatur, vel cum morte naturali, vel cum ciuili, vel cum vtraque ſimul, & in data hypotheſi nihil eſt, per quod limitetur, vel ad vnam, vel ad alteram, ergo non eſt, cur debeat intelligi cum illa limitatione ad mortem naturalem præcisè, præcipuè cum ex præſumpta mente deponentis non inutilitèr præſumatur, ſeù coniectetur rebus ſuis in omni caſu conſulere. Non, inquam, obeſſe poteſt, cum certum ſit, non potuiſſe Caium ſic diſponere, quandòquidem hoc eſſet maniſeſtè in fraudem Fiſci, qui ex delicto immediatè acquirit ius in omnia

Eſſet manifeſtè in fraudem Fiſci.

bona delinquentis, ſeù banniti *l. filius familias § diui ff. de leg.* 1. *& ibi Ripa ſub n.* 52. ex quo fas erit deducere, quod quamuis ſecundum ſe illa dictio, *ſi aliquid contigerit*, ſit indiferens, vel vt coniungatur cum morte naturali, vel etiam ciuili, ex diſpoſitione tamen iuris coarctetur ad terminos habiles, ad quos poteſt dominus diſponere, & ſic non in caſu delicti, in quo a iure prohibetur diſponere. Accedit, quod ipſe

Ex diſpoſitione iuris coarctatur ad terminos habiles.

Caius, qui depoſuit, dominium retinet quoad illa bona depoſita vſque ad delictum conſummatum, ſicuti autem poſt illud non poteſt amplius diſponere, cum ius intelligatur translatum in Fiſcum, ita nec potuit antecedentèr diſponere, cum diſpoſitio illa nequeat habere locum, niſi poſt delictum, & ſine illo res pleno iure remaneat penès dominum deponentem, præcipuè; cum illa diſpoſitio ſit conditionalis merè, quæ proindè ſortiri non poteſt effectum, niſi purificata conditione, non amplius remanet ius diſponendi penès ipſum deponentem.

Dices, ſi teſtator expreſsè ordinauerit, quod in caſu publicationis bonorum ob aliquod delictum hæredis bona continuò tranſeant in proximiorem de familia, & non in Fiſcum, bona illa vtique non tranſeunt in Fiſcum, cum voluntas Teſtatoris ſit ſeruanda *§. diſponat auth. de nuptijs*, cum ipſe potuerit rei ſuæ legem, quam voluerit, imponere *l. in re mandata C. mandati l. legem C. de pactis, Alciatus in d. l. filius familias § Diui ff. de leg.* 1. *Ruinus in conſ.* 129. *vol.* 2. *Socinus iun. conſ.* 34. *nu.* 2. *& conſ.* 49. *col.* 2. *in* 3. *Boſſius in titulo de public. bon. num.* 30. *& ſeq. Gabriel. conſ.* 123. *num.* 10. *Menochius conſ.* 91. *num.* 6. *Pancirolus conſ.* 181. *in primo* non obſtante, quod talis teſtatoris diſpoſitio videatur eſſe in fraudem Fiſci, ergo etiam ſi deponens expreſsè ordinauerit, quod ipſius bona depoſita tranſeant in tertiam quandam perſonam in caſu, ſi quid ipſi contigerit, ſine expreſſione, vel mortis naturalis, & ciuilis eadem bona tranſire debent in illam perſonam nominatam non obſtante, quod talis diſpoſitio videatur eſſe in præiudicium Fiſci. Conſequentia probatur, quia ex vno capite illa dictio ſecundum ſe eſt indiferens, vel ad mortem naturalem, vel ad ciuilem; ex

Alciatus. Ruinus. Soc. iur. Boſſius. Gabriel. Menoch. Pancirolus.

alio

alio, ſicuti præiudicium Fiſci non obſtat in caſu antecedentis, nec videtur obſtare poſſe in caſu conſequentiæ, cum eadem militet ratio. Sed contrà dato pro nunc antecedenti neganda eſt abſolutè conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quià teſtator in ordine ad hæredem poteſt bona per ipſum eidem relicta vinculare, vel in ordine ad mortem naturalem, vel in ordine ad ciuilem, ſi hæres deliquerit, non autem deponens poteſt ipſa vinculare in ordine ad delictum proprium, cum legem, quam contra ſe ſtatuit, poſſit diſſoluere; cæteroqui per talem diſpoſitionem delicta nutrirentur, poſſet enim quiſque de facili conſpirare, & ante delictum meditatum taliter vinculare bona, ſicque ſine habena delinquere, quod vtique videtur cedere in manifeſtum præiudicium Fiſci, prout rectè conſiderauit *Peregrinus de iure Fiſci lib. 5. tit. primo nu. 103. verſ. contra verò*, qui quamuis *num. 104.* aſſerat in caſu teſtatoris cauſa ſolemnitèr diſcuſſa pronuntiatum fuiſſe contra Fiſcum, aſſerit tamen ſæpè potiùs alitèr in clariſſimo officio Aduoc. almæ Ciuitatis Venetiarum fuiſſe deciſum, & ſic pro Fiſco ſeruari. Quid iam dixiſſet, ſi eidem fuiſſet propoſitum dubium de eodem deponente vinculante ſua bona in caſu proprij delicti?

Diſparitatio de bonis per mortem teſtatoris vinculatis quoad delictum hæredis, ac de vinculatis quoad delictū proprium.

Peregrinus.

Aduerte hic tamen, ea, quæ hactenus dicta ſunt, procedere dumtaxat in hypotheſi, qua deponens ob delictum commiſſum non ſolum banno mułctaretur, ſed etiam publicatione, & confiſcatione propriorum bonorum ex diſpoſitione iuris; non enim eo ipſo, quo quis eſt bannitus, ſubiacet bonorum confiſcationi *l. relegati, & l. capitalium §. in exulibus ff. de pænis, Bartolus in ſua diſputatione Lucana Ciuitatis num. 32.*, eſt enim bannum ſtricti iuris, & quidquid in eo omiſſum eſt, pro omiſſo habetur *Cinus, Baldus in l. 1. C. de hæred. inſtit. Aretinus in l. eius §. 1. ff. de teſtam.*

Eo ipſo, quo quis eſt bannitus, non ſubiacet bonorum confiſcationi.

Bartolus. Cinus. Baldus. Aretinus.

Probatur ſecundò eadem reſponſio, quià pactum initum inter duos Fratres in diuiſione bonorum communium, vt eorum altero committente delictum, ex quò ſequatur bonorum publicatio, ea bona commiſſo delicto perueniant in alium fratrem, vel eius filium valere non poteſt in præiudicium Fiſci *Pichus in rep. in l. poſt contractum num. 30. ff. de do. Decius conſ. 239. Boſſius in tit. de public. bon. num. 51. Gabriel conſ. 140. num. 38.*, ergo multo minus valere poteſt diſpoſitio deponentis, vt, ſi ipſe committat delictum, ob quod per publicationem ſit priuandus proprijs bonis, bona tranſeant in tertiam perſonam, cum hoc manifeſtè cederet in præiudicium eiuſdem Fiſci. Ex his

Pichus. Decius. Boſſius. Gabriel.

4 Reſpondeo ſecundò, quod ſi deponens ex commiſſo delicto banniatur cum confiſcatione bonorum bona per ipſum depoſita debeant in Fiſcum tranſire cum excluſione nominati. Manifeſtè ſequitur ex præcedentibus; ſi etenim per illam deponentis diſpoſitionem non læditur ius Fiſci in caſu delicti, ex directo ſequitur, quod poſito delicto bona illa tranſeant in eundem Fiſcum; quinimmò, ſi per depoſitarium fuerint tertiæ illi perſonæ traditæ, poſſent immediatè per ipſum Fiſcum reuocari tanquam ſibi deuolutæ ratione delicti per ea, quæ ſparſim docet Peregrinus de iure Fiſci.

---

§. III.

An depoſitum factum per Monacum ſit eidem ex neceſſitate reſtituendum.

SVMMARIVM.

Refertur ſtatus præſentis controuerſia 1.
Monachus non poteſt in iudicio exigere rem depoſitam, niſi conſtet de mandato Abbatis 2.
Si Monachus extraiudicialitèr petat, & depoſitarius eidem ſic exigenti reſtituat validè, & licitè reſtituit, niſi nouerit Abbatem eſſe inuitum 3.
Si depoſitarius ſpontè reſtituerit Monacho exigenti ſine ſuſpicione, quod Abbas noluerit nullam aduerſus ipſum actionem habebit Abbas 4.

Diſquiſitio III. Hilarion Monachus apud tertiam quandam perſonam depoſuerat quaſdam res non modici valoris. Exigens poſtea eaſdem depoſitarius excipiebat de Monachatu, & quod mandatum non haberet ab Abbate. Quæritur iam primò, an ipſe Monachus poſſit depoſitum in iudicio exigere. Secundò, an ſpontè oblatum poſſit recipere. Tertiò, an depoſitarius per Abbatem poſſit vexari, ſi ipſo inconſulto Monacho reſtituerit. 1

Variæ rationes examinādæ.

Reſpondeo primò, Monachum non poſſe in iudicio exigere rem depoſitam, niſi conſtet de mandato Abbatis *Baldus in rub. num. 2. C. depoſiti*. Ratio eſſe poteſt, quià Monachus nullum ius ſaltem quoad dominium habere poteſt in illa re depoſita, ergo depoſitarius poterit in iudicio excipere de tali negatione, adeòque ipſius actionem eludere, donec conſtet de mandato; nec ſuffragari poſſe videtur eidem Monaco, quod depoſitum ſit contractus bonæ fidei, cui non conuenit abnegare id, quod quis accepit, & quidem illi, a quo accepit, prout expreſsè habetur *in l. quod ſeruus ff. depoſiti*; non, inquam, ſuffragari, quia quotieſcunque 2

Baldus.

Monachus nullum ius ſaltem quoad dominium habere poteſt.

que poteſt eſſe ſuſpicio, quod Abbas noluerit ipſi reſtituat, non tenetur reſtituere, donec ſemper poteſt allegare ſuſpicionem, ſicque conſtet de commodato.

Dices, ſi ſur, ſeù latro rem furtiuam apud aliquem depoſuerit, depoſitarius tenetur eidem exigenti reddere, niſi dominus talis rei repetat in iudicio *l. bona fides ff. depoſiti Baldus in d. rub. num. 3. C. depoſiti*, ergo etiam, quantumuis Monachus non ſit dominus rei depoſitæ, ſi illam exigat à depoſitario, eidem erit reddenda. Sed contrà, quià vt in allegato textu dicitur, tunc tantum reddenda res eſt furi, quandò præciſè inſpicitur perſona dantis, & recipientis, ſecus, ſi inſpiciatur totius rei æquitas, quæ ex omnibus perſonis, quæ in negotio geſto coniunguntur, impletur; tunc etenim reddenda eſt Dominò. Deindè in allegato textu ſupponitur bona fides in depoſitario. Ibi *Depoſuitque apud Seium inſcium de malitia deponentis*; quæ non militant in hypotheſi Monaci, cum in eodem depoſitarius poſſit inſpicere æquitatem totius rei, & ſit benè conſcius eundem Monachum dominium non habere in tali re.

Baldus.

Supponitur bona fides in depoſitario.

3 Reſpondeo ſecundò. Si Monachus extraiudicialitèr petat, & depoſitarius eidem ſic exigenti ſpontè reſtituat, validè & licitè reſtituit, niſi nouerit Abbatem eſſe inuitum de tali reſtitutione *Baldus in d. rub. num. 3. C. depoſiti*. Colligitur expreſsè ex paritate ſerui, qui, ſi rem apud aliquem depoſuerit, & depoſitarius eidem reddat, dicitur rectiſſimè recipere, & depoſitarius iuſtiſſimè reddere, niſi ſit iuſta cauſa ſuſpicandi, quod dominus noluerit eidem reddi *l. quod ſeruus ff. depoſiti*, ergo etiam, ſi Monachus depoſuerit rem apud tertiam perſonam, & depoſitarius eidem reſtituerit rectè reſtituiſſe dicendum eſt. Conſequentia tenet, quia iura pariformitèr loquuntur de ſeruo, & de Monacho, & æquè ea, quæ dicuntur Monaci, ſunt Monaſterij, ac ea, quæ dicuntur ſerui, ſunt Domini. Confirmari poteſt ex ipſa natura contractus, qui quantum eſt ex ſe in ſummo gradu exigit bonam fidem inter dantem, & accipientem, niſi fortior ratio alitèr ſuadeat, ergo &c.

Baldus.

Enunciatur ex paritate ſerui.

2

Depoſitum quantum eſt de ſe exigit bonam fidẽ in ſummo gradu.

4 Reſpondeo tertiò. Si depoſitarius ſpontè reſtituerit Monaco exigente ſine vlla iuſta ſuſpicione, quod Abbas noluerit, idem Abbas nullam habebit actionem aduerſus depoſitarium eundem, ſecus ſi cum iuſta ſuſpicione. Ratio primæ partis deducitur *ex d. l. quod ſeruus ff. depoſiti*. Ibi *Denique Sabinus hoc explicuit addendo. Nec vlla cauſa interuenit, quarè putare poſſit Dominum reddi nolle*, quod idem implicitè habetur *in l. bona fides ff. eod. tit.* Ratio autem ea eſſe poteſt, quia depoſitarius ſeruat leges depoſiti, quod exigit ſummam bonam fidem, nec vlla quidem culpæ ſuſpicio in eo eſt reddendo ei, à quo accepit, ergo aduerſus ipſum nulla competere poteſt actio. Ratio ſecundæ partis deducitur à contrario ſenſu *ex ead. l. quod ſeruus ff. depoſiti*, vbi ſit exceptio, quod depoſitarius non poſſit ſeruo exigenti reſtituere, quandò iuſta ratione motus poteſt ſuſpicari, quod dominus quoad illam reſtitutionem ſit inuitus, ergo, ſi iuſta fuerit ſuſpicio, quod Abbas noluerit Monacho reſtitui, non poterit iuſtè eidem reſtituere, adeòque aduerſus ipſam reſtituendam dabitur actio, quod etiam innuiſſe videtur *Gloſa in d. l. quod ſeruus ff. depoſiti*, vbi ſic legitur. Si reddat credens dominum inuitum non liberatur depoſitarius.

Sic reſtituẽdo ſeruat veras leges depoſiti.

Gloſa.

Ex eo autem, quod dixerim dari actionem contra depoſitarium, quandò cum iuſta cauſa ſuſpicandi, quod Abbas fuerit inuitus reſtituit depoſitum Monacho, oritur immediatè difficultas, quænam actio aduerſus eundem concedatur? Non enim videtur dici poſſe concedi actionem depoſiti, quandòquidem inter Abbatem, ſeù Monaſterium, & ipſum non initus eſt contractus depoſiti; nihilominus quià, ſicuti actio ſerui imputatur Domino, & ex eadem idem Dominus ius acquirit, ità actio Monaci in fauorabilibus confertur Monaſterio, quod propterea actione Monacho competente poteſt in depoſitarium agere. Congruentius tamen dicerem Monaſterium, ſeù Abbatem agere poſſe actione indebiti, ſeù factæ ſolutionis non debitæ, quandòquidem ſoluit ſcientèr, & cum iuſta ſuſpicione, cui ſoluere non debebat.

Abbas ageret actione indebiti ſoluti.

§. IV.

An depoſitum factum penès dominum rei depoſitæ ignorantem ſubſiſtat.

SVMMARIVM.

Exponitur facti ſeries in caſu particulari 1.
Depoſitum factum penès dominum ignorantem non ſubſiſtit in ratione depoſiti 2.
Dominus rei, apud quem res depoſita erat propria, ſi illam reſtituat, cognita ſuitate rei poteſt illam à fure repetere, vel æſtimationem eiuſdem 3.
Tunc ageret dominus, vel actione vindicatiua, ſi res extet, vel furtiua, ſi non extat 4.

DIſquiſitio IV. Furto abſtulerat à Caio filio familias gemmam quandam pretioſam Sirus, quam poſtquam diu deti-

nue-

nuerit eandem depoſuit penès Sempronium Pàtrem eiuſdem Caij, vel fortè etiam penès eundem Caium iam factum ſui iuris ignorantem, rem illam eſſe ſuam. Hic multiplex inſurgit articulus diſcutiendus, & primò, an illud depoſitum ſubſiſtat in ratione depoſiti. Secundò, an ſi Pater familias, vel ipſe Caius factus ſui iuris ignorans rem illam eſſe ſuam reſtituerit, poſſit agere ad illam repetendam a Siro, cui reſtituit. Tertiò, an actione depoſiti, an aliqua alia, & quanam. Hoc idem, quod propoſitum fuit de re ablata a filio familias, & depoſita apud Patrem, procedit de re ablata a ſeruo, & depoſita apud dominum.

Pater vn-ſcientes, & nec ſcuit, ex omi-ſſādo.

2 Reſpondeo primò. Illud depoſitum factum per Sirum de re ablata penès Patrem eius, a quo abſtulit, vel penès eundem, a quo abſtulit, ignorantem nullo modo ſubſiſtit in ratione depoſiti. Colligitur expreſsè *ex l. bona fides ff. depoſiti*. Ibi. *Si tamen ignorans latro, cuius filio, vel ſeruo rem abſtuliſſet, apud Patrem, Dominumue eius depoſuit ignorantem, nec ex iure gentium ſubſiſtet depoſitum*. Ibique ſubditur ratio. *quia hæc eſt poteſtas Depoſiti, vt alij, non Domino ſua ipſius res quaſi aliena ſeruanda detur*. Ex eodem textu idem colligitur, quandò res ab vno per furtum aufertur, & deindè penès eundem ignorantem delictum deponentis deponitur. Ibi. *Et ſi rem meam fur, quam me ignorante ſurripuit, apud me etiam nunc delictum eius ignorantem depoſuerit, rectè dicetur non contrahi depoſitum, quia non eſt ex bona fide rem ſuam Dominum prædoni reſtituere compelli*. Ratio horum omnium eſt, quia de ratione depoſiti eſt, vt dominium, & poſſeſſio ciuilis rei depoſitæ maneat penès deponentem, ſed in data hypotheſi dominium, & poſſeſſio non eſſet penès deponentem, ſed potius penès depoſitarium, cum res furtiua ſemper clamet pro domino, nec dominium propriè tranſit in furem, ergo &c. Confirmatur, quia depoſitarius eſt cuſtos rei alienæ, ſed res illa depoſita penès Patrem, ſeù dominum non eſt aliena, ſed propria ipſorum, ergo in ordine ad illam non poſſunt eſſe depoſitarij. Confirmatur ſecundò, quia depoſitum per ſuperius dicta eſt contractus bonæ fidei ſupra omnes contractus; æquum autem non eſt, vt Dominus ex bona fide compellatur rem ſuam prædoni reſtituere.

Dominium, & poſſeſſio ciuilis rei depoſitæ debet remanere penès deponētem.

Depoſitarius eſt cuſtos rei alienæ nō propriæ.

3 Reſpondeo ſecundò. Si Pater familias, vel filius familias factus poſteà ſui iuris rem propriam apud ſe depoſitam a fure eidem ignorans eſſe ſuam reſtituerit factus poſtea conſcius de furtiuitate rei poteſt agere aduerſus furem, qui depoſuerat ad illam repetendam, ſi extet, vel eius æſtimationem, ſi conſumpta fuerit. Sequitur directè ex præcedentibus. Probatur, quia res illa quocunque tranſeat, ſemper tranſit cum vitio furtiuitatis, ſemperque clamat pro domino, ergo, ſi extet, poterit per verum dominum reuocari; Neque obeſſe poteſt ignorantia, & reſtitutio facta per Dominum eiuſdem rei ipſi furi; non, inquam, obeſſe poteſt, quia ignorans non ſupponitur cedere iuri ſuo, nec ignorantia extrahit dominium a vero domino, &, quod fit ex ignorantia, non præiuditium infert reſtituenti, quià ignorans non cedit; Quod ſi ſupponatur fur per reſtitutionem conſumpſiſſe rem illam ſibi reſtitutam, tunc teneri ad conferendam domino æſtimationem eiuſdem clarè liquet ex eo, quod tenetur non ſolùm ratione rei acceptæ, ſed etiam ratione iniuſtæ acceptionis.

Semper tranſit cū vitio furtiuitatis, & quomodò.

Reſpondeo tertiò, in data hypotheſi non poſſunt Pater, & filius factus ſui iuris agere aduerſus furem actione depoſiti, ſed ſolum actione rei vendicatiua, ſi res extet, vel furtiua *Gloſa in d. l. bona fides ff. depoſiti*. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia non datur actio ex contractu, qui ſecundum ſe non ſubſiſtit, quandòquidem actio eſt quodamodò effectus contractus; effectus autem ſine ſua cauſa non poteſt conſiſtere, ſed depoſitum ſic initum in ratione depoſiti non poteſt ſubſiſtere per ſuperius probata, ergo ex eodem non poteſt oriri actio. Deindè, quantumuis depoſitum ſubſiſteret, iam intelligeretur per reſtitutionem diſſolutum, ergo ex illo non poteſt amplius actio depoſiti oriri. Ratio ſecundæ partis facile ex præcedentibus deducitur, quandòquidem res illa, vtpotè vitio furtiuitatis affecta ſemper tranſit cum illa, illamque afficit, illiuſque detentorem, ergo poterit per verum dominum vbicunque fuerit vindicari, cum res furtiua innato quodam iure feratur in dominum, pro quo clamat. Ratio tertiæ partis tandem ex eo deducitur, quod, per hoc, quod res illa per furem fuerit depoſita penès dominum, & per hunc eidem reſtitum ex ignorantia, non deſinit eſſe furtiua, nec ille, qui depoſuit, deſinit eſſe fur, ergo aduerſus ipſum poterit dominus conſcius factus delicti, ſeù furti procedere actione furtiua, vtpotè aduerſus furem. 4

Gloſa.

Non eſt propriè depoſitum, adeòque ex illo nō oritur actio.

Ex eo, quod ſit reſtituta non deſinit eſſe furtiua.

§. V.

§. V.

An Depoſitarius occultans Gabellarijs res penès ſe depoſitas, & ſoluens aliquid proprio inimico, ne accuſetur, iuſtè ſoluerit, & an inimicus poſſit illud iuſtè detinere.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries particulariter 1.
Nonnulla præſuppoſitiones ad caſum 2.
Probabile eſt, occultantes merces, ne ſoluant vectigalia, non teneri poſteà reſtituere 3.
Poteſt inimicus fraudantis ſine læſione iuſtitiæ, ipſum accuſare, non tamen tenetur 4.
Si inimicus facta conuentione cum fraudante pretium conuentum acceperit, ne detegat, poteſt iuſtè illam detinere 5.
Non iuſtificatur illa pecuniæ detentio ex depoſitione odij, & reſtitutione famæ 6.

1 DIſquiſitio V. Sempronius merces apud ſe depoſitas à Caio, cum in certum locum progrederetur, publicanis occultauit, vt ſubterfugeret ſolutionem vectigalium. Innotuit hoc Titio ipſius hoſti, qui minitatur, ſe denuntiaturum talem occultationem Gabellarijs, ni ſibi ſoluat viginti aureos. Annuit Sempronius, eoſdemque ſoluit eidem adiecta conditione, dummodo ſimul deponat odium, quo hucvſque eum proſecutus eſt, & eidem Sempronio famam, quam olim detraxit, reſtituat. Quæritur, an Titius licitè acceperit dictos viginti aureos, & retinere iuſtè poſſit. Hæc difficultas propoſita fuit, & diſcuſſa in quadam Congregatione RR. Parochorum Mediolani, quam ex profeſſo nunc ego examinare, & diſcutere aſſumo. Pro vberiori notitia

2 Suppono primò, iuxtà ea, quæ latè examinaui *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt. & vendit. diſq. 4. §. 9.* vectigalium impoſitionem iuſtiſſimam eſſe, cum etiam per Scripturam doceatur, Principibus eſſe ſoluenda, *Matthæi 22., & ad Rom. 13.*, & quidem rationi, & æquitati hoc congruum eſt; ſicuti enim Princeps Reipubl. inſeruit, ita de Reipublicæ ſumptibus in ſuo gradu, & conditione eſt conſeruandus; nec hic controuertendum exiſtimo, an huiuſmodi vectigalia ex iuſta cauſa fuerint impoſita, quandòquidem ſuppono legitimam cauſam interuenire, quod, ſi quandòque non interueniat, certè illegitima eſſet impoſitio, vt ſentiunt communitèr Doctores.

Vectigalium impoſitio iuſtiſſima eſt ſuppoſita legitima cauſa.

Suppono ſecundò, ex præſumpta legiſlatorum mente, vectigalia non eſſe ſoluenda, niſi petantur, cum non ſupponatur, quod Princeps in impoſitione vectigalium velit plus exigere, quam exigat cauſa, ob quam imponuntur, cæteroquin eſſet iniuſta, ſicuti iniuſta eſſet impoſitio vectigalium ſine cauſa, ad plura enim extenderetur mens Principis, quàm exigat ipſius neceſſitas, ſi intenderet etiam ſolutionem vectigalium non petitorum, & obligare ſoluentes non petita onere iuſtitiæ, ſiquidem per ſolutionem eorum dumtaxat, quæ petuntur, de facto ſatisfit neceſſitatibus eiuſdem Principis, præcipuè, cum Principes locantes ius vectigalium longè minoris locent, quam exigat ius ad eadem vectigalia exigenda, ſi omnia ex iuſtitia eſſent ſoluenda, quantumuis non petita, quod alia ratione non præſtant, niſi quia ſciunt regularitèr non petita non ſolui; ex quo refert *Lugus de iuſt., & iur. diſp. 36. ſect. 3.* Hiſpaniarum Regem Philippum II. miniſtris conquerentibus contrà fraudantes vectigalia reſpondiſſe: *Sinite eos; furantur enim de ſuo.* Ad quæ congruentèr docuerè *Molina diſp. 674. n. 9., & Lugus tom. 2. de iuſtit., & iur. diſp. 36. ſect. 4.* monendos eſſe populos ad tributa ſoluenda, & ante factum conſulendos eſſe, ne eadem defraudent; poſt factum tamèn non eſſe compellendos ad eorum reſtitutionem.

Vectigalia non ſunt ſoluenda, niſi petita.

Dictum notabile Philippi II. Hiſpaniarum Regis circa vectigalia. *Molina. Lugus.*

Suppono tertiò, quod, quantumuis non ſoluens vectigalia non petita, non peccet contra iuſtitiam, ſubiaceat tamèn pœnis habentium in commiſſum quoad forum externum, ſi poſteà comperiatur non ſoluiſſe, ſeù fraudaſſe eadem vectigalia; poteſt enim ſtare ſimul ceſſio vectigalium quoad culpam, & quoad onus reſtitutionis, ſi fraus, ſeu negatio ſolutionis eorundem non cognoſcatur cum negatione remiſſionis quoad pœnam, ſi poſtea cognoſcatur; vndè plerique docent leges imponentes obligationes ſoluendi vectigalia eſſe ſolummodò pœnales.

Non ſoluens vectigalia non petita, licet non peccet, incidit in commiſſum, ſi detegatur.

His ſuppoſitis id, quod præcipuè controuertendum eſt in præſenti, eſt primò, an, ſi vectigalia non fuerint petita ex eo, quod fuerint per Sempronium occultata, obligent ex iuſtitia eundem Sempronium ad ſolutionem. Secundò, an licitum fuerit Titio inimico Sempronij poſt aſportationem mercium ſine ſolutione vectigalium eundem accuſare. Tertiò, an ex eo, quod ceſſet ab accuſatione, ſeù pro onere ceſſandi ab eadem, poſſit iuſtè exigere talem enuntiatam quantitatem. Quartò, an iuſtè poſſit illam detinere.

Articuli examinandi circa quæſita.

Reſpondeo primò. Probabile eſſe occultantes merces, ne ſoluant vectigalia, non teneri poſteà ex iuſtitia reſtitutionem. Conſonat cum ijs, quæ dicta ſunt *d. tom. 1.* 3

ſub

ſub tit. Contractus II. de empt., & vend. diſq. 4. §. 9. quæ ibi recole per totum, vbi ex Lugo, & Molina docuimus conſulendos eſſe ante factum populos ad ſoluendas gabellas, ex poſt facto tamèn non eſſe compellendos ad reſtitutionem earumdem, quod æquum non eſſet, ſi ex iuſtitia tenerentur ad eaſdem ſoluendas, præcipuè, ſi ſibi fraudantes ſuadeant ex aliquo titulo non teneri, puta, quià exigantur in maiori quantitate, quam exigat cauſa, ob quam gabellæ fuerunt inductæ. Hoc idem expreſsè docet *Duardus in can. 8. Bulla Cœnæ q. 12. n. 19.* quam opinionem non improbant *Leſſius lib. 2. c. 33. dub. 8. n. 55.*, *Bonacina de Contract. diſp. 2. q. 9. punct. 1. nu. 3.*, *Emanuel Sà verb. Gabella n. 6.*

Durand. Leſſius. Bonacina. Emanuel Sà.

4 Reſpondeo ſecundò. Poſſe Titium ſine læſione iuſtitiæ accuſare Sempronium de occultatione, & fraude mercium, quamuis accuſando peccaret contra charitatem. Ratio primæ partis eſt, quia Fiſcus, ſeù Officialis ius habet ad quinquennium poſt defraudationem vectigalium ad vindicandam rem, quæ incidit in commiſſum, ſi intrà tale tempus nouerit incidiſſe *Baldus in l. 2. C. de vectig., & con.*, quinimmò poſſunt eandem vindicare, tam ab hærede fraudantis, quam ab ipſo fraudante, & à ſingulari poſſeſſore *l. commiſſio in princip., & ibi Doctores, & Bartolus ff. de publ. l. publicanus in principio ff. eodem*, ergo quis accuſando de tali fraude, & occultatione non peccat contra iuſtitiam. Conſequentia probatur, quia ſic accuſando confert iuri, quod habet Fiſcus, ſeù Gabellarius. Confirmatur, quia accuſatiò de crimine commiſſo contra Officiales eſt publica, & competit cuilibet de populo *l. fin. C. ad leg. Iul. repet.* præcipuè ſi pæna ſit applicanda Titio, vel eius ſubſtituto *Dynus, & Bartolus in rub. ff. de pop. act.*, *Baldus contra in l. aduerſus in prima col. ff. de furtis, & in rub. C. qui accuſare non poſſunt*, *Gloſa in l. licitatio §. quod illicitè ff. de publ.*, *Baldus in l. fin. C. de l. ſig.*, *Alexander in l. 1. poſt Bart. ff. de iur. Fiſci*, ergo Titius ſic accuſando, nec ratione perſonæ peccat contra iuſtitiam.

Baldus. Bartolus

Accuſatio de crimine commiſſo contra officiales eſt publica.

Dynus. Bartolus Baldus. Gloſa. Alexander.

Dices, ex ſupradictis ipſe Sempronius, qui merces occultauit, & non ſoluit non obligatur ex iuſtitia ad reſtitutionem non ſoluti, ergo Titius ipſum accuſando de tali occultatione, ſeù non ſolutione peccat contra iuſtitiam, quandoquidem ipſum obligat ad ſoluendum id, quod ex iuſtitia non tenetur ſoluere, ſeù ad amittendum id, quod ex iuſtitia retinere poterat. Sed contra, quia, quamuis Sempronius, qui occultauit iuſtè retinere poſſit id, quod occultauit, ſi non innoteſcat occultatio, occultando tamen ſe ſubiecit periculo amiſſionis, ſi occultatio poſtea innotuerit, ſicuti commiſſo delicto occulto, cui annexa ſit determinata pæna, occultans non tenetur ſubire in ſe ipſo pænam ante manifeſtationem, ex delicto tamen ſe ſubiecit periculo illius pænæ, ſi poſtea delictum innotuerit, ſeù fuerit manifeſtum; ſicuti igitur accuſans de delicto, cuius delinquens non tenetur ſubire pænam, niſi poſt manifeſtationem, vel ſententiam non peccat contra iuſtitiam, vt eſt in confeſſo apud omnes, ita accuſans de fraudatione vectigalium, cuius pænam non tenetur ſubire defraudans, niſi poſt manifeſtationem, non peccabit manifeſtando contra iuſtitiam.

Non tamen ſubire pænã, niſi poſt publicationem, ſeù ſententiã.

Ratio ſecundæ partis eſt, tùm quià ſupponitur ex odio, & maleuolo animo accuſaſſe, tum quia exponit periculo amiſſionis rerum ſuarum occultantem, cui ſine manifeſtatione de iure non ſubeſſet, nec ipſe ex aliquo iure accuſare compellitur *In Specul. de abolit. §. 1., & de accuſ. verſ. opponitur*, quinimmo accuſatio eſt illaudabilis *c. ſi quis 2. q. 7.*, *Alexander in l. 1. ff. de actionibus*; Neque obeſſe poteſt, ſi afferatur, quod vtatur iure ſuo; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ex eo, quod vtatur iure ſuo, non peccat contra iuſtitiam, quia tamen id non præſtat iure compellente, ſed animo potius inſultante, & quodamodo deturbans occultantem a iure, quod acquiſiuit, ſi non detegatur, idcò non videtur eximi à culpa cōtra charitatem, ſi detegat.

Speculator.

Accuſatio eſt illaudabilis.

Reſpondeo tertiò. Si Titius facta conuentione cum Sempronio accipiat conuentam pecuniam, ne detegat, poteſt illam iuſtè detinere. Ita licet in diuerſis terminis *Conradus de Contractibus q. 37.*, *Angelus verb. vſura 1. nu. 3.*, *Medina de rebus per vſuram acquiſitis q. 1. §. lucrum*, *Molina diſp. 307.* Ratio prima eſſe poteſt, quia Titius ius habet manifeſtandi talem occultationem factam per Sempronium iuxta *Bartolum in d. rub. ff. de pop. act.*, *Baldum in l. aduerſus in prima col. ff. de furtis, & in rub. C. qui accuſare non poſſunt*, nec tamen iure compellitur accuſare iuxta ſuperius dicta per *Specul. de abolit. §. 1., & de accuſ. verſ. opponitur*, ergo, quia ius habet manifeſtãdi, poterit, vt priuetur tali iure, exigere conuentam pecuniam, quia verò non compellitur manifeſtare, nec peccat contra iuſtitiam aduerſus Fiſcum, ſeù Gabellarios non manifeſtando. Conſequentia probatur, quia priuatio illius iuris manifeſtandi eſt ſecundum ſe aliquid pretio æſtimabile, tum quia ex tali manifeſtatione regularitèr manifeſtans conſequitur quid lucri à Gabellarijs, ſeù Fiſco, tum quia eximit delinquentem grauibus incommodis, quibus de iure ſubeſſe meretur. 5

Conrad. Angelus. Medina, Molina.

Bartolus Baldus.

Nec peccat contra Fiſcũ, nec contra fraudãtem ſic accipiendo.

Dices, ius, quod habet Titius, non eſt

ex læſione, vel in re, vel in perſona propria, ergo ratione illius nequit aliquid pretio æſtimabili exigere. Antecedens ex ſe patet. Conſequentia probatur, quia, vbi quis damnum non patitur, nequit illius compenſationem exigere. Sed contra, quia non ſolum eſt pretio æſtimabile deſiſtere ab actione pro læſione propria, ſed etiam ab actione pro læſione aliena, quandò ius habet ad illam, & ex illa poteſt conſequi lucrum aliquod, ſicque illud, quod accipit, non eſt titulo compenſationis pro aliqua læſione propria, ſed pro iure adempto denuntiationis, ex qua iuxtà regularem curſum aliquod lucri conſequeretur.

Eſt pretio æſtimabile deſiſtere ab actione etiã pro læſione aliena.

Dices ſecundò, ex eo quod ſit inimicus non admittitur, ſeù non eſt admittendus ad accuſandum, ſeù denuntiandum, ergo, cum ius non habeat ad denuntiandum, non poterit ex illo lucrum aliquod conſequi. Sed contra, quia licet inimici, & alij etiam infames non admittantur ad agendum, admittuntur tamen ad effectum, vt Officialis poſſit inſpicere, & aſſumere informationes *Clarus in praxi crim. q. 7. nu. 2. verſ. quæro igitur*, vbi dicit, quod eſſet rediculum, ſi exciperetur contra tales denuntiantes.

Inimici, & infames admittũtur ad effectum, vt Iudex poſſit inquirere.

Ratio poteſt eſſe ſecundò, quià Sempronius, qui merces cælauit ex illa deſiſtentia Titij ad denuntiandum maximum quid lucratur, cum reparet ingentia damna, quæ poteſt Titius iuſtè inferre, ergo poteſt ſine læſione iuſtitiæ pro illa conuentam pecuniam conferre. Antecedens ex ſe patet. Conſequentia probatur, quia quis imminente graui damno, quod ſine labe iuſtitiæ poteſt alter ſibi inferre, poteſt illud pecunia reparare, & mallet potius maiores ſumptus efficere, quam ſubeſſe illi damno imminenti; quod ſi dicas, quod quamuis poſſit ipſe damnum illud pecunia reparare, non poſſit tamen alter recipere, cum non habeat iuſtum titulum recipiendi, ſicuti quis indigens pecunia poteſt quidem ad conſulendum proprijs egeſtatibus vſuras pro mutuo ſoluere, quas tamen nequit mutuans iuſtè recipere; ſtatim impugnaberis, quia iuſtus titulus recipiendi illam pecuniam eſt ius, quod habet denuntiandi, ex quo poteſt quid lucrari, quod certè eſt quid pretio æſtimabile, quod exemplo mutui ſic euincitur. Si quis alteri mutuans ipſum obligaret vltra ſortem ad deſiſtendum à vexatione, qua iuſtè, & debitè publica auctoritate ipſum afficit, vtique vſuram committeret, quia illa deſiſtentia eſt opus ſecundum ſe pretio æſtimabile per ea, quæ latè diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſuris prænot. 10. num. 2. verſ. probatur ſecunda pars*, ergo deſiſtentia à iuſta vexatione per publicam auctoritatem eſt pretio ſecundum ſe æſtimabilis, adeòque ex illa deſiſtens poterit lucrum aliquod iuſtè acquirere.

Defraudans per illam pecuniã ſolutionem reparat grauia damna.

Argumentum efficax ad rẽ noſtram.

6 Reſpondeo tertiò. Onus adiectum Titio, vt præter deſiſtentiam ab accuſatione, ſeù denuntiatione odium deponat, quo hucuſque Sempronium proſecutus eſt, & famam reſtituat, quam eidem detraxit, non iuſtificat illam pecuniæ exactionem, & detentionem; & quidem quoad odium facilè liquet, nam vel hoc ſumitur, prout importat actum internum præcisè, vel prout exit etiam in actus externos, quibus Titius indebitè vexat Sempronium; ſi primo modo ſumatur; cum huiuſmodi actus non veniant ſub humanis commercijs non ſunt pretio digni, ſicuti amicitia, & beneuolentia ſecundum ſe ſumptæ, vtpotè actus interni, nec cadunt ſub commercium, nec ſunt pretio æſtimabiles per ea, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſura prænot. 9. num. 1. verſ. probatur 2. D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 78. art. 2. Caietanus ibid. art. 1. ad quartum*; ſi ſecundo modo ſumatur, ex eo etiam nequit pretium iuſtè exigere, & retinere, quod ſic euincitur. Quod Titius deponat tale odium, & non exeat in actus externos, quibus indebitè, & iniuſtè vexet Sempronium, eſt quid debitum alio iure, alioue titulo, ergo ex illa depoſitione nequit pretium iuſtè exigere, & retinere. Conſequentia tenet, quia pro re, quam quis debet nequit pretium recipere. Antecedens probatur, quia non ſolum iure naturali, ſed etiam ciuili vnuſquiſque obligatur ad non vexandum alterum indebitè, & ad non ſumendam vindictam propria auctoritate, cum ad hoc ius non habeat. Hoc eodem argumento euincitur non poſſe Titium illud, pretium recipere pro reſtituenda fama, quandòquidem alio titulo ex iuſtitia tenetur reſtituere, vt per ſe patet.

Actus interni non veniunt ſub commercijs, nec ſunt pretio digni.

D. Thomas. Caietanus.

Alio titulo obligatur ad reſtituendam famam.

Dices, Iudex tenetur non ferre ſententiam iniuſtam, & tamen pro eadem ferenda poteſt aliquod pretio æſtimabile recipere *Molina diſp. 307.* per ea, quæ nos etiam docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus III. de mutuo, & vſura prænot. 10. aſſert. 2. num. 2. verſ. probatur eadem prima pars*, ergo etiam, quamuis Titius teneatur non odio proſequi Sempronium, nec in actus indebitè vexantes exire, poterit tamen aliquid pro tali deſiſtentia exigere, & recipere. Sed contra dato antecedenti neganda eſt conſequentia. Ratio diſparitatis in eo conſiſtit, quod Iudex ferendo ſententiam ſecundum ſe iniquam ponit aliquid pretio æſtimabile non ſolum reſpectu eius, in cuius fauorem iniquè iudicat, ſed etiam ex parte ſui ſententijs; quod ſic euincitur, nam ille vtilitatem

Molina.

recı-

recipit ſententiæ, iſte verò copiam facit ſuæ poteſtatis, quæ eſt quid pretio æſtimabile, non minus, ac ſit pretio æſtimabilis vſus proprij corporis, quem vendit meretrix, licet vtrumque ſit quid iniquum. Titius verò deponendo odium, & iniquam vexationem ex parte ſui non ponit aliquid pretio æſtimabile, cum ſolum deſiſtat ab opere, à quo tenetur deſiſtere, non tenetur autem Iudex ferre ſententiam ſecundum ſe iniquam.

Ex parte ſui nihil ponit pretio æſtimabile.

§. VI.

An in caſu præcedentis Diſquiſitionis deponens teneatur compenſare ſolutum depoſitario.

SVMMARIVM.

Proponitur caſus, & rationes pro vtraque parte 1.

Deponens tenetur compenſare ſolutum depoſitario 2.

Reſpondetur exceptionibus deponentis 3.

1 Diſquiſitio VI. Soluerat, vt dixi Sempronius Titio illos viginti aureos, ne detegeret occultationem, quam fecit, mercium Publicanis, quos iuſtè idem Titius retinere poſſe aſſeruimus. In reſtitutione depoſiti contendebat poſteà Sempronius ſibi deberi compenſationem à domino rei depoſitæ allegans, quod in hoc benè geſſit negotium eiuſdem, nec poſſit in eo grauari, quod ſecum detulerit per loca, in quibus ſit neceſſitas ſoluendi vectigalia, quandòquidem ex eo, quod onus aſſumpſerit illas merces cuſtodiendi, debuit eas ſecum deferre, ne eas incuſtoditas relinqueret, & ſi vectigalia ſoluiſſet, onus eadem compenſandi ſpectaſſet ad Dominum, cum ſpectent ad neceſſaria ad conſeruationem earundem. Addebat inſuper, quod, ſi contigiſſet, vt merces illæ recidiſſent in commiſſum ob non ſolutionem vectigalium, & fuiſſent per officiales occupatæ damnum ſibi incubuiſſet, non Domino, & quod propterea ipſe ſubeſſe non debeat illi ſolutioni. E conuerſo excipiebat Dominus, quod illud periculum amiſſionis mercium poſt defraudata vectigalia ortum eſt ex cauſa ipſius Sempronij depoſitarij, quatenus ex inimicitia, quam habebat cum Titio hic motus fuit ad ipſum accuſandum, ni ſolueret illos viginti aureos, vndè eodem modo res ipſi comparatur, quo ſocio proficiſcenti ad communia negotia obuius factus fuit ipſius inimicus, qui ex priuato odio talia bona diripuit; cum enim tale damnum tunc non prouenerit ex communi cauſa, nec ex caſu fortuito, ſed ex cauſa eiuſdem ſocij proficiſcentis, totum eidem imputatur per ea, quæ ſuprà latè diximus, quod etiam multi explicant in commodatario, qui quamuis, ſi ex incurſione hoſtium, vel furum deprædatione rem commodatam amittat, non teneatur verſus commodantem, ſi tamen eamdem amittat ex priuato odio alicuius erga ſe ipſum, non eximitur ab onere reſtitutionis. Addebat, quod ipſe Sempronius ex propria voluntate expoſuit periculo res illas depoſitas, quandòquidem ipſe non præcepit, quod illas merces exportaret ſine ſolutione gabellarum. Quid igitur hac in re concludendum?

Aſſeruntur rationes militantes pro vtraque parte.

Reſpondeo, potiora eſſe iura Sempronij exigentis compenſationem ſoluti. Ratio eſt, quia illa ſolutio eſt facta in vtilitatem bonorum deponentis, & ſubſtituitur loco vectigalium, quæ erant ſoluenda, ergo facienda eſt per ipſum deponentem, ſeu reſtauranda, ſi facta fuerit per depoſitarium. Conſequentia probatur, quia onus ſoluendi vectigalia pertinet ad dominum mercium, quandò in vtilitatem eiuſdem transferuntur, vt euenit in hypotheſi, de qua loquimur, in qua, cum depoſitarius aſſumpſerit onus cuſtodiendi illas merces, & ſit ex neceſſitate profecturus ad locum, ad quem tranſuehit, debet ſecum transferre, ne incuſtoditas relinquat, quod ſi impenſas in tranſuectione fecerit ex neceſſitate earundem, eaſdem feciſſe arbitrandus eſt nomine deponentis, ne ex beneficio, quod præſtat deponenti, damna reportet; Neque dicas, quod illa ſolutio proueniat ex fraude eiuſdem depoſitarij, cui propterea imputanda eſt ſimul cum damnis, quæ inde proueniunt; contra enim impugnaberis, quia illam fraudem committendo bene gerit negotium eiuſdem deponentis, & ſi aliquid aduerſum inde obuenerit, ſe ipſum periculo exponit amiſſionis illarum mercium, non eundem deponentem, qui ex quo non mandauit occultationem, non debet illius damna perpeti. Cæterum, cum ipſe deponens debuiſſet perſoluere vectigalia, vel compenſare, ſi per depoſitarium fuiſſent, vt par erat, ſoluta, non eſt, cur ſi in illis fuit releuatus, non debeat poſtea in illa ſolutione facta Titio grauari. 2

Illa ſolutio ſubſtituta eſt vectigalibus.

Li et fraudem commiſerit bene geſſit negotium deponentis.

Hic tamen aduerte, quod ſi illud, quod fuit per Sempronium Titio denuntiare volenti perſolutum, excellerit quantitatem pecuniæ, quæ ſolui debuiſſet in ſolutione vectigalium, tunc ille exceſſus non poſſet exigi a deponente per eundem depoſitarium, quandòquidem ex eiuſdem depoſitarij culpa prouenilſet, qui propterea eidem imputandus eſt; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod ille exceſſus compenſetur

Exceſſus, niſi ſolutum excederet id, quod fuiſſet in ſolutione vectigalium ſoluendū.

cum illa ſpe nullius futuræ ſolutionis ob vectigalia, ſi occultatio non fuiſſet per Titium promulganda, ſeù denuntianda; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ſi non fuiſſet per Titium denuntianda illa occultatio, potuiſſet iuſtè depoſitarius, quantumuis illa non perſoluiſſet, exigere vectigalia ab eodem deponente, quia illa non ſolutio eſſet fructus induſtriæ eiuſdem depoſitarij, qui, ſicuti, ſi ex illa occultatione merces fuiſſent deperditæ, debuiſſet ſubeſſe toti damno, ita, ſi ex illa occultatione lucrum aliquod percepiſſet, ſibi poſſet acquirere.

Illa nō ſolutio fuiſſet fructus induſtria depoſitarij.

Ratio reſponſionis poteſt eſſe ſecundò deducta ex ijs, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt., & vendit. diſq. 4. §. 9. num. 9.* nempè poſſe mercatorum actores tranſigere cum gabellarijs, vt ſibi per eoſdem remittatur dimidia, vel tertia pars gabellarum, quas deberent ſoluere iuxtà Principum ſtatuta, & nihilominùs ijdem actores poſſunt exigere a ſuis dominis integram Gabellam, ac ſi ipſi integram perſoluiſſent *Leſſius lib. 2. de iuſt., & iu. cap. 33. dub. 11. Lugus diſp. 35. ſect. 4. num. 50.*, quià illud, quod non ſoluunt gabellarijs ex tranſactione, eſt fructus induſtriæ, ergo, ſi ex propria induſtria nihil ſoluerint, poterunt exigere à Dominis eaſdem integras, præcipuè, ſi ſe exponant periculo merces reſtaurandi in caſu, quo merces deperderentur, & tamen, ſi ſoluant, poſſunt repetere, ergo ſi poſſunt exigere, quandò nihil ſoluerunt, à fortiori poterunt exigere, quandò vel pro illis, vel loco ipſarum aliquid perſoluerunt.

Leſſius. Lugus.

Euincitur exemplo à paritate.

Ex ijs, quæ hactenùs dicta ſunt, patet quid reſpondendum ad exceptiones domini deponentis; Eſto enim, quod periculum illius manifeſtationis proueniat ex cauſa priuata eiuſdem Sempronij depoſitarij, nempè ex inimicitia, quæ vergit inter ipſum, & Titium, & propterea ex fraude, quam commiſit occultando; quia tamen depoſitarius ex illa ſe ipſum, non deponentem ſubiecit periculo amiſſionis, ideo illud periculum quoad amiſſionem talium mercium vtique in ipſum depoſitarium transfunditur, non tamen ex eo amittit ius ad eaſdem gabellas à domino recipiendas, vel ad quidquid pro eiſdem, ſeù occaſione ipſarum perſolutum eſt. Ad exempla de ſocio, & commodatario adducta, dicendum eſt ad rem non facere, nam quidquid ſit de illorum veritate, adhuc militat diuerſa ratio, nam in caſu depoſiti depoſitarius ius habet exigendi gabellas, & quidquid vice earum ſoluit, ex eo, quod dominus tenetur illas ſoluere, & non ſoluendo ſe exponit periculo amiſſionis quoad totum; in caſu autem ſocietatis, & commodati commodans, & alius ſocius non tenetur, niſi ex caſu fortuito perierit, & ſine vlla cauſa ſocij, & commodatarij, cum autem ſupponatur ſocius, & commodatarius in cauſa amiſſionis ob priuatam inimicitiam, ideò &c.

Depoſitarius ſe ipſum non deponentē ſubiecit periculo amiſſionis.

---

§. VII.

An merces depoſitæ apud Nanclerum, & ab eodem commutatæ Domino ipſo inſcio, ſi depoſitæ pereant, & remaneant commutatæ, pertineant remanentes ad dominum, an verò ad commutantem.

SVMMARIVM.

Caſus particularis, & vtilis in ſuis terminis 1.
In data hypotheſi Nanclerus non tenetur pretium reſtituere mercatori 2.

DIſquiſitio VII. Ex Indijs Orientalibus in quodam nauigio exportabantur capſæ multæ ſaccbari per Nauclerum, quarum aliquæ erant propriæ ipſius, aliæ apud ſe depoſitæ, ſibique commendatæ, vt deferret ad Mercatorem Genuenſem, aliæ aliorum mercatorum in eodem nauigio exiſtentium omnes eiuſdem ponderis, bonitatis, & valoris. Cum autem nauigium in quandam Siciliæ inſulam appuliſſet, ibique in Nauigatione Nauclerus timeret de piratarum incurſione ſtatuit aliquot ex proprijs capſis vendere in Sicilia, & per literas tranſportare pretium Genuam; cum autem capſæ ipſius eſſent in profundo nauigij, multæque aliorum præcipuè ſibi commendatæ eſſent ſuppoſitæ, nec proprias poſſet de facili extrahere, vt venderet, ſine magno labore, & moleſtia ſibi ſuadens, quod dominus non eſſet ægrè laturus, ſumpſit totidem illarum, quæ ſibi commendatæ fuerant pro mercatore Genuenſi eo animo, vt, ſi nauigium Genuam perueniſſet, totidem ex ſuis redderet domino, ſeù Mercatori, ad quem deferebantur, in quo nullam omninò eidem inferebat iniuriam, nullumque detrimentum. Facta tali venditione, nauigioque a tali littore, ſeù inſula ſoluto contigit, vt nauigium per Piratas caperetur, & merces omnes per eoſdem Piratas auferrentur. Hic immediatè ſubortum fuit diſſidium, an nauclerus teneretur illud pretium, quod recepit pro illis capſis diuenditis tradere mercatori, ad quem eas deferebat. 1

Exponitur caſus particularis iuxta modum, quo accidit.

Proponit hanc difficultatem *Molina tract.* Molina.

tract. 2. diſp. 423. verſ. occaſione eorum, qui quoad ipſam conſultus aſſerit reſpondiſſe Nauclerum non teneri ad vllam reſtitutionem verſus mercatorem, ad quem deferebat, quod multis rationibus conatur euincere. É contra alij apud eundem loco citato aſſerebant teneri ad reſtitutionem ea ducti ratione, quod dominium earum, quas Nanclerus diuendidit, quæque obſignatæ erant ſigno mercatoris, ad quem deferebantur, perſeuerabat apud antiquos dominos, illæ verò, quæ non fuerunt diuenditæ, ſed permanſerunt in nauigio quoad dominium perſeuerant penès eundem Nauclerum in manibus Piratarum.

Diuerſa ſententia circà expoſitū caſum.

2 Reſpondeo cum eodem Molina loc. cit. probabilius eſſe, non teneri Nauclerum illud pretium reſtituere Mercatori, cui illas capſas Sacchari deferebat, quantumuis illas in indiuiduo, quas deferebat, vendiderit Nauclerus, & pro eiſdem pretium receperit. Ratio multiplex eſſe poteſt, & primò, quià illa venditio facta fuit nomine proprio, non nomine mercatoris, ad quem deferebat, ergo pretium eidem Nauclero acquiritur, non mercatori; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, venditionem rei alienæ non ſubſiſtere; illæ autem capſæ reſpectu Naucleri vendentis erant alienæ, cum tales in indiuiduo pertinerent ad Mercatorem, cui deferebantur; Non, inquam, obeſſe poteſt, quià ex rationabilitèr præſumpta eiuſdem Mercatoris voluntate facta fuit permutatio capſarum Naucleri cum illis Mercatoris; ſi etenim præſens fuiſſet Mercator, & interrogatus de propria voluntate circa illam permutationem vtique annuiſſet, & non niſi irrationabilitèr fuiſſet inuitus, ex quo nullum eidem detrimentum afferebatur; per permutationem autem dominium rerum permutatarum adinuicem transfertur.

Supponitur ex præſumpta voluntate domini interueniſſe permutatio.

Ratio poteſt eſſe ſecundò, quià, ſi facta illa venditione, per quam capſæ Mercatoris in locum illarum Naucleri fuerunt translatæ in emptorem, Nauclerus vellet pretium illarum mercatori reſtituere in euentum, quo reliquæ capſæ Naucleri non fuiſſent per Piratas deperditæ, ſeù occupatæ, poſſet iuſtè Mercator illud pretium repellere, & velle capſas, quæ remanſerunt, quinimmò has actu vellet, eo quià Genuæ maioris valoris præſumuntur, ac ſit pretium receptum in inſula Siciliæ, vt per ſe eſt manifeſtum, & Nanclerus teneretur illas tradere, ergo in primis ex præſumpta voluntate Domini intelligitur facta illa permutatio, ergo item intelligitur ſubſiſtere illa venditio facta nomine proprio per Nauclerum.

Res vincitur ex eo, quod cōtigeret, ſi capſæ nō fuiſſet per Piratas direpta.

Ratio poteſt eſſe tertiò, quià, ſi omnes capſæ exiſtentes in nauigio periſſent ex incurſione Piratarum, nec facta fuiſſet illa venditio, Mercator nullum ius penitùs haberet aduerſus Nauclerum, nec quoad capſas, nec quoad pretium illarum, vt per ſe eſt manifeſtum, cum nulla culpa eiuſdem Naucleri perijſſent; de facto autem perijſſent, niſi eas diuendidiſſet, ergo, quod illæ non perierint, ſed pretium per Nauclerum exactum fuerit, eiuſdem ſolertiæ imputandum eſt, nec quoad hoc poteſt eſſe inuitus Mercator, quandòquidem eidem nullum contulit detrimentum; quod deindè venditæ fuerint propriæ illius Mercatoris non obſtat ſenſui noſtro, quandòquidem præſumitur illa permutatio, ad quam non poterat eſſe inuitus Mercator.

Solertiæ naucleri imputandum eſt, quod non perierunt.

Dices primò, poſſe Mercatorem pretium illud exigere, quià Nauclerus in pari periculo prætulit res proprias rebus ſibi commodatis. Sed contrà, quia hæc inſtantia locum non habet in noſtris principijs, ſecundum quæ etiam in contractu, qui exigit exactiſſimam diligentiam ex rebus alienis nemo illas tenetur præferre rebus proprijs. Deindè hoc etiam fallit in contractu depoſiti, in quo depoſitarius non tenetur, niſi ex culpa lata per ea, quæ ſuperiùs diximus. Tandem ipſe poterat res ſuas alienare, non ſic poteſtatem; nec mandatum habebat alienandi alienas, adeòque eidem non eſt imputandum ad culpam, quod non alienarit.

Depoſitarius non tenetur, niſi ex culpa lata.

Dices ſecundò ex dictis ſuperiùs *ſub hoc eod. tit. Contractus IX. Pranot.* 11. *aſſert.* 3. *verſ.* 1. *ſi depoſitum fiat alicui*, Nautæ, ſtabularij, & Caupones tenentur quoad res penès ſe depoſitas etiam de leuiſſima culpa iuſta textum *in l. 3. §. & hoc edicto iunctis antecedentibus, & ſeq. ff. nautæ*, ergo tantam ſaltem diligentiã tenentur adhibere, quantam adhibent in proprijs, ergo, ſi præuiſo periculo Nauclerus proprias diuendidit, & in periculo præuiſo reliquit alienas apud ſe depoſitas, & ſibi commendatas, cum poſſet, & eaſdem diuendere, vt à periculo liberaret, tenebitur erga mercatorem de pretio earundem. Sed contra, quia ſpecialiori quodam iure tenentur quidem huiuſmodi depoſitarij res apud ſe depoſitas cuſtodire, & ad præfatam exactiſſimam diligentiam quoad ea, quæ pertinent ad munus cuſtodiæ, non quoad ea, ad quæ munus proprium non extenditur, nec mandatum habent, quæque ab extrinſeco proueniunt; non enim Nauclerus ex vi proprij officij ius habet diuendendi res ſibi commendatas ex eo, quod periculum aliquod præuideat, & ex eo, quod tenentur iter, ſeù nauigationem proſequi, non eſt ei imputandum, quod ab extrinſeco aliquod damnum eidem proueniat.

Nō eſt imputandum nautis, quod ab extrinſeco periculum proueniat mercibus.

Hic ſuboritur difficultas, quid agendum

eſſet, ſi piratæ non omnes merces ſurripuiſſent, ſed partem dumtaxat earum, quæ remanſerunt. Crediderim abſolutè, non teneri Nauclerum, niſi eas tradere Mercatori, quæ per Piratas fuerunt relictæ; ſi enim ad nihil teneretur, ſi omnes fuiſſent direptæ, ità ad partem tantum teneri dicendus eſt, ſi altera pars per eoſdem fuiſſet direpta.

Quod dicitur de toto dicēdum eſt proportionalitèr de partibus.

---

§. VIII.

Cui ſoluere debeat depoſitarius pluribus contendentibus de hæreditate.

SVMMARIVM.

Status diſquiſitionis, & articuli circà ipſam examinandi 1.

Vbi non conſtat de potiori iure alicuius ad hæreditatem poteſt depoſitarius rem apud ſe detinere, donec per Iudicem declaretur quis ſit hæres 2.

Pluribus contendentibus de hæreditate poteſt depoſitarius reſtituere alteri illorum, cui velit, ſi per recipientem præſtetur congrua cautio, quod ipſum depoſitarium ab altero defendet 3.

Si per Iudicem hæreditas vtrique adiudicetur, vtrique, ſi poteſt, res eſt reſtituenda, ſi non poteſt, alteri eorum præſtita cautione 4.

Pluribus contendentibus, nulloque cautionem dare volente auctore Iudice deponenda res eſt in aliqua æde 5.

1 DIſquiſitio VIII. Depoſuerat Caius penès Sempronium Sardellum pecuniç ſigillo obſignatum, vt ad eius nutum reſtitueret. Ante reſtitutionem depoſiti obijt Caius, multique quoad ſucceſſionem in eius hæreditate contendebant, & ſinguli ab eodem Sempronio exigebant, vt hæredes depoſitum factum per eundem Caium, dum viueret. Hic examinandum occurrit primò, an poſſit ſingulis denegare, & apud ſe detinere quoad vſque per Iudicem cognoſcatur, ad quem illorum pertineat hæreditas. Secundò, an poſſit alteri illorum reſtituere, & quomodò illi reſtituendo poſſit ſe eximere ab onere iterum ſoluendi æſtimationem, ſi per alium acquiratur hæreditas. Tertiò, ſi per Iudicem vtrique adiudicetur hæreditas, an poſſit vni, vel alteri reſtituere, vel teneatur vtrique ſimul. Quartò, quænam in præfatis caſibus ſit aptior cautela pro eodem depoſitario.

Articuli examinādi circà propoſitū quæſitum.

2 Reſpondeo primò, depoſitarium, vbi non conſtat de potiori iure alicuius ad hæreditatem, non teneri alicui illorum reſtituere, ſed poſſe iuſtè apud ſe detinere, donec cognita cauſa per Iudicem cognoſcatur legitimus hæres. Ratio eſt manifeſta, quià depoſitarius non tenetur depoſitum reſtituere, niſi deponenti, vel eius legitimo hæredi, & poſſeſſori, vel cui expreſsè ille commiſerit, adeò vt, ſi alteri reſtituat, teneatur actione depoſiti erga eundem deponentem, vel legitimum hæredem, ergo, vbi non conſtat de legitimo hærede, poterit depoſitarius apud ſe detinere, donec de illo legitimè conſtet; neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod depoſitarius teneatur ad nutum deponere; non, inquam, obeſſe poteſt, quia tenetur quidem ad nutum reſtituere vel domini, vel hæredis, non autem, vbi non conſtat de legitimo iure exigendi.

Non tenetur reſtituere, niſi vel domino, vel legitimo hæredi.

Reſpondeo ſecundò. Pluribus contendentibus de hæreditate poteſt depoſitarius reſtituere alteri illorum, cui vult, ſi per recipientem præſtetur congrua cautio, quod ipſum depoſitarium ab altero defendet. *Bartolus in l. 1. §. apud Iulianum ff. depoſiti.* Hæc reſponſio clarè colligitur *ex d. l. 1. §. apud Iulianum ff. eod.*, vbi ſic legitur: *Si depoſitor deceſſerit, & duo exiſtant, qui inter ſe contendant, vnuſquiſque ſolum ſe hæredem dicens, ei ait tradendam rem, qui paratus eſt aduerſus alterum reum hoc eſt depoſitarium defendere.* Quod ſi quæras, cur præſtanda ſit depoſitario hæc cautio, cum ipſo iure ſit tutus reſtituendo bona fide alteri eorum, quem putat hæredem, vt colligitur *ex hac ead. l. §. ſi rem à ſeruo*; aliqui reſpondent iuxtà textum *in l. emptori §. 1. ff. de euict.* illam cautionem ſuperfluè, & ad abundantiam addi, non ex neceſſitate; ſed immeritò, nam ſi ſine cautione reſtitueret, cum iam ſit ab altero mota controuerſia, dolo videretur facere, vt notat *Gloſa in d. l. 1. verb. defendere ff. depoſiti*, & habetur *in l. dolo carere ff. ad leg. falcid.* 3

Bartolus

Ratio, cur teneatur exigere cautionē.

Gloſa.

Hic immediatè oritur ratio dubitandi, cui per depoſitarium depoſitum ſit præſtandum, ſi vterque contendens de hæreditate paratus ſit cauere. Reſpondet *d. Gloſa in d. l. 1. eod. verb. defendere*, quod ille audiendus ſit, qui præuenit; quod ſi vterque ſimul promiſerit, & paratus ſit cauere; tunc dicit locum dari gratificationi iuxtà textum *in l. fin. ff. de relig.*, *& in l. ſi quis in graui §. ſi tum ff. ad Sil.*, *& in l. ſi quis ſeruum §. ſi inter ff. de leg. 2.*

Illa audiēdus eſt, qui præuenit.

Reſpondeo tertiò. Si per Iudicem hæreditas vtrique adiudicetur, debet, ſi commodè poteſt, vtrique reſtitui, vel alteri illorum, ſi commodè non poteſt vtrique præſtita cautione de ſe defendendo ab altero *Bartolus in l. ſi plures ff. depoſiti.* Colligitur expreſsè *ex d. l. ſi plures*, vbi ſic legitur: *Si plures hæredes extiterint ei, qui depoſuerit, …… ſi maior pars adierit, reſti-* 4

Bartolus.

tuen-

tuendam rem præſentibus, ergo, ſi duo tantum fuerint hæredes, vtrique præſenti reſtituenda eſt res depoſita; Si verò vtrique commodè reſtitui non poteſt, & res fuerit indiuidua, vtique conſtat *ex l. 1. §. ſi pecunia, & ibi Accurſius ff. depoſiti* vni adeunti reſtituendam eſſe, ſiquidem ipſe caueat Ibi. *ſed ſi res ſunt, quæ diuidi non poſſunt, debebit tradere ſatisdatione idonea à petitore ei præſtanda in hoc, quod ſupra eius partem eſt*; ſi verò res fuerit diuidua, ſoluendam, ſeù reſtituendam eſſe vni petenti dumtaxat pro parte conſtat *ex ead. l. 1. §. ſi poterit ff. depoſiti*.

Clarè euincitur reſponſio ex diſpoſitione iuris.

5 Reſpondeo quartò, contendentibus duobus de hæreditate, neutroque cautionem dare volente, ſed vtroque contendente de reſtitutione depoſiti, potiſſimum ſi dubitent de idoneitate depoſitarij, potiſſima cautela eſt, tam pro depoſitario, quam pro eiſdem hæredibus, ſi per Iudicem decernatur deponi in ædem aliquam, donec de hæreditate iudicetur. Hoc expreſsè habetur *in d. l. 1. §. apud Iulianum, & ibi Bartolus ff. depoſiti*, vbi etiam dicitur non cogendum eſſe a Iudice depoſitarium iudicium ſuſcipere.

Cum eſt dubiũ de idoneitate depoſitarij deponenda eſt potius ædem.

Hic tamen aduertè, quod, ſi res depoſita per depoſitarium ſit deponenda apud aliquam perſonam, cum nulla ſit ædes, tuta, apud quam deponi poſſit, pro tutiori cautela eiuſdem depoſitarij illa perſona eligenda ſit per Iudicem *Baldus in l. acceptam 1. Col. C. de vſuris*, alias deponens in loco non tuto, & apud perſonam non idoneam tenebitur de periculo, idem *Baldus in d. l. acceptam q. 10.* Quod, ſi Iudex non idoneum elegerit, tenebitur de mala electione depoſitarij, niſi elegerit talem, qui communiter reputatur fidus *Baldus in d. l. acceptam quæſt. 9. C. de vſuris, Bartolus in l. ſi ſolutiones ff. de ſolut.*

Si nulla ſit ædes pendes perſonam à Iudice eligendam.

Baldus.
Bartolus

§. IX.

An dolus commiſſus in vendendo rem depoſitam purgetur per redemptionem eiuſdem rei depoſitæ.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſia 1.
Depoſitarius in data hypotheſi tenetur verſus deponentem actione depoſiti ratione præcedentis doli 2.
Satisfit rationi dubitandi in principio §. propoſita 3.

1 DIſquiſitio IX. Depoſita fuerat per Titium apud Caium res quædam pretioſa, quæ Caius ad quibuſdam ſuis egeſtatibus conſulendum, eandem diuendidit. Cum verò Titius ægrè ferret eandem venditionem, Caius ſoluto pretio, quod receperat, eandem redemit; cumque adhuc res illa permaneret apud eundem Caium ſine dolo malo eiuſdem perijt. Excitata hic fuit controuerſia, an idem Caius teneretur verſus Titium actione depoſiti.

Exponitur facti ſpecies.

Negantèr videtur reſp⸗n⸗n⸗dum, ſiquidem depoſitarius non tenetur, niſi ex culpa lata, vt ſuppono ex dictis ſuperius, cum regularitèr depoſitum non fit, niſi in vtilitatem deponentis; in hypotheſi autem præſenti nulla culpa depoſitarij ſupponitur interuenire; Quod, ſi antecedenter per depoſitarium dolus fuerit commiſſus in venditione rei contra voluntatem domini; talis tamen dolus fuit purgatus per redemptionem eiuſdem rei; & cum dominus poſt talem redemptionem acquieuerit videtur renuntiaſſe cuicunque iuri, quod acquirere poterat ex tali dolo. Nihilominus

Rationes comprobãtes depoſitariũ nõ obligari ex dolo præcedenti.

Reſpondeo, teneri adhuc Caium verſus Titium actione depoſiti. Hoc expreſsè colligitur *ex tali §. ſi rem depoſitam ff. depoſiti*, vbi ſic legitur. *Si rem depoſitam vendidiſti, eamque poſteà redemiſti in cauſam depoſiti, etiam ſi ſine dolo malo poſtea perierit teneris depoſiti*, ibique redditur ratio, *quia ſemel dolum feciſti, cum venderes*; quæ ratio quidem non incongrua eſt, quandoquidem dolus præcedens facit caſum inter emptionis ſequentis ex diſpoſitione iuris culpabilem. 2

Dolus quantum uis præcedens ex diſpoſitione iuris eſt culpabilis.

Dices primò repugnare huic textui textus *in l. ſi quis §. item Labeo ff. de vſucapionib.* vbi agendo de furto dicitur, quod ſufficit, quod res furtiua reuertatur ad eum, per quem dominus poſſidebat, vel quod reponatur in loco, vbi ſtabat domino ignorante, & item textus *in l. ex hoc § ſi quis ff. de alien. iud.*, vbi dicitur, *quod ſi quis alienauerit, deinde receperit non tenebitur hoc edicto*. Sed contra huiuſmodi textus non aduerſantur textui, cui innititur noſtra reſponſio; nam in primis aſſerit *Bartolus, & cum eo Gloſa in d. l. 1. verſ. teneris ff. depoſiti*, quod in hoc textu depoſitarius vendidit, & tradidit, & ſic plus contrectauit, & plus deliquit, & ideò tenetur de caſu, cum dolus præceſſerit; in allegatis verò textibus ſeruus ſolum vendiderat, & non tradiderat. Deinde in præcitatis iuribus ſeruus recuperarat poſſeſſionem, in hoc vero dumtaxat redemit. Congruentior explicatio eſt, quam adducit *Gloſ. in hac l. 1. verb. teneris ff. depoſiti*, vbi notat, quod in præcitatis iuribus venditor non excuſetur per recuperationem a caſu, ſi poſtea obuenerit, ſed ſolummodò ab actione furtiua,

Bartolus
Gloſa.

Depoſitarius vendidit, & tradidit.

alijſque

aliiſque incommodis ex eo, quod res redierit, quod non aduerſatur textui, cui innititur reſponſio, ſi benè examinetur.

Dices ſecundò, obeſſe noſtræ reſponſioni textum *in l. qui furtum in fin. ff. de cond. furtiua*, vbi dicitur quod *in commodati actione non facile vltrà culpam, & in depoſiti vltrà dolum malum tenentur is, cum quo agetur*. Sed contra, quia, vt benè notat *Gloſa hic verb. tenetur, & verbo dolum*, hæc, quæ dicuntur in textu, procedunt ſolummodò, quando nullus dolus præceſſit, ſecus quando præceſſit in venditione præhabita, tunc etenim iſte dolus etiam influit in caſum.

Gloſa. *Dolus influit in caſum, & quomodo.*

2 Ad rationem, quæ ex aduerſo afferebatur, nunc reſpondendum eſt, quantumuis enim regulariter depoſitarius non teneatur actione depoſiti, niſi ex dolo, & culpa lata; fallit tamen, quando præceſſit dolus, qui etiam attenditur in caſu ſubſequenti; nec valet dicere, quod dolus fuerit purgatus per ſubſequentem redemptionem, quandoquidem ex diſpoſitione iuris quaſi in pœnam delicti commiſſi in venditione rei propriæ fidei commendatæ, quantumuis ſi caſus non ſequatur, intelligatur ſopitus quoad effectum actionis depoſiti, ſi tamen poſtea caſus ſequatur cum eodem continuatur; & iure quidem optimo hoc inductum eſt ad cohibendos depoſitarios à dolis, & fraudibus in rebus ipſorum fidei commendatis. Nec præſumendum eſt, quod deponens ceſſerit ſuo iuri eueniente poſteà poſt dolum caſu, nam acquieſcens poſt talem redemptionem ſolum cedit actioni furtiuæ, & actioni depoſiti, quantum eſt ad effectum venditionis præteritum, non autem quantum ad effectum prout poſteà coniungitur cum caſu, in quo quodammodo ex diſpoſitione iuris reuiuiſcit.

Dolus attenditur etiam in caſu ſubſequenti.

---

§. X.

An depoſitum habeat priuilegia, & quæddam ſpecialia.

SVMMARIVM.

In quo ſita ſit difficultas 1.

Ex depoſito deponens habet hoc, vt cæteris omnibus creditoribus præferatur 2.

Niſi ipſe deponens exegerit vſuras 3.

In concurſu plurium deponentium ille præferendus eſt, cuius res depoſita remanet penès depoſitarium 4.

Quando res non extat nullus ordo, nullaque prælatio eſt attendenda 5.

Si vnus ex deponentibus fuerit miſſus in poſſeſſionem, & poſteà alter accedat, eſt audiendus, ſi reſtituat ſumptus illi, qui primò fuerat miſſus 6.

Deponens aduerſus depoſitarium habet beneficium executionis paratæ 7.

Non militat hoc priuilegium in depoſito confeſſionato 8.

Niſi per depoſitarium eſſet renuntiatum exceptioni non numeratæ pecuniæ 9.

Depoſitum gaudet priuilegio in ordine ad deponentem, vt eidem non obſit exceptio tertij 10.

Niſi bona deponentis eſſent ob enorme delictum confiſcata 11.

Et niſi bona depoſita non eſſent quoad dominium deponentis. Ibid.

1 DIſquiſitio X. Depoſuerat Caius apud Sempronium maximam pecuniæ quantitatem, cumque excitata fuiſſet controuerſia, vel quoad prælationem, vel ad certa quæddam iura, quæſitum fuit quænam priuilegia, & iura competant eidem Caio, vel aduerſus alios creditores, vel aduerſus eundem depoſitarium.

2 Reſpondeo primò, ex depoſito deponentem hoc habere à iure, vt cæteris omnibus creditoribus præferatur *Baldus conſ. 276. ſuper facto lib. 2.*, *Caſtrenſis in l. ſi hominem §. quoties ff. depoſiti*. Colligitur expreſsè ex textu *in d. l. ſi hominem §. quoties ff. depoſiti*, vbi ſic legitur. *Quoties foro cedunt nummularij ſolet primo loco ratio haberi depoſitariorum, hoc eſt eorum, qui depoſitas pecunias habuerint penès eoſdem nummularios*, vbi Gloſa, *Prius ſatisfaciat Titio, qui eſt plus priuilegiatus, & hoc ſi purè erat depoſitor, qui depoſuit*; & quidem congrua ratione hoc inductum eſt; cum etenim depoſitum ſit contractus ſummæ fidei exigit, vt præ omnibus deponens priuilegijs antecellat.

Baldus. Caſtrenſis.

Gloſa. *Ratio, qua innititur reſponſio data.*

3 Ex hoc tamen fas erit deducere, quod ſi deponens exegerat pro depoſito vſuras, non gauderet tali priuilegio prælationis *Baldus d. conſ. 276. lib. 2.*, *Bartolus*, *Angelus in d. l. ſi hominem §. quoties ff. depoſiti*, *Decianus conſ. 109. n. 81. lib. 2.* Hoc expreſsè habetur *in d. l. ſi hominem §. quoties ff. depoſiti*, vbi ſic legitur, *quas non fœnore apud nummularios, vel cum nummularijs, aut per ipſos exercebant*. Ruſus *dummodò eorum, qui poſteà vſuras acceperunt, ratio non habeatur, quaſi renuntiauerint depoſito*, quod intelligendum eſt, ſiuè deponens vſuras receperit ante, vel poſt, prout notat ibi *Gloſa in verb. quoties*. Ratio autem ea eſt, quia hoc priuilegium conceſſum eſt per iuris diſpoſitionem depoſito, qua depoſitum eſt; quando autem vſuræ accipiuntur, depoſitum egreditur à terminis depoſiti, & tranſit in naturam mutui.

Baldus. Bartolus Angelus. Decian.

Quid recipiuntur vſuræ depoſitum exit eſt terminis depoſiti.

4 Hic oritur ratio dubitandi, an inter plures deponentes datur ordo, adeò vt vni

prius

prius debeat ſatisfieri, poſtea alteri, an verò omnes ſimul ſine ordine æquè primò
Baldus. admittantur. Baldus *conſ. 432. circa med. verſ. tamen in cauſa lib.* 1. exiſtimat inter
Ne habe-ret poſſeſ-ſionem ci-uilem in illa re. creditores ex depoſito, illum præferendum eſſe, cuius pecunia reperitur non conſumpta, & quidem rationi congruit, quandoquidem quoad illam pecuniam non ſolum dominium retinet, ſed etiam poſſeſſionem ciuilem per ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt, ergò non eſt, cur ea debeat expoliari, vt alteri contribuatur. Difficultas principalior eſt, quando nullius pecunia expreſsè eſt in bonis depoſitarij, ſed omnis in confuſo, & quaſi in communi; qua in re ſentiendum eſt nullum inter deponentes admittendum eſſe ordinem, nullamque
5 prælationem. Hoc expreſsè habetur *in d. l. ſi hominem §. quoties ff. depoſiti*, vbi ſic legitur. *Item quæritur, vtrum ordo ſpectetur eorum, qui depoſuerunt, an verò ſimul omnium depoſitariorum habeatur ratio? & conſtat ſimul admittendos; hoc enim reſcripto principali ſignificatur.*

6 Rurſus oritur ratio dubitandi, an ſi quidam ex deponentibus fuerint miſſi in poſſeſſionem bonorum, ſi poſtea alij acceſſerint, & petant admitti, ſint audiendi. Reſpondet *Gloſa in d. l. ſi hominem verb. quoties* quod ſic, ſi reſtituant ſumptus is, qui primò petierunt mitti in poſſeſſionem, & in
Ius eiſti-tuit, om-nes æqua-les. ea cauſa ſumptus fecerunt. Conſonat rationi gloſæ expoſitio, quandoquidem, cum ex diſpoſitione iuris æquale ſit omnium deponentium ius, non eſt, cur æqualitèr non debeant participare de bonis depoſitariorum; non enim quod vnus præuenerit excludit ius alterius habentis æquale ius, quando hic alter ſtare velit oneribus illius, qui præuenit.

Reſpondeo ſecundò, aduerſus depoſita-
7 rium habere deponentem ius, ſeù beneficium executionis paratæ *Bartolus, & An-*
Bartolus Angelus. *gelus in l. penult. C. depoſiti*. Habetur expreſsè *in d. l. penult. C. depoſiti*, vbi ſic legitur. *Si quis, vel pecuniam, vel res quaſ-*
Ratio ta-lis priui-legij, & conceſſio-nis. *dam per depoſitionis acceperit titulum, eas volenti ei, qui depoſuit, reddere illico modis omnibus compellatur*. Hoc ſingulare eſt priuilegium depoſiti, ne contractus, qui ex bona fide oritur ad perfidiam indè retrahatur.

8 Hic immediatè ſuboritur difficultas, an hæc reſponſio militet etiam in depoſito confeſſionato. Reſpondendum eſt nega-
Riminal. Iun. Baldus. Boerius. tiuè *Riminald. Iun. conſ. 152. n. 39. & ſeqq. lib. 2., Baldus conſ. 218. præſuppoſito ſtatuto n. 5., & conſ. 269. quidam nomine n. 6. lib. 1. Boerius deciſ. 295. primò præſuppoſito num. 8.*
9 Ratio autem ea eſſe poteſt, quia depoſitum eſt ex illis contractibus, qui re contrahitur, hoc eſt numeratione, adeoque priuilegium ſortiri non poteſt, niſi ſit poſitus effectus numerationis. Exciperem tamen in caſu, quo per depoſitarium renuntiatum eſſet exceptioni non numeratæ pecuniæ, quià tunc præſumitur depoſitum naturale, &
verum *Baldus conſ. 236. viſo inſtrumento depoſiti n. 4. verſ. quarto vtrum præſumatur l. 5., Boerius conſ. 25. viſo appellationis proceſſu n. 7., Socinus conſ. 143. diu profectò anceps n. 2. verſ. aliud præterea lib. 1., Angelus Aret. in §. ſequens n. 9. Inſtit. de actionibus.* Baldus. Boerius. Socinus. Aretinus

Adde, quod fauorabilis dicitur cauſa depoſiti ex parte deponentis, periculoſa ex parte depoſitarij differentis reſtituere, adeoque non eſt, cur ſi per eundem depoſitarium fuerit renuntiatum exceptioni non numeratæ pecuniæ, non debeat depoſitum ſortiri omnes ſuas conditiones, priuilegia, & prælationes. *Depoſitū eſt fauo-rabile ex parte de-ponentis.*

Reſpondeo tertiò, depoſitum gaudere priuilegio in ordine ad deponentem, vt eidem non obſit exceptio tertij *Ancharanus conſ. 192. in princip.* Hoc adeò verum eſt, vt neque ſequeſtrum Iudicis impedire poſſit reſtitutionem depoſiti, quando depoſitarius iurauit non apponere ſequeſtrum, quia potius Deo, quàm Iudici debet obedire *d. l. penult. C. depoſiti., Ancharanus d. conſ. 192. in princip., & in fin. n. 12. verſ. non obſtat etiam ſequeſtratio*, quinimmò etiam ſi depoſitum allegaretur factum in fraudem creditorum, deponenti non obeſſet, quominus eidem eſſet reſtituendum, *Ancharanus d. conſ. 192. in fine*, vndè tunc creditores poſſent dumtaxat gaudere reuocatoria. 10 Ancharanus. *Neque ſe-queſtrum Iudicis impedit reſtitutio-nem depo-ſiti.*

Excipiendus tamen eſt ex hac doctrina duplex caſus. Primus, quo bona deponẽtis eſſent ob enorme delictum confiſcata *Zabarella conſ. 83. in fin.* per ea, quæ etiam dicta ſunt ſuperius, quia ex quo delictum commiſit bona delinquentis tranſeunt in Fiſcum, qui præ cæteris habet prælationem priuilegiatam. Secundus eſt, quo bona depoſitata non eſſent quoad dominium deponentis, tunc etenim petente domino eidem eſſent reſtituenda, non deponenti *Baldus conſ. 480. iſta quæſtio in princip. lib. 4.* vbi allegat textum *in l. bona fides §. incurrit ff. depoſiti.* 11 Zabarella. Baldus.

---

§. XI.

An, & quando Depoſitum habeat vim ſolutionis.

SVMMARIVM.

Proponitur ſtatus controuerſiæ 1.
Depoſitum factum auctore Iudice penes tertiam perſonam liberat depoſitarium, à debito,

bito, & quoad hoc habet vim ſolutionis 2.

Conditiones requiſita ad hoc, vt illud depoſitum habeat vim ſolutionis 3.

Depoſitum factum citata parte ex decreto Iudicis transfert periculum in eum, contra quem tale depoſitum factum eſt 4.

1 DIſquiſitio XI. Debitor erat Caius verſus Sempronium ex legitima cauſa mille aureorum, cumque vrgeret dies ſolutionis, timeretque creditori ex aliqua cauſa ſoluere, vel fortè creditor nollet debitum recipere auctoritate Iudicis illos nummos mille aureos depoſuit penès tertiam perſonam per eundem Iudicem deſtinatam. Orta fuit hic controuerſia, an tale depoſitum formalitèr ſic factū habeat vim ſolutionis, & liberet debitorem à debito, & an, ſi perierit, perierit deponenti debitori, an verò creditori. Suppono, quod huiuſmodi depoſitum fiat citata parte, & adhibitis omnibus requiſitis, quæ de iure exiguntur.

2 Reſpondeo primò, tale depoſitum habere vim ſolutionis quantum ad effectum liberandi debitorem à debito *Crauetta conſ. 705. n. 7., & 8., Negus. de pignor in tertiò memb. quinta part. n. 27. verſ. quid per oblationem*, & quod habeat tunc vim ſolutionis, quando factum eſt ſeruatis ſeruandis, *Bartolus in l. item libertas per illum textum ff. quib. mod. pig., vel hypoth. ſol. l. obſignatione, vbi Gloſa, & Baldus C. de ſolut., & in l. acceptam C. de vſuris*. Hoc expreſsè habetur *l. obſignatione C. de ſolut. l. Creditor, & ibi Bartolus C. de pignor. l. 1. C. qui potior in pig. habeatur l. ſi debitor offerat ff. de ſolut.*, vndè meritò habetur *Inſtit. de perpet., & temp. action. in fine*, quod omnia iudicia debeant eſſe abſolutoria.

(Crauetta. Negus. Bartolus. Gloſa. Baldus.)

3 Hic tamen nonnulla attendenda ſunt ad effectum veræ, & legitimæ ſolutionis, & liberationis, & primò, quod depoſitum debeat eſſe integrum congruis loco, & tempore factum *l. ſolutionis ff. de ſolut.* Secundò, vt debitor deponat id, quod debet citato, & præſente creditore ex decreto Iudicis *Alexander conſ. 75. in cauſa, & lite n. 5., & ſeqq. verſ. circa ſecundum principale lib. 7.* Tertiò, quod depoſitum non habet effectum ſolutionis veræ, vbi ſolutio vera, & ſimplex ſine cauſa fieri debet *Cranet. conſ. 705. n. 1., & 8.* Quartò, vt depoſitum conuentum fieri in vno bancho, non fiat in alio, ſecus non releuat deponentem debitorem *l. ſi mandato meo §. 1. in verbo, aut ſi nolit creditor mutare ff. mandati*, Gloſa, & Bartolus *in l. 2. ff. qui ſatiſd. cog.* Quintò, quod non ſufficiat, quod campſor ſe obliget in forma depoſiti, quià non habet vim ſolutionis, nec eſt delegatio, ſed habetur pro fideiuſſore.

(*Debet eſſe integrum.* *Citato creditore ex decreto Iudicis.* Alexander. Crauetta. *Debet fieri in bancho conuento, non in alio.* Gloſa. Bartolus.)

Ratio reſponſionis potiſſimùm ex hoc poteſt deduci, quia depoſitum reſoluit tenutam mulieris pro dote quantumcunque anteriori factam per creditorem poſteriorem *l. qui potior §. qui paratus ff. qui potior in pign. l. fin. C. ſi antiq. cred. l. mulier C. qui potior in pig., Baldus conſ. 40. vol. 1. in fin.*, ergo à fortiori validum erit ad reſoluendum creditum, quod habet alter aduerſus ipſum deponentem ſi validis modo, & forma fiat.

(Baldus. *Euincitur periculo.*)

Reſpondeo ſecundò. Depoſitum factum citata parte ex decreto Iudicis, ità valet, vt periculum ſit eius, ſeù transfundatur in eum, contrà quem verè depoſitum factum fuit *Alexander conſ. 75. in cauſa, & lite nu 5., & ſeq. verb. circà ſecundum principale lib. 7.* Ratio deducitur ex præcedentibus, ſi enim vim habet actualis ſolutionis, & liberat abſolutè debitorem, ergo non eſt, cur hic obſtrictus remanere debeat in caſu, quo illud depoſitum apud depoſitarium periclitaretur. Confirmatur, quia ideò requiritur decretum Iudicis, vt deponens eximatur a periculo, ſi reponat in loco non tuto, & apud perſonam minus idoneam, adeò vt ſi ipſe Iudex non eligat idoneam, ipſe teneatur de mala electione, niſi elegerit aliquem communitèr reputatum idoneum per ea, quæ ſupra diximus, ergo facta tali depoſitione ex decreto Iudicis, & ſeruatis omnibus ſeruandis immunis erit deponens à quocunque periculo. Aduerte tamèn, quod depoſitum ad hoc, vt releuet, debeat eſſe integrale, & conforme conuentioni *Alexander d. conſ. 75. num. 6., & ſeq. verb., quid ad hoc pluribus modis reſpondeo lib. 7.* 4

(Alexander. *Si Iudex non eligat idoneam perſonam tenetur de mala electione.* Alexander.)

Hæc tamen, quæ hactenus dicta ſunt, non videntur habere locum in eo, qui eſt ſimplicitèr obligatus, vel qui habet contrà rem iudicatam, quià nec per depoſitum liberatur a debito, nec à periculo depoſiti, ſi illud apud depoſitarium pereat *Corne. conſ. 262. in fin. lib. 4.*, vbi dicit, quod talis debitor debeat ſoluere, &, ſi prætendat non teneri, repetat. Dum autem diximus, quod adhoc, vt depoſitum releuat deponentem, & afficiat eum, contrà quem deponitur debeat eſſe integrum; hoc intelligendum eſt tàm in ordine ad ſortem, quam in ordine ad fructus *l. 2. C. de vſuris Alexander conſil. 75. num. 8. lib. 7. Cagnolus in l. 2. num. 111. C. de pactis inter empt., & vendit. Curtius Iun. conſ. 28. in princip. Baldus in l. acceptam num. 14. verſ. quarto quaro C. de vſuris Neguſ. de pignor. in quint. part. principali in tertio memb. num. 10. verſ tertio requiritur.*

(Corne. Alexander. Cagnol. Curtius Iun. Baldus. Negus.)

§. XII.

§. XII.

Quid ſit Depoſitum muſcale, & quandonam releuet.

SVMMARIVM.

Caſus in ſuis terminis, & quid propriè ſit depoſitum muſcale 1.

Per depoſitum muſcale vitatur pæna, & mora 2.

Enumerantur ſpeciales caſus, in quibus vitatur culpa, & mora 3.

Debitor de ſumma certa, & ſimul de incerta non liberatur ſoluendo certam cum fideiuſſione pro incerta, ſed vlteriùs debet quid, ponere pro incerta cum fideiuſſione 4.

Sufficit depoſitum muſcale quoad vitandam pænam, & moram, non autem quoad redimendum pignus 5.

1 DIſquiſitio XII. Titius obligatus verſus Caium de ſumma quadam incerta, & non liquida ab eodem Caio moleſtatur de ſolutione cum proteſtatione omnium damnorum, & intereſſe, ſi differat ſoluere; Cum non conſtet de determinata ſumma ad præcauenda omnia damna, & intereſſe, de quibus proteſtatus eſt Caius, Titius quandam exiguam ſummam depoſuit, & fideiuſſorem adiecit pro omni eo, quod liquidabitur. Hoc propriè in iure dicitur depoſitum muſcale, hoc eſt non integrum; modo quæritur, an tale depoſitum ſubſiſtat quantum ad effectum vitandi pænam, & moram.

2 Reſpondeo, obligatum per tale depoſitum vitare pænam, & moram *Alexander in l. ſi mora n. 4. ff. ſol. matrim., Iaſon in l. Prætor §. ſin autem in fin. ff. de nou. oper. nunt.* Ratio eſt manifeſta, quia, vbi non conſtat de certa, & liquida ſumma debita, non eſt certum ius creditoris, nec certum debitoris onus, ergo certum quid deponendo cum cautione fideiuſſoria quoad reliquum, ſi liquidabitur, eximetur a quacunque pæna, & mora debitor. Confirmatur, quià extante incertitudine debiti quoad quantitatem potius eſt debitori fauendum, quam creditori, ſicuti potius reo, quam actori, ergo, ſi hic deponat quid modicum cum fideiuſſione pro reliquo, non debet grauari quoad pænam pro mora.

Alexander. Iaſon.

In dubio potius eſt fauendum debitori, quã creditori.

3 Hinc habes primò, quod intentante creditore aduerſus ipſum executionem ſufficiat ad ipſam euitandam ſolutio vnius Iulij cum fideiuſſione reſidui eius, quod liquidabitur *Benintend. deciſ. 77.*

Benintend.

Habes ſecundò, quod ſi mater tutrix volens tranſire ad ſecunda vota, eiuſque adminiſtratio non ſit clara, conueniatur a filijs, alijſque eorundem tutoribus, ſufficiat, quod deponat aliquod minimum, & quod det fideiuſſorem pro reſiduo, quod factis calculis conſtabit eam debere *Angelus, Aret. conſ. 78. pro deciſione num. 15. verſ. ſecundò hoc probatur cum ſeqq.*

Angelus. Aretinus

Habes tertiò, quod, ſi quis promiſit pro alio de rato, & voluit teneri de ſuo lapſo tempore teneatur ad intereſſe ſoluendum, ſi certum ſit *Alexander conſ. 5. lib. 2, Ruinus conſ. 42. lib. 1.*, ſi verò ſit incertum, non teneatur, niſi ad quid deponendum, & ad dandum fideiuſſorem pro reliqua, ſi dubitet tangi, vel contrà ſe fieri executionem *Bartolus, & alij in l. 4. §. ait Prætor ff. de re iud., Iaſon in l. 1. ff. qui ſatiſd. cog.*

Alexander. Ruinus. Bartolus. Iaſon.

Hic duplex oritur difficultas. Prima eſt, an ſi quis ſit debitor de certa ſumma, & ſimul de incerta liberetur a pæna, & mora quoad incertam, ſi ſoluat certum faciendo præcisè oblationem pro incerta, an verò debeat quod modicum pro illa deponere cum fideiuſſione modo, quo ſupra. Secunda eſt, an depoſitum muſcale, ſeù non integrum, locum habeat ſolummodò, quando debitum eſt incertum in ordine ad euitandam pænam, & moram, an etiam in ordine ad luendum pignus.

Duplex ratio dubitandi.

4 Quoad primam *Angelus in l. 4. §. ait Prætor ff. de re iud.* aſſerit ſufficere, quod pro ſumma non liquida fiat alternatiuè oblatio, vel quod detur fideiuſſor, quod idem docuiſſe videtur *Alexander conſ. 197. in fin. num. 4., & ſeq. lib. 7.*, quamuis antecedentèr parum ſibi conſtans *conſ. 24. inſpecto proceſſu num. 9. verſ. poſſet etiam lib. 4.* non ſufficere oblationem, ſed teneri ſimul dari fideiuſſores. Exiſtimo tutius eſſe, ſi dicatur requiri, vel oblationem cum fideiuſſore, vel depoſitionem alicuius quantumuis modici cum eodem fideiuſſore pro reliquo, ſi liquidabitur *Bartolus in l. penult. de diſtract. pign., Corne. conſ. 85. lib. 4., Iaſon in l. 1. col. 1. ff. qui ſatiſd. cog., Aretinus conſ. 142. in fin. num. 24. verb. aut dubitat*; ex quibus habetur, non ſufficere oblationem verbalem, videlicet per hæc verba, ſum paratus cauere, ſed fideiuſſio eſt effectualitèr præſtanda *Bartolus in l. Prætor ait §. ſi quis paratus, & ibi Angelus, Immola, & Caſtrenſis ff. de nou. oper. nunt., Alexander conſ. 24. inſpecto lib. 4.*, quià vbi opus eſt facto, verba non ſufficiunt *l. 1. §. hæc autem verba, & ibi Iaſon in quarto not. ff. quod quiſque iur., Marſilius in l. qui falſum col. 8. verb. vltim. ff. de falſ.*

Angelus. Alexander.

Requiritur alicuius depoſitio cũ fideiuſſione.

Bartolus. Iaſon. Aretinus. Angelus. Immola. Caſtrẽſis. Alexander. Marſil.

5 Quoad ſecundam dicendum eſt ſufficere quidem depoſitum muſcale quoad euitandam

dam pænam, & moram, non autem quoad redimendum pignus *Neguſ. de pign.* Negus. Alexander. Iaſon. Aretinus. Ruinus. Afflictus *in tertio membro tertia part. principalis num. 3., Alexander in l. ſi mora num. 4. ff. ſol. matrimonio, Iaſon in l. Prator §. ſin autem in fin. ff. de nou. operis nuntiat., Aretin. conſ. 142. num. 24., Ruinus conſ. 26. num. 14. lib. 2., Afflictus deciſ.* 205. Ratio autem ea eſt, quià ex quo creditor habet pignus ad cautelam, & ſecuritatem ſui crediti ex diſpoſitione iuris poteſt illud retinere quoaduſque in effectu ſatisfiat, Deindè huiuſmodi cautio, quæ in iure conceditur in ordine ad debita illiquida eſt in ordine ad vitandam executionem, & pænam, non ad acquirendum id, quod iam ex vi præcedentis conceſſionis obligatum eſt vſque ad complementum debiti; vnde benè dicitur, valere depoſitum muſcale ad releuandum à pæna, non ad acquirendum aliquod ius Negus. *Neguſ. de pignor. in ſecunda parte tertij memb. quinta partis principalis num. 5. verſ. ſecundo modo*, hocque habetur *in l. ſi reſiduum C. de diſtrac. pignor.*, Bartolus *Bartolus in l. ſi creditor ad fi. ff. eod.*

§. XIIII.

An depoſitum factum pro abſente poſſit reuocari.

SVMMARIVM.

Status controuerſia 1.

Regularitèr illud depoſitum poteſt reuocari 2.

Dummodò non fuerit acceptatum, vel facta fuerit ſtipulatio per perſonam publicam 3.

Poteſt etiam reuocari depoſitum factum per aliquem pro ſecuritate dotis vxoris ſua 4.

Poteſt etiam reuocari factum in fauorem tertia perſona abſenti pro cauſa turpi 5.

1 DIſquiſitio XIII. Depoſueram ad aliquem finem certam pecuniæ quantitatem, vel pro ſecuritate dotis, aut vt inueſtiatur in fauorem tertiæ perſonæ abſentis, hancque penès Caium meum depoſitarium. Antequam illa pecuniæ quantitas implicaretur in ijs negotijs, ad quæ deſtinaueram, vel inueſtiretur in fauorem illius tertiæ perſonæ reuocare contendebam depoſitum. Orta tunc fuit controuerſia, an iuſtè, & legitimè hoc tunc præſtare potuerim.

2 Baldus. Reſpondeo regularitèr loquendo, potuiſſe per me reuocari *Baldus conſ. 104. ſex ſunt, qua habent in princip. verſ. modo dico lib. 1., & conſ. 105. lib. eod.*, dummodò non fuerit acceptatum per eum, in cuius fauorem fuit depoſitum, vel niſi facta fuerit ſtipulatio per perſonam publicam. Ratio primæ limitationis eſt, quia quandò facta fuit acceptatio per eum, in cuius fauorem factum eſt depoſitum, iam eidem acquiſitum eſt ius quoad idem depoſitum, 3 adeò vt, ſi pereat, eidem pereat, non deponenti, ergo non eſt amplius in poteſtate deponentis idem depoſitum reuocandi. *Facta acceptatione ius eſt acquiſitum, & etiam ex ſtipulatione.* Ratio ſecundæ limitationis ea eſt, quia regularitèr, vbi per perſonam publicam facta eſt ſtipulatio, poteſt abſens, cuius nomine facta eſt ſtipulatio, nolle depoſitum illud à depoſitario per deponentem tolli, ſiquidem ex ſtipulatione acquiſiuit ius ad idem depoſitum, ſi velit.

Probatur iam reſponſio, quià quouſque depoſitum non eſt acceptatum per eum, in cuius fauorem factum eſt, ſemper eſt in poteſtate deponentis, & ſeruat communes regulas depoſiti, ſed depoſitum ad nutum deponentis poteſt reuocari, ergo &c. *Quouſque non eſt acceptatum remanet in puris regulis depoſiti.* Maior patet, quia vbi non accedit acceptatio deponens non obligatur, ſicuti antè acceptationem donatarij, donator non obligatur, & poteſt reuocare donationem. Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod depoſitum poſſit tantùm reuocari, quando eſt in fauorem deponentis, ſecus quando eſt in fauorem tertij, per ea quæ docet *Caſtrenſis conſ. 434. col. fin. verb., &* Caſtrenſis. *primò per tot. lib.* 1. qui etiam dicit actionem acquiri abſenti, & quod non requiratur præſentia, Non, inquam, obeſſe poteſt, quia Caſtrenſis ſupponit ex parte creditoris abſentis accedere aliquam acceptationem, vel ſtipulationem factam per perſonam communem nomine proprio, quod non ſupponitur in hypotheſi, de qua loquimur, nec depoſitarius habet ius, ob quod non debeat deponenti exigenti reſtituere; quod, ſi dicatur depoſitarium poſſe argui de dolo, ex quo depoſitum debuit inueſtiri pro cautione alterius, ſtatim reſpondebitur, quod dolus non præſumitur, niſi probetur *l. quoties §. qui dolo ff. de probat.*

Hinc habes primò, quod, ſi depoſitum factum fuerit per aliquem pro ſecuritate 4 dotis vxoris ſuæ, poſſit reuocari, & depoſitarius reſtituat illud deponenti, antequam ſibi fuerit aliquid denunciatum per habentes intereſſe *Baldus in l. acceptam,* Baldus. *col. 2. verſ. item ſi acceperit C. de vſuris Doctores communiter in l. ſi pecuniam ff. de condit. ob cauſ.* Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, depoſitum ex cauſa dotis eſſe priuilegiatum penes aliquem, quod propterea mulieri abſenti acquiritur pro dote, & fieri irreuocabile *l. quoties ff. de donat., qua ſub mod. l. ſi ego in princip. inuita §. 1. ff. de iur.*

dotis,

Textus in l. quoties habet tantù locum in donatione non in depoſito.

datis; non, inquam, obeſſe poteſt, quia, vt benè notant *Doctores in l. ſi pecuniam ff. de condic. ob cauſ.* reſpondentes *ad d. l. quoties ff. de donat. quæ ſub mod.* prædicta iura locum tantùm habent in donatione, in qua transfertur dominium illicò, ex quo eſt contractus nominatus, ſecus in depoſito, in quo non transfertur dominium, ſed remanet penès deponentem *l. licet ff. depoſiti*, ità quod ſemper liceat pænitere deponenti re integra *l. 1. ff. eod.*

Excipitur tamen in depoſito facto fauore animæ, & quomodò. Baldus.

Dixi, *regularitèr loquendo*, quià in depoſito facto fauore animæ, puta pro vſuris reſtituendis, quod licet ſit factum parte abſente, & non fuerit acceptatum à perſona publica, non poteſt tamen reuocari *Baldus conſ. 83. in primis videndum eſt lib. 1., & conſ. 67. factum proponitur lib. 3.*, & hoc quidem inductum eſt ex præſumpta voluntate creditoris, quod acceptet, & in fauorem animæ.

5 Habes ſecundò, quod etiam depoſitum factum in fauorem tertiæ perſonæ abſentis ex cauſa turpi poſſit reuocari, quiá turpitudo non obſtat deponenti, quin recipiat, & recuperet ſuum depoſitum, quià valenti agere rei vendicatione non obſtat turpitudo *Baldus d. conſ. 105. verba dicunt ante mod. verſ. item iſtud pactum lib. 1.* Rationem horum omnium ex eo deduces, quod, cum depoſitum ſit contractus ſummæ fidei, exigit, vt depoſitarius ad nutum deponentis teneatur illud quomodolibet reſtituere, niſi in contrarium iure ſic ſuadente compellatur.

Baldus. *Turpitudo nō obſtat deponenti.*

---

§. XIV.

An Depoſitarius reſtituens depoſitum liberetur; & quando.

SVMMARIVM.

Proponitur facti ſeries, & explicatur in duobus caſibus 1.

Facta ceſſione depoſiti in fauorem tertiæ perſonæ depoſitarius reſtituendo deponenti, non ceſſionario liberatur 2.

Si depoſitarius compellatur auctoritate publica ad alteri credendum depoſitum, ſi hoc fiat contemplatione, & odio deponentis, liberatur, ſecus ſi odio, & contemplatione depoſitarij 3.

1 DIſquiſitio XIV. Conſtituto depoſito per Caium penès Titium, idem Caius iura ſua ceſſit Antonio etiam in ordine ad tale depoſitum. Mox Titius idem depoſitum reſtituit non ceſſionario, ſed Titio cedenti. Rurſus non facta tali ceſſione compulſus fuit idem Titius publica auctoritate ad ſoluendum depoſitum tertiæ cuidam perſonæ. Quæritur iam, an in vtroque caſu Titius intelligatur liberatus ab onere depoſiti.

Duplex ſtatus difficultatis

Reſpondeo primò, etiam facta illa ceſſione Titius reſtituendo deponenti, non ceſſionario liberatur *Baldus conſ. 364. nu. 2. verſic. ſecundò propter generalem naturam lib. 2.* Ratio autem ea eſt, quia depoſitarius ex vi depoſiti, quantum ex ſe obligatur verſus deponentem, ergo eidem reſtituendo eximitur à quacunque obligatione. Quod, ſi ſupponas facta ceſſione per Caium in fauorem alterius, depoſitario denuntiatam fuiſſe ceſſionem cum onere, vt non cedenti, ſed ceſſionario reſtituat; tunc videndum eſt, an ipſe depoſitarius annuerit tali denuntiationi, atque in ſe onus aſſumpſerit illi reſtituendi, nec ne; ſi primum aſſeratur, tunc re vera non eximeretur ab onere reſtituendi, ſiquidem facta fuit nouatio intercedente conſenſu ipſius depoſitarij, ſicque extincta prima actio deponentis quoad ipſum, & tranſlata in ceſſionarium; ſi ſecundum aſſeratur; cum depoſitarius ſine conſenſu non poſſit verſus alterum obligari, ideò ſi non compellatur fortiori iure publicæ, ſcilicet auctoritatis ad alteri ſoluendum, poteſt domino deponenti reſtituere. 2 Baldus.

Excipitur tamen caſus, quo intimata fuerit ceſſio depoſitario, & intimata, ne ſolueret deponenti, & ipſe acceptarit.

Excipiendus tamen eſt caſus ab hac generali doctrina, quo depoſitarius depoſitum iudiciale reſtitueret deponenti, quià tunc non liberaretur, ſed obligatus remaneret *Grauet. conſ. 428. num. 20., & ſeqq., & conſ. 331. num. 10., & ſeqq.*, *Romanus conſ. 287. in propoſita conſultatione*, vbi aſſerit, quod reſtitutio non liberat depoſitarium, niſi faciat talem reſtitutionem de licentia Iudicis, & citata parte, alias tenetur ad intereſſe; vndè, ſi faciat citata parte, & de licentia Iudicis, tunc verè liberatur idem *Romanus d. conſ 287.*

Excipitur item in depoſito iudiciali. Grauetta. Roman.

Reſpondeo ſecundò, Si depoſitarius compellatur auctoritate publica ad alteri tradendum depoſitum, ſi hoc fuit contemplatione, & odio deponentis, vtiquè liberatur, ſecus ſi odio, vel contemplatione depoſitarij *Cumanus conſ. 185. ver. Laurentius per totum*. Ratio primæ partis eſt, quia tunc depoſitarius tenetur iure ſic compellente alteri tradere, publicumque officium ipſum eximit ab obligatione reſtituendi deponenti, dum alteri ex eodem officio ſoluitur, nam quodamodo fit ſolutio nomine ipſius deponentis, odio etenim ipſius ſupponitur imperari. Ad hoc magis corroborandum, non modicum confert id, quod aſſerit *Felinus in c. cum M. Ferrarienſis num. 41., & ſeqq. de conſtit.*, nempè non liberari depoſitarium, ſi reſti- 3

Cumanus.

Publicum Officium ipſum eximit ab obligatione.

Felinus.

reſtituat deponenti depoſitum, quandò fuit factum ſequeſtrum, ergo etiam quandò auctoritate publica compellitur eidem deponenti non tradere, ſed alteri, non liberabitur, ſi ipſi deponenti tradet, liberabitur verò ſi tradet alteri, iuxta quod ſtatuit eadem publica auctoritas.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia, quod prouenit ex cauſa depoſitarij non poteſt obeſſe deponenti innocenti, ergo, ſi ex odio, vel contemplatione depoſitarij, quantumuis hoc fiat ex publica auctoritate, obligetur ad alteri tradendam non liberabitur tamèn ab onere verſus eundem deponentem. Atque hæc de Commodati, & Depoſiti contractibus dicta ſufficiant.

Quod prouenit ex cauſa depoſitarij non poteſt obeſſe deponenti.

FINIS HVIVS TERTII VOLVMINIS.

Ad laudem Omnipotentis Dei, Deiparæque Virginis, & Doctoris Gentium.

IN-

Digitized by Google

INDEX RERVM

C. ſignificat Contractum, P. Prænotionem, D. Diſquiſitionem, §. Paragraphum, S. Sectionem, N. numerum marginalem, p. paginam.

A

ABSOLVTIO ab excommunicatione; & ſuſpenſione ob ſimoniam in ordine eſt Papalis C. 8. P. 13. S. 3. n. 51. p. 273.

Abſolutio ab irregularitate ob exercitium ordinum poſt ſimoniam, & diſpenſatio inhabilitatis pertinet ad Rom. Pont. C. 8. P. 13. S. 3. n. 52 p. 273.

Abſolutio ab excommunicatione formalitèr non poteſt fieri pro pretio ſine ſimonia. C. 8. D. 1. §. 7. num. 3. pag. 340

Abſolutio à cenſuris poteſt fieri interueniente pecunia, ſi illa non ſit pro ipſa formali abſolutione, ſed in pœnam cenſurarum in foro externo, & in pœnam aliorum delictorum in foro interno. C. 8. D. 1. §. 7. num. 4. pag. 341

Abſolutio ab excommunicatione poteſt ſine ſimonia differri, quouſque ſoluantur expenſæ factæ in excommunicando. C. 8. D. 1. §. 8. num. 2. pag. 344

ACCVSATIO de crimine commiſſo contrà Officiales publicos eſt publica. C. 9. D. 2. §. 5. num. 4. pag. 505

ACTIO pro ſocio in ſocietate conceditur. C. 1. P. 2. n. 2. p. 5.

Actio pro ſocio poteſt eſſe ad complementum contractus, vel ad quantum intereſt, quod non fuerit completus, vel ad dolum, vel ad actionem redhibitoriam, vel quanto minoris. C. 7. P. 12. num. 2. pag. 21.

Actio aduerſus ſocium vſurpantem res ſocietatis duplex eſt, altera furtiua, altera pro ſocio. C. 7. P. 12. nu. 3. pag. 21

Actio pro ſocio datur etiam aduerſus hæredem ſocij, quamuis ipſe ſocius non ſit. C. 7. D. 1. §. 7. num. 7. pag. 84

Actio duplex conſurgit ex ſocietate inita cum filio familias, & durante poſt emancipationem, altera contra Patrem ante emancipationem, altera contrà filium ſine Patre poſt eandem. C. 7. D. 1. §. 19. num. 2. pag. 103

Actio aduerſus Patrem non datur ante emancipationem, quandò ſocietas contracta eſt in bonis caſtrenſibus, vel quaſi. C. 7. D. 1. §. 19. num. 4. pag. 104

Actio iniuriarum, quam ſocius præſens paſſus eſt in iudicio eſt communicabilis ſocietati, non ſic quam paſſus eſt abſens. C. 7. D. 1. §. 20. num. 2. pag. 105

Intellige niſi fuerit abſens ex cauſa ſocietatis. Ibid. num. 4. pag. 105

Actio iniuriarum in foro externo, quam ſocius abſens paſſus eſt, non eſt communicabilis ſocietati, quantumuis eandem paſſus fuiſſet præſens. C. 7. D. 1. §. 20. nu. 5. p. 106

Actio ad bona alienata, & ad omne intereſſe datur aduerſus ſocium alienantē contrà pactum. C. 7 D. 2. §. 12. n. 2. p. 131

Actio ad maius lucrum ex alienatione rei acquiſitum non datur, ſed tantum ad rem alienatam, & ad quantum intereſt. Ibid. num. 3.

Actio furtiua aduerſus ſocium alienantem probabiliùs non datur, niſi fecerit animo celandi. Ibid. num. 4. pag. 132

Actio pro ſocio non tollit actionem furtiuam. C. 7. D. 2. §. 13. num. 3. pag. 132

Actione diſſoluitur ſocietas per officium Iudicis. C. 7. D. 2. §. 23. num. 2. pag. 148

Actione etiam diſſoluitur per nouationem, & delegationem. Ibid. num. 3.

Actione etiam diſſoluitur per ſeparationem, & priuatam negotiationem. Ibid. num. 4.

Actiones directæ dantur in commodato commodanti aduerſus commodatarium. C. 9. P. 4. num. 1. pag. 442

Actiones directæ, quæ conceduntur commodanti quænam ſint. C. 9. P. 4. num. 1. pag. 442

Actiones ex commodato contrariæ competunt commodatario aduerſus commodantem, & ad quid. C. 9. P. 4. num. 12. pag. 447

Actio commodati contraria competit commodatario, vt ſibi tradatur res vtilis ad eum vſum, ad quem fuit requiſita, & non noxia. C. 9. P. 4 num. 13. pag. 447

Actiones directæ, quæ competunt deponenti contrà depoſitarium ad quid ſint, & quomodò. C. 9. P. 11. nu. 4. p. 471

Actiones directæ competunt etiam hæredibus deponentis contra hæredes depoſitarij. C. 9. P. 11. num. 2. pag. 471

Actiones contrariæ quæ conceduntur depoſitario contrà deponentem quænam ſint & ad quid. C. 9. P. 11. n. 16. p. 474

Actio rerum amotarum quomodò competat marito aduerſus vxorem, & ad quid. C. 9. D. 1. §. 13. num. 5. pag. 497

ACTVS internæ iuriſdictionis quinam ſint. C. 8. P. 16. nu. 1. pag. 291

Actus internæ iuriſdictionis pertinentes ad curam animarum ſunt materia ſimoniæ. Ibid. num. 2.

Actus externæ iuriſdictionis Eccleſiaſticæ quinam ſint. C. 8. P. 17. num. 1. pag. 292

Actus iuriſdictionis externæ Eccleſiaſticæ, ſiuè voluntariæ, ſiuè contentioſæ ſunt materia ſimoniæ. C. 8. P. 17. nu. 3. pag. 293

Actus priuati ſupernaturales etiam, vt habent valorem ex opere operātis ſunt materia ſimoniæ. C. 8. P. 19. n. 4. p. 299

Actus ſpirituales ſoli operanti vtiles poſſunt eſſe materia ſimoniæ, ſi pro ipſa formalitèr ex pacto expreſſo erogetur pretium. C. 8. P. 20. num. 5. pag. 301

Actus ſpirituales alij liberi, alij neceſſarij. C. 8. P. 21. nu. 1. pag. 302

Actus interni non veniunt ſub commercijs, nec ſunt pretio digni. C. 9. D. 2. §. 5. num. 6. pag. 506

ADVOCATVS durante lite cum cliente nequit contrahere. C. 7. D. 2. § 5. num. 2. pag. 112

ALIENATIO ſerui diſſoluit priorem ſocietatem, & nouam inducit. C. 7. D. 2. §. 5. num. 2. pag. 118

ANIMALIA, & pecudes, quandòque traduntur titulo locationis, & quomodò. C. 7. P. 26. num. 1. pag. 57

Animalia, & pecudes quandoque tradantur per modum cuiuſdam contractus innominati, & quomodò. Ibid.

Animalia & pecudes, quandoque etiam traduntur per modum cuiuſdam modificatæ venditionis. Ibid. nu. 3. p. 57

Animalia & pecudes conferuntur etiam titulo ſocietatis, & quomodò. Ibid. num. 5. & 6. pag. 57

AROMATARIVS locans vaſa cum aromatibus cum onere certæ penſionis, & reſtitutionis integræ hic te contrahit, nec vſurariè, ſi ſeruentur debitæ conditiones. C. 7. D. 4. §. 2. num. 5. pag. 170

Aſſe-

Digitized by Google

AſſECVRATIO capitalis in ſocietate eſt præter naturam eiuſdem ſocietatis. C. 7. P. 17. num. 1. pag. 33

Aſſecuratio in ſocietate quomodo damnetur per Sixtum V. C. 7. P. 17. num. 2. pag. 33

Aſſecuratio præcisè rei non arguis dominium eiuſdem in aſſecurante. C. 7. P. 17. nu. 3. pag. 33

Aſſecuratio rei commodatæ non pugnat cum natura contractus commodati. C. 9. P. 6. num. 2. pag. 455

AVGMENTVM quandóque computatur inter fructus animalium. C. 7. P. 26. num. 9. pag. 59

AVTHORIZATIO Prælati non requiritur, vt validè Religioſus contrahat. C. 7. D. 2. §. 8. num. 3. pag. 125

B

BENEFICIA per ſimoniam collata, ſeù obtenta ſunt ipſo iure nulla. C. 8. P. 4. num. 6. pag. 201

Intellige de iure poſitiuo, non naturæ. C. 8. P. 4. nu. 7. pag. 201

Beneficium Eccleſiaſticum ſimoniacè acquiſitum non eſt iure diuino, & naturæ dimittendum, ſed tantum Eccleſiaſtico. C. 8. P. 8. num. 2. pag. 218

Beneficium, officium, perſonatus, & dignitas, quomodò inter ſe differant. C. 8. P. 9. num. 1. pag. 232

Beneficia collata per ſimoniam conuentionalem non ſunt ipſo iure irrita. C. 8. P. 10. num. 1. pag. 237

Beneficia ſimoniacè conuentionalitèr collata ſunt irrita, ſiuè non fuerit completa ſimonia ex parte collatoris, ſiuè ex parte promiſſoris pretij. C. 8. P. 10. num 2. pag. 238

Beneficia per ſimoniam conuentionalem collata perſoluto poſtea ex vi conuentionis pretio irritantur. C. 8. P. 10. num. 3. pag. 239

Beneficij collatio per ſimoniam conuentionalem aduenien te complemento per pretium non redditur irrita ab initio, nec retrotrahitur irritatio ad diem collationis. C. 8. P. 10, num. 4. pag. 240

Beneficia antecedentèr obtenta non irritantur per receptionem ſimoniacam beneficij ſubſequentis. C. 8. P. 12. nu. 1. pag. 245

Beneficia ritè antecedentèr obtenta irritantur per ſimoniam confidentialem ſubſequentem, item per collationem ſimoniacam Pontificatus, item per ſimoniam commiſſam per examinatores Sinodales in examine ad beneficia Eccleſiaſtica. C. 8. P. 12. num. 3. pag. 246

Beneficia Eccleſiaſtica admittunt ſeparationem iuris ad ſpiritualia, & iuris ad temporalia auctoritate Summi Pontificis. C. 8. P. 23. num. 1. pag 307

Beneficia facta illa ſeparatione intuitu commodi temporalis poſſunt conferri pro pretio, vel cum reſeruatione penſionis, ſine illa non poſſunt conferri, & eſſet ſimonia iuris diuini. C. 8. P. 23 num. 2. pag. 308

Intellige ſiuè de beneficijs ſimplicibus, ſiuè de curatis. Ibid. num. 5. pag. 315

Beneficium collatum alicui, vt ex obligatione antidorali præſtet obſequia non eſt ſimoniacum. C. 8. D. 3. §. 1 t. num. 5. pag. 426

BENEFICIARIVS ſciens alterum pro ſe ſoluturum pecuniam pro beneficio contradicens, ſi poſteà recipiat beneficium in bona fide non tenetur nec beneficium, nec fructus dimittere. C. 8. P. 8. num. 10. pag. 224

Beneficiarius, ſi contradixerit, & poſteà fuerit dubitans de pretio ſoluto opinatiuè non tenetur reſtituere, ſecus ſi fuerit dubitans ſuſpenſiue. C. 8. P. 8. n. 11., & 12. p. 225

Beneficiarius, ſi contradixerit, & bona fide beneficium receperit ſuperueniente poſtea notitia ſimoniæ non tenetur beneficium cum fructibus dimittere. C. 8. P. 8. nu. 14. pag. 225

Beneficiarius contradicens ſimoniæ, & bona fide recipiens beneficium tenetur illud cum fructibus dimittere, ſi poſtea ſoluat promiſſum, aut reddat ſolutum. C. 8. P. 8. num. 15. pag. 226

Non tamen tenetur fructus antecedentèr bona fide perceptos reſtituere. C. 8. P. 8. num. 17. pag. 227

Beneficiarius ignarus ſimoniæ per alterum commiſſæ habita notitia tenetur omnes fructus tùm antecedentes, tùm conſequentes reſtituere, niſi antecedentes fuerint bona fide conſumpti. C. 8. P. 8. num. 18. pag. 228

Beneficiarius promotus ſimoniacè licet ignorantèr ad canonicatum habita notitia non tenetur fructus antecedentes correſpondentes reſidentiæ reſtituere. C. 8. P. 8. n. 19. p. 228

Beneficiarius promotus ad beneficium licet ignorantèr ſimoniacè redditur ad illud inhabilis. C. 8. P. 8. n. 20. p. 229

Beneficiarius promotus ſimoniacè licet ignorans non gaudet beneficio triennalis poſſeſſionis. C. 8. P. 8. n. 21. p. 230

Beneficiarius, ſi acquiſito beneficio per ſimoniam conuentionalem nondum perſoluto pretio aliud acquiſierit ritè, & poſtea ſoluerit pretium pro primo ſtando in rigore iuris ſecundum non amittit. C. 8. P. 10. nu. 5. pag. 241

Beneficiarius, qui ignorans recepit beneficium ſimoniacè, cognita ſimonia, ſi non dimittat, non contrahit excommunicationem. C. 8. P. 13. §. 2. num. 19. pag. 261

Beneficiarius, qui beneficium ficte accepit, hoc eſt cum ficta promiſſione ſoluendi pretium propriè ſimoniam non committit. C. 8. D. 1. §. 1. num. 2. pag. 331

Beneficiarius, qui beneficium recepit cum ficta promiſſione ſoluendi pretium pro illo non tenetur ipſo iure illud dimittere, poteſt tamen per ſententiam illo priuari. C. 8. D 1. §. 1. num. 4. pag. 332

Beneficiarius iam confirmatus, & inſtitutus poteſt ſine labe ſimoniæ per pecuniam ſe redimere à vexatione iniuſta, qua impeditur, ne capiat poſſeſſionem. C. 8. D. 1. §. 17. num. 2. pag. 364

Beneficiarius iam confirmatus, & inſtitutus poteſt ſe redimere à vexatione iuſta, quandò hæc reſpicit ſolam poſſeſſionem, non titulum. C. 8. D. 1. §. 17. n. 3. pag. 362

Beneficiarius ſe redimens à vexatione iniuſta poſt obtentam etiam per poſſeſſionem beneficium, quam timet ab Epiſcopo, non eſt ſimoniacus, ſecus ſi ſe redimat à vexatione iuſta. C. 8. D. 1. §. 17. num. 4. pag. 362

Beneficiarius, ſi poſt obtentum pleno iure per inſtitutionem ſcilicet confirmationem, & adeptam poſſeſſionem beneficium iniquè, & iniuſtè eodem ſpolietur non committit ſimoniam, ſi pro recuperando beneficio pecuniam erogat; ſecùs ſi iuſtè ſpolietur. C. 8. D. 1. §. 17. n. 5. p. 363

Beneficiarius ſoluens alteri pecuniam, ne litem moueat ſuper beneficio, quo ipſe gaudet ſimoniacus eſt, ſi ius, de quo alter contendit, ſit rationabile. C 8. D 2. §. 3. n. 2. p. 393

Beneficiarius ſoluens illam pecuniam non eſt ſimoniacus, ſi ius, de quo alter contendit, eſt friuolum. Ibid.

Beneficiarius renuntians beneficium cum reſeruatione iuris ad compenſationem expenſarum in eo factarum eſt ſimoniacus. C. 8. D. 2. § 4. nu. 3. pag. 398

Beneficiarius, qui beneficium recepit animo illud non retinendi, ſed tantum, donec pinguius fuerit conſecutus, nec ſimoniacus eſt, nec iniuſtus. C. 8. D. 3. §. 2. n. 3. p. 423

BONA omnia ex quocunque titulo prouenientia communicantur in ſocietate generali. C. 7. P. 25. num. 2. pag. 54

Bona omnia communicantur in ſocietate generali quantumuis bona vnius ſint maiora. C. 7. P. 25. num. 4. pag. 54

Bona in ſocietate generali ipſo iure conferuntur. C. 7. P. 25. num. 1. pag. 54

Bona, quæ communicantur in ſocietate generali. C. 7. P. 25. num. 3. pag. 54

Bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia non veniunt ſub ſocietate inter fratres, niſi expreſſe actum fuerit de ſocietate omnium bonorum. C. 7. P. 27. num. 4. pag. 63

Bona per Patrem viuentem collata filio pro ſtudijs, ſi Pater habebat bona eiuſdem filij caſtrenſia, vel quaſi ſunt computanda in parte eiuſdem filij. C. 7. P. 27. nu. 7. pag. 64

Bona, quæ in proſecutione ſtudij incepti ante mortem Patris impenduntur per vnum ex filijs poſt obitum Patris computantur in parte eiuſdem, C. 7. P. 27. n. 8. p. 64

Bona, quæ poſt mortem Patris impenduntur pro laurea doctorali computantur etiam in parte. C. 7. P. 27. n. 9. p. 64

Bona item, quæ Pater viuens contulit cauſa ſtudiorum, ſi filius inſumpſit in ludis, & meretricibus. Ibid. num. 10.

Bona item, quæ Pater contulit filio pro emancipatione. Ibid. num. 11.

Bona item, quæ inſumpta fuerunt circà vxorem alterius fratris, ſi adhuc durent, & non ſint neceſſaria ad quotidianum vſum. Ibid. num. 12.

Bona inſumpta cauſa ſtudiorum per vnum ex fratribus viuente

INDEX RERVM.

nente Patre non ſunt computanda in diuiſione. C.7. P.27. num. 13. pag.65

Nec item, quæ Pater contulit pro delicto filij, ſi ad hoc ſe obligauit. Ibid. num. 14.

Nec item decrementa in valore, quæ habuerunt libri empti à Patre cum conditione, vt computentur in diuiſione cum cæteris fratribus. C.7. P.27. n.15. p.65

Bona, quæ conſtante matrimonio ex pecunia communi acquiſita ſunt, de iure communi ſunt communia. C.7. P.28. num. 70. pag.70

BVLLA Pauli IV. quoad ſocietates officiorum per extenſum. C.7. P.20. num. 2. pag.44

Bulla Pij V. quoad idem per extenſum. C.7. P.20. n.3. p.45

Bulla Iulij II. quoad electionem ſimoniacam Romani Pontificis per extenſum. C.8. P.11. num. 2. pag.243

Bulla Pij V. de ſimonia confidentiali per extenſum. C.8. P.13. §.1. num.8. pag.255

C

CALCVLATORES, & æſtimatores quinam ſint, & quomodò veniant in diuiſione bonorum ſocietatis. C.7. D.2. §.24. num.5. pag.150

CANONICVS reſidens principalitèr propter diſtributiones non eſt ſimoniacus. C.8. D.1. §.4. nu.2 pag.336

Canonici conuenientes de viceuerſa proprijs muneribus adimplendis non ſunt ſimoniaci. C.8. D.1. § 6. n.4. p.340

Canonici conuenientes inter ſe, vt qui ex ipſis eligetur Sede vacante in Vicarium, teneatur ſalarium diuidere ſimoniaci ſunt. C.8. D.2. § 9. num. 2. pag.401

Canonicus non eximitur à labe ſimoniæ, nec excuſatur ratione ſtatuti, qui in receptione ſui in canonicatum aliquid ſoluit diſtribuendum inter cæteros canonicos. C.8. D.3. §.1. num.2. pag.411

Canonicus eximitur à tali labe, qui aliquid ſoluit in vtilitatem Eccleſiæ. Ibid. num.3.

Canonicus in foro externo ſubiaceret ſic ſoluens in vtilitatem aliorum canonicorum pœnis iuris. C.8. D.3. §.1. num.4. pag.412

CAPITALE in ſocietate, quandò vnus confert pecuniam, alter induſtriam non fit commune. C.7. P.3. n.2. p.6.

Capitale ſocietatis eſt æqualiter diuidendum, ſi ſocij æquè contulerint res, & induſtriam. C.7. P.15. n.1. p.27

Capitale attenta natura contractus reſtituendum eſt ei, qui illud contulit, & ſolum lucrum diuidendum. C.7. P.15. num.3. pag.29

Capitale neque ex pacto in ſocietatis diſſolutione diuidendum eſt, niſi nouo pretio compenſetur. C.7. P.15. n.4. p.30

Capitale attenta natura contractus ab vno collatum ipſi perit. C.7. P.15. num.6. pag.35

Capitale reſtituendum in diſſolutione contractus ſocietatis, ſi facta fuerit conuentio de determinato valore, reſtituendum eſt ſecundum valorem conuentum. C.7. P.18. n.3., & 4. pag.34

Capitale, ſi nulla facta eſt conuentio, reſtituendum eſt ſecundum valorem tempore diſſolutionis contractus. C.7. P.18. num.5. pag.35

CARDINALES recipientes beneficia per ſimoniam confidentialem contrahunt pœnam excommunicationis, & interdicti. C.8. P.13. §.1. n.13. p.257

Cardinales ſimoniacè promoti priuantur. C.8. P.11. num.1. pag. 242

Cardinales ſimoniacè ordinantes contrahunt excommunicationem ipſo facto. C.8. P.13. §.3. n.36. p.267

CAVPONÆ depoſitarij obligantur etiam de leui. C.9. P.11. num.4. pag.472

CESSIO bonorum ſoluit ſocietatem. C.7. D.2. §.20. n.3. pag. 142

Ceſſio bonorum ad diſſoluendum debet eſſe adæquata. C.7. D.2. § 20. n.4. p.143

Ceſſio bonorum ad diſſoluendum non debet eſſe in fraudem ſocietatis. C.7. D.2. §.20. n.5. p.143

CLERICI validè, & licitè poſſunt contrahere ſocietatem quantum ex vi iuris communis, & naturæ ſocietatis. C.7. P.19. num.3. pag.19

Clerici conferentes pecunias titulo ſocietatis alijs ad negotiandum non ſubeunt pœnas iuris contra Clericos negotiantes. C.7. P.10. nu.3. p.19

COMMODATARII eſſe poſſunt, qui ex contractu obligari poſſunt. C.9. P.3. nu.8. p.440

Commodatarij eſſe poſſunt, qui ex contractu obligantur naturalitèr. C.9. P.3. nu.9. p.440

Commodatarius obligatur actione directa verſus commodantem, ſi moram præſtiterit in reddendo. C.9. P.4. n.2. pag. 443

Commodatarius poſt moram ex quocunque caſu tenetur de interitu rei. C.9. P.4. nu.3. p.443

Etiam ad quantum intereſt. C.9. P.4. nu.4. p.443

Commodatarius ex vi commodati tenetur de culpa etiam leuiſſima. C.9. P.4. n.5. p.444

Si commodatum fuerit in vtilitatem vtriuſque tenetur de leui. Ibid.

Si in vtilitatem ſolius commodantis de dolo, & de culpa lata. Ibid.

Commodatarius regularitèr non tenetur de caſu fortuito. C.9. P.4. num.6. pag.445

Excipe, niſi conuenerit etiam de iſto. Ibid. num. 7.

Item niſi caſus fortuitus contigerit poſt moram. Ibid. num. 8.

Commodatarius non tenetur de caſu fortuito etiam poſt moram, ſi ſit rationabilis præſumptio, quod commodans non ſit inuitus de mora. C.9. P.4. n.10. p.446

Commodatarius, ſi vſus fuerit re commodata ad alium vſum à ſibi conceſſo, tenetur etiam de caſu fortuito. C.9. P.4. num.11. pag.447

Commodatarius habet actionem contrariam, vt ſibi res vtilis tradatur, & non noxia. C.9. P.4. n.13. p.447

Commodatarius habet actionem ad expenſas extraordinarias per ſe ipſum factas in re commodata. C.9. P.4. n.17. pag. 449

Commodatarius habet aduerſus commodantem actionem contrariam vtilem, ſi rem arripuerit ante tempus, non tamen furtiuam. C.9. P.4. n.18. pag.449

Commodatarius habet actionem furtiuam aduerſus Dominum commodantem nomine ſerui, ſi hic iterum recipiat ſeruum, qui commodatum abſtulit. C.9. D.1. §.2. nu.3. pag. 482

Commodatarius, ſi equum petierit pro determinato loco ad quatuor dies inſumendos in itinere, & poſtea iter confecerit duobus, in quibus equus mortuus eſt, tenetur actione commodati verſus commodantem. C.9. D.1. §.3. num.3. pag.482

Commodatarius, ſi loco non expreſſo petierit equum pro itinere quatuor dierum, & ſecundo die perierit non tenetur actione commodati, niſi iter fuerit inſuetum. Ibid. num.4. pag.483

Commodatarius ex impotentia conſtitutus in mora non tenetur ad intereſſe, ſi nulla fuerit conuentio. C.9. D.1. §.8. num.3. pag.490

Secus, ſi fuerit conuentio. Ibid. n.2. p 489

Commodatarius, ſi non luat pignus ad tempus, ad quod commodauit, poteſt cogi, vt luat. Ibid. num. 5.

Commodatarius exigens à fure rem & pœnam, pœnam ſibi lucratur. C.9. D.1. § 12 num.2. pag.495

COMMODATOR exiſtens in pari neceſſitate cum commodatario quoad rem commodatam poteſt illam reuocare. C.9. P.4. nu.15. p.449

Commodator, ſi commodatarius pro tempore, vel expreſſo, vel tacito non vſus fuerit re ſibi commodata, poteſt eo elapſo ipſam reuocare. C.9. P.4. nu. 16. p.449

Commodator, ſi rem æſtimatam tradiderit, & poſteà arripuerit tenetur verſus commodatarium actione vindicatiua, & quandoque conditione ſine cauſa. C.9. P.4. n.19. pag. 450

Commodator habet contra commodatarium repugnantem rem receptam reſtituere vltra allegatas ciuiles actiones interdictum poſſeſſorium, & contra magis contumacem, & pulſatum actione directa in iudicio vſque ad definitiuam ſententiam actionem punitiuam in duplum. C.9. P.4. num. 20. pag.458

Commodator, qui duobus rem commodauit, ſi contrà vnum egerit, & ab illo conſecutus fuerit æſtimationem rei, debet cedere ei, contra quem egit, actionem aduerſus alterum. C.9. D.1. §.4. n.5. pag.485

Commodator, ſi res commodata fuerit furto ſublata, & vnus ex commodatarijs furto egerit aduerſus furem debet ipſum ſolum, qui egit, conuenire. C.9. D.1. §.4. n.6. pag. 485

Commodator domus, & argenti apponens ex ſe cuſtodiam pro tempore, quo commodatarius erat ibi permanſurus non liberat commodatarium ab onere cuſtodiæ, & ſi res pereat, perit commodatario. C.9. D.1. §.5. n.3. p.485

Commodator apponens cuſtodiam commodato ex conuentione, cum ibi commodatarius non eſſet permanſurus, ſuſtinet periculum, ſi res illa pereat. C.9. D.1. § 5. n.4. p.486

Commodator, ſi ad inſtantiam commodatarij deſtinauerit cuſtodem, ſed non fidum ſuſtinet in ſe periculum. Ibid. n.5

Commodator non poteſt repetere rem ante tempus, ad quod commodauit. C.9. D.1. §.12. num.4. pag.494

Commodator habet actionem commodati aduerſus maritum, ſi maritus fuerit in culpa etiam leuiſſima furti ab vxore commiſſi, & furti aduerſus vxorem. C.9. D.1. §.13. num.2. pag.496

Commodator non habet actionem agendi æquè primo contrà maritum, ac contrà vxorem, ſi maritus fuerit ſoluendo. C.9. D.1. §.13. n.3. p.496

Commodator facto diuortio, vel præmortuo marito poteſt immediatè actione furti agere aduerſus vxorem, quæ rem commodatam ſurripuit. C.9. D.1. §.13. n.4. p.496

Commodator concedens arma perſonæ, quam ex qualitate nouit procliuem ad maleficia, vel nouit fouere inimicitiam regularitèr tenetur ad damna inde ſecuta ſubſidialitèr. C.9. D.1. §.14. nu.2. pag.497

Secus, ſi non præuidit maleficium. Ibid.

Commodator in dubio præſumendus eſt conceſſiſſe animo recto. C.9. D.1. §.14. num.4. pap.498

COMMODATVM vndè dictum, & quid ſit. C.9. P.1. n.1, & 2. pag.434

Commodatum poteſt eſſe æquè de rebus mobilibus, & immobilibus, & etiam incorporeis. Ibid. num.3.

Commodatum eſſe nequit de re aliena, & de re vſu conſumptibili ad eum vſum, ex quo ſequitur conſumptio. C.9. P.1. n.4. pag.434

Commodatum non eſt cum tranſlatione dominij, nec vſus fructus. C.9. P.1. nu.5. p.435

Commodatum debet eſſe gratuitum. C.9. P.1. n.6. p.435

Commodatum differt à precario, depoſito, & mandato. C.9. P.1. nu.7. p. 435

Commodatum multiplicitèr diuiditur, & quomodò. C.9. P. 1. num. 8. pag.436

Commodatum non ſolum eſt contractus, ſed etiam nominatus. C.9. P.2. nu.1. p.436

Commodatum mediat inter contractus oneroſos, & donationes. C.9 P.2. nu.2. pag.437

Commodatum eſt contractus bonæ fidei, non ſtricti iuris. C.9. P.2. nu.3. p. 437

Commodatum de iure communi non perficitur, niſi re. C.9. P.2. num.4. pag.437

Commodatum de iure municipali in Regno Caſtellæ perficitur etiam conſenſu. C.9. P.2. nu.5. p.438

Commodare poſſunt, qui poſſunt contrahere. C.9. P.3. num.4. pag.439

Commodatum parit actiones directas commodanti aduerſus commodatarium. C.9. P.4. n.1. p.442

Commodatum, ſi pereat culpa deferentis, dum à commodante res dimittitur ad commodatarium in adimplementum contractus, perit commodanti, ſi deferens eſſet famulus commodantis, vel deſtinatus ab eodem. C.9. P.5. num.2. pag.452

Commodatum, ſi pereat tempore diſſolutionis contractus culpa deferentis à commodatario ad commodantem, & deferens fuerit famulus commodatarij, vel deſtinatus ab eodem perit commodanti, niſi deferens non fuerit idoneus. C.9. P.5. num. 3. pag.452

Commodatum, ſi fuerit in gratiam ſolius commodatarij præferendum eſt in æquali periculo rebus proprijs eiuſdem valoris eiuſdem commodatarij. C.9. P.7. n.2. p.458

Commodatum, ſi fuerit in gratiam vtriuſque, & fuerit æqualis valoris non præferendum rebus proprijs. C. 9. P.7. num.2. pag.458

Commodatum à fure concurrente domino, & probante rem eſſe ſuam eſt reſtituendum Domino, non furi. C. 9. D.1. §.1. num 2. pag.479

Commodatum à fure poteſt reuocari à Domino ante tempus conceſſum. C.9 D.1. § 1. n.3 pag.480

Etiam, ſi commodatarius iam inceperit vſum talis rei. C.9. D.1. § 1. nu.4. p. 480

Commodatum in indiuiduo factum duobus quoad obligationem primitiuam ligat eos dumtaxat pro rata. C.9. D.1. §.4. num.2. pag.484

Commodatum rei indiuiduæ factum duobus quoad obligationem ſecundariam ex culpa, & dolo obligat vtrumque in ſolidum, ſi vterque deliquerit, ſi alter tantum deliquerit ipſum ſolum obligat pro toto. C.9. D.1. §.4. n.3. p.484

Commodatum rei indiuiduæ factum duobus, ſi ex furto tertiæ perſonæ pereat efficit, vt altero illorum agente ceſſet actio alterius. C.9. D.1. §.4. nu.4. p.484

Commodatum eſt reportandum expenſis commodatarij, ſi ita conuentum fuerit, vel ità conſuetum. C.9. D. 1. §.9. num. 2., & 3. pag.491

Vbi nil eſt conuentum, & conſuetum conijciendum eſt. Ibid. num 4.

Commodatum regulariter reportari debet expenſis commodatarij. C.9. D.1. §.9. n.5. pag.492

Commodatum regulariter vſucapi non poteſt. C. 9. D. 1. §. 10. num. 2. pag. 492

Commodatum ad pignorandum ſubſiſtit in ratione commodati. C.9 D.1 §.11. nu.2. p.493

COMPENSATIO, quando capitale collatum ab vno in ſocietate eſt ex pacto diuidendum inter ſocios, quomodò ſit facienda. C.7. P.15. nu.5. pag.51

Compenſatio negligentiæ in quibuſdam per maiorem diligentiam in alijs in eodem contractu ſocietatis non ſit. C.7. D.1. §.22. n. 3. p.107

Compenſatio pro debito liquido poteſt fieri per commodatarium in re commodata. C.9. P.6. nu.6. p. 457

Compenſatio huiuſmodi non eſſet proprie compenſatio, ſed detentio ad modum compenſationis. Ibid.

CONCIO, prout eſt inſtructio in ordine ad ſupernaturalem beatitudinem eſt materia ſimoniæ. C.8. P.14. n.4. p.287

CONSVETVDO laudabilis quænam ſit. C.8. D.1. §.9. n.1. pag. 343

Conſuetudo legitima aliquid erogandi in Sacramentorum adminiſtratione ſeruanda eſt. C.8. D.1. § 9. n.2. p.343

Conſuetudine legitime inducta poſſunt compelli laici ad illam ſeruandam. C.8. D.1. §.9. num.3. pag. 344

Conſuetudo, vt ſit pia, quid exigat. C.8. D. 1. §.9. n.4. p.345

Conſuetudo, vt ſit legitima debet eſſe decennalis. C.8. D.1. §.9. num.5. pag.346

Conſuetudo pia in hac hypotheſi non poteſt tolli per laicale ſtatutum. C.8. D.1. §.9. num.6. pag.346

Conſuetudo huiuſmodi poteſt tolli per Pontificem, vel per Epiſcopum in ſua Diœceſi. C.8. D.1. §.9. n.7. p 346

Conſuetudo laudabilis exigendi aliquid pro adminiſtratione Sacramentorum non tribuit ius exigendi anticipatè, ita vt, ſi adminiſtrans nolit adminiſtrare ſine alia ſolutione peccat. C.8. D.1. §.10. n.2. p.347

Non tamen contrahit ſimoniam. Ibid. num.3.

Conſuetudo, qua adminiſtratores Altaris priuilegiati exigunt maius ſtipendium ob rationes annexas, non eſt ſimoniaca. C.8. D.2. §.11. nu.5. pag.406

CONTRACTVS innominatus, quo quandòque traduntur pecudes. C.7. P.26. num. 2. pag.57

Contractus venditionis modificatæ, in quo conſiſtat. C.7. P. 26. num.4. pag.57

Contractus ſocietatis quandonam diſſoluatur. C. 7. P. 26. num. 14. pag.61

Contractus *à goder à goder*, quomodò contrahatur. C.7. P.29. nu.2. pag.72

Contractus *a goder à goder*, quo per alterum tribuenti pecuniam

INDEX RERVM.

quam confertur res fructifera ſiuè naturaliter, ſiuè ciuiliter, adeò vt recipiens rem illam fructiferam gaudeat vſu illius rei, eſt contractus omninò vſurarius. C.7. P.29. num. 3. pag 72

Contractus *à goder à goder* conceptus ſub his terminis, vt ille, qui dat pecuniam, & recipit rem fructiferam, intelligatur quodammodò illam emere ſub ea conditione, vt ipſe vendens poſſit illam redimere ſub eodem pretio, non eſt illicitus, ſi debitæ ſeruentur conditiones. C. 7. P.29. num.4. pag.72

Enumerantur conditiones requiſitæ ad eſſe licitum talis contractus. C.7. P.29. num.5. pag.73

Contractus *à goder à goder* initus per modum emptionis cenſus de iure poſitiuo eſt illicitus. C.7. P.29. n.6. pag.73

Contractus huiuſmodi, ſi non appareat modus, quo eſt initus, iudicandum eſt iuxtà conſuetudinem. C.7. P.29.n.7. pag. 74

Contractus initus inter mercatorem, & miniſtrum, quo ille aſſignauit ſibi partem aliquotam lucri ex negotiatione acquirendam deducto capitali eſt potius locatio, quam ſocietas. C.7. D.1. §.1.n.3. pag.75

Contractus ſocietatis officij, ſecundum quem per Officialem ſunt conferendi ſocio omnes fructus, tàm prout correſpondent officio, quàm labori, non ſuſtinetur in vim ſocietatis. C.7. D.3. §.6. num.3. pag.159

Suſtinetur tamen in vim venditionis omnium fructuum. C.7. D.3. §.5. num. 4. pag.160

Contractus, quo periculum animalis transfertur in conductorem, ſeù ſocium non definit eſſe locatio, & ſocietas. C.7 D.4.§.2 n.2. pag.170

Contractus ille ex natura ſua ſubſiſtit, ſi reſeruato capitali domino ſint fructus diuidendi, & fructus, qui tribuuntur ſocio, vel conductori adæquent operas, & periculum. C.7.D.4. §.3.n.3. pag.172

Contractus ille ſic initus non tranſit in mutuum. Ibid.nu.4.

Contractus, quo quis dat bouem nutriendum ad annum cum pacto, vt reddito valore conferenti reliquum diuidatur non eſt iniuſtus, ſi accipiens non obligetur ad ſupplendum, ſi animal deterioretur in valore ſine ſua culpa. C.7. D.4. §.3. n.3. pag.173

Contractus ſimoniacus propriè ſumptus eſt ſecundum ſe nullus. C.8. P.4. n.2. pag.198

CREDITORES ex alio titulo non poſſunt agere aduerſus debitorem quoad ea bona, quæ ei ex priuilegio, quo gaudet, fuerunt relicta à ſocio creditore. C. 7. D. 1. §. 17. num.3. pag.99

Creditorum iura in ordine ad debitorem impotentem non extinguuntur, ſed non reducuntur ad actum ex vi impotentiæ. C.7. D.17. num.5. pag.100

Creditor ex ſocietate præferendus eſt cuilibet alij creditori ex alia cauſa nedum in bonis ſocietatis, ſed etiam in lucris eiuſdem. C.7. D.1 §.18. nu.5. p.102

Creditor ex ſocietate in bonis dubijs, an fuerint ſocietatis, necne non excludit alios creditores ex alia cauſa, niſi præueniat. C.7. D.1.§. 18.n.6. p.102

Creditor ex ſocietate in bonis ſocij debitoris, quæ bona ipſius fuerint ex alia cauſa à ſocietate non excludit creditores anteriores. C.7. D.1.§. 18.n. 8. p.102

CVLPA multiplex, & qualis. C.7. P.4.nu.2. pag.7

Culpa lata, & leuis obligat ſocium erga ſocios. C. 8. P. 4. num.3. pag 7

Non tamen leuiſſima. Ibid.

Culpa iuridica, & Theologica, ex qua obligatur ſocius. C.7. P. 4. num. 5. pag.8

Culpa Theologica connectitur ſecundum ſe cum actione peccaminoſa. C.9. P.4. nu. 5. pag.8

Culpa leuis obligat commodatarium, quando commodatum eſt in vtriuſque vtilitatem. C.9. P.4.n.5. P.445

Culpa leuiſſima, quando eſt in vtilitatem ſolius commodatarij. Ibid.

Culpa lata quandò eſt in vtilitatem ſolius cõmodantis. Ibid.

D

DAMNA, quæ Pater viuens contulit in bonis aduentitijs filij, non ſunt computanda in diuiſione cum cæteris fratribus. C.7. P.27. num.16. pag.65

Damna contingentia in negotiatione per vnum ex fratribus exercita communi nomine ſunt communia. C. 7. P.27. num. 20. pag.66

Niſi negotiatio fuerit inſolita, & imprudens. Ibid.

DEBITOR ex ſocietate, qui ex priuilegio non obligatur, niſi ad id, quod commodè poteſt regulariter poſteà non eximitur ab onere integræ ſatisfactionis, ſi fiat pinguior. C.7. P.7. nu. 2. pag.12

Debitor ſoluens tantum, quantum commodè poteſt, præſtare debet cautionem iuratoriam. C.7. P.7. n.3. pag.13

Debitor ex ſocietate non poteſt gaudere tali priuilegio, quandò creditor ſeclusſo eo, quod ipſi debetur ex ſocietate, non haberet competentem ſuſtentationem. C. 7. P.8. num. 1. pag.14

Debitor poteſt gaudere, quandò creditor aliunde haberet congruam ſuſtentationem. C.7. P.8. n.2. pag.14

DEBITVM contractum ab vno fratrum poſt obitum Patris, ſi fuerit conuerſum in commune commodum eſt de communi ſoluendum, ſecus, ſi conuerſum in priuatum. C.7 D.4. §.7. n.3., & 4. pag.178

Debitum contractum ab vno fratrum in dubio, an in commune, an in priuatum commodum ſit conuerſum, transfert onus probandi in eum, qui illud contraxit. C.7. D.4. §.7. num.5. pag.178

Debitum ſic contractum in contentione inter creditorem, & fratres, in quem vſum ſit conuerſum, transfert onus in creditorem probandi. C.7. D.4 §.7. n.6. p.179

Debitum tempore neceſſitatis ſopitum remanet, non extinctum. C.7. P.7. num.2. pag.12

DELEGATIO poteſtatis aſſiſtendi matrimonio facta altera à Parocho pacto, vt ſi aliquid per contrahentes conferatur ipſi delegato cedat delegant tanquam pretium poteſtatis delegatæ eſt ſimoniaca. C.8. P.16. n.3. p.292

Secus, ſi fiat reſeruato iure ad id, quod dabitur tanquam extraordinarium emolumentum. C. 8. P.16. num. 3. pag.292

DEPONENS præfertur cæteris omnibus creditoribus etiam anterioribus. C.9. D.2. §. 10. n. 2. p.512

Niſi ipſe exegerit vſuras. Ibid. num.3.

Deponens ille præferendus eſt in concurſu plurium deponentium, cuius res extat. C.9. D.2. §.10. n.4. p.51.

Deponens, qui immiſſus fuit in poſſeſſionem, alterum debet audire, ſi reſtituat ſumptus illi, qui fuerat miſſus. C. 9. D.2. §.10. num. 5. pag.513

Deponens aduerſus depoſitarium habet executionem paratam. C.9. D.2. §.10. n.7. pag.513

Deponens non habet hoc priuilegium in depoſito ſolum confeſſionato. Ibid. num. 8.

Niſi per depoſitarium eſſet renuntiatum exceptioni non numeratæ pecuniæ. Ibid. num.9.

Deponens habet priuilegium, vt eidem non obſit exceptio tertij. Ibid. num. 10.

Niſi bona deponentis eſſent ob enorme delictum confiſcata. Ibid. num. 11.

DEPOSITARIVS ſecundum ſe non tenetur, niſi ex dolo, & culpa lata, non leui. C.9. P.11. n.3. pag.472

Depoſitarij tenentur etiam de leui, & leuiſſima, ſi adhoc ſe obligauerint. C.9. P.11.nu.5. p.472

Item, ſi ſe obtulerint ad ſeruandũ depoſitum. Ibid.n.6.

Item, ſi mora in reſtituendo culpam præceſſit. Ibid.n.7.

Depoſitarius neque ex conuentione poteſt eximi à dolo. C.9. P.11. num.8. pag.472

Depoſitarius non excuſatur à reſtitutione depoſiti, neque titulo compenſationis, neque ex eo, quod ſit filius familias, nec ſeruus. C.9. P.11. n.11., & 12. p.473

Neque ex eo, quod res ſit litigioſa, nec ex eo, quod alius velit ſequeſtrare. Ibid. nu. 13., & 14.

Depoſitarius excuſatur à reſtitutione depoſiti ex quatuor cauſis, & quibus. C.9. P.11. n.15. p.473

Depoſitarius poteſt detinere rem depoſitam, donec ſatisfiat pro expenſis. C.9. P.11. n. 16. p.474

Depoſitarius non poteſt vti re depoſita, & ſi vtatur cum damno ſubijcitur actioni depoſiti, & furti. C.9. P. 12. num.2. pag.475

Digitized by Google

INDEX RERVM.

Depoſitarius vtens re depoſita in tribus caſibus non peccat, & quibus. C.9. P.12. n.3. p.475

Depoſitarius gaudet vſu rei depoſitæ, ſi hæc tranſeat in mutuum, ſeù commodatum. C.9. P.12. n.4. p.476

Depoſitarius tenetur rem reſtituere exigente deponente, etiam ſi hic velit inſumere in vſus illicitos non contra iuſtitiam. C.9. P.13. n.2. p.478

Depoſitarius poſt commiſſum delictum bona fide, & ex ignorantia reſtituens rem depoſitam bannito liberatur à quocunque onere. C.9. D.2. §.1. n.2. p.498

Si ſcienter reſtituerit bannito non liberatur ab onere verſus Fiſcum. C.9. D.2. §.1. n.3. p.499

Depoſitarius, qui fraudauit gabellas in mercibus apud ſe depoſitis, & ſoluit aliquid proprio inimico, ne eum detegeret, poteſt ſolutum repetere a deponente. C.9. D.2. §.6 num.2. pag.507

Dummodò tamen ſolutum non excederet id, quod in ſolutione vectigalium fuiſſet ſoluendum. Ibid.

Depoſitarius mortuo deponente, & pluribus contendentibus de hæreditate poteſt rem depoſitam apud ſe detinere, donec per Iudicem declaretur hæres. C.9. D.2. §.8. n.2. pag. 510

Depoſitarius non conſtante de maiori iure alicuius poteſt reſtituere alteri illorum, cui velit, ſi præſtat cautionem de ſe defendendo ab altero. Ibid. num.3.

Depoſitarius, ſi per Iudicem vtrique adiudicetur hæreditas, vtrique reſtituenda eſt, ſi poteſt, ſin autem, alteri eorum præſtita cautione. C.9. D.2. §.8. n.4. p.510

Depoſitarius nullo ex contendentibus ad hæreditatem cautionem dare volente deponere debet rem auctore Iudice in æde publica. C.8. D.2. §.8. n.5. p.511

Depoſitarius, qui dolum commiſit in venditione rei depoſitæ, ſi illum retractat per recuperationem eiuſdem, & poſtea res illa pereat tenetur de dolo. C.9. D.2. §.9. n.2. pag. 511

DEPOSITIO lata eſt contra ſimoniacos reales in beneficio. C.8. P.13. S.2. n. 25. p.264

Depoſitio propter ſimoniam realem eſt de omni officio, & beneficio. C.8. P.13. S.2. n.26. p.164

Depoſitio à beneficio differt à ſuſpenſione per hoc, quòd illa dicat priuationem proprietatis, iſta verò tantum ab vſu, depoſitio verò ab ordine differt à ſuſpenſione, quod illa ſit indiſpenſabilis, hæc diſpenſabilis. C.8. P.13. S.2. num.27. pag.264

Depoſitio contrà ſimoniam non eſt pœna latæ, ſed ferendæ ſententiæ. C.8. P.13. S.2. nu.28. p.264

Depoſitio non imponitur, niſi delinquens fuerit confeſſus delictum in iudicio. C.8. P.13. S.2. n.29. p.265

Depoſitio lata eſt contrà ſimoniacos in ordine. C.8. P.13. S.3. num.49. pag.273

DEPOSITVM quid ſit. C.9. P.8. n.2. p.460

Depoſitum aliud regulare, aliud irregulare. C.9. P.8. n.3. pag. 461

Depoſitum ex quibus dignoſcatur regulare, vel irregulare. C.9 P.8. num.4. pag.461

Depoſitum aliud neceſſarium, aliud voluntarium, C.9 P.8. num 5. pag.462

Depoſitum aliud ſequeſtrum, aliud ſimplex. C.9. P.8. n.6. pag. 463

Depoſitum eſt contractus nominatus. C.9. P.9. n.1. p.464

Eſt contractus bonæ fidei non ſtricti iuris. Ibid. nu.2.

Depoſitum perficitur traditione. C.9. P. 9. n. 3. p.465

Depoſitum eſt contractus ſecundum quid gratuitus. C. 9. P.9. num. 4. pag.465

Depoſita ciſta, arca & capſa, in quibus continentur pecuniæ, & continentia, & contentum ſunt materia depoſiti. C.9. P.10. num.4. pag.467

Depoſitum actiue poſſunt inire quicunque poſſidentes. C.9. P.10. num.5. pag 467

Depoſitum quantum ad effectum vindicandi rem depoſitam poteſt fieri cuicunque etiam ante vſum rationis, non verò quantum ad effectum agendi ex dolo. C.9. P. 10. num.6. pag.467

Depoſitum poteſt fieri duobus ad effectum obligandi vtrumque. C.9. P.10. nu.7. pag.468

Depoſitum factum Religioſo, vel Clerico valet non quantum ad obligandam Eccleſiam, ſeù Monaſterium, niſi fuerit conuerſum in vtilitatem Eccleſiæ, ſeù Monaſterij, ſed quantum ad effectum obligandi eundem Clericum, ſi ſit ſoluendo, vel Religioſum non actione depoſiti, ſi res eius culpa perierit, ſed rei vendicatiua, ſi adhuc apud ipſum exiſtat. C.9. P.10. nu 8. pag.469

Depoſitum quomodo dignoſci poſſit conuerſum in vtilitatem Eccleſiæ, ſeù Monaſterij. C.9. P.10. n.9. p.470

Depoſitum debet poſſe reuocari ad nutum deponentis. C.9. P.10 num.2. pag 466

Depoſitum factum in gratiam ſolius depoſitarij ipſum obligat etiam de leuiſſima, ſi in vtilitatem vtriuſque etiam de leui. C.9 P.11. n 9. p.472

Depoſitum tranſit in mutuum, ſi concedatur vſus, per quem res conſumatur, in commodatum, ſi non conſumatur. C.9. P.12. num.5. pag.476

Depoſitum vni commiſſum, ſi tranſeat ad plures hæredes omnes obligantur in ſolidum, ſi in omnes deuenit, ad ratam, ſi per partes. C.9. P.13. n.3. p.479

Depoſitum in concurſu creditorum eſt reſtituendum deponenti quantumuis poſteriori. C.9 P.13. n.4. p.479

Depoſitum factum ea conditione, vt ſi aliquid deponenti acciderit, tradatur tertiæ perſonæ non eſt eidem tradendum, niſi in caſu mortis naturalis deponentis. C.9. D.2. §.2. num.3. pag.500

In caſu mortis ciuilis cum confiſcatione bonorum debetur fiſco. C.9. D.2. §.2. n.4. p.505

Depoſitum factum penes dominum ignorantem non ſubſiſtit in ratione depoſiti. C. 9. D.2. § 4. n.2. p.503

Depoſitum penès dominum ignorantem, & ab eodem ignoranter reſtitutum poteſt cognita ſuitate rei per eundem repeti. C 9. D.2. §.4. n.3. p.503

Et hoc, vel actione vindicatiua, ſi res extat, vel ſuretiua, ſi non extet. Ibid. num.4.

Depoſitum factum auctore Iudice penès tertiam perſonam liberat depoſitarium a debito. C 9. D.2. §.11. n.3 p.514

Et habet vim ſolutionis, Ibid. & conditiones &c. ibid.

Depoſitum factum citata parte ex decreto Iudicis transfert periculum in eum, contrà quem tale depoſitum factum eſt. C.9. D 2. §.11. n.4. p.519

Depoſitum muſcale quid ſit. C 9. D 2. §. 12. n.1. p.515

Depoſitum muſcale vitat pœnam, & moram. C. 9. D.2. § 12. num, 2. pag 515

Numerantur caſus, quibus eximitur à pœna. Ibid. n.3.

Depoſitum muſcale efficit, quod debitor de certa ſumma, & ſimul de incerta non liberetur ſoluendo certam cum fideiuſſione pro incerta, ſed vlterius debet quid ponere. C 9. D.2. §.12. nu 4. p.416

Depoſitum muſcale ſufficit quoad vitandam pœnam & moram, non autem quoad redimendum pignus. C. 9. D. 2. §.12. num.5. pag. 516

Depoſitum factum abſenti regulariter poteſt reuocari. C. 9. D.2. §.13. n.2. pag. 516

Dummodo non facta fuerit publica ſtipulatio. Ibid. num, 5. pag.517

Depoſitum factum per aliquem pro ſecuritate dotis vxoris ſuæ poteſt reuocari. C.9. D.2. §.13. n. 4. p.417

Depoſitum factum in fauorem tertiæ perſonæ abſentis pro caſu turpi poteſt reuocari. Ibid. num. 5.

DIES quindecim conuenti, vt ſocius officij poſſit nominare aliam perſonam ſunt computandi à die poſt celebratum contractum. C.7. D.3. §.6. n.3. p.160

Dies vltima computatur in termino, ſi dictum fuit intrà quindecim dies. C.7. D.3. §.7. n.4. p.163

Dies debent eſſe continui quamuis non vtiles. C.7. D.3. §.7. num.6. pag. 163

DIMMINVTIO capitis quid, & quotuplex ſit. C.7. D.2. §. 19 num. 2. pag.140

Dimminutio capitis quos pariat effectus. Ibid. num.3.

Dimminutio capitis minima non ſtat cum quacunque ſtatus mutatione, ſed requirit, vt fiat facto hominis. Ibid. nu. 4.

DISDICTA quid proprie ſit, & vndè dicta. C. 7. P. 14. num.1. p.58

Diſdicta præfigitur terminus dierum quindecim, poſt quos officia-

officialis debet ſortem reſtituere, vel deponere. C. 7. P. 24. num. 2. pag. 52
Diſſidcta in ſocietatibus officiorum, quas conditiones habere debeat. Ibid.
Diſſidcta poteſt etiam fieri per Procuratorem ſocij exhibito mandato. Ibid. num. 3. pag. 52
Diſſidcta debet denuntiari ipſi officiali, in ſubſidium ipſius Procuratori habenti mandatum vendendi. C. 7. P. 24. num. 6. pag. 53
DISPENSATIO Papæ requiritur, vt beneficium ſimoniacè obtentum poſſit detineri. C. 8. P. 13. S. 6. n. 66. p. 280
Diſpenſatio Papæ requiritur non obſtante, quod beneficium ſimoniacè fuerit receptum ignorante beneficiario. C. 8. P. 13. S. 6. num 6. pag. 280
Diſpenſatio Papæ requiritur, etiam ſi beneficiarius ratam non habuerit ſimoniam. C. 8. P. 13. S. 6. n. 68. p. 280
Diſpenſatio Papæ requiritur, etiam ſi delictum fuerit occultum. C. 8. P. 13. S. 6 nu 69. p. 280
Diſpenſatio Papæ etiam requiritur, ſi beneficium fuerit ſimplex, ſi ipſe ſimoniam commiſerit, ſecus ſi alter ipſo ignorante. C. 8. P. 13. S. 6. n. 70. p. 281
Diſpenſatio Papæ omnino requiritur, vt pretium ſimoniacè obtentum poſſit detineri. C. 8 P. 13. S. 6. n. 72. p. 281
Diſpenſatio Papæ etiam requiritur, vt pretium pro ingreſſu in Monaſterium receptum detineri poſſit. C. 8. P. 13 S. 6. num. 72. pag. 281
Diſpenſatio immediatè facienda à Papa in ſimilibus non exigit certam verborum formam. Ibid. p. 282
Diſpenſatio in impedimentis matrimonialibus eſt materia ſimoniæ. C. 8. P. 27. nu. 4. pag. 293
Id quod erogatur in huiuſmodi diſpenſationibus non eſt pro ipſis, ſed pro labore, & ſuſtentatione officialium. C. 8. P. 27. n. 4. p. 293
Diſpenſationes in votis, & iuramentis, quæ fiunt à Prælatis inferioribus Papa pro pretio ſunt ſimoniacæ. C. 8. P. 22. num. 1. pag. 305
Diſpenſationes, quæ fiunt à Romano Pontifice non ſunt ſimoniacæ, quia illud pretium non erogatur pro ipſis diſpenſationibus formaliter, ſed ob miniſtrorum ſuſtentationem. C. 8. P. 22. n. 2. p. 305
Diſpenſationes huiuſmodi, ſi per Romanum Pontificem fierent formaliter pro pretio eſſet ſimoniacæ. C. 8. P. 22. num. 3. pag. 305
Diſpenſationes quoad ea, quæ iuriſdictionis mere temporalis ſunt non ſunt materia ſimoniæ. C. 8. P. 22. n. 5. p. 306
DIVISIO ſocietatis omnium bonorum facienda eſt de omnibus repertis præter nomina debitorum, venena, libros prohibitos, & malè acquiſita. C. 7. D. 2. S. 24. n. 3. p. 149
Diuiſio ſimplicis ſocietatis facienda eſt de bonis collatis, & reſpectiuè de lucris inde acquiſitis. C. 7. D. 2. S. 24. n. 3. pag. 14
Diuiſio rerum indiuiduarum quomodò ſit facienda. Ibid. n. 4.
Diuiſio quomodò facienda ſit ſocio abſente. C. 7. D. 2. S. 24. num. 7. pag. 150
DOLVS obligat ſocium erga alios ſocios. C. 7. P. 4. n. 3. p. 7
Dolus quantumuis præcedens ex diſpoſitione iuris eſt culpabilis. C. 9 D. 2. S. 9. n. 2. p. 518
Dolus influit in caſum. C. 9. D. 2. S 9. n. 3. p. 518
DOMINIVM propriè ex vi ſocietatis non abdicatur à conferente, ſed fictione iuris ſit omnibus ſocijs commune. C. 7. P. 3. nu. 2. pag. 6
Dominium non transfertur in commodato. C. 9. P. 1. nu. 5. pag. 435
DONATIO non venit ſub ſocietate indefinitè contracta. C. 7. D. 1. S. 2. nu. 4. pag. 76
DOS vxoris ſocij omnium bonorum durante matrimonio quoad vſumfructum communicatur. C. 7. P. 25. n. 5. p. 55

E

ELECTIO ſimoniaca ad officia Religionum Abbatis, Præpoſiti, & Guardiani, Prouincialis, & Generalis non eſt ipſo iure irrita. C. 8 P. 9 n. 4. p. 234
Electio Auditoratus, & Clericatus Cameræ Apoſtolicæ ſimoniacè facta non eſt ipſo iure irrita. C. 8. P. 9. n. 5. p. 234
Electio Inquiſitoris, & Vicarij Generalis ſimoniaca non eſt irrita. C. 8. P. 9. num. 6 pag. 234
Electio ſimoniaca in Epiſcopum, & Cardinalem eſt ipſo iure irrita. C. 8. P. 11. nu. 1. p. 242
Electio ſimoniaca Romani Pontificis ſiſtendo iniurium definitione probabilius eſt nulla. C. 8. P. 11. n. 2. p. 243
EMANCIPATIO filij familias non diſſoluit ſocietatem initam cum eodem filio familias antecedenter ad emancipationem, niſi partes velint. C. 7. D. 1. S. 19. n. 2. p. 103
Emancipatio non confert ius non conferendi bona caſtrenſia. C. 7. D. 2. S. 6. nu. 6. pag. 128
Emens ſimoniacè rem ſpiritualem non peccat contra iuſtitiam. C. 8. P. 3. nu. 2. pag. 193
Emphytheuſis differt à ſocietate, & quomodò. C. 7. P. 1. num 4. pag 3
EPISCOPVS, & Prælatus, qui ex officio diſtribuere debent beneficia quamuis habeant annexum commodum non poteſt exigere pretium, nec illud retinere. C. 8. P. 5. num. 12. pag. 209
Epiſcopus non poteſt exigere, nec retinere pretium pro beneficio in compenſationem pro emolumento, quod determinatæ perſonæ conferre non tenebatur. C. 8. P. 5. num. 13. pag. 210
Epiſcopus, qui decedente Eccleſiæ Rectore Eccleſiam ſubijcit interdicto donec pecunia ſibi ſoluatur ſubiacet pœnæ duplicata reſtitutionis. C. 8. P. 7. nu. 15. p. 217
Epiſcopus ordinans ſimoniacè incurrit ipſo facto excommunicationem. C. 8. P. 13. S. 3. n. 34. p. 266
Epiſcopus incurrit talem excommunicationem, ſiuè ſimoniacè ordinet in ſacris ordinibus, & Epiſcopali, ſiuè etiam in minoribus, & prima tonſura. C. 8. P. 13. S. 3. n. 3 p. 267
Epiſcopus incurrit talem excommunicationem, ſiuè pretium receperit ante, ſiuè poſt collationem. C. 8. P. 13. S. 3. num. 37. pag. 267
Epiſcopus conferens ordines per ſimoniam realem primo ſuſpenditur à collatione quorumcumque ordinum, ſecundò ab executione omnium Pontificalium, tertio ab ingreſſu in Eccleſiam. C. 8 P. 13. S. 3. n. 38 p. 268
Epiſcopus conferens ordines ſimoniacè, ſi contra ſuſpenſionem, & interdictum veniat contrahit ſuſpenſionem à regimine, & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, & fructuum perceptione. C. 8. P. 13. S. 3. n. 40. p. 269
Epiſcopus conferens beneficium accepta à beneficiario ficta promiſſione de ſolutione pretij committit ſimoniam mentalem non conuentionalem. C. 8. D. 1. S 1. n. 3. p. 331
Epiſcopus, qui accepto pretio ficte pro ipſa collatione beneficij non tenetur poſteà illud conferre, tenetur tamen ad reſtitutionem pretij. C. 8. D. 1 S 1. n. 6. p. 332
Epiſcopus conferens beneficium ſuo famulo ad implendam obligationem antidoralem ex obſequio temporali non committit ſimoniam. C. 8. D. 3. S 11. n. 3. p. 425
Etiam, ſi verbis exprimat ſe conferre ex tali obligatione, & petat vt remittatur illa obligatio. C. 8. D. 3. S. 11. num. 4. p. 426
Epiſcopus conferens beneficium, vt beneficiarius ex obligatione antidorali præſtet obſequia non eſt ſimoniacus. C. 8. D. 3. S. 12 num. 5. pag. 426
Epiſcopi etiam ſi fuerint Cardinales publicantes, ſeù concedentes Indulgentiam, ſeù facultatem eligendi confeſſarium ob quæſtum ſuſpenduntur ab ingreſſu in Eccleſiam, & à perceptione fructuum ſuarum Eccleſiarum. C. 8. D. 3. S. 12. nu. 2. pag. 428
Epiſcopis inferiores in hac hypotheſi excommunicantur. C. 8. D. 3. S. 12. num. 2. pag. 428
Epiſcopi ipſo facto incurrunt ſuſpenſionem quamuis publicet per alios. C. 8. D. 3. S. 12. n. 4. p. 428
Miniſtri publicantes nomine Epiſcoporum non contrahunt excommunicationem. C. 8. D. 3. S. 12. n. 5. pag. 428
Epiſcopi non contrahunt ſuſpenſionem, ſi mandauerint publicari, & publicatio facta non fuerit. C. 8. D. 3 S. 12. num. 6. pag. 428
ERROR, quo commodans exiſtimat commodatarium eſſe ſeruum, cum ſit liber non tollit actionem illius in hunc. C. 9. D. 1. S. 6. num. 2. pag. 487

Aa 5

INDEX RERVM.

Æs alienum, ſiuè in ſocietate ſingulari, ſiuè in ſimplici ad quæſitum contractum ex cauſa ſocietatis eſt ſoluendum de communi, C. 7. D. 1. §. 13. n. 1., & 3. p. 109
Secus, ſi fuerit contractum ex cauſa particulari. C. 7. D. 1. §. 13. n. 4. pag. 110
Æs alienum contractum in ſocietate generali regularitèr ſoluendum eſt ex communi. C. 7. D. 1. §. 13. n. 5. p. 110
ÆSTIMATIO rei traditæ in ſocietatem ex duplici fine fieri poteſt, & quonam. C. 7. P. 26. n. 12. p. 61
Æſtimatio quandóque facit venditionem. Ibid.
Æſtimatio rei commodatæ non obligat commodatarium ex quocunque caſu. C. 9 P. 6. nu. 3. p. 456
EXCOMMVNICATIO lata contra ſimoniam confidentialem in beneficijs afficit ſolummodò beneficiarios recipientes, non autem reſignantes, nec mediatores. C. 8. P. 13. S. 1. num. 11. pag. 256
Excommunicatio lata contrà recipientes beneficia confidentialitèr extenditur etiam contrà Cardinales, nec per ipſam ceſſat pœna interdicti. C 8. P. 13. S. 1. n. 12. p. 257
Excommunicatio lata contrà ſimoniam confidentialem incurritur ſtatim, ac beneficium fuerit receptum etiam antequam confidentia exequatur. C. 8. P. 13. S. 1. nu. 13. pag. 258
Excommunicatio, & interdictum reſpectiuè incurruntur ipſo facto etiam proſcripta quacunque ſententia per receptionem beneficij, ſeù penſionis completam, non tamen incompletam. C. 8. P. 13. S. 1. n. 14. p. 259
Excommunicatio lata contra ſimoniam confidentialem non incurritur, quandò recipiens recipit cum animo illud poſteà reſtituendi danti, reſignans autem non confert illo animo. C. 8. P. 13. S. 1. n. 15. p. 259
Excommunicatio contrà ſimoniacos reales eſt latæ ſententiæ, & afficit vtrumque contrahentem, & mediatores. C. 8. P. 13. S. 2. n. 17. pag. 260
Excommunicatio contrà ſimoniam realem non afficit iatam habentes ſimoniacam collationem poſt receptum beneficium, antea autem ignorantes. C. 8. P. 13. S. 2. n. 18. p. 260
Excommunicatio non afficit ſcientes ſimoniam commiſſam in beneficijs, & non reuelantes, etiam ſi fuerint ex Rom. Cur. C. 8. P. 13. S. 2. n. 20. p. 261
Excommunicatio afficit vtrumque contrahentem, etiam ſi ſimonia non fuerit ſtatim completa, à tempore tamen complementi, non ante. C. 8. P. 13. S. 2. n. 21., & 22. p. 262
Excommunicatio, ſeù ſuſpenſio reſpectiuè lata contrà publicantes Indulgentias, & facultatem eligendi confeſſarium eſt latæ ſententiæ, non ferendæ. C. 8. D. 3. §. 12. n. 3. pag. 428
EXPENSÆ, quæ fiunt in bonis ſocietatis debent eſſe communes. C. 7. P. 12. n. 1. p. 22
Expenſæ in curatione ſocij, qui ex cauſa ſocietatis alio profectus eſt non debent fieri de bonis ſocietatis, niſi ipſa profectio fuerit, cauſa infirmitatis. C. 7. P. 13. n. 5. p. 24
Expenſæ, quæ fiunt ab vno ex ſocijs, non vt ſocius, ſed vt talis perſona non ſunt computandæ. Ibid.
Expenſæ rationabiles in vtilitatem ſocietatis ſunt ex communi faciendæ. C. 7. P. 14. n. 2. p. 25
Expenſæ in translatione rei depoſitæ ſunt faciendæ per deponentem, & etiam in translatione rei ad cuſtodiam. C. 9. P. 13. n. 1. p. 478

F

FAMVLVS deſtinatus à commodatario ad recipiendam rem commodatam, ſi non fuerit idoneus efficit, vt res pereat commodatario, ſecus ſi fuerit idoneus. C. 9. P. 5. num. 5. pag. 453
Famulus deſtinatus præcisè ad denuntiandum, & non ad deferendum non deobligat mittentem, ſi res ipſius culpa perijt. C. 9. P. 5. n. 4. p. 452
FIDEIVSSOR non gaudet priuilegio ſocij debitoris id tantum faciendi, quod commodè facere poteſt. C. 7. P. 10. num. 2. pag. 16
Fideiuſſor gaudet indirectè tali priuilegio, quandò tanquam defenſor ſocij debitoris iudicium loco, & nomine illius ſumpſit. C. 7. P. 10. nu. 3. pap. 16
Fideiuſſor gaudet, quandò conuentus denuntiat ſuo principali actionem contrà ſe intentatam. Ibid.
Fideiuſſor non gaudet priuilegio in caſu, quo ſocius debitor effugerit. C. 9. P. 10. n. 4. p. 17
Fideiuſſor eſt pro caſibus impotentiæ debitoris, non pro caſibus priuilegiorum eiuſdem. Ibid.
Fideiuſſio accedit quoad obligationes naturales. C. 7. D. 2. §. 10. n. 5. pag. 129
Fideiuſſor pro officiali in ſocietate officij, ſi ſoluerit pro eodem habet actionem aduerſus eundem non ſolum ad ſolutum, ſed etiam ad quantum intereſt. C. 7. D. 3. S. 11. num 4. pag. 166
Fideiuſſor non habet ius exigendi ſortem. C. 7. D. 3. S. 11. num. 3. pag. 166
Fideiuſſor in hac hypotheſi habet contrà officialem exceptionem paratam. C. 7. D. 3. S. 11. num. 4. pag. 166
FIDES ſupernaturalis ſiuè quoad actum, ſiuè quoad habitum, ſi eſſet abdicabilis, eſſet materia ſimoniæ. C. 8. P. 15. num. 1. pag. 289
Fidei ſupernaturalis exercitium in ordine ad excitandos alios eſt materia ſimoniæ. C. 8. P. 15. n. 2. p. 290
FILIVS familias per emancipationem præcisè non deſinit eſſe ſocius ſocietatis ante contractæ. C. 7. D. 1. §. 19. n. 2. pag. 103
Filius familias poſt emancipationem durans in ſocietate non nouat, ſed continuat in eadem. C. 7. D. 1. §. 19. n. 3. pag. 103
Filius poteſt contrahere ſocietatem cum Patre non ſolum contribuendo bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia, ſed etiam contribuendo operam, & induſtriam. C. 7. D. 2. §. 1. n. 2., & 3. pag. 111
Filij poſſunt deponere res Patris, ità tamen, vt actio competat Patri. C. 9. P. 10. n. 5. p. 469
FISCVS poſt commiſſum delictum habet ius exigendi à debitoribus delinquentis. C. 9. D. 2. S. 1. n. 3. p. 499
Fiſcus maius habet priuilegium, quam priuatus. C. 9. D. 2. §. 1. num. 3. pag. 499
Fiſcus habet iura directa. Ibid. num. 4.
FRATRES ſanguinis non gaudet priuilegio eius, quod quis commodè facere poteſt. C. 7. P. 6. n. 3. p. 12
Fratres ex eo, quod habeant bona hæreditaria indiuiſa non propterea ſunt formalitèr ſocij. C. 7. P. 27. n. 1. p. 62
Fratres habentes bona indiuiſa, ſi negotientur præſupponuntur ſocij. C. 7. P. 27. nu. 2. pag. 62
Frater habens hæreditatem indiuiſam cum alio non tenetur communicare omne lucrum ſibi obueniens ex publici alicuius officij adminiſtratione. C. 7. P. 27. nu. 4. p. 63
Frater habens communia bona, & hæreditatem indiuiſam cum fratre expenſas, quas facit in conſequendo aliquo gradu, vel in nuptijs proprijs non poteſt in communi computare. Ibid.
Fratres viuentes ex communi menſa poſt obitum Patris inita ſocietate non repetunt, quæ contulerunt ad communem victum. C. 7. P. 27. n. 5. p. 64
Fratres inita adinuicem ſocietate omnium bonorum poſſunt filias ſuas dotare bonis communibus. C. 7. P. 27. num. 6. pag. 64
Frater tenetur computare in ſui parte bona ſibi collata per Patrem viuentem cauſa ſtudiorum, quandò Pater habebat bona eiuſdem caſtrenſia, ſeù quaſi. C. 7. P. 27. nu. 7. pag. 64
Frater tenetur item computare, quæ inſumpſit in proſecutione ſtudij poſt obitum Patris, & in laurea doctorali. C. 7. P. 27. n. 8., & 9. pag. 64
Item bona collata à Patre pro ſtudijs, ſi inſumpſerit in ludis, & meretricibus. C. 7. P. 27. n. 10. p. 64
Item, quæ Pater eidem contulit pro emancipatione. Ibid. num. 11.
Frater quandòque non tenetur computare, & quandò. C. 7. P. 27. n. 13., & ſeq. pag. 65
Frater emancipatus non tenetur conferre propria ſtipendia in commune iudicium ſocietatis. C. 7. D. 2. §. 6. n. 4. p. 120
Frater emancipatus venit in communione cum alijs fratribus in eorum lucris non caſtrenſibus. C. 7. D. 2. §. 6. n. 7. pag. 121

INDEX RERVM.

Fratres, ſi perſeuerant in ſocietate poſt obitum alterius fratris, non eſt amplius eadem ſocietas. C. 7. D. 2. §. 18. num. 4. pag. 139

Frater, ſocius omnium bonorum cum alio quandonam per ſuum factum noceat alteri. C. 7. D. 4. §. 8. per tot. p. 179. & 180.

Frater, ſi fuerit ſocius omnium bonorum cum alio dotans filiam illius, poteſt exigere contributionem dotis per ſe erogatæ. C. 7. D. 4. §. 9. nu. 2. pag. 181

Frater, ſi non fuerit ſocius omnium bonorum cum alio fratre, nec præceſſerit cauſa donationis, poteſt in diuiſione bonorum repetere dotem ſolutam. C. 7. D. 4. §. 9. num. 4. pag. 182

FRAVDANS gabellas occultando merces non tenetur poſtea reſtituere. C. 9. D. 2. §. 5. nu. 2. pag. 504

Fraudans gabellas, ſi innoteſcat occultatio, ſe ſubijcit periculo amiſſionis mercium. C. 9. D. 2. §. 5. num. 4. p. 505

FRVCTVS tùm induſtriales, tùm naturales communicantur inter maritum & coniugem, quando ex iure municipali ſunt ſocij. C. 7. P. 28. nu. 5. pag. 69

Fructus acquiſiti per beneficiarium ſimoniacum ſunt ipſo iure reſtituendi. C. 8. P. 8. nu. 2. pag. 219

Fructus, qui ex ſimonia ſunt reſtituendi ſunt illi omnes, qui percipiuntur, ſeù fuerint percepti ratione tituli licet mediante aliquo miniſterio, non illi, qui percipiuntur occaſione tituli per perſonalem laborem. C. 8. P. 8. n. 3. pag. 219

Fructus, qui acquiruntur ratione tituli ſunt fructus præbendæ fructuſque prædiales, ſiuè ſint naturales, ſiuè artificiales. C. 8. P. 8. num. 4. pag. 220

Fructus ſiuè ſint prædiales artificiales, ſiuè naturales non ſunt reſtituendi in integrum per beneficiarium ſimoniacum, ſed cum diminutione ratione laborum, & expenſarum. C. 8. P. 8. nu. 5. pag. 220

Fructus, qui correſpondent ſtipendijs miſſarum beneficiario commendatarum non ſunt per ſimoniacum reſtituendi, quamuis ſine beneficio non fuiſſet illos conſecuturus. C. 8. P. 8. num. 6. pag. 220

Nec illi, qui percipiuntur pro anniuerſarijs. Ibid.

Fructus, qui ex diſtributionibus percipiuntur ſunt per ſimoniacum reſtituendi. C. 8. P. 8. n. 7. p. 225

Fructus beneficij ſimoniacè accepti ſunt ipſo iure reſtituendi, quamuis ſimonia ſit occultiſſima. C. 8. P. 8. n. 8. p. 223

Fructus ex beneficio ſimoniacè percepti ſunt reſtituendi, quantumuis ſimonia fuerit commiſſa per alium, ſiue beneficiarius fuerit ſciens, ſiuè ignorans. C. 8. P. 8. n. 9. p. 223

Fructus beneficij ſimoniacè acquiſiti ſunt reſtituendi, quamuis ſimonia fuerit tantum Eccleſiaſtica. C. 8. P. 8. nu. 21. pag. 229

Fructus beneficij ſimoniacè acquiſiti ſunt reſtituendi, vel Eccleſiæ, vel ſucceſſori iuxtà morem. C. 8. P. 8. n. 23. p. 232

Fur quoad commodatum per ſe factum rei furtiuæ eſt poſtponendus Domino probanti rem eſſe ſuam in reſtitutione commodati. C. 9. D. 1. §. 1. nu. 2. p. 479

Furis factum non poteſt præiudicare vero Domino. C. 9. D. 1. §. 2. nu. 4. pag. 480

G

GRATIÆ gratis datæ, quæ ad fidem propagandam, vel ſtabiliendam ordinantur ſunt materia ſimoniæ. C. 8. P. 15. num. 2. pag. 290

GRATVITVS eſt contractus commodati, & quomodò. C. 9. P. 1. num. 6. pag. 435

H

HÆREDES Socij delinquentis tenentur etiam ad damna ex culpa eiuſdem ſocij, quamuis ipſi ſocij non fuerint. C. 7. P. 4. n. 4. pag. 8

Hæredes ſocij debitoris non gaudent priuilegio, quo gaudet ipſe ſocius faciendi tantum, quod commode poteſt. C. 7. P. 10. n. 5. pag. 17.

Hæredes quoad iura, & onera perſonalia non repræſentant perſonam defuncti. Ibid.

Hæredes ſocij debitoris, quandò ipſe ſocius gauiſus eſt priuilegio, & poſteà deuenit ad pinguiorem fortunam, tenentur de relicto per eundem ſocium debitorem plenè ſatisfacere creditori. C. 7. P. 10. n. 5. p. 18

Hæres ſocij præſtare debet culpam ſui Prædeceſſoris. C. 7. D. 1. §. 7. n. 5. pag. 83

Hæres ſocij habet aduerſus ſe actionem pro ſocio intuitu ſui prædeceſſoris. C. 7. D. 1. §. 7. n. 7. p. 84

HÆREDITAS iuſta quid ſit in rigore. C. 7. D. 1. §. 3. num. 3. pag. 78

Hæreditas ex teſtamento eſt hæreditas legitima non iuſta, niſi hæredi competeret, etiam ab inteſtato. C. 7. D. 1. §. 3. num. 4. pag. 78

Hæreditas ex teſtamento non venit ſub ſocietate inita ſub pacto, vt ſub eadem cadat quæcunque hæreditas iuſta. Ibid.

HOMO liber reputatus, vt ſeruus poteſt obligari ciuiliter. C. 9. D. 1. §. 6. n. 2. p. 487

Homo liber reputatus, vt ſeruus habet poſſe, & velle. Ibid. pag. 488.

HONOR, & dignitas, quæ reſultant ex ſocietate in offitio non ſunt computanda in valore eiuſdem officij. C. 7. D. 3. §. 9. n. 3. pag. 157

HOSTIS quamuis non admittatur in iudicio ad agendum, admittitur tamen ad effectum, vt Iudex poſſit inſpicere, & aſſumere informationes. C. 9. D. 2. §. 5. n. 5. p. 506

I

INCÆPTIO negotiationis legitimè cœptæ tribuit ius ad complementum. C. 9. D. 1. §. 5. n. 4. p. 85

INFAMIA incurritur ob ſimoniam commiſſam in beneficio non ipſo iure, ſed poſt ſententiam, ſi criminalitèr procedatur. C. 8. P. 13. S. 2. n. 31. p. 265

Infamia hæc eſt infamia iuris, cui eſt annexa canonica. C. 8. P. 13. S. 2. n. 32. p. 266

Infamia hæc afficit, tàm conferentem, quàm recipientem. C. 8. P. 13. S. 2. n. 33. pag. 266

Infamia iuris incurritur ob ſimoniam in ordine. C. 8. P. 13. S. 3. n. 50. p. 273

Infamia iniri poteſt contrà recipientes, & receptos in Monaſterium ſimoniacè. C. 8. P. 13. S. 4. n. 64. p. 278

INGRESSVS in Religionem. & profeſſio in eadem emiſſa per ſimoniam valida ſunt. C. 8. P. 4. n. 5. p. 200

Ingreſſus ſimoniacè Religionem per ſolutionem pretij pro eodem ingreſſu, incurrit ipſo facto excommunicationem non expectata profeſſione. C. 8. P. 13. S. 3. n. 57. p. 275

Ingreſſus ſimoniacè per pretium in Monaſterium eſt ab eodem eiciendus, & in arctius transferendus non ipſo iure, ſed per ſententiam. C. 8. P. 13. S. 3. n. 61. p. 276

Ingreſſus ſimoniacè, ſi procedatur per viam accuſationis, & conuincatur non ſolum eſt eiciendus à Monaſterio, ſed etiam deponendus. C. 8. P. 13. S. 3. n. 62. p. 277

INIVRIA, quam ſocius præſens paſſus eſt in Iudicio communicatur ſocietati, non ſic quam paſſus eſt abſens. C. 7. D. 1. §. 20. n. 2. p. 105

Iniuria, & damnum à ſocio illata non quæcunque ſufficiunt ad ſoluendam ſocietatem. C. 7. D. 2. § 21. n. 5. p. 145

INSTRVMENTA contractuum poſſunt eſſe materia depoſiti. C. 9. P. 10. n. 3. p. 367

INTERDICTA poſſeſſoria competit commodanti aduerſus commodatarium repugnantem. C. 9. P. 4. n. 20. p. 451

IRREGVLARITAS non incurritur directè ob ſimoniam realem in beneficijs. C. 8. P. 13. S. 2. n. 30. p. 265

IVDEX in cauſa diuiſionis ſocietatis procedit plenariè, ſi lis ſit quoad eſſe, ſummariè, ſi quoad executionem. C. 7. D. 2. §. 24. n. 6. p. 150

Iudex ferendo ſententiam ſecundum ſe iniquam poteſt pretium, quod recepit, iuſtè detinere. C. 9. D. 2. §. 5. n. 6. p. 506

IVRISDICTIO interna, ad quæ extendatur. C. 8. P. 16. num 1. pag. 291

Iuriſdictio Eccleſiaſtica externa, ad quæ extendatur. C. 8. P. 17. n. 1. pag. 292

Iuriſdictio externa duplex altera voluntaria, altera contentioſa. Ibid.

IVS

INDEX RERVM.

IVS iuſtitiæ prævalet iuri caritatis, C. 9. P. 13. n. 2. p. 478

L

LABOR in functionibus Eccleſiaſticis duplex. C. 8. P. 18. n. 2. p. 294.

Labor, qui quaſi intrinſecè adiungitur ſacro miniſterio, eſt materia ſimoniæ. C. 8. P. 18. n. 3. p. 294

Labor, qui per accidens coniungitur cum ſacro miniſterio ex aliqua extrinſeca circumſtantia, eſt vendibilis ſine labe ſimoniæ. C. 8. P. 18. n. 4. p. 296

Labor, qui coniungitur cum ipſo ſacro miniſterio per accidens ratione ſubiecti, non eſt vendibilis ſine labe ſimoniæ. C. 8. P. 18. n. 5. p. 296

LEGATA non veniunt ſub ſocietate indefinitè concepta. C. 7. D. 1. §. 2. n. 3. p. 76

LEGITIMVM, & iuſtum non conuertuntur. C. 7. D. 1. §. 3. num. 6. pag. 78

LEX inducens pœnam contra intempeſtiuè renuntiantem ſocietati, obligat etiam in foro interno. C. 7. D. 1. §. 9. num. 5. pag. 88

LICENTIA tacita ſuperioris ſufficit, vt Religioſus validè contrahat. C. 7. D. 2. §. 8. n. 2. p. 124

Licentia tacita Prælati non præſumitur, ſi contractus præuideatur noxius Religioſo. C. 7. D. 7. §. 8. n. 4. p. 125

LOCATIO differt à ſocietate, & quomodo. C. 7. P. 1. num. 4. pag. 3

Locatio Calicis conſecrati ad celebrandum habito reſpectu ad materiam, qua conſtat, non eſt ſimoniaca. C. 8. D. 3. §. 7. num. 2. pag. 419

Locatio veſtium ſacrarum ad vſum ſacrum habito reſpectu ad eandem materiam non eſt illicita, nec ſimoniaca. C. 8. D. 3. §. 7. num. 3. p. 420

LVCRA, & damna in ſocietate ſunt communia. C. 7. P. 3. num. 2. pag. 6

Lucrum ſocietatis immediatè acquiritur ſocietati, non negotianti, ſi hic negotietur nomine communi, non proprio. C. 7. P. 3. num. 4. pag. 6

Lucrum in ſocietate officiorum debet eſſe ad proportionem fructuum, & periculi. C. 7. P. 23. n. 4. p. 50

Lucrum, quod debetur ratione periculi in ſocietate officiorum taxandum eſt, vel iuxta conſuetudinem, vel per prudentes. C. 7. P. 23. n. 5. p. 55

Lucra quomodo diuidenda ſint inter ſocios, & eum, qui per alterum ex ipſis alio inuito adſcitus eſt. C. 7. P. 25. num. 8. pag. 56

Lucra, & damna in ſocietate animalium quomodo communicentur. C. 7. P. 26. n. 8. p. 59

Lucrum acquiſitum per vnum ex fratribus ex pecunia communi, & nomine communi eſt commune. C. 7. P. 27. n. 17. pag. 65

Detrahendum tamen eſt id, quod correſpondet induſtriæ negotiantis. Ibid. n. 18.

Lucrum, quod acquiritur ex pecunia communi per vnum ex fratribus altero ignorante, non fit commune. C. 7. P. 27. num. 19. p. 66

Lucra inter fratres, quando alter ipſorum habebat filios aptos ad labores exercitos per ipſos in negotiatione, quomodo ſint diuidenda. C. 7. P. 27. n. 21. p. 66

Lucrum vxoris alterius fratris, quod acquiſiuit exercens aliquam artem, & ſeparatum tenens, non eſt communicandum in diuiſione cum alio fratre. C. 7. D. 4. §. 10. num. 2. p. 182

Reliqua quoad hoc lucrum vxoris vide. C. 7. D. 4. §. 10. per tot. p. 182

M

MANDATVM de emendo, & communicando non importat ſecundum ſe ſocietatem. C. 7. D. 2. §. 16. num. 4. p. 137

Mandatum quomodo ex coniecturis inferat ſocietatem. C. 7. D. 2. §. 16. n. 3. p. 136

Mandatum, ſi inferat ſocietatem, obligat mandantem ad leges ſocietatis, contra quas veniens, poteſt pro ſocio conueniri. C. 7. D. 2. §. 16. n. 9. p. 137

Mandatum, vt quis emat communi nomine, & commune negotium gerat, & poſtea diuidat, infert ſocietatem. C. 7. D. 2. §. 16. n. 5. p. 139

Si mandatarius contrauenerit tenebitur ſocietatis officio. C. 7. D. 2. §. 16. n. 5. p. 139

Mandans, ſi præueniat emptionem commiſſam mandatario, qui recepit mandatum titulo ſocietatis, poteſt compellere præuentum ad emendam partem ſibi contiguam. C. 7. D. 2. §. 16. n. 7. p. 137

MARITVS prodigè effundens bona communia vxoris tenetur ad compenſationem. C. 7. P. 4. n. 4. p. 8

Maritus tenetur etiam quoad lucrum ceſſans, & damnum emergens in ordine ad talia bona. C. 7. P. 4. n. 4. p. 8

Maritus, & vxor ex eo, quod ſint præciſè tales ex neceſſitate non ſunt in bonis ſocij. C. 7. P. 28. n. 2. p. 69

Maritus, & vxor ex iuribus municipalibus Hyſpaniæ, & Galliæ ſunt ſocij. C. 7. P. 28. n. 3. p. 69

Et quidem omnium bonorum. Ibid. n. 4.

Maritus, & coniux in Regnis Hyſpaniarum, & Galliæ communicant fructus tùm induſtriales, tùm naturales, dummodò ſint exiſtentes, & nati. C. 7. P. 28. n. 5. p. 69

Communicatur etiam dominium vtile, quando conſtante matrimonio conſolidatur cum directo. Ibid. num. 6.

Maritus, & coniux ex vi legum municipalium, ſi ſint ſocij, facto diuortio ſine culpa alterius non communicant nec in lucris, nec in damnis, ſi verò ex culpa alterius innocens communicat in lucris noxij, & non in damnis, non ſic noxius in lucris innocentis. C. 7. P. 28. n. 8. p. 70

Maritus actione commodati impetitus à commodatore propter furtum commiſſum ab vxore, non poteſt poſtea agere actione furti aduerſus vxorem. C. 9. D. 1. §. 13. num. 5. p. 496

Maritus haberet in eo caſu ſolummodò aduerſus vxorem actionem rerum amotarum. C. 9. D. 1. §. 13. n. 5. p. 497

Hæc actio eſſet ſolummodò ad ſimplum. Ibid.

MATERIA ſimoniæ ſunt res ſpirituales, & ſpiritualibus annexæ. C. 8. P. 1. num. 7. pag. 185

Materia ſimoniæ non ſunt Angeli, nec anima rationalis. C. 8. P. 1. nu. 8. pag. 185

Materia ſimoniæ non poſſunt eſſe res merè naturales. C. 8. P. 14. num. 6. pag. 184

Non dona merè intellectualia non ordinata ad moralem honeſtatem. C. 8. P. 14. n. 2. p. 185

Non Theologia, ſiuè ſacra, ſiuè moralis. C. 8. P. 14. num. 3. pag. 186

Non facultas docendi Theologiam. Ibid. n. 5. p. 187

Non dona naturalia moralia ordinata ad moralem honeſtatem. Ibid. nu. 6. p. 188

Non conſilium morale. Ibid. n. 7. p. 188

Non opera miſericordiæ ſecundum ſe ſumpta. Ibid. num. 8. pag. 188

Non ſcientia miraculosè acquiſita. C. 8. P. 14. n. 2. p. 185

Materia ſimoniæ eſt fidei ſupernaturalis exercitium in ordine ad alios excitandos. C. 8. P. 15. num. 2. pag. 190

Item omnes gratiæ gratis datæ, quæ ad fidem propagandam, vel ſtabiliendam ordinantur. C. 8. P. 15. num. 3. pag. 190

Item conſilia ſpiritualia, quorum facultas procedit ex donis Spiritus Sancti, & ordinatur ad fines ſupernaturales. Ibid. num. 4.

Item docere doctrinam Chriſtianam pueros, ſiuè per modum publici miniſterij, ſiuè priuatæ exhortationis. C. 8. P. 15. nu. 5. pag. 190

Materia ſimoniæ ſunt actus internæ iuriſdictionis pertinentes ad curam animarum. C. 8. P. 16. nu. 2. p. 291

Item delegatio poteſtatis aſſiſtendi matrimonio. C. 8. P. 16. num. 2. pag. 292

Materia ſimoniæ ſunt actus iuriſdictionis externæ Eccleſiaſticæ ſiuè voluntariæ, ſiuè contentioſæ. C. 8. P. 17. n. 3. p. 293

Materia ſimoniæ quandòque ſunt labor, & obligatio in ſacro miniſterio, & quando. C. 8. P. 18. per tot. p. 294. 295

Materia ſimoniæ ſunt etiam actus priuati ſupernaturales. C. 8. P. 19. num. 2. pag. 298

Materia

INDEX RERVM.

Materia ſimoniæ poſſunt eſſe actus ſupernaturales ſoli operanti vtiles, & quomodo. C.8. P. 20. nu. 5. p.301

Materia ſimoniæ quandoque ſunt omiſſiones actuum ſupernaturalium, quandoque non. C.8. P.21. per tot.

MATRIMONIVM non infert ſecundum ſe nec ex iure diuino, nec naturali ſocietatem in bonis inter maritum, & coniugem. C.7. P.28. nu.1. pag.67

Matrimonium infert talem ſocietatem ex iuribus municipalibus Regnorum Hyſpaniæ, & Galliæ. C.7. P.28. n.3. p.69

MEDIATOR ſimoniæ in beneficio, ſi beneficiarius dimiſſo beneficio ſit impotens ad reſtituendos fructus perceptos, tenetur illos reſtituere. C.8. D.1. §.14. n.2. p.354

MEDICVS durante infirmitate non poteſt cum infirmo contrahere. C.7. D.2. §.1. nu.4. p.112

MERCATOR conferens in ſtipendium miniſtro partem aliquotam lucri acquiſitam ex negotiatione deducto capitali præſumitur potius contraxiſſe locationem, quam ſocietatem. C.7. D.1. §. 1. nu. 3. p.75

MISSVS per vnum ex ſocijs ad negotia ſocietatis, ſi ille per conuentiones erat obligatus ex ſe ire, eſt alendus expenſis mittentis. C.7. D.2. § 17. num.3. p.138

Miſſus non ex neceſſitate, ſed ad melius eſſe ſocietatis eſt alendus communibus expenſis ſocietatis. C.7. D.2. §.17. num.4. pag.138

MONACVS ſimoniacè ingreſſus Religionem per ſolutionem pretii, ſi ante profeſſionem inde exeat, illud non recuperat, ſi aliunde habeat, quo viuere poſſit. C.8. P.7. num.8. pag.215

Monacus ſimoniacè ingreſſus & profeſſus, ſi eiciendus eſt à primo Monaſterio pretium ſecum transfert ad ſecundum, ſi conſiſtat in mobilibus, ſi in immobilibus transfert quoad vſumfructum, non quoad proprietatem, ſi ſolus Prælatus recipiens conſenſerit in ſimoniam. C.8. P.7. num.10. & 11. pag.216

Monacus in iudicio non poteſt exigere rem depoſitam, niſi conſtat de mandato Abbatis. C.9. D.2. §.3. n.2. p.501

Monacus, ſi extraiudicialiter petens recipiat depoſitum, depoſitarius non obligatur, niſi nouerit Abbatem inuitum. C.9. D.2. §.3. n.3. pag.502

MORS vnius ex fratribus ſocij diſſoluit ſocietatem quoad omnes. C.7. D. 2. §. 18. nu.3. pag. 139

MORA obligat commodatarium etiam ad caſum fortuitum. C.9. P 4. nu.8. pag. 446

Mora non obligat ad caſum fortuitum, quandò res æquè fuiſſet penes commodantem peritura. Ibid. num.9.

Mora non obligat, quando Dominus non eſt inuitus ad illam. Ibid. num. 10.

Mora, ſi culpam præceſſit, obligat depoſitarium etiam de leui. C.9. P. 11. num. 7. pag. 472

MVNVS à manu quid ſit. C. 8. P. 25. n.2. pag.322

Munus à manu quanam in particulari reſpiciat. C.8. P. 25. num.2. pag.322

Munus ab obſequio quid ſit. C.8. P. 25. n.3. p.323

Munus ab obſequio, quæ reſpiciat. Ibid.

Munus à lingua quanam reſpiciat. C.8. P.25. n.13. p.327

MVTVANS obligans ratione mutui mutuatarium ad deſiſtendum à iuſta vexatione officio iudicis eſt vſurarius. C.9 D.2. §.5. n.5. pag.506

MVTVVM ex reuocabilitate non benè arguitur. C.7. P.29. num 4. pag.73

N

NAVCLERVS deferens merces depoſitas ſimul cum proprijs eiuſdem rationis, & qualitatis, ſi præuiſo periculo piratarum, dum proprias in profundo nauis commode habere non poſſet loco propriarum res depoſitas vendiderit nomine proprio, vt deponenti proprias reſtitueret, &, facta tali venditione in piratas inciderit, qui merces remanentes abſtulerint, non tenetur pretium, quod ex venditione exegit, tradere deponenti. C.9. D.2. §.7. num.2. pag. 508

Naucleus illud pretium acquirit ex propria induſtria. C.9. D.2. § 7. n. 2. pag.509

NAVTÆ depoſitarij tenentur ſaltem de leui. C.9. P. 11. num 4. pag.472

NEGOTIATIO, an fiat nomine communi, an proprio quomodò deducendum. C.7. P.3. n.5. pag.6

NOBILES non amittunt nobilitatem etiam ſtante ſtatuto, quod nobiles non negotientur, ſi pecuniam erogent in ſocietate ad negotiandum. C.7. P.10. n.4. p.20

NOMINATIO facienda per ſocium ſuper officio, an teneat, ſi quandò nominat, ipſe ſocius eſt grauiter ægrotans. C.7. D.3. § 8. num.3., & 4. pag.161

Nominatio intimanda eſt, & notanda in margine inſtrumenti. C.7. D.3. §.8. nu.5. pag.162

Nominatio regulariter fieri nequit pro tempore, quo nominans percepit fructus. C.7. D.3. §. 9. n. 5. p.163

NOTARIVS, ſi ex obliuione omiſerit apponere pactum conuentum inter partes poteſt poſtea apponere. C.7. D. 3. §. 2. num.3. pag.152

NOVATIO ſupponit ſubſiſtentiam prioris contractus. C.7. D.1. §.7. num.4. pag.85

Nouatio inducitur per alienationem ſerui, qui prius contraxerat ſocietatem, factam à Domino. C. 7. D. 2. §. 5. num.2. pag.119

Nouatio non inducitur per emancipationem filij, qui contraxerat ſocietatem, factam à Patre. Ibid. num. 3.

Nouari poteſt ſocietas per tranſlationem iuris ſocij in officio in aliam perſonam cum omnium conſenſu. C.7. D.3. §.12. num.3. p.167

NVNTIVS præciſè deſtinatus tempore adimplementi contractus, vel diſſolutionis eiuſdem ad denunciandum præciſe non deobligat rem mittentem ab onere reſtitutionis, ſi ipſius culpa periit. C.9. P.5. n. 4. p.453

O

OBLIGATIO duplex, altera antecedens, altera concomitans, & quid vtraque. C 8. P.18. n.2. p.294

Obligatio, quam quis aſſumit efficiendi functionem Sacram pro alio, ſiuè ſit antecedens, ſiuè ſit concomitans, prout reſpicit ſpiritualitatem operis, non eſt vendibilis. C.8. P.18. num.6. pag 296

Obligatio antidoralis quid ſit, & quomodò diſtinguatur ab obligatione iuſtitiæ. C.8. D.3. §.11. n.2. p.425

Obligatio antidoralis non poteſt deduci in pactum, vt præſtentur obſequia pro beneficio. C.8. D.3. §. 11. n.7. p.427

Obligationes quinque oriuntur in depoſito reſpectu depoſitarij, & quæ. C.9. P.11. n. 1. p.470

OBSEQVIA temporalia, ſi fuerint antecedenter præſtita non cum onere reſtitutionis, ſed gratis licet cum ſpe futuræ collationis non ſunt proprie pretium beneficij, nec ſimoniæ. C.8. P.25. num. 4. pag.323

Obſequia, ſi fuerint præcedentia, & propter eadem detur beneficium in compenſationem eorundem tanquam debiti ex conuentione ſunt propriè pretium beneficij, & & collatio eiuſdem eſt ſimoniaca. C.8. P.25. n.5. p.324

Obſequia, ſi fuerint ſubſequentia, & in eadem collatione beneficij fuerit impoſitum onus ea adimplendi, non ſunt pretium beneficij, & ſimoniæ, ſi talia obſequia ſint annexa beneficio, vel annectantur in fauorem Eccleſiæ. C.8. P.25. num.6 pag.324

Obſequia ſubſequentia, & ex ſe non annexa beneficio, & vtilia dumtaxat conferenti beneficium ſunt pretium beneficij, & ſimoniaca, ſi ex obligatione pro illo præſtentur. C.8. P.25. num. 7. pag.325

Obſequia pure ſpiritualia antecedenter exhibita, quantum eſt ex iure naturæ non ſunt proprie pretium ſimoniæ. C.8. P.25. nu. 8. pag.326

Niſi obſequijs ſpiritualibus eſſent annexa commoda temporalia, quæ cederentur pro beneficio. C. 8. P.25. num.9. pag.326

Obſequia purè ſpiritualia antecedenter præſtita ex conuentione poſſunt eſſe pretium ſimoniæ de iure poſitiuo. C. 8. P. 25. num. 10. pag.326

Obſequia ſpiritualia, vel annexa ex natura ſua beneficio, vel in prima inſtitutione, vel eo vacante ab habente legitimam poteſtatem non ſunt pretium eiuſdem, ſi in collatione eiuſdem beneficiario imponantur. C. 8. P. 25. num. 11. pag.326

INDEX RERVM.

OFFERENS pecuniam alteri, ne concurrat ad beneficium, vel equiti, vt impediat concurſum, ex quo ſperat ſe conſecuturum eſt ſimoniacus. C.8. D.1. §. 15. n.2. pag.355

Offerens pecuniam ad ſe redimendum ab iniqua vexatione non committit ſimoniam. C.8. D.1. §. 15. n.3. p.356

Offerens pecuniam Æconomo Epiſcopi, vt in illius familia adſcribatur cum ſpe, vt poſteà ex illius beneuolentia beneficium acquirat, non eſt ſimoniacus. C.8. D.1. §. 15. num.3. pag.358

Offerens pecuniam collatori, ne eligat indignum non eſt ſimoniacus. C.8. D.1. §.18. n.2. p.364

Offerens pecuniam collatori, vt eligat dignum, vel digniorem non deſignando perſonam in particulari, ſed quodamodò in communi non committit ſimoniam. C.8. D.1. §. 18. n.3. pag.365

Offerens pecuniam collatoribus, ne in Summum Pontificem eligantur indigni, quando vnus ſolus eſt dignus non eſt ſimoniacus. C.8. D.1. §. 19. nu.4. pag.266

Offerens pecuniam, vt in Summum Pontificem eligatur dignior, quandò plures ſunt digni, & vnus tantum dignior non committit ſimoniam. C.8. D.1. §.19. n. 5. p.367

Offerens pecuniam, vt eligatur dignus, vel dignior non tantum formalitèr ſub ratione digni, vel dignioris, ſed etiam materialitèr ſub ratione Petri alliciè nſicit. C.8. D.1. §. 19. num. 6. pag.368

Offerens etiam, ne eligantur indigni in alijs beneficijs Eccleſiaſticis, quandò vnus tantum eſt dignus, vel vt eligantur digniores, quando vnus tantum eſt dignior, non eſt ſimoniacus, quantumuis ipſe offerens ſit ſolus dignus, vel dignior. C.8. D. 1. §. 19. n.7., & 9. pag.369

Commodius tamen cohoneſtatur illa oblatio in electione Summi Pontificis, quam aliarum dignitatum. C.8. D.1. §. 19. nu. 10. pag.370

OFFICIA etiam cadere poſſunt in contractu ſocietatis, & quomodo. C. 7. P. 19. num. 1. pag.35

Officia per ſocietatem non oppignorantur. C.7. P. 19. n.3. pag. 36

Officium non admittit plures ſocios, quandò eſt incapax ſummæ ab vnoquoque collatæ. C.7. P.20. n.2. p.39

Officium commodatum non poteſt in ſocietatem tradi. C.7. P.20. n. 5. pag.39

Officio amiſſo, ſi ante reſtitutionem capitalis ſocius moriatur, reſtitutio facienda eſt ipſius hæredibus. C.7. P.22. num. 5. pag.48

Officia quænam ſint vacabilia, & quæ non vacabilia. C.7. P. 23. num. 1. pag.49

Officium Vicarij Generalis, quamuis non ſit beneficium, eſt tamen materia ſimoniæ. C.8. P.17. n.5. p.293

OFFICIALIS, qui pecuniam recepit, poteſt licitè obligari ad ſoluendum lucrum anticipate. C.7. P.23. n.1. p.46

Officialis non poteſt obligari ad ſoluendum lucrum ad ſemeſtre in eucorum, quo intra illud officium amittat, vel dimittat. C.7. P. 22. nu.3. pag.47

Officialis facta diſdicta, ſi ſoluat immediatè non tenetur ſoluere lucrum correſpondens tempore diſdictæ. C. 7. P.24. nu.8. pag.53

Officialis non poteſt conſtituere ſocietatem ſuper officio ad eum valorem, quo officium emptum eſt, quando in valore decreuit. C.7. D.3. §.1. n.3. p.151

Officialis, ſi nullos perceperit fructus, ſiſtendo in puris terminis ſocietatis officij, non tenetur ad æquiualens. C.7. D.3. §. 3. nu. 4. pag.153

Officialis, ſi nullos perceperit ex ſua culpa tenetur ad æquiualens. C.7. D.3 §.3. nu.5. pag.154

Officialis, ſi duplex interuenerit contractus, & nulli fructus fuerint percepti, tenetur ad æquiualens. C.7. D.3. §.3. num.6. pag.155

Officialis ſocio ignoranti cælans inæqualitatem officij, vel officium eſſe grauatum alijs ſocietatibus obligatur de euictione, & ad quantum intereſt, quod officium non fuerit grauatum. C. 7. D. 3. §. 4. n 6. p.156

Officialis, ſi ſocio non dederit fideiuſſorem intrà tempus conuentum non acquirit capitale, ſi ſocius præmoriatur, ſocius verò lucratur fructus. C. 7. D. 3. §. 10. num. 2. pag. 165

Limita, ſi ſocius reciperet penſiones, & non peteret fideiuſſores. Ibid. num. 3.

Item niſi peteretur fideiuſſor determinatus in fraudem. Ibid. num. 4.

OMISSIONES actuum ſupernaturalium omninò liberorum pertinentium ad poteſtatem ordinis non ſunt materia ſecundum ſe ſimoniæ, omiſſiones verò actuum ſpiritualium cadentium ſub præcepto ſunt peccaminoſæ non tamen ſimoniacæ. C. 7. P. 22. nu. 2. pag.303

Omiſſiones actuum ſpiritualium procedentes à poteſtate iuriſdictionis poſſunt eſſe, & regularitèr ſunt materia ſimoniæ. C. 8. P. 21. n. 3. pag.304

OPERA miſericordiæ ſecundum ſe non ſunt materia ſimoniæ. C. 8. P. 14. nu. 8. pag.188

ORATIONES quantumuis priuatæ, ſiuè ſint per modum meriti, ſiuè per modum ſatisfactionis, ſiuè per modum impetrationis ſunt materia ſimoniæ. C.8. P.19. n.2. p.298

Quod datur pauperibus, vt orent, non eſt pretium orationis, ſed ſtipendium ſuſtentationis, & eleemoſina. C.8. P.19. n.3. pag.299

ORDINATVS ſimoniace ipſo facto incurrit excommunicationem. C.8. P. 13. S. 3. n.34. pag.266

Ordinatus etiam ad primam tonſuram ſimoniacè incurrit talem excommunicationem. C.8. P.13. S.3. n.35. p.267

Ordinatus ſimoniace ipſo iure ab ordinum executione, quos ſimoniacè recepit, ſuſpenſus eſt. C.8. P.13. S.2. n.4. pag. 269

Ordinatus per ſimoniam ex vi eiuſdem non fit ipſo iure irregularis. C.8. P.13. S.3. nu. 48. p. 278

P

PACTVM, quod periculum animalium in ſocietate pertineat ad eum, qui ea recepit, non eſt contra naturam contractus. C. 7. P. 26. n. 9. p.59

Pactum, quod animalia in ſocietate collata ſint communia, & commune quoque lucrum, & damnum, non eſt illicitum. C. 7. P. 26. n. 10. p.60

Pactum, quo dans animal cum fœtu nutriendum, & cuſtodiendum expenſis recipientis debeat prius ſatisfieri in fructibus quoad capitale, & reliquum fructuum diuidatur, non eſt licitum. C. 7. P. 26. n. 11. p.60

Pactum, quo quis dat alteri duo iugera Bouum, & poſſeſſionem, quam aret ea conditione, vt fructus æqualiter diuidantur, poteſt eſſe licitum. C. 7. P. 26. n. 12. p.60

Pactum iuramento firmatum de perſeuerando in ſocietate cum hærede Defuncti, obligat ſocios ad perſeuerandum cum ipſo, ſi ipſe velit. C. 7. D. 1. §. 8. n. 3. p.85

Non tamen ipſum hæredem, ſi nolit. Ibid.

Pactum iuramento firmatum, poteſt obligare ipſos ſocios ad perſeuerandum inter ſe, ſi hæres nolit perſeuerare. C. 7. D. 1. §. 8. n. 4. p.85

Pacta, & conuentiones, ſi non ſeruentur in ſocietate, poteſt innocens ab ea recedere. C.7. D.2. §. 11. n.9. p.146

Pactum conuentum, & non appoſitum per Notarium poteſt poſtea adijci. C. 7. D. 3. §. 2. n. 3. p.152

Pactum, vt in ſocietate animalium per vnum collatorum, tot ſemper ex communibus fœtibus ſubrogentur, quot perierint non eſt vſurarium, eſt tamen illicitum. C. 7. D. 4. §. 4. n. 2. p.125

Pactum, quo duo ad inuicem conueniunt, vt ſibi Sacramenta conferant, non eſt ſimoniacum. C. 8. D. 1. §. 6. num. 2. pag.339

Pactum illud, nec eſt peccaminoſum, niſi alter eſſet obligatus ad tale Sacramentum conferendum. C. 8. D. 1. §. 6. num. 3. pag.340

Pactum, vt abſolutè res commodata ſtet periculo commodatarij ex quocumque euentu pereat, non eſt contra, ſed præter naturam contractus. C. 9. P. 6. n. 2. p.455

Pactum, vt commodatarius habeat rem commodatam ad tempus incertum non ſubſiſtit cum ſubſtantia commodati. C. 9. P. 6. n. 4. p.456

PATRONVS præſentans aliquem ad beneficium in caſu litigioſo, vt ſuis expenſis litiget, ſimoniacus eſt. C.8. D.3. §. 6. n. 3. p.418

Patro-

INDEX RERVM.

Patronus, ſi quem præſentauerit ad beneficium litigioſum ea adiecta conditione, vt niſi ipſe præſentatus intra tempus à iure proſequeretur ſuam præſentationem inſolidum ipſe poſſit præſentationi contrauenire, & ſi alius prætextu ſimoniæ in ea præſentatione commiſſæ, obtineat illud beneficium, poteſt hunc ſecundum à beneficio repellere. C. 8. D. 3. §. 6. n. 3. p.418

PECVLIVM, quid ſit, & vndè dictum. C. 7. D. 2. §. 3. num. 5. pag. 113

Peculium aliud dependens, aliud independens, & irreuocabile. Ibid.

PECVNIA, quæ traditur in ſocietate officij, remanet ſoluentis ſub ſolo periculo amiſſionis in caſu mortis. C. 7. P. 19. n. 6. p.38

PÆNÆ contra ſimoniam confidentialem. C. 8. P. 13. S. 1. num 9. pag.255

Pæna inflicta in Epiſcopos, qui decedentibus Rectoribus ſubijciunt Eccleſias interdicto, donec pecunia ſoluatur. C. 8. P. 7. n. 13., & 14. p.217

Pæna hæc non habet locum, niſi per ſententiam. C. 8. P. 7. num. 16. p.218

PENSIONARIVS æquiparatur vſufructuario, ſicque fructus percepti tempore eius mortis, debentur ipſius hæredibus, non percepti reſignatario. C. 8. D. 2. §. 7. num. 3. pag 398

Penſionarius habet onus recitandi Officium Deiparæ, non tamen penſio eſt propter illud onus, tanquam propter cauſam finalem. C. 8. D. 2. §. 7. nu. 3. p.399

PENSIONES in rigore non ſunt beneficium. C. 8. P. 9. num. 2. pag.233

Penſio ſimoniacè collata non eſt ipſo iure irrita. C. 8. P. 9. num. 3. p.233

Penſio ſuper beneficio eſt materia ſimoniæ, nec poteſt priuata auctoritate, ſimul redimi. C. 8. D. 2. §. 6. n. 3. p.396

Penſiones tranſactæ, & inexactæ ſoluendæ ſunt hæredibus penſionarij. C. 8. D. 2. §. 7. n. 2. p.397

Penſiones antecedenter exactæ ad perceptionem fructuum, mortuo penſionario per eius hæredes reſtituendæ ſunt grauato. C. 8. D. 2. §. 8. n. 3. p.400

Penſiones ſubrogantur loco fructuum. Ibid. n. 4.

Penſio ſtipendiaria impoſita ſuper aliquo beneficio in ordine ad aliquod ſpirituale miniſterium obeundum, non eſt vendibilis ſine labe ſimoniæ. C. 8. D. 3. § 4. n. 2. p.415

Penſio ſtipendiaria, ſi fueris tantum perſonalis poteſt per Epiſcopum diminui conducendo miniſtrum pro minori. C. 8. D. 3. § 4. n. 3. p.416

PERICVLVM officij eſt penès officialem in ſocietate, pretij penès ſocium. C. 7. P. 10. nu 3. p.39

PIGNVS vnum idoneum poteſt ſubrogari pro alio, etiam inuito creditore. C. 9. D. 1. §. 11. n. 5. p.494

POTESTAS legitimandi ad dignitates Eccleſiaſticas, eſt materia ſimoniæ. C. 8. P. 17. n. 6. p.294

PRÆLATI ſunt ſolummodò diſpenſatores rerum ſpiritualium, non Domini. C. 8. P. 2. n. 9. p.190

PRÆSTIMONIA ſimoniacè collata, ſi propriè ſumantur, ſunt irrita. C. 8. P. 9. n. 7. p.236

Præſtimonia quid propriè ſint. C. 8. P. 9. n. 7. p.236

PRETIVM ſimoniacè acceptum, an ſit reſtituendum triplex ſententia. C. 8 P. 5 n. 1., 2., & 3. p.203

Pretium pro collatione beneficij Eccleſiaſtici receptum eſt reſtituendum de iure Eccleſiaſtico, & diuino. Ibid. n. 4.

Pretium anticipatè receptum per Prælatum ante beneficij collationem eſt reſtituendum ei, à quo eſt acceptum. C. 8. P. 6. n. 5. pag.205

Pretium ſimoniacè receptum per ſimoniam mentalem in collatione beneficij opere ſubſecuto eſt de iure naturæ reſtituendum, non ſic de Eccleſiaſtico. C. 8. P. 5. n. 6. p.206

Pretium ſimoniacè acceptum pro beneficio, cuius collatio importat aliquod incommodum conferenti non eſt obnoxium reſtituendi de iure naturæ. C. 8. P. 5. n. 7. p.207

Pretium de iure diuino non reſtituendum eſt, quandò conferens patitur incommodum temporale, non ſpirituale. C. 8. P. 5. n. 8. p. 208

Pretium de iure diuino, & naturæ non eſt reſtituendum receptum pro functione ſpirituali, quandò talis functio materialiter ſumpta tanti valet. C. 8. P. 5. num. 10. p.209

Pretium de iure naturæ, & diuino pro re ſpirituali receptum non eſt reſtituendum, ſi receptum fuerit intuitu materiæ, qua conſtat, vel actionis, qua fit. C. 8. P. 5. num. 11. pag. 209

Pretium ab Epiſcopo receptum debet reſtitui, quantumuis habeat annexum commodum temporale beneficium, quod contulit, nec in compenſationem pro emolumento, quod determinatæ perſonæ conferre non tenebatur. C. 8. P. 5. n. 12., & 13. p. 209

Pretium receptum pro re ſpirituali de iure canonico non eſt reſtituendum, niſi in collatione beneficij, in admiſſione, & profeſſione ſtatus Monachalis, in collatione ordinum, aliorumque ſacramentorum. C. 8. P. 5. num. 14. pag. 210

Pretium receptum pro collatione beneficij, electione &c. eſt ipſo iure reſtituendum etiam ante ſententiam declaratoriam in foro animæ. C. 8. P. 6. n. 2. p.211

Pretium receptum pro collatione ordinum, ſeu admiſſione ad ſtatum Monacalem, non eſt reſtituendum ante ſententiam. C. 8. P. 6. n. 3. p.212

Pretium reſtituendum ob ſimoniam ex vi iuris naturalis, & Diuini reſtituendum eſt ei, à quo fuit acceptum. C. 8. P. 7. num. 1. p.213

Pretium receptum pro collatione beneficij in iure poſitiuo Eccleſiaſtico non eſt reſtituendum ei, à quo eſt acceptum, ſed Eccleſiæ, in cuius ignominiam facta fuit illa ſolutio. C. 8. P. 7. nu. 2. p.214

Excipe in caſu, quo ipſa Eccleſia fuerit in culpa talis ſolutionis ſimoniacæ. Ibid. n. 3.

Item in caſu, quo facta fuerit compoſitio cum ſacra pænitentiaria, ſi crimen fuerit occultum, vel cum Dataria, ſi fuerit publicum. C. 8. P. 7. n. 5. p. 215

Pretium, quod Monaſterium ſoluit eximiæ perſonæ, vt in idem ingrediatur non eſt reſtituendum Monaſterio, ſi illud ingreſſus ante profeſſionem conſumpſerit; ſi retinuerit poſt profeſſionem Monaſterio cedit non iure reſtitutionis, ſed iure conſecutionis. C. 8. P. 5. nu. 6. p. 215

Pretium ſolutum per Monachum Monaſterio, vt in ipſo reciperetur, eſt eidem reſtituendum ex pietate, ſi ante profeſſionem, ex eodem receſſerit, & aliundè non habeat, quo viuere poſſit, vel velit aliam Religionem ingredi. C. 8. P. 7. n. 7. p.215

Si aliundè habeat, quo viuere poſſit eſt in pauperes diſtribuendum. Ibid. num. 8.

Pretium ſolutum per Monacum, vt admitteretur in Monaſterium non eſt ab eodem Monaſterio reſtituendum, ſi in eodem profeſſus fuerit, & ex diſpenſatione ibi perſeueret. C. 8. P. 7. n. 9. p.216

Pretium ſolutum per Monacum, qui poſteà profeſſus eſt, & ex iure eiciendus à Monaſterio, ſi omnes primi Monaſterij conſenſerint in ſimoniam erogandum eſt Monaſterio, ad quod tranſit. C. 8. P. 7. n. 10. p.216

Pretium ſolutum per Monacum profeſſum, & eijciendum, ſi Prælatus ſolus conſenſerit in ſimoniam, & illud conſiſtat in immobilibus quoad vſumfructum pertinebit ad Monaſterium ad quod tranſit, quoad proprietatem ad primum, ſi in mobilibus pleno iure tranſibit ad ſecundum. C. 8. P. 7. n. 11. p.216

Pretium ſimoniacè receptum pro collatione ordinum reſtituendum eſt Eccleſiæ, ad cuius titulum eſt ordinatus, ſine minus Eccleſiæ Cathedrali. C. 8. P. 7. num. 13., & 14. pag.217

Pretium poteſt erogari ad remouendum obſtaculum temporale, quo quis remouetur à conuerſione. C. 8. P. 20. num. 3. pag.300

Pretium poteſt licitè ſolui, vel promitti per modum conuentionis expreſsè conditionatæ, ſi quis conuertatur. C. 8. P. 20. n. 4. p.300

Pretium non poteſt licitè ſolui, nec promitti adiecta expreſſa conditione, ex vtraque parte firmata, vt vterque ſit obligatus. C. 8. P. 20. n. 5. p.301

Pretium recipere, ſeù aliquod temporale in ingreſſu alicuius ad Religionem in ordine ad congruam ſuſtentationem, ipſius non eſt ſimonia nec iuris naturæ, nec poſiti-

tis. C. 8. §. 24. n. 1., & 2. p. 313
Pretium ſimoniacæ prauitatis adæquatè ſumptum continetur in illa diuiſione muneris à manu, à lingua, & ab obſequijs. C. 8. §. 25. n. 1. p. 322
PRIVILEGIVM, quod quis teneatur in id tantum, quod commodè poteſt, in quo conſiſtat. C. 7. §. 5. n. 1. p. 8
Priuilegium iſtud competit legitimè ſocijs. C. 7. P. 5. n. 2. p. 9
Priuilegium iſtud extenditur ad ſocios, etiam in ſocietate non vniuerſali. C. 7. P. 5. n. 3. p. 9
Priuilegium hoc intelligendum eſt cum moderamine, & quonam. Ibid.
Priuilegium hoc non exigit, vt in taxatione eius, quod commodè facere poteſt, deducatur æs alienum. C. 7. P. 6. num. 3. p. 11
Priuilegium non eximit poſteà ab integra ſolutione, ſi deuenerit ad pinguiorem fortunam. C. 7. P. 7. n. 2. p. 12
Priuilegium hoc exigit cautionem iuratoriam. C. 7. P. 7. num. 3. pag. 12
Priuilegium hoc non fauet debitori, quandò creditor non haberet congruam ſuſtentationem aliundè. C. 7. P. 8. num. 1. pag. 14
Priuilegium non reſpicit ſolummodò computationem in bonis, quæ remanent ex ſocietate, ſed etiam in bonis patrimonialibus debitoris attentis redditibus, qui ex eiſdem percipiuntur. C. 7. P. 9. n. 1., & 2. p. 15
Priuilegium ſocij debitoris, vt tantum faciat, quantum poteſt, non extenditur ad fideiuſſores. C. 7. P. 10. n. 2. p. 16
Priuilegium hoc eſt preciſè perſonale. Ibid.
Excipe in aliquibus caſibus, & quibus. Ibid.
Priuilegium ſocij debitoris non extenditur ad hæredes eiuſdem. C. 7. P. 10. n. 5. p. 17
Priuilegium faciendi tantum, quantum commode poteſt, opponere poteſt etiam poſt ſententiam quoad effectum ſuſpendendæ executionis, & retractandæ. C. 7. D 1. §. 13. n. 3. p. 94
Priuilegium hoc poteſt opponi ſiuè ante, ſiuè poſt ſententiam. C. 7. D. 1. §. 13. n. 4. p. 95
Priuilegium faciendi tantum, quod debitor commodè poteſt, etiam eidem fauet quantumuis bona deuenerint ad creditorem, ſi hic arte exceperit. C. 7. D. 1. §. 16. num. 4. p. 98
Et item, ſi delata fuerint creditori cum reſeruatione tamen iurium C. 7. D. 1. § . 16. n. 4. pag. 98
Secus, ſi debitor ſimpliciter detulerit. C. 7. D. 1. §. 15. num. 5. pag. 99
PROBATIONES ſimoniæ confidentialis. C. 8. P. 13. §. 1. num. 9. p. 255
Probatio, quod res commodata perierit ex caſu fortuito, ſpectat ad commodatarium C. 9. D. 1. §. 7. n. 2. p. 488
Probatio debet eſſe plena, ſi perierit ex caſu apertiſſimo, per coniecturas, ſi ex caſu occulto. C. 9. D. 1. §. 7. num. 3. pag. 488
PRODIGVS validè contrahit ſocietatem ante interdictam adminiſtrationem, & aſſignatum Curatorem. C. 7. D. 2. §. 10. nu. 2. p. 128
Prodigus etiam notorius validè contrahit. Ibid. n. 3.
Prodigus iniens ſocietatem poſt interdictam adminiſtrationem inualidè contrahit quoad actiones ciuiles, non quoad naturales. C. 7. D. 2. §. 10. n. 4. p. 129
Prodigo non competit priuilegium reſtitutionis in integrum. C. 7. D. 2. §. 11. n. 3. p. 130
Prodigus non poteſt petere talem reſtitutionem quantumuis alter ſciret, ipſum eſſe prodigum. . 7. D. 2. §. 11. num. 5. p. 130
Prodigus non reputatur pro pupillo, niſi poſt interdictam. Ibid.
PROPOSITIO indefinita non ſemper æquiualet vniuerſali. C. 7. D. 1. §. 2. n. 6. p. 77
PVBLICATIO bonorum diſſoluit ſocietatem. C. 7. D. 2. §. 19. num. 6. p. 142
PVPILLVS, & minor commodare non poſſunt. C. 9. P. 3. num. 6. pag. 440

Q

QVALITAS ſerui mei furantis non tribuit maius ius commodatario. C. 9. D. 1. §. 2. nu. 2. pag. 481
Qualitas perſonæ procliuis ad maleficia præſumere facit pro maleficio C. 9. D. 1. §. 14. num. 2. pag. 497
Quæ committantur, & ſubſequuntur ad rem commodatam intelliguntur ſimul commodata cum illa de iure communi. C. 9. P. 6. nu. 5. pag. 457
Quæ depoſitis rebus accedunt non ſunt propriè materia depoſiti. C. 9. P. 10. n. 1. p. 466. C. 9. D. 1. §. 14. n. 2. p. 497
Quicunque ſine læſione iuſtitiæ poſſunt accuſare fraudantes gabellas. C. 9. D. 2. §. 5. n. 4. p. 505
Quicunque pecuniam accipit à fraudante gabellas, ne eum detegat, poteſt illam iuſte detinere. C. 9. D. 2 . §. 5. nu. 5. pag. 505
QVI ex commodato obligantur naturalitèr, obligant alios ciuilitèr. C. 9. P. 3. num. 10. pag. 441

R

RECIPIENTES ſimoniacè in Monaſterium ſuſpendi debent ab officio, à Monaſterio expelli, & deponi, ſi procedatur per viam accuſationis. C. 8. P. 13. §. 3. n. 63. pag. 277
RELIGIOSVS contrahens ſocietatem, ſiuè ex bonis Religionis, ſiuè ex bonis propria induſtria acquiſitis ex facultate, non ſibi, ſed Religioni ſtipulando licitè contrahit. C. 7. D. 2. §. 7. n. 3. pag. 112
Religioſus contrahens ſocietatem ſine facultate, & nomine proprio inualidè contrahit. C. 7. D. 2. §. 7. n. 4. p. 112
Religioſus nec naturalitèr obligatur, & quomodò. C. 7. D. 2. §. 7. nu. 5. pag. 113
Religioſi inuicem conuenientes de ſe inuicem eligendis in dignitatibus Religionis, quamuis grauiſſimè peccent, non contrahunt ſimoniam. C. 7. D. 1. §. 12. num. 1. p. 349
Religioſi etiam dato, quod contraherent ſimoniam ſic conuenientes non ſubirent tamen pœnas iuris contra ſimoniacos. C. 8. D. 1. §. 12. n. 3. p. 350
Religioſus ſimplex commodare non poteſt. C. 9. P. 3. nu. 5. pag. 440
RENVNTIATIO intempeſtiua ſocietatis obligat renuntiantem ad communicandum in damnis alterius, & non in lucris. C. 7. D. 1. §. 9. num. 3. pag. 87
Hocque ſiuè pactum fuerit appoſitum, ſiuè non. C. 7. D. 1. §. 9. num. 2. pag. 87
Renuntiatio beneficij facta cum exactione alicuius pretio æſtimabilis propria auctoritate pro penſionibus conſtituendis per Pontificem, vel loco expenſarum, quæ faciendæ eſſent in expeditione bullarum, ſimoniaca eſt. C. 8. D. 2. §. 5. n. 3. pag. 395
RES ſocietatis, ſi fuerent pretioſiores rebus proprijs ſunt in æquali periculo præferendæ rebus proprijs eiuſdem ſocij. C. 7. D. 1. §. 10. num. 3. pag. 88
Res ſocietatis, ſi eſſent minus pretioſæ rebus proprijs non ſunt præferendæ. C. 7. D. 1. §. 10. n. 5. p. 89
Res ſocietatis æquè pretioſæ non ſunt præferendæ rebus proprijs. C. 7. D. 1. §. 10. n. 6. pag. 89
Res ſocietatis, ſeù ſocietati deſtinatæ, ſi pereant culpa famuli deferentis, pereunt Domino, qui mittit, ſi non fuerit deſtinatus a ſocio, cui mittuntur. C. 7. D. 1. §. 11. n. 3. pag. 91
Res ſocietatis pereunt etiam eidem Domino mittenti per famulum, quantumuis hic fuerit deſtinatus ab alio ſocio ad denuntiandum, vt mittantur, non ad recipiendum. Ibid. num. 4.
Quinimmò etiam ſi fuerit deſtinatus ad recipiendum, niſi deſtinans nouerit non eſſe fidum. C. 7. D. 1. §. 11. num. 6. pag. 91
Res commodatæ, ſi pereant culpa famuli deſtinati à commodatario ad recipiendum, cur pereant commodatario, cum tamen res ſocietatis, ſi pereant culpa deferentis deſtinati à ſocio ad recipiendum non pereunt ipſi ſocio. C. 7. D. 1. §. 11. num. 8. pag. 92

INDEX RERVM.

Res ſocietatis, ſi pereant ex culpa, ſeù dolo deferentis ſe fingentis vnam perſonam pro alia pereunt Domino tradenti, non ſocio, cui erant deferendæ. C. 7. D. 1. §. 12. n. 4. p. 93

Excipe, niſi ſocius fuerit cauſa deceptionis. C. 7. D. 1. §. 11. num. 5. pag. 94

Intellige ſiuè res, quæ perit fuerit determinata in indiuiduo, ſiuè in genere. C. 7. D. 1. §. 12. n. 4. p. 93

Quandonam dicatur ſocius in cauſa deceptionis. C. 7. D. 1. §. 12. num. 5. pag. 94

Res empta ex bonis ſocietatis communibus inſcijs ſocijs in commodum emptoris, fit eiuſdem, nec cedit ſocietati. C. 7. D. 2. §. 14. num. 2., & 3. pag. 133

Res mobiles, & immobiles, & etiam incorporeæ poſſunt commodari. C. 9. P. 1. nu. 3. pag. 434

Res alienæ commodari non poſſunt, nec vſu conſumptibiles ad eum vſum, per quem conſumptio ſequitur, benè tamen ad vſum, ex quo illa non ſequitur. C. 9. P. 1. nu. 4. pag. 434

Res empta pecunia depoſita non eſt propria materia præcedentis depoſiti. C. 9. P. 10. nu. 2. pag. 466

RESIGNATARII recipientes per ſimoniam confidentialem beneficia contrahunt excommunicationem. C. 8. P. 13. §. 1. nu. 11. pag. 256

RESIGNATIO conuenta cum pacto, vt reſignans perciperet fructus, dum viueret, ſi antequam ſignaretur ſupplicatio in fauorem reſignatarij pactum illud fuerit reuocatum, non eſſet ſimoniaca. C. 8. D. 2. §. 1. n. 2. p. 385

Reſignatio conuenta, & non reuocata quoad illud pactum ante ſignationem ſupplicationis eſſet verè ſimoniaca. Ibid.

Reſignatio completa, quæ ſubſecuta fuit poſt factam reuocationem talis pacti ſubſiſtit. C. 8. D. 2. §. 1. n. 3. p. 386

Reſignatio ſic facta poſt reuocationem pacti non inducit ſimoniam conuentionalem ſecundum ſe, niſi præſumeretur inde oriri aliqua obligatio conferendi fructus in ipſum reſignantem, quæ certè præſumptio vehemens eſſet, ſi poſtea fructus conferrentur reſignanti. C. 8. D. 2. §. 1. nu. 4. p. 386

S

SACERDOS celebrans principalitèr propter ſtipendium non eſt ſimoniacus. C. 8. D. 1. §. 4. nu. 2. p. 336

Sacerdotes duo adinuicem conuenientes, vt Sacramenta ſibi adinuicem conferant non ſunt ſimoniaci. C. 8. D. 2. §. 6. num. 2. pag. 339

Sacerdos exigens maius ſtipendium ex eo, quod celebrare debeat ad inſtantiam in altari priuilegiato præcisè eſt ſimoniacus. C. 8. D. 2. §. 11. n. 2. pag. 404

Sacerdos, ſi duplex ſit ſtipendium, alterum taxatum per Epiſcopum, & ſit maius, alterum per conſuetudinem, & ſit minus, poteſt ſine labe ſimoniæ nolle celebrare in Altari priuilegiato, niſi per ſtipendium maius taxatum per Epiſcopum. C. 8. D. 2. §. 11. n. 3. pag. 405

Sacerdos, qui in celebratione primæ Miſſæ manus offert oſculandas, vt aliquod recipiat propriè non committit ſimoniam, ſi id accipiat titulo gratitudinis, & vt ſtipendium ſuſtentationis, ſecus ſi pro tali actione formalitèr. C. 8. D. 2. §. 13. nu. 2., & 3. pap. 409

Sacerdos, qui libentius audit confeſſiones diuitum, à quibus ſperat emolumentum, quam aliorum, à quibus nihil ſperat, non committit ſimoniam, præfert tamen ſpeciem auaritiæ. C. 8. D. 2. §. 14. nu. 2. pag. 410

Sacerdos tribuens miſſarum diſtributori certam pecuniæ quantitatem, vt ſibi potius ſtipendium miſſarum tribuat, quam alteri non committit ſimoniam. C. 8. D. 3. §. 3. num. 2. pag. 414

Sacerdos ſe exhibens ad celebrandas miſſas pro minori ſtipendio, vt ſibi potius ſtipendium earum, quam alteri tradatur, non committit ſimoniam, nec ille, qui minus ſtipendium tribuit. Ibid.

Etiam ſi per teſtatorem eſſet taxatum determinatum ſtipendium. Ibid. num. 3.

SACRAMENTA à ſimoniaco, ſeù per ſimoniam collata non ſunt inualida. C. 8. P. 4. nu. 3. pag. 199

Sacramentum pœnitentiæ ſimoniacè collatum, ſi recipiens ſcientèr concurrerit ad ſimoniam, eſt inualidum. C. 8. P. 4. num. 4. pag. 199

Sacramenta omnia nullo penitus excepto ſunt materia ſimoniæ. C. 8. P. 24. n. 7. pag. 317

Sacramenta, ſi ſumantur, prout ſunt conflatum ex quodam ſigno tanquam re materiali, & ſignificatione tanquam formali etiam ſecundum materiale, quod habent, ſunt materia ſimoniæ. C. 8. P. 24. nu. 7. p. 317

Sacramenta, ſi ſumantur in ordine ad materiam remotam non ſunt materia ſimoniæ. C. 8. P. 24. n. 9. p. 317

Sacramenta vtique in ordine ad materiam proximam ſunt inuendibilia. C. 8. P. 24. n. 9. pag. 318

SACRAMENTALIA ſiuè in actione, ſiuè in termino, ſiuè in vtroque ſunt materia ſimoniæ. C. 8. P. 24. n. 3. p. 314

Sacramentalia in termino ratione materiæ, qua conſtant, non ſunt ſecundum ſe materia ſimoniæ. C. 8. P. 24. n. 4. p. 315

Quandòque tamen ſunt inuendibilia. C. 8. P. 24. nu. 5. pag. 316

Enumerantur, caſus quibus vendi nequeunt. Ibid. n. 6.

SCIENTIA miraculosè acquiſita non eſt materia ſimoniæ. C. 8. P. 14. nu. 2. pag. 285

SCRIPTVRA ad validitatem ſocietatis officiorum non eſt neceſſaria. C. 7. P. 32. nu 6. pag. 49

SEPVLTVRA ſumpta pro loco materiali non ſacro extrà Eccleſiam non eſt materia ſimoniæ. C. 8. P. 24. n. 10. p. 319

Sepultura ſecundum ſe ſumpta pro ſitu materiali non euadit materia ſimoniæ ex eo, quod aliqua corpora ibi fuerint ſepulta. C. 8. P. 24. n. 11. pag. 319

Sepultura ſumpta pro ſitu aliquo, ſeù cæmeterio ad ſepulcrũ fidelium benedicto, vel publicè dicato vtique eſt materia ſimoniæ, ſi adæquatè ſumatur. C. 8. P. 24. nu. 12. p. 319

Sepultura communi ritu benedicta eadem benedictione, qua Eccleſia benedicitur, adæquatè ſumpta eſt materia ſimoniæ. C. 8. P. 24. num. 13. pag. 319

Sepultura honoratior ratione rei ſacræ eſt materia ſimoniæ, ſecus ſi ſit honoratior reſpectu alicuius reſpectus materialis. C. 8. P. 24. num. 14 pag. 319

Sepultura benedicta ſumpta ſecundum eſſe materiale non eſt materia ſimoniæ de iure diuino, probabilius eſt talis de iure Eccleſiaſtico. C. 8. P. 24. n. 15. p. 310

Sepultura ſumpta pro officio illa defunctorum, & exequijs, quæ celebrãtur, eſt materia ſimoniæ C. 8. P. 24. n. 16. p. 322

Sepultura quoad ius, quod quis habet in illa tanquam in fundo proprijs ſumptibus empto, & edificato poteſt vendi quoad proprietatem in ordine ad valorem fundi, & reſpectu habito ad expenſas factas. C. 8. P. 24. n. 17. p. 322

SEQVESTER quid ſit. C. 9. P. 8. nu. 7. p. 463

Sequeſtrum quid ſit. Ibid.

Sequeſtrum quomodò conueniat, & diferat à non ſequeſtro. Ibid.

Sequeſtrum dicit poſſeſſionem ciuilem in ſequeſtrem. Ibid.

Sequeſtrum ex quanam cauſa ſit concedendum per Iudicem. Ibid.

Sequeſter quomodò poſſit muneri renuntiare. Ibid.

SERVI ſunt in triplici genere. C. 7. D. 2. § 3. n. 3. p. 113

Serui adſcriptitij poſſunt contrahere, non ſic ſerui pœnæ. C. 7. D. 2. § . 3. num. 4. pag. 113

Serui propriè, ſi non habent peculium, non poſſunt contrahere. Ibid.

Seruus quoad peculium ſibi limitatè conceſſum à Domino non poteſt ciuilitèr obligari, nec contrahere. C. 7. D. 2. §. 3. num. 6. pag. 114

Seruus, ſi contrahat ex voluntate Domini, obligatur etiam ciuilitèr. C. 7. D. 2. §. 3. num. 8. p. 115

Seruus poteſt contrahere, & obligari ciuilitèr etiam inuito Domino quoad peculium irreuocabile. C. 7. D. 2. §. 3. num 9. pag. 115

Serui habentes ex conceſſione Dominorum liberam diſpoſitionem quoad aliquam induſtriam poſſunt per illam contrahere ſocietatem. C. 7. D. 2. § 3. nu. 10. p. 116

Seruorum ſocietas in peculio dependenti inita poteſt per Dominos diſſolui. C. 7. D. 2. §. 3. num. 11. pag. 116

Seruus contrahens ſocietatem in peculio dependenti ſemper Domino ſtipulatur. C. 7. D. 2. §. 4. n. 2. p. 117

Seruus contrahens in irreuocabili ſibi, non Domino ſtipula-

INDEX RERVM.

tur. C. 7. D. 2. §. 4. nu. 4. pag. 117
Seruus contrahens iuſſu Domini obligat Dominum actione ex iuſſu. C. 7. D. 2. §. 4. n. 5. pag. 117
Seruus obligatur in ſolidum ex contractu in pecunia irreuocabili. C. 7. D. 2. §. 4. nu. 6. pag. 118
Seruus contrahens non iuſſu Domini obligatur in ſolidum, Dominus ſolum ex peculio, & in rem verſo. C. 7. D. 2. § 4. num. 7. pag. 118
Seruus poteſt deponere res Domini ità tamen, vt actio competat Domino. C. 9. P. 10. n. 5. pag. 467
Seruus Domini arripiens à commodatarijs res commodatas à Domino efficit, vt Dominus poſſit agere contrà commodatarius, ſi culpa eorum aliqua interceſſerit, ſecus ſi nulla. C. 9. D. 1. §. 2. nu. 2. pag. 481
Seruus, qui abſtulit res à Domino commodatas à commodatarijs, ſi iterum recipiatur à Domino efficit, vt commodatarius habeat actionem aduerſus Dominum furtiuam nomine ſerui. C. 9. D. 1. §. 2. nu. 3. p. 482
SIMONIA vnde dicta, & quid propriè ſit. C. 8. P. 1. nu. 1. & 3. pag. 184
Simonia poteſt eſſe cũ voluntate indirecta. C. 8. P. 1. n. 4. p. 185
Simonia committitur etiam per actum internum, non tamen eſt punibilis. C. 8. P. 1. num. 5. pag. 185
Simonia eſt indifferens, vt verſetur inter rem, & rem, vel inter rem, & pecuniam. C. 8. P. 1. n. 6. p. 185
Simonia mentalis, conuentionalis, & realis. C. 8. P. 2. n. 1. p. 186
Simonia alia ficta, alia vera, & quid vtraque. C. 8. P. 2. n. 2. pag. 187
Simonia naturalis diuina, & humana. C. 8. P. 2. n. 3. p. 187
Simonia humana eſt contra obedientiam, & Religionem. C. 8. P. 2. num. 4. pag. 187
Simonia Eccleſiaſtica, in quibus conſtituatur. C. 8. P. 2. n. 5. pag. 188
Simonia confidentialis quid ſit. C. 8. P. 2. nu. 6. p. 188
Simonia propriè ſumpta eſt prohibita ſecundum ſe iure naturali. C. 8. P. 2. nu. 7. pag. 188
Simonia vt talis ità eſt abſolutè mala, vt eius malitia nequeat impediri. C. 8. P. 2. nu. 10. p. 190
Simonia propriè accepta eſt etiam prohibita iure diuino. C. 8. P. 2. n. 12. pag. 192
Simonia ſolo iure humano prohibita quænam ſit. C. 8. P. 2. num. 13. p. 192
Simonia propria ſumpta aduerſatur virtuti Religionis, & eſt ſacrilegium. C. 8. P. 3. nu. 1. p. 193
Simoniacè emens rem ſpiritualem non peccat contrà iuſtitiam commutatiuam. C. 8. P. 13. nu. 2. p. 193
Simoniacè vendens rem ſpiritualem peccat contrà iuſtitiam. C. 8. P. 3. num 3. pag. 194
Simonia ex genere ſuo eſt peccaminoſa lethaliter, nec fit venialis ratione paruitatis materiæ. C. 8. P. 3. n. 7. & 8. pag. 195. & 196
Simonia conuentionalis non irritat ipſo iure collationem beneficij Eccleſiaſtici. C. 8. P. 10. n. 1. & ſeq. p. 237
Simonia confidentialis irritat beneficia etiam ritè antecedenter obtenta. C. 8. P. 12. nu. 3. pag. 246
Etiam ſimonia in collatione Pontificatus. Ibid.
Simonia in receptione beneficij, quamuis non irritet beneficia ritè anteà obtenta, irritat tamen omnes actiones, ordinatas ad eiuſdem beneficij perfectam conſecutionem C. 8. P. 11. num. 4. pag. 246
Simonia in receptione beneficij reddit recipientem inhabilem ad alia beneficia recipienda. C. 8. P. 12. n. 7. p. 248.
Simonia confidentialis quid ſit. C. 8. P. 13. §. 1. n. 1. p. 251
Simonia confidentialis quoad pœnas non inducitur per intentionem in mente retentam. C. 8. P. 13. §. 1. n. 2. p. 225
Simonia confidentialis non ſolum committitur in beneficijs, quandò cum pacto ſiuè explicito, ſiuè implicito reſignatarius debet reſignare, ſed etiam cum pacto, vt reſignatarius ſoluat penſionem alteri à reſignante, vel etiam ipſi reſignanti. C. 8. P. 13. §. 1. nu. 3. & 4. p. 252
Simonia confidentialis vnde dicta. C. 8. P. 13. §. 1. n. 5. p. 252
Simoniæ confidentialis quinam finis, & quænam cauſæ. Ibid. num. 6.
Simonia confidentialis ex quibus arguatur. C. 8. P. 13. §. 1. num. 7. pag. 252
Simonia confidentialis in ordine ad pœnas non ſtat cum ſimplici intentione, nec tamen requirit pactum expreſſum, ſed exigit expreſſionem intentionis ex parte reſignantis, & non reluctantiam ex parte reſignatarij. C. 8. P. 13. §. 1. num. 10. pag. 225
Simonia realis in beneficio inducit excommunicationem latæ ſententiæ, & efficit tam conferentes, quam recipientes, & mediatores. C. 8. P. 13. § 2. n. 17. p. 260
Simonia realis non inducit ipſo facto ſuſpenſionem. C. 8. P. 13. §. 2. num. 23. pag. 263
Simonia realis in beneficijs inducit ſuſpenſionem lato modo. C. 8. P. 13. §. 2. n. 24 pag. 263
Simonia realis in beneficio non inducit directè irregularitatem. C. 8. P. 13. §. 2. nu. 30. p. 265
Simonia realis in beneficio infert infamiam iuris, tàm in conferentem, quàm in recipientem. C. 8. P. 13. §. 2. n. 32. 33. & 34. pag. 266
Simonia in ordine afficit ipſo facto excommunicatione tàm conferentem, quàm recipientem. C. 8. P. 13. §. 2. num. 34. pag. 166
Simonia in ordine inducit depoſitionem. C. 8. P. 13. §. 3. num. 49. pag. 273
Item infamiam iuris, & Canonicam. C. 8. P. 13. §. 3 num. 50. pag. 273.
Simonia in ingreſſu in Monaſterium inducit excommunicationem tàm contrà dantes, quàm contrà recipientes, & ſi recipiens fuerit Monaſterium ſuſpenſionem. C. 8. P. 13. §. 4. n. 53. & 54. pag. 274
Simonia commiſſa in alio quocunque genere à beneficio, ordine, & ingreſſu in Religionem nullam pœnam ipſo iure inducit. C. 8. P. 13. §. 5. n. 65. p. 278
Simoniacus conuictus, & frequens poteſt pœna corporali puniri. C. 8. P. 13. §. 7. n. 73. p. 283
Item poteſt degradari. Ibid.
Simonia quandò ſit in collatione beneficij pro obſequijs, in temporalibus, vel ſpiritualibus. Vide ſuprà in verb. Obſequia
Simonia de iure naturæ prohibita non conſtituitur, ſi conferatur beneficium cum onere ſpiritualium obſequiorum, nec de iure Eccleſiaſtico, ſi talia ſpiritualia obſequia, vel ex natura ſua, vel in prima inſtitutione, vel eodem beneficio vacante ab habente legitimam poteſtatem fuerint annexa, vel annectantur eidem beneficio. C. 8. P. 25. nu. 12. pag. 316
Secus, ſi imponantur ſolummodò à conferente in propriam vtilitatem. Ibid.
Simonia non eſt conferre beneficium propter preces quantumuis ipſæ preces ſit formale motiuum collationis. C. 8. P. 25. num. 14. pag. 318
Simonia eſt conferre beneficium cum onere, vt fundantur humanæ preces pro conferente. C. 8. P. 25. n. 15. p. 318
Simonia non eſt, ſi futurus beneficiarius offerat aliquid non collatori, ſed Eccleſiæ, cui optat præfici ad inclinandum animum collatoris ad ipſi conferendum. C. 8. D. 1. §. 2. num. 2. pag. 333
Simonia item non eſt quantumuis illa oblatio fiat per modum expreſſæ conuentionis. C. 8. D. 1. §. 2. n. 3. p. 334
Simonia in rigore non eſt hæreſis, niſi quatenus illam committens erroneè ſibi ſuadeat illam licitam eſſe. C. 8. D. 1. §. 5. n. 3. & 4. p. 337. & 338
Simonia eſt, ſi erogetur pretium pro interceſſione immediate penès collatorem ad obtinendum beneficium. C. 8. D. 1. §. 13. n. 3. pag. 351
Simonia non eſt, ſi aliquid erogetur pro labore mediatoris in eundo, & redeundo, & pro damno inde ſecuto. C. 8. D. 2. §. 13. n. 4. pag. 352
Simonia eſt quantumuis pretium conferatur pro interceſſione mediata. C. 8. D. 1. §. 13. n. 5. p. 353
Simonia eſt redimere pecunia vexationem iniquam ab eo, qui non ſolum obeſſe, ſed etiam prodeſſe poteſt. C. 8. D. 1. §. 16. n. 2. pag. 359
Simonia non eſt redimere pecunia vexationem, qua quis impeditur concurrere ad beneficium. C. 8. D. 1. §. 20. n. 2. pag. 372
Simonia non eſt exiſtente vno dumtaxat, qui poſſit conferre

puero

puero decedenti ante vſum rationis, & nolit eidem conferre pecuniam, vt baptiſmum conferat. C. 8. D. 1. §. 21. num. 3. pag. 373
Verificatur etiam in ordine ad adultum conſtitutum in extremis. C. 8. D. 1. §. 21. n. 4. p. 376
Item in ordine ad redimendam vexationem quoad ſacramentum pœnitentiæ Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis. C. 8. D. 1. §. 21. nu. 5. p. 378
Simonia non eſt redimere Chriſtum Dominum ſub Euchariſtia exiſtentem quodamodò captiuum apud Iudæos etiam interuentu pecuniæ non ſub formali ratione redemptionis eiuſdem, ſed vexactionis. C. 8. D. 1. §. 22. num. 3. pag. 380
Simonia tamen eſſet, ſi fieret emptio formalitèr Chriſti Domini, & pretium erogaretur ſub expreſſa proteſtatione talis emptionis. C. 8. D. 1. §. 22. n. 4. p. 380
Simonia non eſt, ſi Parochus accepta pecunia nolit audire confeſſionem alicuius in extremis conſtituti. C. 8. D. 1. §. 23. num. 2. pag. 381
Eſt tamen grauiſſima culpa. C. 8. D. 1 §. 23. n. 3. p. 382
Simonia non eſt, ſi poſteà Parochus accepta minori pecuniæ quantitate audiat Sacramentalem Confeſſionem, quantum ex parte conferentis pecuniam. C. 8. D. 1. §. 23. num. 4. pag. 382
Simonia commiſſa cum vno ex electoribus inualidat electionem abſolutè, ſiuè electio ſpectet ad omnes indiuiſibilitèr, ſiuè diuiſibilitèr. C. 8. D. 1. §. 24. n. 3. & 4. p. 383
Simonia iuris Eccleſiaſtici eſt, ſi duo electores conueniant de eligendo adinuicem amico, & quomodò. C. 8. D. 1. §. 25. n. 2. pag. 384
Simonia eſt renuntiare beneficium, quo renuntians aliquid exigit à renuntiatario loco penſionis, quæ ſibi conſtitueretur à Pontifice, ſi peteret, vel loco expenſarum, quæ facienda eſſent in expeditione Bullarum. C. 8. D. 2. §. 7. num. 3 395
Simonia non eſt paciſci antecedentèr de ſtipendio ſuſtentationis pro miniſterio ſpirituali. C. 8. D. 2. §. 12. n. 3. p. 407
Etiam, ſi Sacerdos paciſcens ſit diues. C. 8. D. 2. §. 12. num. 5. pag. 408
Simonia eſt conſtituere in proprijs bonis alicui titulo recipiendo promiſſionem, quod nihil petet, & tàm conſtituens, quàm ordinatus contrahunt ſuſpenſionem. C. 8. D. 3. §. 5. num. 2. pag. 417
Simonia non eſt conferre beneficium debitori cum ſpe, quod debitum ſoluat. C. 8. D. 3. §. 9. n. 2. p. 422
Simonia etiam non eſt ità conferre beneficium debitori, etiam ſi interueniat pactum de ſolutione debiti, niſi illud pactum inducat nouum onus diſtinctum à priori obligatione. Ibid. num. 3.
Simonia tamen eſt, ſi ratione beneficij collati obligatur beneficiarius debitor ad maius onus, vel aſſecurationis, vel fideiuſſionis. C. 8. D. 3. §. 9. n. 4. pag. 423
Simonia eſt conferre beneficium vicario, ne conferens ſoluat ſalarium debitum eidem Vicario ex miniſterio ſpirituali. C. 8. D. 3. §. 10. n. 3. p. 424
Simonia eſt conferre beneficium filio Iudicis, vt hic mitiget pœnam Reo. C. 8. D. 3. §. 13. n. 2. p. 429
Simonia non eſt conferre beneficium ex metu temporalis nocumenti, & intentione, vt beneficiarius non conferat damnum. C. 8. D. 3. §. 14. n. 3. p. 430
Simonia eſt conferre beneficium ex metu damni temporalis cum pacto expreſſo, ne conferatur. C. 8. D. 3. §. 14. num. 4. pag. 431
Æquè verificatur ſiuè illud pactum fuerit de damno, quod timetur ex cauſa iuſta, ſiuè ex cauſa iniuſta. C. 8. D. 3. §. 14. n. 5. pag. 432
Societas quot modis contrahatur. C. 7. P. 1. n. 1. p. 2
Societas quid propriè ſit. Ibid. nu. 2. p. 2
Societas alia vniuerſalis, alia abſoluta, alia ſingularis. Ibid. num. 3. pag. 2
Societas alia tacita alia expreſſa. Ibid.
Societas quomodò conueniat cum alijs contractibus, & quomodò differat. Ibid. num. 4. p. 3
Societas diuiditur ex parte perſonarum, & quomodò. C. 7. P. 1. num. 5. pag. 3
Societas diuiditur ratione circumſtantiarum loci, temporis, annexorum, & ratione obiecti. C. 7. P. 1. n. 5. p. 4
Societas eſt contractus bonæ fidei. C. 7. P. 2. n. 1. p. 4
Eſt contractus nominatus. Ibid. n. 2. p. 4
Solo conſenſu perficitur. Ibid. n. 3. p. 5
Societas iniri poteſt non ſolum inter præſentes per nutus, & verba, ſed etiam inter abſentes per litteras. Ibid. p. 5
Societas non transfert dominium rei collatæ, ſed fictione iuris facit rem communem. C. 7 P. 3. n. 2. p. 6
Societas facit lucra, & damna communia. C. 7. P. 3. n. 2. p. 6
Societas eſt in vtilitatem vtriuſque contrahentis. C. 7. P. 4. num. 1. p. 7
Societas continuari poteſt per Ebrios, furioſos, & amentes, non autem primo contrahi, niſi de conſenſu curatorum. C. 7. P. 10. n. 1. p. 18
Societas etiam poteſt contrahi per Clericos quantum eſt ex vi iuris communis, & ex natura ſocietatis. C. 7. P. 10. num. 3. pag. 19
Societas parit actionem pro ſocio. C. 7. P. 11. n. 1. p. 21
Societas cum aſſecuratione quomodo damnetur per Sixtum V. C. 7. P. 17. num. 2. pag. 33
Societas officiorum quomodo contrahatur. C. 7. P. 19. num. 1. pag. 35
Societas officiorum ſecundum ſe non eſt illicita, nec vſuraria. C. 7. P. 19. n. 3. p. 36
Societas officiorum ſuſtineri non poteſt ſine officio ſuper ſolo vitæ periculo. C. 7. P. 19. n. 4. p. 36
Societas non poteſt contrahi ſuper officio vltra valorem officij. C. 7. P. 19. nu. 5. p. 37
Societas officij differt a cenſu vitalitio, & quomodo. C. 7. P. 19. num. 4. pag. 37
Societas officij contracta ſuper duobus officijs, altero ex ijs vendito ſuſtinetur in vno, quando eſt capax. C. 7. P. 20. num. 1. p. 38
Societas officij non admittit plures ſocios, quando idem officium non eſt capax ſummæ ab vnoquoque collatæ. C. 7. P. 20. n. 2. p. 39
Societas officij eſt cum periculo officij penès officialem, pretij penes ſocium. C. 7. P. 20. n. 3. p. 39
Societas officij, quibus conditionibus debeat iniri. C. 7. P. 20. num. 4. p. 39
Societas officij non ſubſiſtit in officio commodato. C. 7. P. 20. nu. 5. p. 39
Societas officiorum quot modis ſoluatur. C. 7. P. 20. n. 6. p. 41
Societas ſupra valorem officij non admittitur. C. 7. P. 20. num. 5. pag. 40
Societas in foro externo non ſubſiſtit ſine pecunia actualiter numerata coram Notario. C. 7. P. 20. n. 5. p. 41
Societas etiam ſuper officio non vacabili licita eſt. C. 7. P. 23. n. 2. p. 49
Societas ſuper officio non vacabili, non poteſt conſtitui ad illam rationem ad quam conſtituitur ſuper officio vacabili. C. 7. P. 23. n. 3. p. 50
Societas officij durat tempore diſdictæ. C. 7. P. 24. n. 7. p. 53
Societas officij admittit diſdictum, & quomodo. C. 7. P. 24. nu. 2. p. 52
Societas omnium bonorum contrahitur per ſolum conſenſum legitimè præſtitum per contrahentes. C. 7. P. 25. num. 1. pag. 54
Societas omnium bonorum importat communicationem quorumcunque bonorum ex quocunque titulo prouenientium. C. 7. P. 25. n. 2. p. 54
Societas animalium, & pecudum quomodo perficiatur. C. 7. P. 26. n. 6. p. 57
Societas animalium quas conditiones exigat. C. 7. P. 26. num. 7. p. 58
Societas animalium aliqua pacta admittit, aliqua non, & quænam. C. 7. P. 26. à n. 9. ad 12. p. 59., & 60
Societas animalium perſeuerare debet vſque ad tempus conuentum. C. 7. P. 26. n. 14. p. 61
Societas animalium regulariter in animalibus groſſis durat ad quinquennium, in minutis ad triennium. Ibid.
Societas quoad bona diuidenda facienda eſt iuxtà conſuetudinem, vel arbitrio boni viri. C. 7. P. 26. n. 15. p. 65
Societas inter fratres ex eo preciſè non arguitur, quod habeant

beant

INDEX RERVM.

beant bona indiuiſa. C. 7. P. 27. n. 1. p.62
Societas tamen inter eoſdem arguitur, ſi negotientur. Ibid.
Ennumerantur adminicula, quibus ſocietas præſumitur. Ibid.
Societas ex eo, quod fratres habentes bona indiuiſa negotientur, non eſt omnium bonorum. C.7.P.27.n.3. p.63
Societas in bonis ex matrimonio non neceſſariò infertur inter maritum, & coniugem. C. 7. P. 28. n 1. p.67
Societas inter maritum, & coniugem de iure municipali Regnorum Hyſpaniæ, & Galliæ inducitur. C. 7. P. 28. num. 3. pag.69
Societas bonorum inter maritum, & coniugem inducta per iura municipalia Hyſpaniæ, & Galliæ eſt generalis. C. 7. P. 28. num. 4. p.69
Societas *à goder à goder*, quomodo contrahatur. C.7. P.29. num. 1., & 2. p.72
Societas indefinitè contracta ſine vlla expreſſione non eſt ſocietas generalis, ſed eorum, quæ exquiruntur titulo oneroſo. C. 7. D. 1. § 2. n. 2. p.76
Societas indefinita non comprehendit ea, quæ exquiruntur titulo donationis, legati &c. etiam ſi acquirantur occaſione ſocietatis. C. 7. D. 1. §. 2. n. 4. p.76
Societas de re turpi non ſubſiſtit. C. 7. D. 1. §. 4. n.2. p.79
Societas iniri poteſt ad vitam contrahentium. C. 7. D. 1. §. 5. nu. 2. p.80
Societas inita adiecto tempore per modum conditionis ſubſiſtit, ſi conditio non ſit turpis. C. 7. D. 1. §. 5. n. 3. p.80
Societas iniri non poteſt, etiam ex pacto regulariter loquendo, vt duret poſt mortem contrahentium. C.7. D. 1. §. 5. nu. 4. p. 82
Societas poteſt durare poſt mortem contrahentium, ſi negotiatio incæpta fuerit ante mortem vnius ex ſocijs. C. 7. D. 1. §. 5. nu. 5. p.82
Item ſi poſt mortem alicuius ex ſocijs, alter ignorans talem mortem inceperit negotiationem. Ibid. n. 6.
Societas inita ſimpliciter ad vitam contrahentium ſine alio pacto, vno ex illis pereunte deſinit quoad omnes. C. 7. D. 1. §. 6. n. 3. p.81
Societas inita inter plures eo pacto, vt perſeueret inter ſuperſtites vtique durat. C. 7. D. 1. §. 6. n. 4. p.82
Societas inita inter plures eo pacto, vt perſeueret ad vitam vltimi ſuperſtitis cum hæredibus præmortuorum non ſubſiſtit. Ibid.
Societas vectigalium cum tali pacto ſubſiſtit, ſi ſeruentur legitimæ conditiones. C. 7. D. 1. §. 6. n. 5. p.82
Ennumerantur conditiones ad hoc requiſitæ. Ibid. num. 6.
Societas priuata inita ſub ea conditione, vt tranſeat ad hæredem ex ſocijs ſubſiſtit in ſui origine, & illa conditio vitiatur, non vitiat. C. 7. D. 1. §. 7. n. 3. p.83
Societas arrogati non tranſit in arrogatorem, & tamen arrogatus ſocius manet. C. 7. D. 1. §. 7. n. 6. p.84
Societas inita ad vendendum, ſi res ante venditionem perierit, diſſoluitur. C. 7. D. 1. §. 13. n. 2. p.69
Societas quamuis ex genere ſuo conſenſu perficiatur, ex conuentione tamen partium, poteſt exigere rei traditionem. C. 7. D. 1. §. 15. n. 3. p.97
Societas inita cum filio familias durat etiam poſt emancipationem eiuſdem, ſi duratura fuerit. C. 7. D. 1. §. 19. num. 2. p.103
Societas per ſeruum inita per eiuſdem alienationem diſſoluitur. C. 7. D. 2. §. 5. n. 2. p.118
Societas quomodò diſſoluatur ex perſonis. C. 7. D. 2. §. 18. num. 2. pag.139
Societas diſſoluitur per maximam, & mediam capitis diminutionem non per minimam. C.7.D.2.§.19.n. 5. p.141
Societas diſſolui poteſt, etiam per ceſſionem bonorum, & quomodò. C. 7. D. 2. §. 20. n. 3. p.142
Societas poteſt diſſolui ob abſentiam diutinam futuram alterius ſocij cauſa Reipubl. C. 7. D. 2. §. 21. n. 2. p.144
Intellige, ſi per alium commodè non poſſit præſtare ſocietatis munera. Ibid.
Item ſi ſit abſuturus inuitus, non volens. Ibid. n. 3.
Societas poteſt diſſolui, ſi alter ſocius fuerit damnoſus ſocietati, & iniurioſus. C. 7. D. 2. §. 22. n. 4. p.144
Societas diſſolui poteſt ceſſante ſpe obtinendi id, ad quod eſt inita. C. 7. D. 2. § 21. n. 8. p.146
Societas diſſoluitur officio & auctoritate Iudicis interueniente cauſa. C. 7. D. 2. §. 24. n. 2. p.148
Societas ſupra valorem officij ignorante vtroque contrahente exceſſum non ſuſtinetur in vim ſocietatis, bene tamen poſt factum in vim ſponſionis. C. 7. D. 3. § 4. num. 3. p.156
Subſiſteret tamen ſocietas in parte, in qua non excedit. Ibid. n. 4.
Societas ſupra valorem officij ignorante exceſſum ſolo ſocio non ſubſiſtit, etiam in vim ſponſionis, ſi fuerit ignorantia craſſa. C. 7. D. 3. §. 4. n. 5. p.156
Societas inita ſuper duobus officijs, altero eorum vendito non diſſoluitur quoad totum, ſed tantum quoad partem. C. 7. D. 3. §. 13. n. 2. p. 168
Et non approbata venditione per ſuperiorem ſocietas ſuſtinetur in omnibus officijs. C. 7. D. 3. §. 13. num. 5. p.169
Societas animalis adiecto pacto, quod ſit commune tam quoad ſortem, quàm quoad periculum, & lucra, eſt in diſſolutione diuidenda æqualiter quoad omnia. C. 7. D. 4. §. 4. num. 2. p.174
Societas animalis ſine tali pacto diuidenda eſt ſecundum lucrum tantum, non ſecundam ſortem. C. 7. D. 4. §. 4. num. 3. pag.175
Societas animalis nullo adiecto pacto de diuiſione capitalis, & de periculo, & animal fuerit potius factum deterius, quàm melius eſt diſſoluenda per reſtitutionem animalis faciendam illi, qui illud tradidit. C. 7. D. 4. §. 4. num. 4. p.175
Societas talis cum pacto de æquali periculo eſt æqualiter diſſoluenda. C. 7. D. 4. §. 4. n. 4. p.175
SOCIVS tenetur verſus ſocios de dolo, culpa lata, leui, non tamen leuiſſima. C. 7. P. 4. n. 3. p.7
Socius tenetur non ſolum ex culpa iuridica, ſed etiam Theologica. C. 7. P. 4. n. 5. pag 8
Socij gaudent priuilegio §. *ſunt præterea Inſtit. de a &.*, quod teneantur in id tantum, quod commodè facere poſſunt. C. 7. P. 5. n. 2. pag.9
Socius, vt gaudeat hoc priuilegio non debet denegare ſe eſſe ſocium. C. 7. P. 5. n. 4. p.10
Socius gaudens tali priuilegio in taxatione eius, quod commodè poteſt, non debet deducere æs alienum. C. 7. P. 6. num. 3. p.12
Socij comparantur ad inuicem, vt fratres. C.7.P.6.n.3. p.12
Socius non poteſt gaudere priuilegio, vt tantum teneatur, quantum commode poteſt, quandò creditor aliundè non haberet congruam ſuſtentationem. C. 7. P.8. n.1. p.14
Socius, qui gaudet priuilegio, computare debet ſuam congruam ſuſtentationem tùm ex bonis patrimonialibus, tùm ex bonis ſocietatis. C. 7. P. 9. n. 1. p.15
Socius in tali computatione non ſolum attendere debet ad bona, quæ remanent ex ſocietate, ſed etiam ad bona propria patrimonialia, attentis redditibus, qui ex eiſdem percipiuntur, non eorum valore. C. 7. P. 9. n. 2. p.15
Socius vſurpans res ſocietatis habet aduerſus ſe tùm actionem furtiuam, tùm pro ſocio. C. 7. P. 12. n. 3. p.51
Socij ſunt alendi ex bonis communibus, ſi ſocietas ſit omnium bonorum. C. 7. P. 13. n. 2. p.22
Socij non debent ali expenſis ſocietatis, ſi ſocietas non fuerit omnium bonorum. C. 7. P. 13. n. 3. p.22
Socius ex cauſa ſocietatis alio proficiſcens, & faciens maiores ſumptus eſt in illo exceſſu compenſandus. C. 7. P. 13. nu. 4. p.22
Intellige quoad expenſas neceſſarias, & niſi aliter fuerit deductum in pactum, vel conſuetudo aliter obtineat. Ibid.
Socius tenetur ſumptus facere neceſſarios ad conſeruationem rerum ſocietatis ex lege charitatis, & iuſtitiæ. C. 7. P. 14. n. 3. p.25
Socij ſunt quaſi legales curatores, & adminiſtratores bonorum. Ibid.
Socius poteſt repetere ſumptus, quos fecit, & compenſationem, ſi lucrum indè ceſſarit, vel damnum emerſerit, C. 7.

INDEX RERVM:

C. 7. P. 14. num. 4. pag. 26
Socius quoad tempus repetendi, ſtare debet conuentis, vel conſuetudini. C. 7. P. 14. n. 6. p. 26
Socius ſi receperit ex neceſſitate mutuos nummos pro bonis ſocietatis ſub intereſſe, poteſt compenſationem exigere ex bonis communibus. C. 7. P. 14. n. 5. p. 26
Socius pecuniarius non acquirit præcisè lucrum ſocietatis ex titulo periculi, cui exponit pecuniam. C. 7. P. 16. num. 1. p. 32
Socius pecuniarius acquirit etiam ex ſpeciali modo, quo per ſocium induſtrium negotiatur. C. 7. P. 16. n. 2. p. 32
Explicatur talis modus negotiandi per ſocium induſtrium. Ibid.
Socius induſtrios, quantum eſt ex vi ſocietatis, non poteſt obligari ad aſſecurandum capitale. C. 7. P. 17. n. 1. p. 33
Societas omnium bonorum eſt æqualis in communicatione quantumuis ſit inæqualitas in bonis collatis. C. 7. P. 24. num. 4. pag. 54
Societas omnium bonorum exigit communicationem in damnis, & expenſis. C. 7. P. 25. n. 6. p. 55
Socius ſibi alium adiungens altero inſcio non facit alteri illum ſocium, ſed ſibi. C. 7. P. 25. n. 7. p. 56
Socij omnium bonorum poſſunt dotare filias ſuas bonis communibus ſocietatis. C. 7. P. 27. n. 6. p. 64
Socius, qui res furtiuas coactus contulit, poteſt eaſdem repetere. C. 7. D. 1. §. 3. n. 4. p. 79
Socius, qui res furtiuas ſponte contulit, non poteſt ſpontè repetere. C. 7. D. 1. §. 4. n. 4. p. 79
Socius, qui res furtiuas contulit condemnatus ad reſtituendum, poteſt eas repetere. C. 7. D. 1. §. 4. n. 5. p. 79
Socius, qui res furtiuas contulit ſocijs ſcientibus, ſi fuerit damnatus & ad reſtitutionem, & ad pœnam poteſt repetere collatum, & pœnam ad ratam. C. 7. D. 1. §. 4. num. 6. pag. 79
Socij ſcientes per alterum rem furtiuam collatam, non tenentur eidem reſtituere, ſi non fuerit damnatus, ſi tamen reſtituant non peccant. C. 7. D. 1. §. 4. n. 7. p. 80
Socij non poſſunt obligare ſuos hæredes. C. 7. D. 1. §. 5. num. 4. pag. 81
Socij poſſunt per pactum iuramento firmatum ſe obligare ad perſeuerandum cum hærede defuncti, ſi ipſe velit perſeuerare, non tamen ipſum hæredem ad perſeuerandum. C. 7. D. 1. §. 8. n. 3. p. 85
Socij poſſunt etiam iuramento ſe obligare ad perſeuerandum in ſocietate inter ſe, ſi hæres defuncti nolit perſeuerare. Ibid.
Socius intempeſtiuè renuntians ſocietati communicat in damnis alterius ſocij, non in lucris, iſte verò in lucris illius, & non in damnis. C. 7. D. 1. §. 9. n. 3. p. 87
Secus ſi renuntiat propter abſentiam ex cauſa publica. Ibid. n. 4.
Socius in æquali periculo tenetur præferre res ſocietatis pretioſiores rebus proprijs. C. 7. D. 1. §. 10. n. 3. p. 88
Socius ſic præferens res pretioſiores ſocietatis cum iactura propriarum, poteſt ad ratam à ſocijs exigere illarum compenſationem. C. 7. D. 1. §. 10. n. 4. p. 89
Socius non tenetur præferre res ſocietatis minus pretioſas, vel etiam æquè pretioſas proprijs. C. 7. D. 1. §. 10. num. 5., & 6. p. 89
Socius poteſt excipere de priuilegio faciendi tantum, quantum commodè poteſt ſiuè ante, ſiuè poſt ſententiam. C. 1, D. 13. n. 4. p. 95
Socius integrè ſatisfactus per ſocium debitorem, poteſt compelli ad contribuendum alijs, quando debitor eſt impotens ad ſatisfaciendum alijs ſocijs integrè. C. 7. D. 1. §. 14. n. 4. p. 96
Excipe, niſi ſocij conſcij fuerint ſolutionis iam factæ, & intra debitum tempus non reclamauerint. C. 7. D. 1. §. 14. n. 5. p. 96
Socius debitor gaudere poteſt priuilegio faciendi tantum, quod commodè poteſt, ſi arte diuenerint res ſocietatis in creditorem, vel cum proteſtatione, ſecus ſi ſimpliciter. C. 7. D. 1. §. 16. n. 3., 4., & 5. p. 98., & 99
Socius pecuniarius in bonis ſocietatis præferendus eſt cuicunque creditori ex alia cauſa ſocij induſtrij. C. 7. D. 1. §. 18. n. 3. p. 101
Socius pecuniarius præferendus eſt cæteris creditoribus alterius ſocij, qui omnia lucra conſumpſit in cauſis proprijs. C. 7. D. 1. §. 18. n. 4. p. 103
Socius omnium bonorum acquiſita per iniuriarum actionem in propria perſona communicat ſocietati, non tamen confert deperdita ex proprio maleficio, & quare. C. 7. D. 1. §. 21. n. 3. p. 106
Socij, qui conſenſerunt ad emptionem rei ex bonis communibus, non habent actionem ad illam rem determinatam, ſed perſonalem aduerſus emptorem, & eius bona. C. 7. D. 2. §. 14. n. 4. p. 134
Socius in ſtipulatione pœnali, quandò duo interueniunt pacta, poteſt agere pro ſocio ad ea, quæ ſunt contractus, & ad pœnam ea ſtipulatu. C. 7. D. 2. §. 15. n. 6. p. 136
Socius in ſocietate officij poteſt adijcere pactum, vt poſſit intrà quindecim dies nominare aliam perſonam, cuius vitæ periculo ſtat capitale. C. 7. D. 3. §. 7. n. 1. p. 160
Socius ſuper officio quantumuis grauiter ægrotans, ſi ſibi reſeruauit ius nominandi aliam perſonam intrà quindecim dies determinatos, poteſt intrà illos nominare. C. 7. D. 3. §. 8. n. 3. p. 161
Socius, ſi reſeruauerit ius nominandi ad quodcunque tempus non poteſt grauitèr ægrotans nominare, & ſi nominet, non tenet, niſi viuat poſt decem dies à die intimationis eiuſdem nominationis. C. 7. D. 3. §. 8. n. 4. p. 162
Socius omnium bonorum poteſt vti re communi in proprium commodum dummodò vſus non cedat in damnum ſocietatis. C. 7. D. 4. §. 1. n. 3. pag. 169
Socius contrectans rem communem nomine proprio lucrum ſibi acquirit, debet tamen compenſare, & ſocietatis officio conferre. C. 7. D. 4. §. 1. n. 170
SOLVTIO facta Procuratori non habenti mandatum ad recipiendum non releuat debitorem. C. 7. D. 1. §. 11. n. 5. pag. 91
Solutio facta poſteriori creditori in pecunia numerata non reuocatur per anteriorem. C. 7. D. 1. §. 14. n. 2. p. 95
Niſi facta fuerit mala fide, & in fraudem. Ibid. n. 3.
SPIRITVALIA, & ſpiritualibus annexa, quæ ſint. C. 8. P. 1. num. 8. pag. 185
Spirituale triplicitèr dicitur, & quomodò. C. 8. P. 1. n. 10 pag. 18[illegible]
SPONSIO in ſimonia quomodò poſſit interuenire. C. 85. D. 1. §. 3. num. 1. pag. 334
Sponſio pro beneficin obtinendo facta immediatè collatori inducit ſimoniam. C. 8. D. 1. §. 3. nu. 2. p. 334
Sponſio etiam facta cum alio à collatore, qui tamen mouet collatorem ad conferendum eſt ſimoniaca. C. 8. D. 1. §. 3. num. 3. pag. 335
SPVRIVS eſt incapax hæreditatis paternæ. C. 7. D. 4. §. 6. num. 2. pag. 177
Spurius ex vi ſocietatis initæ cum legitimo viuente Patre acquirit bona hæreditatis ad ratam. C. 7. D. 4. §. 6. n. 3. pag. 177
Saltem in legitima, ſi Pater prohibuerit expreſsè, ne filius iniret ſocietatem. Ibid. num. 5.
STABVLARII depoſitarij tenentur ſaltem de leui. C. 9. P. 11. num. 4. pag. 472
Statutum præcipiens, vt in adminiſtratione Sacrorum aliquid detur, ſi iuſtis rationibus innitatur, nec conferatur, vt pretium ſpiritualium, nec eſt ſimoniacum, nec peccaminoſum. C. 8. D. 1. §. 11. n. 2. p. 348
Statutum, quo cauetur, vt aliquid in adminiſtratione Sacrorum conferatur, vel ad ſuſtentationem miniſtrorum, vel ad incitamentum ad libentius Sacris vacandum, vel in ornatum Eccleſiæ non eſt iniuſtum. C. 8. D. 1. §. 11. num. 3. pag. 349
Statutum, quo cauetur, vt quotieſcunque quis in canonicum eligitur, aliquid tribuat, vel in vtilitatem Eccleſiæ, vel in ſubleuamen pauperum, iuſtum eſt. Ibid.
Statutum, vt qui in canonicum recipitur, aliquid ſoluat diſtribuendum inter cæteros canonicos, iniquum eſt. C. 8. D. 3. §. 1. num. 2. pag. 411
STIPENDIVM quid propriè ſit. C. 7. D. 2. §. 6. n. 3. p. 120
STIPVLATIO pœnalis in emphytheuſi regularitèr tollit legalem. C. 7. D. 2. §. 15. n. 2. p. 139

Sti-

INDEX RERVM.

Stipulatio pœnalis, ſi tria interceſſerint pacta in conuentione tollit antecedentem, ſecus ſi duo tantum. C. 7. D. 2. §. 15. num. 3. pag. 135
Stipulatio pœnalis, cur nouet præcedentem, ſi tria fuerint pacta non ſic, ſi duo tantùm. Ibid. num. 4.
Stipulatio non eſt cauſa extrinſeca formalis neceſſaria commodari. C. 9. P. 3. n. 3. pag. 439
SVSPENSIO lato modo inducitur contra ſimoniam realem in beneficijs. C. 8. P. 13. S. 2. n. 24. p. 263
Suſpenſio, & interdictum ab Eccleſia contrà ſimoniacè ordinantes eſt latæ ſententiæ. C. 8. P. 13. S. 3. n. 39. p. 269
Suſpenſio lata contrà ſimoniacè ordinatos perpetua eſt. C. 8. P. 13. S. 3. n. 42. p. 270
Suſpenſio contra ſimoniacè ordinatos non ſolum eſt ab executione ordinum ſimoniacè ſuſceptorum, ſed etiam à ſuſceptione aliorum. C. 8. P. 13. S. 3. n. 43. p. 270
Suſpenſio ab executione ordinum afficit ſimoniacè ordinatum etiam occultum. C. 8. P. 13. S. 3. n. 44. p. 271
Suſpenſio non afficit ſimoniacè ordinatum, ſi ſimonia ſit commiſſa ab alio ipſo ignorante. C. 8. P. 13. S. 3. n. 45. pag. 271
Suſpenſio contra ſimoniacè ordinatos non afficit mediatores. C. 8. P. 13. S. 3. n. 46. pag. 272
Suſpenſio afficit præſentantem ſimoniacè ad ordines per triennium ab executione ordinem. C. 8. P. 13. S. 3. n. 47. pag. 272
Suſpenſio incurritur à Monaſterio recipiente aliquem ſimoniacè. C. 8. P. 13. S. 3. n. 54. pag. 274
Suſpenſio hæc non incurritur, niſi receptio fuerit cum præſumptione. Ibid. num. 55.
Suſpenſio contrà Monaſterium recipiens ſimoniacè eſt latæ ſententiæ. C. 8. P. 13. S. 3. n. 58. p. 275
Suſpenſio contrà Monaſterium recipiens eſt, ne alios in Monaſterium recipiat. C. 8. P. 13. S. 3. n. 58. p. 276

T

TACITVRNITAS adminiculata pro conſenſu inducit probationem conſenſus. C. 7. D. 2. §. 8. n. 2. p. 125
TEMPVS ad diſſoluendam ſocietatem quandò expreſſum non eſt regulari debet iuxtà finem, ad quem eſt inita. C. 7. D. 2. §. 22. n. 4. pag. 147
TESTIS recipiens pretium, vt falſum deponat in cauſa ſpirituali eſt ſimoniacus. C. 8. D. 3. §. 8. n. 2. p. 421
Teſtis recipiens pecuniam ad teſtificandum pro veritate in cauſa ſpirituali committit ſimoniam, ſi illam recipiat, vt pretium ad promouendam cauſam ſpiritualem, ſecus ſi recipiat, vt ſtipendium laboris. C. 8. D. 3. §. 8. n. 3. p. 421
THEOLOGIA ſacra, & moralis, prout docetur, non eſt materia ſimoniæ. C. 8. P. 14. n. 3. p. 286
Theologiæ ſacræ docendi facultas non eſt materia ſimoniæ. Ibid. num. 4.
THESAVRVS inuentus per vnum ex ſocijs eſt conferendus. C. 7. P. 25. num. 3. pag. 54
TRANSACTIO facta inter colligitantes præcisè, in qua ius ſpirituale pro temporali remittitur eſt ſimoniaca. C. 8. D. 2. §. 2. n. 3. p. 388
Tranſactio ſimoniaca non eſt, ſi ſuper controuerſia in beneficio dubio exorta partes componantur adinuicem auctoritate Iudicis, & Superioris decernentis, vt vnus ex colligantibus beneficium habeat, & ſoluat alteri penſionem, vel quid aliud. C. 8. D. 2. §. 2. n. 4. p. 388
Tranſactio facta per arbitros electos à colligantibus non eſt ſimoniaca. C. 8. D. 2. §. 2. n. 5. p. 389
Tranſactio rei ſpiritualis pro alia ſpirituali, quarum neutra ſit beneficialis non eſt ſimoniaca, quantumuis fiat per ipſos colligitantes ſine ſuperioris auctoritate. C. 8. D. 2. §. 2. num. 6. pag. 390
Tranſactio, qua vna pars beneficij diuidui fuit vni adiudicata, altera alteri ſine Pontificia auctoritate eſt ſimoniaca. C. 8. D. 2. §. 2. n. 7. pag. 390
Tranſactio quoad beneficium incertum, & dubium pro alia re ſpirituali non poteſt licitè fieri ſola colligantium voluntate, ſed requiritur Prælati auctoritas. C. 8. D. 2. § 2. num. 8. pag. 391
TRANSLATIO periculi capitalis in ſocietate ſuper officio in aliam perſonam nominandam à ſocio fieri nequit pro tempore, quo ſocius fructus percepit. C. 7. D. 3. §. 9. n. 2. pag. 162
Tranſlatio appellat rei executionem. C. 7. D. 3. §. 9. nu. 4. pag. 163
Tranſlatio commodorum non infert tranſlationem ſocietatis. C. 7. D. 3. §. 12. n. 2. pag. 167

V

VENDENS ſimoniacè rem ſpiritualem peccat contrà iuſtitiam. C. 8. P. 3. num. 3. pag. 194
Vendens ſimoniacè peccat peccato iniuſtitiæ non aduerſus Deum, ſed aduerſus emptorem. C. 8. P. 3. n. 5. p. 195
Vendens duplicem malitiam contrahit alteram contrà Religionem, alteram contrà iuſtitiam. C. 8. P. 3. n. 6. p. 195
VENDITIO differt à ſocietate, & quomodo. C. 7. P. 1. num. 4. pag 3
Venditio cum pacto retrouenditionis ex genere ſuo non eſt illicita. C. 7. P. 29. n. 8. pag. 73
VENDITIVM non eſt diuidendum in diuiſione bonorum ſocietatis generalis. C. 7. D. 2. §. 24. n. 3. p. 149
VICARIATVS Capitularis non eſt propriè beneficium. C. 8. D. 2. § 9. n. 5. pag. 402
Vicariatus Capitularis ſimoniacè collatus non eſt ipſo iure nullus. C. 9. D. 2. §. 9. n. 4. pag. 402
Vicariatus Epiſcopi conductus pro certa pecuniæ quantitate eſt ſimoniacè acquiſitus. C. 8. D. 2. §. 10. n. 2. p. 403
Vicariatus Epiſcopi ſic acquiſitus non eſſent dimittendus, nec eſſet nullus. Ibid. num. 3.
VSVRA non eſt accipere pignus in ſecuritatem rei mutuatæ. C. 7. P. 29. n. 3. pag 72
VSVRARIVS contrahens ſocietatem conferendo capitale antea mutuatum quantumuis vſurariè validè contrahit. C. 7. D. 2. §. 9. n. 3. pag. 116
Vſurarius contrahens per lucrum vſurariè acquiſitum validè contrahit, dummodò res illa lucrata non ſit eadem in indiuiduo, quæ vſurariè fuit acquiſita. Ibid. num. 4.
VSVS rei depoſitæ, ſi hæc tranſeat in mutuum cedit depoſitarius, & etiam, ſi tranſeat in commodatum. C. 9. P. 12. n. 4. pag. 476
Vſus eſt ratio formalis, per quam commodatum differt à depoſito. C. 9. P. 12. n. 5. pag. 476
VSVSFRVCTVS non transfertur in commodato. C. 9. P. 1. num. 5. pag 435
VTILE commodatarij eſt finis primarius commodati. C. 9. P. 3. num. 1. pag. 438
VXOR commodare non poteſt res ſui viri, niſi ex præſumpta voluntate ipſius. C. 9. P. 3. nu. 7. pag. 440

LAVS DEO.